BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IV
E
24
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. FLORENTIS SEPTIMII TERTULLIANI, PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS,

LIBER

DE PRÆSCRIPTIONIBUS CONTRA HÆRETICOS,

SCHOLIIS, ET NOTIS ILLUSTRATUS

PER F. CHRISTIANUM LUPUM,

Iprenſem, Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia Doctorem, & Profeſſorem.

EJUS OPERUM TOMUS NONUS,

STUDIO, AC LABORE

F. THOMÆ PHILIPPINI RAVENNATENSIS EJUSDEM ORDINIS.

NAPOLI

VENETIIS MDCCXXVII.

Proſtant { APUD JO: BAPTISTAM ALBRITIUM Q. HIERON. ET SEBASTIANUM COLETI.

CUM GRATIA, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PALUTIO DE ALTERIIS,

AD SANCTOS DUODECIM APOSTOLOS PRESBYTERO CARDINALI,

S. ROMANÆ ECCLESIÆ CAMERARIO,

Ordinis Ereminarum SANCTI AUGUSTINI *Protectori, &c.*

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME DOMINE,

Quintum Florentem Septimium Tertullianum, ex Pro-Conſularis in Africa Centurionis filio Presbyterum Carthaginienſis Eccleſiæ, *omnium Eccleſiarum ſermone celebrati*, teſtatur in Chronico Euſebius Cæſarienſis. Lactantius Firmianus *omnium litterarum genere peritum*, Presbyter Ruffinus affirmat fuiſſe *virum & legum & inſtitutionum Romanarum peritiſſimum, inter noſtros Scriptores nobiliſſimum.* Et in litteris ad Magnum Sanctus Hieronymus: *Quid Tertulliano eruditius? Quid acutius?* Quod ipſum Sanctus Cyprianus per Antonomaſiam appellaverit Magiſtrum, & quotidiè lectitarit, ſcribit idem Hieronymus in illuſtrium Virorum catalogo. Ejus opuſcula eſſe eloquentiſſimè ſcripta, in libro de hæreſibus aſſerit Sanctus Auguſtinus. Et Vincentius Lerinenſis: *Quid hoc viro doctius? Quid in humanis atque Divinis rebus exercitatius? Nempè omnem Philoſophiam, & cunctas Philoſophorum Sectas, Authores Adſertoreſque Sectarum, omneſque earum diſciplinas, omnem hiſtoriarum & ſtudiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quòd non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Jam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat. Cujus quot penè verba ſunt, tot ſententiæ: Quot ſenſus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæterique, quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus, evertit.* Addit Origenem apud Græcos, Septimium *apud Latinos eſſe omnium noſtrorum facilè Principem*. Eſt omninò verum. Etiam verè ſcribit Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *Conſequens Tertulliani error detraxit Scriptis probabilibus authoritatem.* Nihilominùs & iſta ipſa erroris Scripta hodiernis ac noviſſimis Eccleſiæ temporibus ſunt adeò utilia, ut Martini Lutheri ac Joannis Calvini commenta poſſimus ex ipſis ſolis potentiſſimè contundere. Uti ejus de Oratione librum laudatus Hilarius, ita ego ejuſdem Præſcriptiones appello *volumen aptiſſimum*, ad eoſdem Errones, ſi ſuadentem audire nolint, opprimendos. In ipſos militant & vivunt omnia, quæ iſtud volumen præſcribit in Gnoſticos & Marcionitas. Sunt firma & generalia arma adversùm omnes hæreſes: præteritas, præſentes, futuras. Eſt libellus non ſolùm aureis litteris, ſed & verbotenùs ſcribi dignus in omnium memoria. Scio illum à Gabriele Albaſpinæo, Jacobo Pamelio, Nicolao Rigaltio, aliiſque Eruditiſſimis eſſe elucidatum. Verum novi & Sancti Hieronymi verba: *Numquid aut Tertullianus Beatum Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à ſcribendo? Niſi & parva fuerint, magna eminere non poſſunt.*

Lactantius, ubi Septimium ſcribit omnium litterarum genere peritum, adjungit: *Sed in eloquendo parùm facilis, & minùs comptus, & multùm obſcurus fuit.* In hoc doctiſſimo libello habes plura non dumtaxat vocum, ſed & rerum Obſcura. Arcana primitivæ noſtræ diſciplinæ, variæque alterius Eccleſiaſticæ Antiquitatis. Quidam rogarunt hæc plenè ediſſeri. Et fructum ſpoponderunt, etiam à noſtris Sectariis, quos ſanè jam videmus fieri molliores, & paulatim redire ad Matrem Catholicam. Pleno animo ſervire ipſis ambio: Hinc fui perſuaſus. Et Eminentiæ Veſtræ ſpero non diſplicere. Eminentia Veſtra totius Chriſtianæ Religionis immenſum pondus, & omnium ſub Sole Eccleſiarum Apoſtolicam ſollicitudinem ſub Sanctiſſimo Patre ac Domino noſtro Clemente decimo ſuſtinet: Et palmare veſtrum ſtudium eſt ſacroſanctum iſtud Domini noſtri JESU Chriſti Corpus ſervare integrum ab omni erroris macula, & per Maculatorum expurgationem ac reditum augere. Adversùm leviſſima etiam, quæ appropinquante ſæculorum exitu non poſſunt non ebullire, zizaniorum exordia ſtatim imitaris Epheſi Angelum, cui dictum eſt: *non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt.* Hinc non dumtaxat litteratos per omnem Eccleſiam viros, ſed & ſtudioſam, quæ in Miſſiones paratur, Juventutem foves & animas munifica beneficentia: Etiam in hoc noſtro Belgio. Chriſto Domino paras validos Exercitus. Inter horum arma omninò eſſe debent præſentes Tertulliani Præſcriptiones, ideoque ipſarum hæc Scholia probari & firmari ſupplicant ab Apoſtolico Judicio Veſtræ Eminentiæ, quam Deus Opt. Max. ſuæ Eccleſiæ diu cuſtodiat.

Dabam Lovanii, in feſtivitate S. P. AUGUSTINI 1675.

Eminentiæ veſtræ minimus famulus,
FR. CHRISTIANUS LUPUS.

Panegyris Paranetica Admodum Reverendo & Eximio Patri Magiſtro CHRISTIANO LUPO, *Iprenſi, Sacræ Theologiæ Doctori & Profeſſori, Ordinis FF. Erem. S. P.* AUGUSTINI.

DEſueta dudum carmina & mihi longo,
Situ ſepultam, vetere cogis in buſto
Animare Muſam, *magne Vir!* Mihi muto
Non eſſe licet, eſto, haud ſiem Poetaſter.
Lentuſque Cultor audiar Camænarum.
Tamen renidens ſplendidâ in Polum luce
Tuum hoc Camænam cogit in metrum *Sidus*,
Quo Europa grande lumen hauriet. Sed quæ
Laudum tuarum exordia recitabuntur?
Videre videor hæccè te reclamantem:
Latere peto, peto & morarier mecum.
Beatus ille, loquace qui procul turba,
Et uſquè querolam neſciens egeſtatem,
Modicis agellis lætus, & brevi menſa,
Arctoque lare, ſecurus explicat frontem
Inter micantes floſculos *Sacri Textus*,
Interque bene-olentia *Patrum* vireta, inter
Arcana folia *Antiquitatis* & jura.
Hæc laus tua eſt, *Vir magne*, nec cupis aliam,
Qui notus Aſtris, & tibi, & Scholæ, & Templo,
Cunctis Sequeſter pacis: ô Dei donum!
Speculumque Gtudiæ lucidum es juventutis.
Tu juge ducis innocentiæ filum,
Nuſquam pudoris nufrsgns, & adhuc fama
(Certare docta fragilitate cryſtallo,
Et dum perit redire neſcia) conſtans,
Longè ſtetiſti à crimine, integer vitæ.
In te quod atro dente morſicaretur,
Vix ſomniaret Momus unus aut alter,
Turpi è cloaca ſordidi cerebelli,
Oleumque & operam diſſipans, canis ſicut
Qui nil timenti ſtultus oblatrat Lunæ.
Sudotis aliquot amphoras ſcio impenſas,
Et de liquore plurimùm Minervali,
Quo jugis ardet Pallados vigil lampas,
Priuſquam eo, quo ſtas loco, refulgeres.
Sudoris aliquot amphoras ſcio impenſas,
Cum mentis oculorumque dente jejuno,
Nunquamque Saturo, *Antiquitatis abſtruſæ*
Tota Helluari, Codicemque, Legeſque, &
Præſcripta Canonum memore ventre complecti,
Suoque tempore parturire *Romanæ*
Sedi (quibus ſub ſole Mundus accreſcet
In veritate & æquitate non ficta)
Saliaris eſſe cœna tibi videretur.
Non nare odora, ventre nec cato exploras,
Quid in culinis Perſicis dapum fumet;
Quid in Polono ſtrideat veru aprorum;
Quas Mexicanus inſtruat focus cœnas:
Non diſſitatum carduos Moluccarum,
Sinenſe folium haud Indiæ petis lappss,
Similesque larvas nauſeantis orexis;
Prandes ſed obolo: *Promi-condus* eſcarum,
Ipſe meliorum *Eccleſiæ* penum curas.
Ad veſperam ampla ſpolia præparans Matri,
Ejuſque Gnatis manè dividens prædam.
Teſtatur hæc præſens tuus Liber, quocum
Agmen refutas Vulturum Togatorum,
Hypocritarum Præſides, Palæſtritas,
Queis unco & hamo conſtat integrum corpus:
Ineptiarum barbaros Magiſtellos,
Momos, vel alios Satrapas aſellorum,
Abominandi qui domi, foris Sancti.
Lupos forenſes: Nam & ſuos Forum nutrit,
Et ſic eodem, quo ſolet in aquis, jure
Major minores devorat Lupus piſces.
Et Pædagogos criminis Gomorrhæi.
Præſcribis his ſententia hac tua finem.
Et triſte ſtabulis Hæreſum LUPUS vivis:
Lætumque *Matri Eccleſiæ* LUPUS vives,
Quamdiu diurnam Phœbus adferet lucem,
Fratrique tollet æmulam facem Phœbe.

Quod corde & voce precatur FR. GUILIELMUS WYNANTS,
Collegii litterarii M. P. Auguſt. Lovanii Præfectus.

NOI REFORMATORI DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed approbazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato: *Q. Florentis Septimii Tertulliani, Presbyteri Carthaginienſis, Liber de Præſcriptionibus contra Hæreticos, &c. Fr. Chriſtianum Lupum, &c.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Sebaſtian Coleti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli Ordini in materia di Stampe, e preſentando la ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 28. Marzo 1727.

(Carlo Ruzini Cav. Proc. Ref.
(Alviſe Piſani Cav. Proc. Ref.
(Z. Pietro Paſqualigo Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

22. Aprile 1727.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori Contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

Q. FLORENTIS SEPTIMII
TERTULLIANI,
CARTHAGINIENSIS ECCLESIÆ
PRESBYTERI,
LIBER
PRÆSCRIPTIONUM
CONTRA
HÆRETICOS.

NOn ſolùm eminens Theologus, ſed & Romani Juris eximiè peritus fuit Septimius Tertullianus, ideoque ejuſdem Juris vocabula frequens uſurpat. Et ex iſtis omnino eſt vocabulum, *Præſcriptio*. Habet ſignificationes varias. Prima edicit uſucapionis effectum, id eſt, Juris, quod prior dominus habuerat, exſtincti translationem. Hoc ſenſu loquitur Apoſtolus: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos* JESUS CHRISTUS *præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?* Hoc eſt, ſuo in vos per Crucis ſcandalum acquiſito jure excluſus. Hinc enim ſequitur: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Hoc eſt, deſinetis ad Chriſti Domini jus & regnum pertinere. Altera hujus vocis acceptio ſignificat legalem exceptionem. Ita in lege ad Acilium Severum, Romanæ urbis Præfectum, exſtante in codice Theodoſiano, Imperator Conſtantinus diſtinguit præſcriptiones moratorias ac peremptorias: Quibus ſcilicet litis ingreſſus aut progreſſus perimitur, vel ſolummodo tardatur. Has in lege ad Secundinum Orientalis Prætorii Præfectum Imperator Julianus vocat *artificioſa judicii obſtacula*. *Quòd examini occurrere & obſtrepere conſuerint*, in lege ad Ruffinum ejuſdem Prætorii Præfectum affirmat Theodoſius Auguſtus, ideoque ſancit adulterii accuſationem nulla deinceps *civili præſcriptione* ſuſpen-

Lib. r. tit. 2 leg. 3. Lib. 2. tit. 5. leg. 1.

di . In lege ad Thalaſſium Aphricæ Proconſulem Auguſti Valens & Gratianus præ-
Lib.11.tit. ſcriptioni peremptoriæ aſſerunt ineſſe vim definitivæ ſententiæ . Quod nempè hæc
30.leg.37. abſumat cauſam , illa faciat non admitti . Et hinc tertia noſtræ vocis acceptio im-
portat definitivam ſententiam . Ita in lege ad Catullinum Byzacenæ Provinciæ Re-
Leg. 2. ctorem lucidè accipit Auguſtus Conſtantinus . Eodem modo apud Cornelii Taciti
Annales accipit Cheruſcorum interceſſio , quæ adversùs datum ſibi à Romanis Regem
L. 11. c. 16. allegat *adimi veterem Germaniæ libertatem* , & violentum Regni affectatorem *Arminium*
fruſtrà præſcribi . Quarta acceptio ſignificat Imperialia Reſcripta . Hæc enim ſunt
Lib. 8. tit. 4. leg. 16. *Cæleſtes præſcriptiones* , laudatæ ab Honorio & Theodoſio Auguſtis in lege ad Anthe-
mium Orientalis Prætorii Præfectum . Ita & nos paſſim dicimus hoc vel iſtud præ-
ſcribi à lege Divina aut humana.

Et in omnibus hiſce acceptionibus vocem hìc uſurpat noſter Septimius . Non ſolùm per Gentilium perſecutiones , ſed & per hæreticorum ſordes afflictiſſima tunc erat Eccleſia . Graſſabantur enim Montaniſtæ , Ebionitæ , ſactio Artemonis , ac præſertim in plurima fruſta diſſectus grex Gnoſticorum , qui è Simone Mago ſucceſſivè eruperant , tamquam fungi è terra . Hi apud Romanum ubique Imperium peſſimè olere fecerant omne Chriſtianum nomen , & ipſum graviter lacerarant . Hinc & domi & foris opùs erat medicina . Hanc per librum Apologeticum , iſtam per editos adversùs ſcabiei Principes Marcionem & Valentinum libros Septimius confecerat: Verùm cum ſtultis quis litigandi finis ? Omnem quippè hæreticum eſſe ſtultum , in̄ libro de Palæſtinæ Synodi Geſtis palàm aſſeverat Sanctus Auguſtinus . Hinc ergò
Cap. 6. ex Divinis Scripturis , Eccleſiaſticis traditionibus , ac etiam firmis rationum principiis , lucida quædam ſundamenta ſeu Theologicos locos collegit Septimius , quibus quicumque Hæreticus , & præſens & futurus , non eſſe Chriſtianus , non ſpectare ad Eccleſiam , ideoque hanc iſtius dictis aut factis gravari aut maculari non poſſe oſtenderetur . Quibus oſtenderetur ab omni Chriſtianæ communionis jure excluſus , ac Divina cenſura peremptoriè præſcriptus.

Et hinc quæſtio eſt , An præſens libellus titulandus ſit *Liber Præſcriptionum adversùs hæreticos* , an verò *Liber de Præſcriptionibus hæreticorum ?* Reſpondeo utrumque titulum eſſe congruum , & neutri ſuos deeſſe patronos . Poſterior tamen eſt congruentior , & videtur datus ab ipſo auctore . Etenim in primo adversùs Marcionem libro Septimius aſſeverat omne novum dogma eſſe hæreſim , & adjungit : *Sed alius libellus hunc gradum ſuſtinebit adversùs Hæreticos , etiam ſine retractatu doctrinarum revincendos , quòd hoc ſint de præſcriptione novitatis* . Lucidè dicit in hoc libello Hæreticos de ſola novitatis præſcriptione revinci , adeoque huic libello datum titulum de Præſcriptionibus . Exceptio & præſcriptio non penitus ſunt idem : Hæc eſt illius effectus . Exceptio proponitur adversùs aliquem : Hinc parta præſcriptio illum ab agendo moratur aut excludit . Et hinc Apoſtolus non dixit præſcriptum adversùs JESUM CHRISTUM apud Galatas , ſed ipſum fuiſſe præſcriptum . Nam & Apoſtolus fuit non imperitus Romani Juris.

Præſcriptio ex vario capite deſumitur . Hinc Romanum Jus laudat præſcriptionem doli , fori , temporis , rei judicatæ . Novitatis præſcriptione præſertim ſe hic uſurum pollicetur Septimius , qua cuncta hæreticorum dogmata demonſtret eſſe novā , ideoque tamquam à Chriſto Domino ac ejus Evangelio palàm aliena , evincat ne audienda quidem , nec ad diſputationem , aut Eccleſiaſticum examen admittendā . Hinc addit : *Sine retractatu doctrinarum* . Nam peremptoria præſcriptio nullū admittit cauſæ ingreſſum , ideoque ipſi eſſe vim definitivæ ſententiæ , nobis jam dixit Imperator Gratianus . Et hinc in Carthaginenſi Collatione Donatiſtæ , quòd peremptoriam adversùm Catholicos præſcriptionem ſibi exiſtimarent competere , queſti ſunt ſe ab illis aſturè contra juris ordinem circumſcribi , ac induci in cauſam . Quare libellum hunc Septimius nobis dedit adhuc Catholicus , poſteriorem libris adversùs Marcionem.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Ad hoc hæreſis, ut fides habendo tentationem habeat & probationem.

COnditio præſentium temporum etiam hanc admonitionem provocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper Hæreſes iſtas: Sive quia ſunt, futuræ enim prænuntiabantur; ſive quia fidem quorundam ſubvertunt, ad hoc enim ſunt, ut fides habendo tentationem haberet etiam probationem. Vanè ergò & inconſideratè plerique hoc ipſo ſcandalizantur, quòd tantùm hæreſes valeant, quantum ſunt. Cum quid fortitum eſt, ut omnimodò ſit, ſicut cauſam accipit ob quam ſit, ſic vim conſequitur per quam ſit, ne eſſe non poſſit.

SCHOLION.

Conditio præſentium Temporum.

EVangelicam Prædicationem mox, vivis adhuc Apoſtolis, fœdare cœperunt è Simone Mago nati duplicis Divinitatis fabulones Hæretici, magicis artibus, anilibus & pluſquam Idololatricis de Domino Deo nugamentis, effræni ac vaga libidine, & plena omnis ſceleris licentia infames; atque hinc natum eſt commune Romani Imperii ac omnium Gentilium in Chriſtianos odium, de quo Sanctus Irenæus: *Ad detrectationem Divini Nominis & Eccleſiæ, quemadmodum & gentes, à Satana præmiſſi ſunt, ut ſecundùm alium & alium modum quæ ſunt illorum audientes homines, & putantes nos omnes tales eſſe, avertant aures*
Lib. 1. cap. 24. *ſuas à præconio veritatis, aut ut videntes quæ ſunt illorum, omnes nos blaſphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina neque in moribus, neque in quotidiana converſatione.* Quod ipſum conqueruntur in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſarienſis, in libro de Hæreſibus Sanctus Epiphanius, & in Dialogo cum Tryphone Judæo Sanctus Martyr Juſtinus. Ab hi- Lib. 4. cap 7.
ſce nebulonibus prodiit de noſtro vago ad dejectum à catello ſcabellum ac exſtinctum lumen concubitu atque inceſtu calumnia, de qua in primo Hæreticarum fabularum Libro Theodoretus Epiſcopus Cyrenſis: *Prodigus Adamitarum hæreſim conſtituit. Hic ad Decreta Carpocratis adjecit palam & publicè ſcortari. Uxores enim ſanxit eſſe communes. Quare non ſolùm in publicis conviviis, lucernæ lumine remoto, in quam quiſque inciderat cum ea coibat, ſed & hanc incontinentiam dicebant eſſe ritum myſticum Initiationis.* Loquitur ex Sancto Clemente Alexandrino in tertio libro Stromatum: *Sunt qui publicam venerem vocent myſticam communionem, vel ipſo nomine contumelioſi. Infeliciſſimi homines carnalem concubitus communionem putant ad Chriſti regnum perducere.* Quod ipſum docuiſſe Marcum Ægyptium, atque ita plures Aſiaticas ac Rhodanenſes, & quidem opulentas ac nobiles, mulieres ſeduxiſſe, & corrupiſſe teſtantur Sanctus Irenæus, ac ex ipſo in Sancti Iſaiæ com-

Lib. 1. cap. 9. mentario Sanctus Hieronymus. Fœdiſſimam ejuſdem etiam Marci Euchariſtiam prodit laudatus Irenæus, & adjungit de Carpocrate: *Car-* Cap. 35. *pocrates dixit in unoquoque peccatorum, & turpium operationum aſſiſtere Angelum*, qui operanti, ut in re divina ſolet, adderet ſolemni prece præpoſtulatos animos & vires. Sceleratæ precis formulam adducunt Sanctus Epiphanius, ac idem Irenæus, deteſtanda dogmata meritò Lib. 3. cap. 4. appellans *Portentiloquium ac Inſaniam totius mundi Hellebero non curandam*. Hircos & Sues vo- Lib. 2. cap. 5. cat Theodoretus. Præcipuum inſaniæ fundamentum erat, quòd nulla opera, ſed ſola in Deum fides & charitas ad juſtitiam & ſalutem requirerentur. Martinus Lutherus & Joannes Calvinus tales habuerunt Antiſtites ac Magiſtros. Nihilominus illi ſeſe Gnoſticos, ſpirituales, perfectos, ab omni lege exemptos, plena per Chriſtum libertate donatos, omnium Altitudinum comprehenſores, doctiores ipſis Apoſtolis, ſolos veraciter Chriſtianos ubique jactitabant ſuperbiſſimè, & credulis in nos Gentilibus facilè perſuadebant. Hinc omnes fuimus exiſtimati tales, & tamquam publicæ generis humani peſtes ad ignes, cruces, gladios, beſtias ſine commiſeratione proſcripti. Hinc item nata paroemia: *Pluvia defecit, aùt quodvis aliud malum accidit, cauſa Chriſtiani*. Erat dura tentatio. Etenim *quod ante Domini adventum Satanas numquam probra in Deum & contumelias jacere fuiſſet auſus*, in libris adversùs Marcionem rectè advertit apud Euſebium Cæ- Lib. 4. cap. 17. ſarienſem Martyr Juſtinus, ideoque præſentium temporum conditio quoſdam ſuper iſtas hæreſes faciebat admirari. Admirabantur in ipſo Evangelicæ, quæ Diabolum à Chriſto Domino ligatum aſſerebat, prædicationis exordio tot in Divinam Majeſtatem ebullire blaſphemias, & adversùs veritatem quodammodò prævalere. Quin & multi ſcandalizabantur iſtis ipſis moti argumentis, è quibus quidam apud Sanctum Auguſtinum in libro de Divinatione Dœmonum crediderunt impia atque injuſta à juſto & omnipotente Deo non poſſe permitti. Etiam Sanctum Polycarpum, Smyrnenſi Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ordinatum Epiſcopum, dum iſtas audiret blaſphemias, aures obturare conſuetum, & exclamare, *O bone Deus, in* Lib. 5. cap. 19. *quæ tempora me reſervaſti ut iſta patiar*, ſcribit in epiſtola ad Florinum, per dictum Euſebium adducta, Sanctus Irenæus. Eodem modo ad Arianam Wandalorum in Africa barbariem exclamaſſe Sanctum Eugenium Carthaginenſem Archi-Epiſcopum ſcribit Sanctus Victor Epiſcopus Vitenſis. Iſtos infirmos admonet, inconſideratè ſcandalizatos oſtendit, & in Evangelii fide firmat hocce quaſi exordio Tertullianus.

Sive quia ſunt, &c.

Affirmat non mirandum, quod ſint & à Deo permittantur adeò monſtroſæ hæreſes: *Futuræ enim prænuntiabantur*. Quod argumentum extendit in quarto hujus libri capite. Eodem frequenter utitur Sanctus Auguſtinus: ac in libro de unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus. Eodem illos, qui de Gentilium perſecutionibus & aliis Eccleſiæ aut mundi calamitatibus turbabantur, ſolatur in libro de mortalitate. Fœdiſſimos porrò Gnoſticos non ſolum generatim cum aliis Pſeudo-Prophetis & Anti-Chriſtis, ſed & ſpeciatim à Domino, Apoſto- Lib. 1. cap. 19. lis, ac ipſis etiam Prophetis fuiſſe prænuntia- Lib. 3. cap. 11. tos affirmat ac demonſtrat Sanctus Irenæus. Hinc ergo Septimius noſter ait illos non fortuitò aut temerè, ſed per altam Dei providentiam emerſiſſe, quam admiratur in libro de Eccleſiæ Catholicæ moribus, adversùm Gnoſti- Cap. 17. corum filios Manichæos ſcripto, Sanctus etiam Auguſtinus: *Cur Divina mirificæ diſpoſitionis Providentia vos ſinat, longum eſt diſputare, & non veſtrum iſta intelligere*.

Rectè Auguſtinus addit in populari ſermone de tempore: *Quòd geſtum eſt in Paradiſo, hoc* Serm. 40. cap. 5. *geritur in Eccleſia*. Antiquus Serpens in tritici medio zizania ſerere nunquam deſiit, & infelices Adæ poſteros aſſiduè circumſcribere in novos quotidie errores, ex quibus nata eſt tandem totius ferè mundi Apoſtaſia atque Idololatria. Hic fuerat ſcopus Serpentis. Et hinc lucet ratio, cur prima Evangelicæ prædicationis exordia per uſque tunc ſub ſole inauditas Gnoſticorum blaſphemias ſit conatus maculare. Nempe *ante Domini in carne adventum*, inquit Lib. 4. cap. 15. Martyr Juſtinus apud Euſebium, *nondum ſuam condemnationem pro certo noverat*. Elucidat in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus: *Videns Diabolus templa Dæmonum deſeri, & in* Lib. 18. cap. 52. *nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui ſub Chriſtiano vocabulo doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ*. Quod ipſum in Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ exordio Theodoretus, in libro de Regibus Apoſtaticis Lucifer Calaritanus Epiſcopus, in libro de unitate Eccleſiæ tradit Sanctus Cyprianus. Iſta rerum mutatio diabolum egit in rabiem, ideoque errores adinvenit, quæ Divinam Majeſtatem pejus quam infernali more blaſphemarent, & cum fœnore repararent læſam Idololatriam. Hinc etiam poſt exſtinctas Gentilium perſecutiones, datamque Eccleſiis ab Auguſto Conſtantino pacem induxit triplicis Divinitatis fabulatricem hæreſim Arianorum. Etenim omnem de Deo errorem eſſe veram, & quidem externa inſigniter pejorem, Idololatriam clamat ipſa veritas, & ſuo loco demonſtrabitur. Porrò Gnoſtici omnes ſola duplicis Divinitatis fabula non fuere contenti: Simoniani & Carpocratiani etiam prophanas imagines gentilem in morem adoravere. Ita Diaboli invidia ſtuduit ſe de noſtro per Evangelium Salvatore Deo vindicare. Neque hæc obſunt Divinæ Apocalypſi, aſſerenti Diabolum à Chriſto Domino ligatum, ut non ſeducat Gentes, ſicut faciebat prius. Ligatus quippe fuit intra impiorum mentes, vetitus invadere Electos, quos Evangelii tempore Deus numeroſiſſimos produxit.

Io

In iſto carcere clauſus, eſt adhuc permiſſus ad horum probationem & purgationem inſanire.

Ad hoc enim ſunt, &c.

Hæc Tertulliani verba edicunt cauſam, cur Divina providentia ſtatim in ſui Evangelii exordio hæreſes permiſerit, & uſque ad ſæculi finem ſit, quod ad Timotheum ſcribit Apoſtolus, longè abundantiùs permiſſura. Loquitur ex laudato Apoſtolo: *Oportet hæreſes*
Epiſt. 148. *eſſe, ut hi, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Exponit in litteria ad Dei famulam Maximam Sanctus Auguſtinus: *Si nullus Hæreticorum bonus uſus eſſet Deo ad utilitatem Eccleſiarum ſuarum, poterat eos aut naſci non permittere, aut in ipſo malignitatis eorum initio extinguere. Sed & tantum eos permittit eſſe, quantum novit expedire atque ſufficere admonendæ atque exercendæ ſanctæ Domui ſuæ*. Ab ipſis noſtram excitari deſidiam, fidem manifeſtari, patientiam & benevolentiam exerceri, ac diligentiam proficere, frequenter affirmat, modumque exponit in decimo ſexto libro de Dei Cap. 8.
Civitate: *Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversùm eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur. Ab Adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio*. Conſonat in Apoſtolicæ ad Corinthios Epiſtolæ commentariis ejus diſcipulus Primaſius Epiſcopus Uticenſis: *Fideles per hæreſes exercitati, ſicut Deo noti ſunt, ita etiam manifeſtantur hominibus, & clarius innoteſcunt. Nam undè Advocati peritia apparebit, ſi cauſam nullam dicat, ut probetur? Undè Nauclerus vel Gubernator laudabitur, ſi navis ſemper in portu vel in tranquillitate conſiſtat?* Hæ ſunt piè vivere volentibus numquam deſuturæ perſecutiones, inter quas oportet juſtitiam, in Paradiſi deliciis non cuſtoditam, conſtanter cuſtodire, & futuræ Patriæ quietem ardentiùs deſiderare. Hinc ex hæreſibus, ſive quòd ſint, ſive quòd aliquid in malum valeant, neminem oportet ſcandalizari.

CAPUT SECUNDUM.

Hæreſis ad inſtar Febris abominanda eſt; non miranda.

FEbrem denique inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia eſt miramur, eſt enim; neque quia erogat hominem; ad hoc enim eſt. Proindè hæreſes ad languorem & interitum fidei productas, ſi expaveſcimus hoc eas poſſe, prius eſt, ut expaveſcamus hoc eas eſſe; quæ dum ſunt, habent poſſe, & dum poſſunt, habent eſſe. Sed enim febrem ut malum, & de cauſa, & de potentia ſua, ut notum eſt, abominamur potiùs, quàm miramur; & quantum in nobis eſt, præcavemus, non habentes abolitionem ejus in noſtra poteſtate: Hæreſes verò mortem æternam, & majoris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari quòd hoc poſſint, quam devitare ne poſſint, cùm habeant devitandi poteſtatem. Cæterùm, nihil valebunt, ſi illas tantùm valere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in ſcandalum ſubminiſtrantur; aut quia ſcandalizantur, ideò mirantur, quaſi quòd tantùm valeant, ex aliqua veniat veritate. Mirùm ſcilicet, ut malum vires ſuas habeat: Niſi quòd hæreſes apud eos multùm valeant, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum, plerumque non quia fortis eſt, vincit quis, aut quia non poteſt vinci; ſed quoniam ille qui victus eſt, nullis viribus fuit: Adeò idem ille victor benè valenti poſtea comparatus,

etiam ſuperatus recedit. Non aliter hæreſes de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, ſi in benè valentem fidem incurrant.

SCHOLION.

Erogando homini, &c.

VOx, *Erogatio*, elegantem continet metaphoram. Etenim uti erogatio pecuniam, ita febris cruciatio exhaurit humanam ſubſtantiam. Porrò hæreſis rectè febri comparatur. Eſt enim cruciarius & mortifer pravæ mentis ardor, languere faciens ad interitum, ac tandem plenè erogans vitam illam, de qua ſcriptum eſt: *Juſtus ex fide vivit.*

Ad languorem & interitum fidei.

Exponit hæc in libro de Unitate Eccleſiæ Sanctus Auguſtinus. Poſt detectas Secundi Tigiſitani Epiſcopi & reliquorum Donatiſtarum in Cecilianum Carthaginenſem Epiſcopum inſidias atque calumnias affirmat multos illis adhærentes cum Clericis & populis Epiſcopos rediiſſe ad Catholicam pacem, atque ſubjungit: *Nonnulli etiam bonæ voluntatis per carnalem caliginem, etiam poſt confirmatum contra Eccleſiam Dei malignum furorem, in illa diſſenſione diutiùs erraverunt, tamquam ſi adhuc mollia conculcarentur frumenta, & radice viva herbæ vigor atteretur. Etiam ipſa ſua tum frumenta noverat Deus, quamvis ut reviviſcerent, arguenda & increpanda. Non enim eo modo dictum eſt Petro,* Redi poſt me Satana, *quomodo dictum eſt de* Cap. 25. *Juda,* Unus ex vobis Diabolus eſt. *Quidam quoque & apertiſſimæ veritati malo ſtudio contradixerunt. Illi verò eradicati vel præciſi erant; ſed non permanentes in infidelitate, ſicut de quibuſdam ramis fractis Apoſtolus dicit, manu divina replantati, aut iterum inſerti ſunt. Tunc enim quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt,* Qui talia agunt Regnum Dei non poſſidebunt, *ſed cùm pro ipſis operibus etiam veritati apertiſſimæ, qua redarguitur, reſiſtere cœperit, tunc præciditur.* Affirmat quempiam in aperto ſchiſmate aut hæreſi poſſe errare, eſſe illic mortuum, alienum à Dei Regno, ramum infructuoſum, & herbam conculcatam, quæ interim adhuc, licet non juſtificantis gratiæ, tamen fidei & imperfectæ dilectionis quampiam radicem habeat, atque ita poſſit reviviſcere. Languet in illis iſta radix, necdum eſt evulſa. Quia nempè necdum per apertiſſimæ veritatis contumacem impugnationem, ſed per carnalem dumtaxat caliginem vagantur apud aliena Altària, atque ita necdum ſunt plenè rebelles orthodoxæ unitati aut veritati. Et ita contigit in cujuſvis hæreſis exordio. Et hinc ad quoſdam Donatiſtarum Epiſcopos ſcribit idem Auguſtinus: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis ac in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* Epiſt. 162. Etiam ipſos hæreticorum Epiſcopos affirmat poſſe eſſe hujuſmodi. Ergò & in ipſis fides eſt dumtaxat læſa, necdum exciſa. Hinc dicit Tertullianus hæreſes ad languorem ac interitum fidei produci: Quibuſdam ad interitum, quibuſdam ad ſolum languorem.

Nihil valebunt, &c.

Rectè notantur illi, qui hujus febris in corrumpendis hominibus virtutem admirantur ſcandalizati, dubitantes quaſi illa veniat ex aliqua veritate. Omnem enim in fide dubium eſſe jam corruptum, ac ab hæreſi proſtratum, docet conſtanter Sanctus Auguſtinus. Et hæreſes adversùs ſolam parvam ac infirmam fidem valere tradit etiam in ſequenti capite noſter Tertullianus, dicens: *Neque prudentes, neque fideles, neque uſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerint pervertere.* Et ipſum demonſtrat ex Evangelica parabola: *Avolent, quantum volent, paleæ levis fidei quocumque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.* Conſonat in libro de Unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus: *Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe recedere: Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur, invalidæ arbores turbinis incurſione evertuntur.* Ita & ad Petilianum Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum ſcribit Sanctus Auguſtinus: *A frumentis dominicis numquam receſſiſſes, niſi levis palea vento tentationis ante adventum ventilatoris avolaſſes.* L. 1. c. 18.

Aſſiduè docet Eccleſiam, è malis & bonis, è carnalibus & ſpiritalibus mixtam, eſſe ſimilem areæ, habenti frumentis adjunctas paleas, quas non ſolùm ventilabrum ejicit ſuo tempore, ſed & quaſi irruens ventus facit ante tempus avolare: Grana ſuo pondere in area firmantur. Ita & ſpiritales intra Eccleſiam ventilari, tentari, moveri, & cum Sancto Cypriano errare poſſint, nequaquam in ſchiſmata aut hæreſes abire. Abeunt ſoli illi, quos verſatilis carnalium bonorum cupiditas tenet in Eccleſia, ac in quapiam infirma charitate. Hi ſunt domus ædificata ſupra arenam; ſupra pe-

eras jacta, ideoque radices non habentia ſemina, leve fœnum & palea adverſus venti, ſolis, aquæ, & cujuſvis tentationis impetum infirma. Perfectam ac robuſtam charitatem nulla vi ſeparari a Chriſto, ſcribit Apoſtolus ad Romanos. Cap. 8.

CAPUT TERTIUM.

Scandalum ex quorundam lapſu improvidè deſumptum.

SOlent quidem iſti Miriones, etiam de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis, ædificari in ruinam. Quare ille vel ille, fideliſſimi, prudentiſſimi, & uſitatiſſimi in Eccleſia, in illam partem tranſierunt? Quis hoc dicens non ipſe ſibi reſpondet, neque prudentes, neque fideles, neque uſitatos æſtimandos, quos hæreſes potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retrò, poſteà excidat? Saul bonus præ cæteris, livore poſteà evertitur. David vir bonus ſecundùm cor Domini, poſteà cædis & ſtupri reus eſt. Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio ſervabatur ſine delicto permanere. Quid ergò ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas? Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis: Nemo major, niſi Chriſtianus. Nemo autem Chriſtianus, niſi qui ad finem uſque perſeveraverit. Tu, ut homo, extrinſecùs unumquemque noſti: Putas quod vides. Vides autem quouſque oculos habes. Sed oculi, inquit, Domini, alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideò cognoſcit Dominus qui ſunt ejus, & plantam quam non plantavit Pater, eradicat: Et de primis noviſſimos oſtendit, & ventilabrum in manu portat ad purgandam aream ſuam. Avolent, quantùm volent, paleæ levis fidei quocumque afflatu tentationum, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipſo Domino quidam diſcentium ſcandalizati diverterunt? Nec tamen propterea cæteri quoque diſcedendum à veſtigiis ejus putaverunt. Sed qui ſcierunt illum vitæ eſſe Verbum, & à Deo veniſſe, perſeveraverunt in comitatu ejus uſque ad finem: Cum illis, ſi vellent & ipſi diſcedere, placidè obtuliſſet. Minùs eſt ſi & Apoſtolum ejus aliqui, Phigellus, & Hermogenes, Philetus, & Hymeneus reliquerunt: Ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit. Miramur de Eccleſiis ejus, ſi à quibuſdam deſeruntur, cùm ea nos oſtendant Chriſtianos, quæ patimur ad exemplum ipſius Chriſti: Ex nobis, inquit, prodierunt, ſed non fuerunt ex nobis. Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.

SCHOLION.

Miriones.

MIriones, inquit Beatus Rhenanus, *appellavit Antiquitas, qui ob oris diſtorti deformitatem admirationi forent*. Doctor noſter vocat eos, qui ob nimiam ac deformem admirandi & ſcandali patiendi facilitatem eſſent firmis ſuis fratribus dolori ac admirationi.

Ædificari in Ruinam.

Eſt catechreſis; Deſtruimur enim, non ædificamur in ruinam. Doctor loquitur ex vetuſta definitione ſcandali: Eſt dictum aut factum præbens alteri occaſionem ruinæ. Et revera magnorum in Eccleſia virorum ad hæreſes dilapſus eſt infirmis animis ſcandalum peſſimum, de quo etiam Vincentius Lerinenſis: *In Eccleſia tentatio eſt populi, error Magiſtri. Et tanto major tentatio, quanto eſt ipſe doctior qui*
C. 10. 23. *errat*. Tertulliani noſtri atque Origenis lapſum fuiſſe omni Eccleſiæ tentationem violentam meritò affirmat. Et hinc Donatiſtæ non plebem, ſed ſolos cum majori Clero Epiſcopos fuerunt perſecuti & conati ſeducere: Ut capitum Paſtorem ſequerentur & oves. Eadem arte ſunt uſi Ariani, Hæretici plerique, & quidam etiam Paganorum Imperatores. Et certè ad ſolius Epiſcopi lapſum labi in eandem Idololatriam aut hæreſim frequenter vidimus Eccleſias totas aut civitates. Hinc in reducendis à Novatiani ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem quibuſdam Confeſſoribus Romanis nullas ſibi ferias fecit Sanctus Cyprianus. Ab ipſis iſtic permanentibus noverat è plebe plurimos non poſſe non ædificari in ruinam.

In illam partem tranſierunt.

Eſt vox ſchiſma aut hæreſim ſignificans. Hinc apud Sanctum Auguſtinum frequentiſſimè leges: *Pars Donati*. Et apud Sanctum Optatum Milevitanum Epiſcopum ipſe Donatus magnus: *Quid agitur apud vos de parte mea?* Nempè ſola Eccleſia eſt, nulla hæreſis, nulla ſchiſmatica factio poſſit eſſe Catholica, ideoque illa totum mundum habet, illæ habere non poſſint niſi partem.

Saul bonus evertitur.

Doctor admittit etiam olim probatos, ſpirituales, in charitate robuſtos, quandoque abripi in hæreſas: Quorum nempè robur eſt juſto Dei judicio temporale, ideoque ſuo tempore declinat, evertitur, ac tandem exſufflatur. Quis enim inficietur Septimium noſtrum, Origenem, Luciferum Calaritanum, aliosque id genus lapſos noſtros fuiſſe olim probatos, firmaſque noſtri dogmatis & diſciplinæ columnas? Saulis, Davidis, ac Salomonis exemplo Doctor inſigniter oſtendit veram juſtitiam poſſe eſſe temporalem, ac etiam in Chriſti Sacramentis acceptam poſſe per ſubſequens delictum excuti ac perdi. Quod ipſum ex Salomonis exemplo affirmat in libro de Unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus. Oppoſitum garrire primus in Eccleſia cœpit Jovinianus, adversùs quem ſcribit Sanctus Hieronymus: *Secunda Joviniani propoſitio eſt, eos qui fuerunt baptizati, à Diabolo non poſſe tentari.* L. 2. c. 8. *Et ne hoc ſtultè dicere videretur, adjecit: Quicumque autem tentati fuerint, oſtendi eos aqua, & non ſpiritu baptizatos.* Fundamentum ejus erat Sanctus Joannes Apoſtolus: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius manet in eo. Et peccare non poteſt, quia ex Deo natus eſt.* Quem errorem Joviniano adſcribit in libro de hæreſibus etiam Sanctus Auguſtinus. Eadem laboraſſe videtur apud Auguſtinum Author incognitus libri de ſalutaribus documentis: *Charitas quæ deſeri poteſt, numquam fuit vera.* C. 7. Quin & Sancto Auguſtino ipſam adſtricare conati ſunt Semi-Pelagiani & calumnioſi Galli, quorum ſecundus eſt apud Sanctum Proſperum articulus: *Quod ab eis, qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta Baptiſmi gratia originale peccatum.* Hincmari Remenſis Archi-Epiſcopi erronea factio adſcripſit etiam Godeſcalco, Monaco miſerabili, ad quem ex vulgari rumore ſcripſit Sanctus Amulo Archi Epiſcopus Lugdunenſis: *Diſplicet nobis valdè, quia veriſſima & ſacratiſſima Eccleſiæ Sacramenta, videlicet Exorciſmi, & Baptiſmi, Chriſmatis, & Eucbariſtiæ, ac Manus-impoſitionis, perfunctoriè & fruſtratoriè omnibus, qui poſt perceptionem eorum peccant, dari confirmas, dùm eos ſanguine Chriſti, ſine quo ipſa myſteria jam non myſteria, ſed quædam velut vacua & inania ludibria ſunt habenda, redemptos negas.* Semi-Pelagiana, quæ Prædeſtinatianæ hæreſeos fabulam intruſit in mundum, factio ita priùs de Auguſtino, ac poſteà de ejus diſcipulis perrexit diu mentiri. Haud dubiè verò repoſuerit miſerabilis Monachus cùm Sancto Proſpero: *Relapſum poſt Baptiſma ad infidelitatem & impios mores qui negat originali peccato fuiſſe mundatum, tam falſa opinatur, quàm qui eundem aſſerit non æterna morte eſſe damnandum.* Nihilominus error poſtmodò rurſùm vivere cœpit per neſcio quos Errones, adversùm quos in litteris ad Henricum Senonenſem Archi-Epiſcopum ſcribit Sanctus Bernardus: Epiſt. 42. *Interroga eos, qui dicunt charitatem, à quo ſemel accipitur, non poſſe recedere.* Errorem nervosè refutat, diſtinguitque triplicem fidem: Mortuam, fictam, probatam. Mortuam definit cum Apoſtolo: *Quæ ſine operibus eſt*, id eſt, *quæ non operatur ex dilectione, quaſi non habeat animam ipſam dilectionem, qua vegetetur & moveatur ad opera.* Probatam dicit illam, quæ & operatur per dilectionem, & in

iſtis

iſtis operibus uſque ad finem perſeverat. Pergit de ficta: *Fictam ego arbitror illam vocari fidem, quæ ſuſcepta quidem ex charitate, vita moveri inchoat ad operandum, ſed non perſeverans deficit & moritur, tamquam abortiva. Eo utique ſenſu fictam dixerim nominatam, quo vaſa figuli vocamus fictilia, non quia utilia non ſint, quamdiu durant, ſed quia fragilia cùm ſint, diu minimè durant. De hac fidei fictione puto illos notari, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Et hoc ſenſu loquitur hic noſter Tertullianus: *Nemo Chriſtianus*, utique probatus & perfectus, *niſi qui ad finem uſque perſeveraverit.* Quotquot excidunt, ſunt ficti, ſeu fragiles. Joviniani errorem reſorbuerunt, ac in infelices Europæ populos noſtris temporibus evomuerunt Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus. Primi qui Prædeſtinatianam hæreſim, Sancto Auguſtino & diſcipulis ejus ad inſtar fœdiſſimi probri objectam à Semi-Pelagianis, conſtantiſſimeque ab illis recuſam, in dogma aſſumere non erubuerunt.

At inquies non eſſe errorem. Etenim incognitus ille apud Sanctum Auguſtinum Author, iſtudque ejus dictum adeò non deviant, ut de hoc ad neſcio quam ſacram Virginem ſcripſerit beatus Alcuinus Flaccus: *Proverbiali ſententia ab antiquis dictum eſſe ſcio, Charitas quæ deſeri poteſt, numquam vera fuit.* Et in litteris ad Edilredum
Epiſt.24. Anglorum Regem: *Amicitia quæ deſeri poteſt, numquam vera fuit.* Et apud Joannem Caſſianum Abbas Paphnutius cunctis in prima ad Corinthios Epiſtola adductis Encomiis exornat charitatem,
Coll.3. cap.7. & concludit: *Poſtremò ſectatorem ſuum numquam cadere ſinit ſupplantatione peccati.* Abbas Chæremon laudat locum Joannis Apoſtoli, *Qui natus*
Coll.11. cap.10. *eſt ex Deo, non peccat*, & adjungit: *Quod intelligendum eſt non de omni genere peccatorum, ſed de capitalibus tantùm criminibus dici.* Charitatem ac Dei timorem prædicat etiam Serenus Abbas, & ſubjungit: *His cuſtodibus impoſſibile eſt quemquam*
Coll.8. cap.25. *laqueos mortis incurrere.* Et apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum imperfecti in Matthæum operis Autor: *Qui relicto Chriſto vadunt ad Herodem, frequenter convertuntur ad Chriſtum; qui autem relicto Herode veniunt ad Chriſtum toto corde,*
Cap. 2. *numquam revertuntur ad Herodem.* Seu non recidunt in peccatum. Eandem, de perfecta præſertim charitate, ſententiam quibuſdam ſuo tempore placuiſſe Doctoribus, in opere de Sacramentis teſtatur Hugo Victorinus.

Reſpondeo ſententiam illam à laudato Hugone graviſſimè notari, utpotè quæ authores ſuos
L.2. P.13. C.11.12. tandem ſeduxerit in hanc ſtultitiam: *Tanta erroris caligine involvuntur, ut dum pertinaciter contendunt charitatem ſemel habitam non poſſe amitti, aſſerere incipiant eam à quibuſdam, non ſolùm minora peccata, ſed criminalia quoque & damnabilia perpetrantibus, retineri. David, adulterum & homicidam, charitatem Dei habuiſſe dicunt, quando libidini ſerviens, ad uxorem proximi ſui violandam turpitudini ſuæ fræna laxavit.* Hugo videtur notare Gilbertum Porretanum Epiſcopum Pictavienſem, inter cujus devios articulos Otto Friſingenſis Epiſcopus ponit & hunc: *Gilbertus Eccleſiæ Sacramenta evacuando dicit nullum baptizari, niſi ſalvandum.* Et Sacramentum & Sacramenti rem à ſolis ſalvandis, à reliquis garriebat percipi nudum ac informe Sacramentum. Docuit fœdum errorem, quem Sancto Auguſtino Semi-Pelagiana, miſerabili Monacho impegit factio Hincmariana. Et ex hoc fonte tandem prodiit Amalrici ac Beggardorum ſtultitia, garrientium perfectæ charitatis hominem eſſe impeccabilem, ac plenum libidinis dominum, ideoque carni ſuæ poſſe quævis ſine peccati incurrendi aut ipſius charitatis amittendæ periculo indulgere. De ſola perfecta charitate loquitur etiam Abbas Serenus, ac ſeipſum exponit: *Inter perfectos ac imperfectos iſta diſtantia eſt, quod in illis quidem fixa & maturior charitas tenaciùs perſeverans firmiùs eos cuſtodit, ac faciliùs facit in ſanctitate durare; in his verò velut infirmiùs collata, & faciliùs refrigeſcens, citiùs compellit eos peccatorum laqueis ac ſæpiùs impliceari.* Eodem modo ſe exponit iſtius imperfecti operis Auctor: *Qui relicto Diabolo venit*, utique ex toto corde, *ad Chriſtum, difficilè revertitur ad Diabolum.* Perfecta enim charitas eſt firma petra, quam neque mors, neque vita, ſeu nullus creaturæ amor, aut timor valeant à Chriſto Domino ſeparare. Paphnutium Abbatem exponit Chæremon: Solum enim mortale peccatum ſupplantat hominem, & è ſtante facit lapſum. Adducti ergò Auctores non quamvis, ſed ſolam perfectam charitatem volunt eſſe à quavis tentatione invincibilem. Eodem ſenſu Sanctus Auguſtinus efficaciſſimam, quæ aliud non eſt quàm perfecta Dei & proximi charitas, gratiam ſcripſit eſſe inſeparabilem atque indeclinabilem. Qui Auguſtinum de quavis victrice Chriſti gratia cenſent loqui, inſigniter hallucinantur. Laudat illam ſolam, quam & ad Romanos laudat Apoſtolus. Et tamen etiam hæc, licèt inſuperabilis atque indeclinabilis, poteſt perdi. Falſa eſt etiam hæc propoſitio: Charitas, quæ perdi poteſt, non fuit perfecta.

Perdi poteſt duobus modis. Primò per ingreſſum ſuperbiæ. Etenim perfecta etiam charitas libidinem non evacuat aut ſanat, ſed noſtras animas adverſùm ejus inſultus ſolummodo armat ac firmat. Nec firmat omnes animæ receſſus, ſinus, anfractus, aut partes; aperta ſemper manet porta, qua Proto-Plaſtorum devaſtatrix ſuperbia irrepere, immò & intrare poſſit, atque ita perfectæ etiam juſtitiæ ædificium arietare, ac pedetentim diruere. Iſta charitas ſecundò perdi poteſt per violentiam fortioris cupiditatis. Victricis gratiæ efficaciam exponit Sanctus Joannes
Apoſtolus: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum* Cap. 3.
non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. Et non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Hoc Dei ſemen, quouſque cum Diaboli ſemine, ad quod vincendum datur, manet in fortiori menſura, vincit aſſiduè, & non poteſt non vincere. Hinc & homo in iſta ſuæ animæ parte non peccat, & peccare non poteſt. At per Diabolum nobis inſeminatæ cupiditatis impetus poteſt fieri robuſtior, atque ita diffuſam in iſto etiam noſtri cordis ſinu charitatem ſupprimere, vincere, ac etiam expellere. Ita de lapſo in negationis crimen,

men, & ipſum amarè ſtatim deplorante Sancto Petro Apoſtolo ſcribit in nono Sermone de Do-
Cap. 4. mini Paſſione Magnus Papa Leo: *Petre, vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem averſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam.* Vidit priorem charitatem, licet non everſam, à ſupervenienti tamen validioris concupiſcentiæ motu ſuperatam atque ſuppreſſam. Ita & illos fideles, quos in thuris aut libelli crimen Deciana tormentorum violentia dejecerat, Sanctus Cyprianus frequenter affirmat non fuiſſe mortuos, ſed dumtaxat ægros, ſauciatos, ac Semineces: Quia nempè ſolam habitualem gratiam amiſerant, non fidem, non ſpem, non omnem actualem
Cap. 21. charitatem. Attamen Sanctus Petrus tunc necdum erat in charitate perfectus: Immò nec robuſtus. Quod tunc parvam ac infirmam dumtaxat charitatem habuerit, diſertè affirmat Sanctus Auguſtinus in libro de Gratia ac Libero Arbitrio, & variis aliis in locis. An omnes iſti lapſi Confeſſores fuerint etiam infirmi, eſt res multæ quæſtionis. Quidquid ſit, Sanctus Petrus, dum in Judaicam ſimulationem lapſus eſt, omninò erat in charitate perfectus. Et tamen quod iſtic
Cap. 30. graviter deliquerit, idem Auguſtinus diſertè affirmat in libro de Agone Chriſtiano. Hunc lapſum æquiparat trinæ ejus negationi. Nempè & perfecta ipſius charitas tunc fuit paſſa hoſtem ſe validiorem. Et per illas potuiſſet non ſolummodo vinci, ſed & erui. Proinde hic Articulus, *Gratiæ interiori numquam reſiſtitur*, licet per gratiam intelligatur efficaciſſima victrix gratia, eſt legitimè per Apoſtolicam Sedem circumſcriptus. Nam & hæc gratia non ſolummodo pati poteſt reſiſtentiam, ſed etiam ſuperari atque everti. Et hic Articulus, *Deus non deſerit niſi deſertus*, intelligi debet de Divina non tantummodo per habitualem, ſed & per actualem gratiam deſertione: Quia etiam actualis gratia eſt Dei donum ſine pœnitentia. Hæc omnia abundant nodis, ſuo tempore diſſolvendis.

Si Vidua.

Neſcio quis ad decimum Chriſti Domini ſæculum Presbyter Ambroſius venerabili Vercellenſis Eccleſiæ Epiſcopo Attoni propoſuit hanc quæſtionem: *Quid in Canonibus Presbyteram, quid Diaconam intelligere debemus?* Et Atto reſpondit eſſe varias ſententias: Quod aliqui tam Presbyteram quàm Diaconam vellent eſſe Sanctimonialium Abbatiſſam, quidam per illas intelligerent relictam à Presbytero aut Diacono viduam. Prior ſententia eſt inepta, ac ignota apud antiquos Canones; poſterior autem iſtarum vocum acceptio eſt his notiſſima. Nam & Epiſcopi viduam illi appellant Epiſcopam. Earum tamen neutra, ſed ſola tertia Attonis acceptio facit ad noſtrum hic Propoſitum: *Videtur nobis, quoniam in primitiva Eccleſia, quia ſecundùm Dominicam vocem meſſis multa, operarii pauci videbantur, ad adjumentum virorum etiam religioſæ mulieres in ſancta Eccleſia cultrices ordinabantur. Quod oſtendit beatus Paulus in Epiſtola ad Romanos, cum ait:* Commendo vobis Phœbem ſororem meam quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris. *Ubi intelligitur, quia tunc non ſolùm viri, ſed etiam fœminæ præerant Eccleſiis, magnæ ſcilicet utilitatis cauſa. Nam mulieres diu Paganorum ritibus aſſuetæ, Philoſophicis etiam dogmatibus inſtructæ, bene per has familiariùs convertebantur, & de religionis cultu liberiùs edocebantur. Quod poſtmodo Laodicenſe prohibuit Concilium:* Quod non oportet eas, quæ dicuntur Presbyteræ vel Præſidentes, in Eccleſiis ordinari. *Diaconas verò credimus fuiſſe talium miniſtras. Nam Diaconum dicimus Miniſtrum, à quo derivatam perſpicimus Diaconam.* Demonſtrat Diaconas olim fuiſſe Epiſcopi in mulierum Baptiſmo Miniſtras, ac proſequitur: *Sicut hæ quæ Presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi, vel edocendi, ita ſanè Diaconæ miniſtrandi vel baptizandi officium ſumpſerunt, quod nunc minimè expedit.* Hoc Attonis Reſcriptum eſt inſigniter eruditum.

Proinde uti Presbyteri cum Diaconis, ità cum Diaconiſſis Presbyteræ nullo modo poſſunt confundi. Sanctus Paulus Apoſtolus, ſacri Canones, ac antiqui Eccleſiæ Patres per ſacras viduas quandoque intelligunt tam Diaconiſſas quam Presbyteras, hic tamen noſter Septimius ſolas has intelligit. Et de ipſis eſt multa mentio apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum. In homilia ſuper Apoſtoli verbo, *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum*, hæc habes: *Operæ pretium fuerit ut attentè conſideremus, de qua tandem vidua hoc loco Apoſtolus verba faciat. Nam & illæ viduæ dicuntur, quæ cùm in ſummam inciderint egeſtatem, & in matriculam relatæ fuerint, ex Eccleſiaſticis pecuniis aluntur, prout Apoſtolicis temporibus fiebat. Neque verò ſolum illæ dicuntur viduæ, ſed & illæ, quæ facultatibus abundantes, cum domui præſunt, maritum dumtaxat amiſerunt, Videamus ergo, de quanam vidua hoc loco verba faciat, dum ait:* Vidua eligatur non minor annis ſexaginta. *An de ea quæ auxilio indigeat, & quam opus ſit ex Eccleſiaſticis pecuniis ali, an de ea, quæ minimè ſit indiga, & opibus circumfluat. Haud dubium, quin de iſta. Nam de illa quidem cum loquitur quæ fame conficitur, non tempus aſſignat, non probitatem morum requirit, ſed abſolutè inquit:* Si quis fidelis, aut qua fidelis viduas habet, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia. *Non dixit*, Cùm ſexaginta annorum fuerit; *non dixit*, Si hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit. *Ac meritò ſanè. Ubi enim inopiæ fuerit adhibendum auxilium, tempus non expectat. Quid enim ſi cuia annorum ſit quinquaginta, fame conficiatur? Quid ſi in juvenili ætate ſit mutilato corpore? Num dormiet expectans, donec ſexageſimus annus appetat? Aſt hoc foret extremæ immanitatis. Quam ob cauſam cum ſedanda fames fuerit, non anxiè in tempora & animæ virtutes inquirit; cum verò non inopiæ ſuccurrendum, ſed honor eſt pro dignitate deferendus, meritò hanc de moribus inquiſitionem inſtituit. Nam quemadmodum chori ſunt virginum, ſic olim erant & viduarum. Neque paſſim illis licebat in viduarum numerum referri.* Hanc Apoſtolicam viduarum diſcretionem

inſi-

Digitized by Google

inſigniter exponit, ac tandem concludit: *Viduitas eſt duplex quædam res. Quid hoc eſt tandem duplex? Bonorum operum ſpecimen, & honoris ſummi faſtigium. Ut igitur Magiſtratus eſt res quædam duplex: Habet enim opera & dignitatem. Magiſtratus dignitas eſt poteſtas, & cultus qui à vulgo exhibetur, & ipſum eſſe Magiſtratum; opera verò Magiſtratus ſunt injuria affectis ſuccurrere, injuriam inferentes compeſcere, urbibus præeſſe, in communibus Reipublicæ curis animo excubando pernoctare, & reliqua innumera. Sic & viduitas eſt & dignitas & opus. Maxima dignitas eſt eſſe viduam. Opus eſt ſecundum maritum non adſciſcere, ſed priori eſſe contentum, filios procreare, hoſpitio ſuſcipere, Sanctorum lavare pedes, tribulationem patientibus ſubminiſtrare, omne opus bonum ſectari. Itaque Paulus de junioribus loquens opera quidem viduæ ſinit illas perficere, ad viduæ aut dignitatem & cœtum, ac ordinem provehi non ſinit, donec ſexageſimus annus prætterierit, quaſi dicat: Opera quidem viduæ faciat, dignitatem verò tum obtineat, cùm his omnibus perfectis ſecuritatem temporis beneficio fuerit aſſecuta, & ex operibus demonſtrationem ac externum teſtimonium.* Lucidè affirmat viduitatem, quàm non à quavis aſſumi, ſed ad quam ſolas moribus ac ætate dignas eligi mandat Apoſtolus, ſuo tempore fuiſſe non ſolam continentiæ profeſſionem, ſed Eccleſiaſticum officium, Magiſtratum, grandem varii operis dignitatem, ſummi honoris faſtigium, cœtum, provectionis Ordinem: Ordinem in ſolemni Eccleſiæ conventu ſolemniter ſedendi ac præſidendi. Et ad hunc gradum nequaquam admittit ſolas opulentas viduas. Ipſas ſolummodò non excludit. Quod nempe Imperatoris Conſtantini lex omnes idoneas perſonas excludens à Clero, & ad ipſum admittens ſolos pauperes, In viduarum ordine locum non habuerit. Quod plures etiam Diaconiſſæ fuerint olim opulentæ, eſt Eruditis exploratum. Nam & Auguſta Pulcheria fuit Diaconiſſa.

A Sancto Joanne Chryſoſtomo laudatus, uti virginum, ita & viduarum cœtus eſt elucidandus. In trigeſima ſuper primam ad Corinthios Epiſtolam homilia affirmat pauperes paſſim jacere & mendicare ante Eccleſiarum portas, demonſtrat conſuetudinem eſſe laudabilem atque Apoſtolicam, & proſequitur: *Quod quidem cùm ab initio perſpexiſſent Apoſtoli, lege ſanxerunt, ſicut & alia omnia, etiam ut eſſent viduæ. Et in ea re tantum poſuerunt ſtudium, ut eis etiam ſeptem Diaconos præficerent. Quomodo enim Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, & Virgines, & continentes in Eccleſiæ membrorum numerum referunt, ita etiam viduas. Neque enim hæ levi & abjecto funguntur munere. Nam tu quidem, quando vis, ades, ipſæ autem noctu & interdiu pſallunt & adſunt. Nec ſolùm hoc faciunt propter eleemoſynam. Nam ſi hoc vellent, liceret eis per forum ingredi, & in angiportis mendicare. Sed habent etiam non parum pietatis in Deo colendo ac reverentiæ. Vide in quanta ſint paupertatis fornace, & tamen ipſarum nullas videris blaſphemantes, neque indignantes, & ægrè ferentes, quod quidem faciunt multæ ex divitibus. Et earum quidem aliæ eſurientes ſæpè dormiunt, aliæ, etiam à frigore ſunt perpetuo concretæ, & tamen degunt in gratiarum actione & glorificatione. Et ſi obulum dederis, gratias agunt, & millies bona precantur. Et ſi nihil dederis, non ægrè ferunt, ſed ſic quoque benedicunt, ac bonis verbis proſequuntur. Satis habent, ſi fruantur alimento quotidiano.* In libris de Sacerdocio idem venerandus Doctor Epiſcopalis Officii onus inſigniter exponit atque exaggerat, & proſequitur: *Primum ab eo, quod inter alia leviſſimum quidam* L. 3. cap. 15. *eſſe putant, exordiamur. Viduarum quidem cultus videtur haud aliam, quam pecuniæ inſumendæ ſollicitudinem eis præbere, qui illarum tractandarum & curandarum provinciam ſuſceperunt. Id autem longè aliter ſe habet. Nam quoties illæ deligendæ, ac tamquam in Catalogum referendæ ſunt, & hic quoque eſt opus magno examine. Id enim ipſum, quod temerè, & ut caſus tulit, in album referuntur, innumera olim mala peperit. Nam & familias peſſum dedit, & nuptias divellit. Præterea hac una de cauſa compertum eſt viduas aliquot tum furando, tum cauponando, atque alia id genus committendo, multa præter dignitatem & ordinem geſſiſſe. Hujuſmodi verò viduas Eccleſiaſtica pecunia ali, præterquam quod Dei vindictam paratam habet, facit etiam ut apud homines ea res maximoperè improbetur ac damnetur, & multorum quoque remoretur beneficentiam. Quis enim unquam velit eas, quas quis Chriſto offerri mandavit, facultates eis ſuſtentandis inſumi, quæ Chriſti nomen calumniari non ceſſant? Quo nomine multam hic ac diligentem diſcuſſionem adferre convenit. Idque ne quæ ſibi ad vitam ſufficere poſſunt, ne dum illæ de quibus locutus ſum, indigentium menſam abſumant. Porrò diſcuſſionis hujus diligentiam ſequitur cura non mediocris: Videlicet ut relatis in album viduis alimenta, quæ præſtanda ſunt, affatim tamquam ex fonte adfluant, nec unquam deſint.* Hanc difficultatem exaggerat, & concludit: *Nam viduarum genus, tum paupertatis, tum ætatis, tum ſexus nomine, immodicam ſibi libertatem uſurpat. Vociferatur importunè ſemper, & abs re conqueritur ac lamentatur, ubi gratia habenda, & incuſat quod laudandum. Qua in parte Antiſtitem oportet omnia generosè ac fortiter pati, neque irritari, ſi quando illæ aut intempeſtivè obtundant, aut immeritò expoſtulent. Illarum enim infelicitas miſericordiam potiùs, quàm contumeliam meretur.* Hoc utroque in loco manifeſtè agit de pauperibus Eccleſiaſticæ matriculæ viduis. Etiam ipſis affirmat eſſe ſuum cœtum ſeu corpus, Epiſcopalem electionem, ac magnum officium. Nempe dies & noctes pſallere, ac divinis adeſſe. Hoc officium ipſis dedere Apoſtoli, ad exemplum Evangelicæ viduæ, quæ nec nocte nec die diſcedebat à templo. Quòd ad hujus ſacri cœtus regimen Apoſtoli inſtituerint ſeptem primos Diaconos, etiam in ſuperius laudata ad Apoſtolicum de eligendis viduis verbum homilia Sanctus Joannes affirmat. Iſte cœtus ob nimiam multitudinem paſſim laborabat inopia, ideoque ex ipſo aliquæ videntur inter vulgares pauperes ſtetiſſe ad Eccleſiarum portas, & iſtic mendicaſſe. Nam quod Eccleſiarum matricularii, inter quos erant & pauperes viduæ, conſueverint ita mendicare, docet apud Hierony-

nymum Brignonium undecima vetus formula ſecundùm legem Romanam. Eundem morem laudat in ſuo teſtamento Sanctus Remenſium Antiſtes Remigius. Laudat item quadeaginta viduas in Eccleſiæ porticu expectantes alimoniam. Hæc ſunt alterius loci.

Proindè viduarum duplicem cœtum, duplicem ab Epiſcopo faciendam electionem, & duplex officium ac ſtatum laudat maniſeſtè, ac ſuo tempore in Eccleſiis viguiſſe Sanctus Joannes affirmat. Et maniſeſtè loquitur ex Apoſtoli prima ad Timotheum epiſtola: *Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt*. Apoſtolus agit de honore alimentationis. Hinc adjungit. *Quæ verè viduæ ſunt*. Hoc eſt, quæ nec filios, nec nepotes, nec alios habent idoneos conſanguineos, à quibus poſſint ac debeant alimentari. Hinc pergit: *Quæ verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum. Et inſtet obſecrationibus & orationibus nocte & die*. Ex his verbis Sanctus Joannes affirmat pauperum ad Eccleſiæ matriculam aſſumptarum viduarum munus eſſe, ut die & nocte pſallant, ac Divinis adſint officiis. Quare & hoc munus eſt Inſtitutum Apoſtolicum. Et in eligendis iſtis viduis Sanctus Paulus nullam requirit ætatem, nulla prævia bonorum operum merita: Dumtaxat jubet, ut deinceps jam dicto perfungantur officio, non quærant delitias, ſint irreprehenſibiles, careant vitiis per Sanctum Joannem in libris de Sacerdotio enumeratis, atque ita ex Eccleſiæ gazophylaeio alimenta mereantur. Quin & inter iſtas, quas ſub uno Præpoſito alebat in Alexandrina Eccleſia magnus diſciplinæ vindex Sanctus Athanaſius, fuiſſe plures verboſas, rixoſas, vinolentas, & aliis vitiis adhuc fœdas, in octava decima Collatione ſcribit Joannes Caſſianus. Nempè vitia, cum quibus vidualem matricu-
Cap. 14. lam intrarant, necdum correxerant. Et ejuſmodi erant in omnibus paſſim Eccleſiis. Hinc de factis in Conſtantinopolitana Eccleſia per Sanctum Joannem Chryſoſtomum reformationibus ſcribit in Dialogo de ejus vita Palladius Epiſcopus Helenopolitanus: *Joannes viduarum advocat agmen, ſolerter explorans, quæ non rectè converſarentur inter illas, invenienſque carni deditas, admonebat ut aut jejuniis ſtuderent, balneiſque & exquiſitis abſtinerent veſtimentis, aut repetere maturatò conjugia, ne Divina lex & Domini nomen per illarum intemperantiam blaſphemaretur*. Juniores matriculæ viduas, imitatus Apoſtolum, juſſit nubere. Ex quo lucet eas nec voviſſe caſtitatem. De hiſce viduis ſanxit etiam quarta Carthaginenſis Synodus: *Viduæ adoleſcentes, quæ corpore ſunt debiles, ſumptu Eccleſiæ, cujus viduæ ſunt, ſuſtententur*. Ab his viduis Apoſtolus pergit ad ſecundum ac altiorem ordinem: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitia recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. Carentes his virtutibus viduas ſanxit ad hunc vidualem gradum eſse ineptas ac irregulares. Quia nempè agit de longè eminentiori gradu. Ejuſdem gradus viduas laudat in prima ad Timotheum epiſtola, poſt expoſitas, quæ Epiſcopo ac Diacono ſunt neceſſariæ, virtutes ſubjungens: *Mulieres ſimiliter oportet eſſe pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus*. Ad quæ verba denuò ſcribit in decima ſuper iſtam epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Plerique volunt Apoſtolum hoc de mulieribus ſimpliciter præcepiſſe. Verùm non ita eſt. Quid enim conſequentiæ haberet inter ea, quæ de Epiſcopis ac Diaconis monuit, aliam facere mentionem mulierum? Sed de his profectò ait, quæ Miniſterii dignitate ſunt præditæ*. Et de Presbyterabus, & de Diaconiſſis. Unitur non ſpeciali *Viduæ*, ſed generali *Mulieris* nomine, quòd etiam virgines ſemper potuerint eſſe Diaconiſſæ. Quin ad hoc Miniſterium Eccleſia ſemper maluit virgines, quàm viduas. Quare illos, qui per laudatas ab Apoſtolo viduas intelligi volunt ſolas Diaconiſſas, certum eſt labi.

Fuit olim & tertium ſacrarum viduarum genus, quæ ad vidualem caſtitatem profitendam non eligebantur ab Epiſcopo, ſed accedebant ſua ſponte, iſtudque ſpontaneum votum aſſumptis velo & nigra veſte ſigillabant, ac omnibus palàm demonſtrabant. Et hujuſmodi vidua fuit Sancti Joannis Chryſoſtomi mater, cujus longam in juvenili etiam ætate caſtitatem admiratus gentilis Sophiſta Libanius exclamavit: Dii immortales, quales viduas habent Chriſtiani? Etiam de his, uti nec de pauperum viduarum cœtu, non agit hic noſter Septimius. Agit de ſolis habentibus Eccleſiaſticam dignitatem, Eccleſiaſticam Præfecturam, ſummi honoris faſtigium, & ſolemnem in publica Eccleſiæ ante Divinam Majeſtatem Apparitura conſeſſum ac Præſidentiam. Earumdem meminit etiam in aliis ſuorum operum locis. In li-
bro de Monogamia: *Ut igitur in Domino nubas* Cap. 11.
ſecundùm legem & Apoſtolum, qualis es id matrimonium poſtulans, quod ab eis, à quibus poſtulas, non licet habere? Ab Epiſcopo Monogamo, à Presbyteris, à Diaconis ejuſdem Sacramenti, à Viduis, quarum Sectam tu recuſaſti. Et illi planè ſic dabunt viros & uxores, quomodo buccellas? Hoc enim eſt apud illos: Omni petenti te dabis. *Et conjungent vos in Eccleſia virgine, unius Chriſti unica ſponſa?* Et in libro de Velandis Vir-
ginibus inſigniter exponit hujus velaminis ne- Cap. 9.
ceſſitatem, ac pergit. *Planè ſcio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam. Cui ſi quid refrigerii debuerat Epiſcopus, aliter utique ſalvo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dicam monſtrum, in Eccleſia denotaretur. Virgo vidua. Hoc quidem portentoſior, quod nec qua vidua caput texit, utramque ſe negans. Et virginem, quæ vidua deputetur; & viduam, quæ virgo dicatur. Sed ea authoritate illic ſedet intecta, qua & Virgo. Ad quam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm univiræ, ideſt, nuptæ aliquando eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum. Scilicet ut experimentis omnium adfectuum ſtructæ facilè norint cæteras & conſilio & auxilio juvare.*

juvare. Ut & nihilominus ea decucurrerint, per quæ fœmina probari poteſt. Adeò nihil virgini de loco
Cap. 13. *permiſſum eſt*. Et in libro de Pudicitia: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum, proſternis in medium ante Viduas, ante Presbyteros, omnium lacbrymas ſuadentem, omnium lacinias invadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem*. Et in libro de Pa-
Cap. 13. tientia: *Patientia ſanctitati quoque procurat continentiam carnis. Et Viduam tenet, & virginem aſſignat, & voluntarium ſpadonem ad regna cœli levat*. Et in primo ad uxorem libro: *Quantum detrahant fidei, quantum ſanctitati obſtrepant ſecundæ nuptiæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum Digamos non ſinit præſidere, cum Viduam adlegi in ordinem, niſi univi-*
Cap. 7. *ram, non concedit*.

Ex quibus omnibus teſtimoniis diſcimus varia. Primò varias conditiones ad hunc ſacrarum Viduarum Magiſtratum prærequiſitas. Talem in ſtatum eligenda primò debebat eſſe poſt conſummatas nuptias vidua, non virgo. Hinc illam à neſcio quo Africano Epiſcopo intruſam huic gradui virginem Tertullianus vocat non ſolummodo portentum, ſed & monſtrum. Et ita lucet has Viduas fuiſſe toto cœlo diverſas à Diaconiſſis. De his enim ſcribit antiquus Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctor: *Dia-*
L. 6. cap. 17. *coniſſa eligatur virgo; ſi autem non fuerit virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit*. Quæ in Diaconiſſis forma viguit apud omnes Eccleſias. Quinimò quædam Eccleſiæ videntur elegiſſe ſolas virgines. Hinc enim Regiæ civitatis Antiſtes Sanctus Joannes Chryſoſtomus nobilem viduam Olympiadem retulit in cœtum ſacrarum Virginum. Utique non alio fine, quàm ut poſſet in Diaconiſſam conſecrari. Singularis, quod Tertullianus etiam appellaſſet portentum & monſtrum, facti ſtabilitrices rationes ipſe exponit in ſecunda ad laudatam viduam epiſtola. Secundò, iſtiuſmodi vidua debebat fuiſſe fœcunda uxor, & non tantùm genuiſſe, ſed & filios benè educaſſe. Hanc conditionem diſertè exquirit Apoſtolus. Et allegatæ per Tertullianum rationes in eodem habent lucidum fundamentum. Hinc enim & de eligendo Epiſcopo Apoſtolus ſcripſit: *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Tertiò, eligenda vidua debebat eſſe ornata cunctis per Apoſtolum exquiſitis virtutibus. Quartò, emittere debebat ſolemne votum perpetuæ caſtitatis. Et hinc quintò eſſe debebat ſexaginta annorum. Anteà ipſi etiam Apoſtoli elegerant juniores. Verùm quædam ad Sathanam converſæ hanc fidem fecerunt irritam: Hinc ſimilibus deinceps periculis Eccleſiam ſubjacere nolentes Apoſtoli ſanxerunt nullam eligi, niſi poſt expletum ſexageſimum ætatis annum. Sanctus Paulus videtur ex communi totius Collegii Canone docuiſſe Timotheum.

Ex adductis Tertulliani teſtimoniis ſecundò addiſcimus varia Magiſtralium ſeu Præſidentium

Viduarum officia. Primum eſt in his verbis: *Matrimonium poſtulas ab Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, Viduis*. Nemo olim fidelis inire matrimonium poterat ſine conſilio & conſenſu Cleri, in quo erant & Viduæ. Hunc morem Doctor laudat etiam in libro de Pudicitia: *Penes nos oc-* Cap. 4.
cultæ quoque conjunctiones, id eſt, apud Eccleſiam non profeſſæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur. Et in ſecundo ad uxorem libro: *Cùm quædam iſtis diebus nuptias ſuas de Eccleſia* Cap. 2.
tolleret, ac Gentili conjungeretur, idque ab aliis retrò factum recordarer, miratus ſum aut ipſarum petulantiam, aut Conſiliariorum prævaricationem. Hæc eſt una cauſarum, ex quibus fidelium matrimonia voluit Eccleſia ſibi referri, examinari, ac diſponere: Nec ſcilicet quis fidelis duceret infidelem. Et qui taliter volebant nubere, ſuas nuptias abſcondebant Eccleſiæ. Notandæ ſunt voces: *Conſiliariorum prævaricationem*. Romanorum nuptiæ non fiebant ſine maturiſſimo omnium in familia Primatum conſilio: Hoc in conſilio Eccleſia ſuffragii Prærogativam voluit eſſe ſuo Clero. Eodem in libro pergit Tertullianus: *Quantò dives aliqua eſt matronæ nomine inflata, tantò capaciorem domum oneribus ſuis requirit, ut campum in quo civiliter decurrat. Sordent talibus Eccleſiæ. Quid ergò faciant? Undè niſi à Diabolo* Cap. 5.
maritum petant? Affirmat diſparis cultus conjugia paſſim inter opulentos ac nobiles fuiſſe graſſata, atque ità ipſa, quoniam ab Eccleſia peti non poterant, à Diabolo fuiſſe petita. Et adjungit: *Undè ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio?* Eccleſia igitur circa fidelium conjugia agebat duo: Ipſa conciliabat, & obſignabat ſolemni ſigillo Sacerdotalis benedictionis. Quis non videat & ſponſaliorum & nuptiarum benedictionem laudari? Hinc Doctor pergit in libro de Monogamia: *Et illi planè ſic dabunt viros & uxores. Et conjungent vos in Eccleſia*. Utique per mutui conſenſus obſignatricem, & utriuſque contrahentis ſanctificatricem benedictionem. Proindè ſacræ Viduæ non tantum modò ad conſilianda & concilianda ſponſalia concurrebant, ſed etiam ad ipſam matrimonii ſigillatricem benedictionem. Etenim dabant & viros & uxores, ipſoſque in Eccleſia conjungebant. Et hoc ſacrarum Viduarum munus laudat quoque in libro de Viduis Sanctus Ambroſius. Emeriti militis ac agricolæ officia enumerat, ac proſequitur: *Similis huic Vidua velut emeritis veterana ſtipendiis caſtitatis, etſi conjugii arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat; etſi vehendis oneribus otioſa, maritandis tamen junioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior ſit, quarum copulam aptiorem ſenili gravitate diſponit*.

Secundum ſacrarum Viduarum officium eſt in his Tertulliani verbis: *Proſternis in medium ante viduas, ante Presbyteros*. Publicæ olim pœnitentiæ exordium & primus quaſi gradus erat ſolemnis ac publicus Fletus, de quo Doctor in libro de Pœnitentia: *Exhomologeſis proſternendi & humi-*

humiliſicandi hominis diſciplina eſt, converſationem
injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habi-
tu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare,
corpus ſordibus obſcurare, jejuniis preces alere, in-
gemiſcere, lacbrymari, mugire dies noctéſque ad
Dominum Deum ſuum, Presbyteris advolvi, caris
Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes de-
precationis ſuæ injungere. Flentes agebant hæc
Cap. 9. omnia, ut ſua tandem pœnitentia ad operis ope-
rati virtutem, ac ipſi ad Reconciliationis gra-
tiam per Sacerdotales claves admitterentur. Fie-
bant hæc ad Cleri examen atque judicium. Et
hoc in Clero ſacræ Viduæ, licet nihil Eccleſia-
ſticæ juriſdictionis, habuerunt tamen ſuum lo-
cum atque ſuffragium.

Earundem tertium munus exponit quarta Car-
thaginenſis Synodus: *Viduæ vel Sanctimoniales,*
quæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eligun-
tur, tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto
& ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres,
tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter Baptizatori
interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto Baptiſ-
mate vivant. Hoc officium laudat in Apoſtolicis
Cap. 12. Actis Sanctus Lucas, de Apollo Alexandrino,
homine ſæculariter erudito, ſed in Chriſtiana
Cap. 18. fide necdum ſatis inſtructo, ſcribens: *Quem cùm*
audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerunt eum,
& diligentiùs expoſuerunt ei viam Domini. Non
ſolus Aquila, ſed & ejus uxor Priſcilla iſtum
docuit. Et in epiſtola ad Romanos ſcribit Sanctus
Paulus Apoſtolus: *Salutate Mariam, quæ multum la-*
boravit in nobis. Salutate Triphænam & Tryphoſam,
Cap. 16. *quæ laborant in Domino*. Quòd eas non ob quæ-
vis bona opera, nec ob quævis Evangelio colla-
ta adjutoria, ſed ob generoſam in docendo &
prædicando conſtantiam laudet ac ſalutari jubeat,
diſertè affirmat in ſingulari ſuper iſtis verbis ho-
milia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Idem affir-
mat in trigeſima prima homilia ſuper epiſtolam
ad Romanos, & adjungit: *Mulieres illæ erant*
leonibus ferventiores, cum Apoſtolis participantes &
ingratis ſubeundis laboribus prædicationis. Undè
& ſimul peregrinabantur cum illis, & reliqua ad-
miniſtrabant. Et Chriſtum quoque ſequebantur mu-
lieres, quæ ex ſua ſubſtantia miniſtrabant, ac Præ-
ceptori erant adjumento. Priſcilla, quod conjuga-
ta eſſet, palam non fuit Eccleſiaſtica Vidua,
ſeu Presbyteriſſa. An Maria, Tryphæna, Try-
phoſa, ac aliæ Apoſtolos aut Dominum ſecutæ
mulieres fuerint in iſto gradu, ignoro. Quid-
quid ſit, ex utili ipſarum miniſterio Apoſtoli
ſumpſerunt occaſionem inſtituendi iſtius gradus,
& illi aliqualem doctrinam inter cætera commit-
tendi. Dico, *Aliqualem*. Nec enim plenum ca-
techiſmum aut quamvis aliam doctrinam ei cre-
diderunt. Hinc ſolas imperitas ac ruſticas mu-
lieres, nullos viros per iſtas Viduas doceri per-
miſit etiam Africana Eccleſia. Et Apoſtolica-
rum Conſtitutionum Auctor ſcribit: *Si quis ali-*
L. 3. c. 16. *quid interroget, Vidua ne facilè reſpondeat, præ-*
terquam de fide in Dominum, de juſtitia, ac de
ſpe in Deum. Eos qui in dogmatibus Chriſtianæ
Religionis erudiri voluerint, ad Eccleſiæ Præpoſitos
remittat: Tantum reſpondeat quæ ad everſionem
falſæ opinionis de Deorum multitudine pertinent,
demonſtrans rationem de uno Deo ac Domino; de
iis verò quæ deinceps ſequuntur, utique de Domi-
nicæ Incarnationis Sacramento, *nihil temerè reſ-*
pondeat. Prima dumtaxat fidei rudimenta, ne-
quaquam arcaniora myſteria permittit à Viduis
doceri. Permittit tamen doceri & viros. Scio
Presbyteras tunc fuiſſe exſtinctas, ideòque non
laudari ab hoc Scriptore. Omninò tamen lau-
dat has iſtius vidualis officii reliquias, cum aliis
ejuſdem functionibus tunc tranſmiſſas Ordinem
Diaconiſſarum, aut certè reſtantes in Viduis ſua
conſecratione per Laodicenſem Canonem ſpolia-
tis. Iſtiuſmodi viduas videtur laudare. Et hæc
omnia in ſuo Reſcripto reſpexit Venerabilis At-
to Vercellenſis Epiſcopus. Hoc viduale docen-
di munus videtur Apoſtolus laudare etiam in
epiſtola ad Titum: *Anus ſimiliter in habitu ſan-*
cto, non criminatrices, non multo vino ſervientes,
benè docentes, ut prudentiam doceant adoleſcentu-
las, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, do-
mus curam habentes. Fateor hæc ſpectare ad om- Cap. 2.
nes Anus: Singulariter tamen omninò ſpecta-
bant tunc ad Anus Eccleſiaſticas. Hæ enim a-
doleſcentularum diſponebant & conciliabant ma-
trimonia, & ipſis dabant maritos. Hinc uti
Baptizator ſuos Neophytos de Chriſtiana vita,
ita hæ Viduæ maritatas à ſe Adoleſcentulas de-
bebant de matrimoniali prudentia ac diſciplina
inſtruere & docere. Ex eodem principio Apo-
ſtolus ipſas cogit ad habitum ſanctum. Nempè
in quo poſſent Epiſcopo ac majori Clero in pu-
blico Eccleſiæ conventu ſolemniter aſſidere. Et
quod eximiè honorificum illis habitum Eccleſia
poſtmodò dederit, infrà audiemus à magno Pa-
pa Gregorio.

Neque his obſtant, quæ in prioribus ad Corin-
thios, ac in prioribus ad Timotheum litteris
ſcribit idem Apoſtolus: *Mulieres in Eccleſiis ta-*
ceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas
eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere,
domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri
loqui in Eccleſia. Docere mulieri non permitto, ne- Cap. 14.
que dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. Ad hæc
enim rectè reſpondet Sanctus Joannes Chryſoſto- Cap. 2.
mus in laudata ſuperiùs homilia: *Cùm dicit Apo-*
ſtolus, Mulierem docere non permitto, *de inſtru-*
ctione, quæ fit è ſuggeſtu, loquitur, de ſermone qui
habetur ad populum, & ut Sacerdotibus incumbit ex
officio. Privatim autem exhortari, & conſilium dare
non prohibuit. Neque enim, ſi hoc prohibitum fuiſ-
ſet Priſcillam, quæ hoc præſtiterat, collaudaſſet.
Addit quod domi poſſit & proprium virum doce-
re: Nempe fidelis infidelem adverſum Apoſto-
li mandatum affirmat dirigi ad ſolas fidelium vi-
rorum conjuges. Etiam in adducta ſuper Epiſto-
lam ad Romanos homilia ſcribit: *Quomodò Apo-*
ſtolus dicit, Mulieri docere non permitto? *Præ-*
ſidentiam, quæ fit in medio Eccleſiæ, illi prohibet,
ſedemque in pulpito, non doctrinæ verbum. Non
eam diſputationem doctrinæ, quæ ad privatum uſum
pertinet, amputando hoc dicit, ſed eam quæ in me-
dio

dio ſit, & in communi Theatro, quæ ipſis congruit Doctoribus. Et hinc de Imperatore Licinio rectè ſcribit in magni Conſtantini vita Euſebius Cæſa- L. 1. c 17. reenſis: *Licinius legem tulit, ne viri ſimul cum mulieribus intereſſent precibus ad Deum in Eccleſia fuſis, & ne muliebris ſexus auguſtas virtutis ſcholas adiret. Et ne Epiſcopi mulieribus ſacra Dei eloquia explicarent, ſed mulieres ipſæ alias mulieres, à quibus erudirentur, ſibi deligerent. Verùm iſta omnium irriſione ſunt illuſa*. An ſtulta lex noſtras Presbyteriſſas reſpexerit, ac ab ipſis doceri voluerit alias mulieres, ignoro. Quidquid ſit, fuit digniſſima derideri. Rectè quarta Carthaginenſis Synodus ſanxit: *Mulier quamvis docta & ſancta,* Cap. 99. *viros in Conventu docere non præſumat*. Omninò exiſtimo Canonem dirigi ad Presbyteriſſas. Quid enim laicis mulieribus ſit opus tali regula? Presbyteriſſis nòn quamcumque interdicit doctrinam, ſed ſolam virorum, & quidem in ſolo Eccleſiæ publico Conventu. De eodem Conventu palàm loquitur etiam Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios. Et illic non ſolùm docere, ſed & loqui ac interrogare interdicit fœminis. Nempè ſolis conjugatis, quas vult domi per maritum, familiæ ſuæ Doctorem ac Epiſcopum, inſtrui ac erudiri. Quin Presbyteriſſæ in publico Eccleſiæ Conventu, non docere, ſed loqui potuerint, non eſt dubitandum. Illic enim Epiſcopo ac majori Clero adſidebant, Flentes admittebant ad Pœnitentiam, juvenibus dabant maritos & uxores, & ad alia cooperabantur graviora Eccleſiæ negotia, adeòque illic omnino habebant ſuum, ſaltem conſultativum, ſuffragium.

Quartum harum Presbyterarum munus fuit in Eccleſia ſolemnem cum Clero pſalmodiam agere. Scio Chryſoſtomum loqui de pauperibus Eccleſiaſticæ matriculæ Viduis: Quòd nempe etiam hæ ſimul cum viris pſallerent in Eccleſia. Olim forſan pſallerunt omnes etiam mulieres. Et hinc iſtarum Viduarum non Prærogativam aliquam, ſed ſolam in iſta pietate diligentiam videtur laudare Sanctus Joannes. Hinc item in facta ad Sanctum Dionyſium Pontificem relatione Synodus Antiochena Paulum Samoſatenſem, à ſe degradatum Antiochiæ Patriarcham, accuſat quod antiquos Eccleſiæ Hymnos & Pſalmos proſcripſiſſet, & vanos in ſui ipſius laudem rythmos cantari in ipſo etiam Paſchali feſto curaſſet, per obnoxias ſibi mulieres. Eum accuſat, non quod mulieres cantare in Eccleſia, ſed quod vana per ipſas cantari juſſiſſet. Et omnino loquitur de laicis mulieribus. Relatio extat in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebii Cæſareenſis. Et hæc omnia in L. 7. c. 24. litteris ad neſcio quem Iſidorum Epiſcopum confirmat Sanctus Iſidorus Peluſiotes Alexandrinæ L. 1. Ep. 90. Eccleſiæ Presbyter: *Importunas in Eccleſiis loquacitates Domini Apoſtoli coercere & comprimere ſtudentes, ut mulieres in ipſis canerent ſapienti conſilio permiſerunt. Verùm ut omnia Divina documenta in contrarium ſunt verſa, hoc quoque quam plurimis ceſſit in diſſolutionem & occaſionem peccati. Siquidem ex Divinis Hymnis non ingenti compunctione afficiuntur, verùm cantus ſuavitate ad irritandas & extimulandas libidines abutentes, nihilo eum ſcenicis cantilenis præſtantiorem eſſe exiſtimant. Operæ pretium eſt igitur, ſi quod Deo gratum eſt quærere, atque id quod ex utilitate publica eſt facere volumus, iis ut Chriſto cauponum inſtar ad quæſtum abutentibus, & Divinam gratiam in cultis mercedem convertentibus, ne deinceps in Eccleſia canant, atque in civitate maneant, interdicere*. Affirmat varia. Primò, quòd Apoſtoli iſtum in Eccleſia concentum mulieribus permiſerint. Secundò, quòd permiſerint ad compeſcendas loquacis ſexus in Eccleſia fabulas, ac ipſis conciliandam modeſtiam. Tertiò, quòd illæ licentia pedetentim abuſæ per vocis ſuavitatem ſtuduerint placere hominibus, atque ita ſacram Pſalmodiam æquaverint ſcœnicis cantilenis. Et quòd exinde ſint cauponatæ ac venatæ quæſtum. Hinc Iſidorus ſuadet iſtum concentum circumſcribi ac aboleri. Proindè tunc vigebat adhuc in Ægyptiaca Eccleſia. Nec enim iſte mos fuit univerſalis. Etenim adversùm Pelagianos aſſerentes variam virorum virtutem eſſe etiam fœminis neceſſariam, ſcribit in primo libro Sanctus Hieronymus: *Nec* Cap. 9. *ſufficit tibi dediſſe tuo Amazonum agmini ſcientiam Scripturarum, niſi earum voce & canticis delectaris. Jungis enim & ponis in titulo, quòd & fœminæ Deo pſallere debeant. Quis enim ignorat fœminis eſſe pſallendum in cubiculis ſuis, & abſque virorum frequentia & congregatione turbarum?* Per Amazonas intelligit ſacras Viduas & Virgines, quarum fragilem ſexum Pelagiani ſuis adulationibus admodum inflabant. Proindè in Eccleſiis, apud quas hæc ſcripſit Sanctus Hieronymus, aut nunquam pſallerunt etiam ſacræ Virgines ac Viduæ, aut certè mos iſte erat tunc abrogatus. Quidquid ſit, quin Epiſcopo ac ſacro Presbyterio intra ſacrum tribunal adſidentes Presbyteriſſæ olim etiam concinuerint, videtur non dubitandum.

Quintum harum Presbyterarum officium exponit in Dialogo, *Peregrinus*, impius Apoſtata Lucianus. Fictum illum peregrinum, utique Chriſtianum, aſſirmat à Syriæ Præſide conjectum in carceres, & adjungit: *Mane illicò videre erat juxta carcerem præſtolantes anus, Viduas quaſdam*. His ſacris vetulis & Viduis incumbebat carceratorum Confeſſorum alimonia & omnis cura, ideoque illæ prima ſtatim luce aderant carceri, & Sanctorum Martyrum negotia peragebant. Eadem cura tangebat Diaconos, ac præſertim Archidiaconum: Utpotè Eccleſiaſticæ pecuniæ rectorem & cuſtodem. Illis adjunctæ erant hæ Viduæ. Et quidem hujus officii nullam apud antiquos Scriptores reperio aliam memoriam. Quare Divinæ Providentiæ magnas debemus gratias, qui illam nobis in iſtius Apoſtatæ ſceleratis Scriptis dignatus eſt cuſtodire. Diabolus, dum per ſua membra nocere ſtudet, etiam prodeſt Eccleſiæ.

Sextum ac poſtremum iſtarum Presbyterarum officium edicit in Panario Sanctus Epiphanius: *Quamquam Diaconiſſarum Ordo ſit in Eccleſia, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam*

ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt , ſed ut
muliebris ſexus honeſtati conſulatur , ſive ut Baptiſ-
mi tempore adſit, ſive ut inſpiciat ſi quid ſit paſſa
aut moleſtiæ pertulerit . Sive ut cum undandum eſt
mulieris corpus , interveniat , ne virorum , qui Sa-
cris operantur , aſpectui ſit expoſitum , ſed à ſola
Diaconiſſa videatur , quæ Sacerdotis mandato gerit
L. 79. c. 3. *curam mulieris , quo tempore exuitur veſtibus .* Hoc
ipſum officium laudat, & largius exponit Au-
ctor Apoſtolicarum Conſtitutionum : *Ad multa*
indigemus Diaconiſſa . Ac primum quidem cum mu-
lieres baptizantur , unget quidem eis Diaconus fron-
tem tantùm Oleo ſancto , poſt eum verò liniet illas
Diaconiſſa . Non enim opus eſt , ut viri inſpiciant
fœminas . Verùm ſolus Epiſcopus in Baptiſmo ca-
put earum unges , Et infrà : *Virum , è* ſacro Fon-
L. 3. c. 15. Cap. 16. te egredientem *ſuſcipiat Diaconus , mulierem verò*
Diaconiſſa , ut honeſtè , & à quibus decet , fiat ſi-
gnum infractum . Baptizandi olim ſactum Fon-
sem intrabant naturaliter nudi ; Et apud Græcos
non in quibuſdam partibus ad noſtrum Latinum
morem , ſed ungebantur toto corpore . Spolia-
tionem ac unctionem incipiebat baptizans Epi-
ſcopus , adſtantes Diaconi excipiebant & com-
plebant . In mulieribus erat res obnoxia pericu-
lis & ſuſpicionibus : Hinc Patres ipſam delega-
runt Diaconiſſis . Nempè Patres poſteriores Lao-
dicenſi Synodo . Anteriores delegaverant Preſ-
byteriſſis . Lucet ex Sancto Epiphanio . Etenim
poſt expoſitum hoc ſuo tempore conſuetum Dia-
coniſſarum officium proſequitur ; *Illud verò dili-*
genter obſervandum eſt ſolum Diaconiſſarum officium
Cap. 4. *ad Eccleſiaſticum Ordinem fuiſſe neceſſarium , ac Vi-*
duas quidem nominatim expreſſas , & inter illas ,
quæ Anus eſsent , Presbytidas vocatas , numquam
Presbyteridas aut Sacerdotiſsas eſſe factas . Cur
dicto , quòd ſolarum Diaconiſſarum officium
fuerit judicatum Eccleſiæ neceſſarium , ſtatim
sranſit ad Presbyteriſsas , aſſeritque & ipſas , uti
Diaconiſſæ tunc non erant Diaconæ , olim non
fuiſſe Sacerdotes ? quia Presbyteriſſæ per Laodi-
cenſem Synodum fuerant judicatæ ſuperfluæ , ideò-
que & extinctæ , & ipſarum officium fuerat tran-
ſcriptum in Diaconiſſas , atque ita harum ſola-
rum officium ex tunc cœperat eſſe Eccleſiæ ne-
ceſsarium . Utique jam laudatum officium exuen-
di catechumenas mulieres , ungendi , deducen-
di ad ſacrum Fontem , & ex hoc in ſabanum ex-
cipiendi . Uſque ad Laodicenſem Synodum hæc
omnia non Diaconiſſæ fecerant , ſed Presbyte-
riſsæ . Et jure meritò . Etenim Diaconiſsæ erant
ſubindè & Virgines & Juvenes , at verò Presby-
teriſſæ erant ſexageſimo anno majores viduæ :
Quare his longè potiùs quàm iſtis quadrabat
iſtud officium . Præſertim officium ſuſpectas Vir-
gines inſpiciendi . Nam & hoc Diaconiſſis ad-
ſcribit S. Epiphanius . Et hæc eſt ratio , cur
poſterior ætas etiam Diaconiſſas voluerit eſſe
Viduas ſexagenarias . Attamen & Presbyteriſſæ
& Diaconiſſæ omnia hæc officia non expleve-
runt in omnibus ubique Eccleſiis . Quòd bapti-
zandas mulieres non per Diaconiſſam , ſed per
ſe-met-ipſum unxerit Conon Hieroſolymitanæ Ec-
cleſiæ Presbyter , lucet ex ſpirituali Prato San-
cti Sophronii .

Occurrunt aliquot Quæſtiones . Prima eſt ,
quos titulos olim habuerint hæ ſacræ Viduæ ?
Reſpondeo habuiſſe varios . Primus & omnium
antiquiſſimus eſt Presbytida ſeu Presbytera .
Hunc enim laudant in Panario Sanctus Epipha-
nius , ac Synodus Laodicenſis . Eſt deſumptus
ex Apoſtolica ad Titum epiſtola : *Anus ſimiliter* Cap. 2.
in habitu ſancto ſint , benè docentes , ut prudentiam
doceant adoleſcentulas . Ad iſtum Apoſtoli locum
ſcribit Theophylactus : *Quidam Diaconiſſas in*
Eccleſia hic intelligunt , quas & ipſo etiam veſtitu
vult ſanè ornatas conſpici , hoc eſt , ſacris miniſte-
riis inſignes . In Græco Apoſtoli textu habetur ,
Presbytidæ . Debent intelligi antiquæ Presbyte-
riſſæ . Qui has , utpote à Laodicenſe Synodo
tunc pridem extinctas , Theophylacti tempore
non viderant , errarunt Diaconiſſas intelligi .
Quo errore plures , qui ſcripſerunt poſt iſtam
Synodum , laborarunt . Errare videtur etiam
Theodoretus : *Presbytidas Apoſtolus appellavit*
anus ſenio confectas , non quæ aliquod munus ſuſcepe-
rint . Certè voces , *Benè docentes* , ſuadent iſtas
anus fuiſſe in Eccleſiaſtico munere . Quidquid
ſit , ſecundus ipſarum titulus fuit , *Præſidentes* .
Quod nempe in ſollemni totius Eccleſiæ ante Di-
vinam Majeſtatem Apparitura haberent ſuam Se-
dem in ſacro tribunali , atque ita cum Epiſcopo
& Presbyteris omni populo præſiderent . Hunc
titulum eis dat etiam Laodicenſis Canon . Eas
Carthaginenſis Synodus appellat *Sanctimoniales* .
Et hic eſt tertius titulus .

Secunda quæſtio eſt , Nùm hæ Presbyteræ fue-
rint per Epiſcopum non tantùm electæ , ſed &
conſecratæ ? Partem negativam ſuadet Auctor
Apoſtolicarum Conſtitutionum : *Vidua non ordi-* L. 8. cap.
natur , ſed ſi jam diu virum amiſit , & caſtè ac lau- 25.
datè vixit , & Domeſticorum diligentem curam ha-
buit , cooptatur in gradum vidualem . Hujus De-
creti Auctorem affirmat fuiſſe Sanctum Labbæum
ſeu Thaddæum Apoſtolum . Partem verò affirma-
tivam ſequitur antiquus Laodiceni Canonis Lati-
nus Interpres : *Mulieres , quæ apud Græcos Preſ-*
byteræ appellantur , apud nos autem Viduæ , Senio-
res , Univiræ , & matriculariæ nominantur , in Ec-
cleſia , tamquam ordinatas , conſtitui non debere .
Agit Paraphraſtem potiùs quàm Interpretem .
Videtur cenſere , quòd Laodicenſis Synodus ha-
rum Viduarum non ſtatum , ſed ſolam ordina-
tionem aboleverit , adeoque quòd ante Syno-
dum omnino conſueverint ordinari . Ipſe Canon
huic ſententiæ non favet . Etenim iſtarum Preſ-
byterarum non manus impoſitionem aut conſe-
crationem circumſcribit , ſed conſtitutionem .
Reſpondeo tamen olim fuiſſe conſecratas : Ita
quidam colligunt ex noſtri Doctoris exhortato-
rio ad caſtitatem libro : *Quanti & quantæ in Ec-* Cap. 13.
cleſiaſticis ordinibus de continentia cenſentur , qui
Deo nubere maluerunt ? Cenſent laudari utriuſque
ſexus Clerum , ideoque & Viduas fuiſſe ordina-
tas ſeu conſecratas . Alii tamen per Eccleſiaſti-
cos ordines intelligi illic volunt omnem Eccleſiæ
gra-

gradum. Quidquid ſit, harum Presbyterarum ordinationem Doctor omnino laudat in primo li- Cap. 7. bro ad uxorem: *Diſciplina Eccleſiæ & Apoſtoli præſcriptio Viduam adlegi in ordinem, niſi univi-ram, non concedit*. Per ordinem manifeſtè intelligit Clerum. Et notanda ſunt verba: *Adlegi in ordinem*. Edicunt uti in maſculinum, ita & in fœmineum Clerum tunc non ſola adlectione, ſed etiam ordinatione fuiſſe adſenſum. Et hanc eſſe Eccleſiæ diſciplinam ex præſcriptione Apoſtolica. Et ſanè Diaconiſſarum, quæ multis ſæculis duravit apud Eccleſias, conſecratio altè clamat etiam Presbyteriſſas, utpote altioris gradus, olim fuiſſe conſecratas. Hoc ipſum clamat varia ipſarum audacia, ob quam Laodicenſis Synodus cenſuit abolendas. Et hinc lucet Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctorem, qui Diaconiſſarum probat ac laudat, Presbyterarum verò conſecrationem improbat ac negat, eſſe Laodicenſi Canone poſteriorem. Priorem ipſo diſciplinam videtur vel ignoraſſe, vel potius voluiſſe obſcurare. Quidquid ſit, uti Diaconiſſæ, ita & Preſbyteriſſæ conſecratio privativè ſemper ſpectavit ad ſolum Epiſcopum. Electionem exiſtimo ſpectaſſe ad Epiſcopum ſimul & Clerum. Nam & maſculinus, etiam inferior, Clerus ſic debuit eligi.

Aſſertionem noſtram inſigniter confirmat in ſuo ſuper primam ad Timotheum Epiſtolam commentario Ambroſiaſter, ſeu Hilarus Romanæ Cap. 3. Eccleſiæ Diaconus: *Cataphryges erroris occaſionem captantes, propter quod poſt Diaconos Sanctus Paulus mulieres alloquitur, etiam ipſas debere ordinari Diaconas vana præſumptione defendunt*. Ab Apoſtolis, aut certè ab ipſorum proximis ſucceſſoribus Epiſcopis inſtitutum Diaconiſſalis conſecrationis ritum cenſuerunt ac voluerunt eſſe verum novi teſtamenti à Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum. Et ipſum crediderunt ab Apoſtolo in prima ad Timotheum epiſtola prædicari. Ex ſimili fundamento prodiens tunc Zephyrini Pontificis Edictum, quod Mœchis pœnitentia functis juſſit Sacramentalis Reconciliationis Pacem deinceps donari, cenſuerunt prævaricatorium Divinæ Regulæ, & horrendè blaſphemarunt non humanam ſanctorum Patrum diſciplinam, ſed Divinum Evangelii dogma. Qui error & noſtrum Tertullianum circa eoſdem Mœchos, & circa Lapſos poſtmodò circumſcripſit ac ſeduxit Novatianum. Iſtum Montaniſtarum errorem poſterioribus ſæculis reſumpſerunt Bogomili. Etenim inter errores, ob quos Clementem Zazymorum & Leontium Balbiſſæ in ſecunda Cappadocia Epiſcopos damnavit Michael Anchialus Patriarcha Conſtantinopolitanus, fuerunt & hi: *Quod mulieres ordinaſſent Diaconiſſas, quòd eis ſanctorum Evangeliorum lectionem & conſuetas Eccleſiæ preces facere permiſiſſent, & quòd illæ cum Clemente ſacrificium Miſſæ celebraſſent*. Antiqua Diaconiſſarum ordinatio erat tunc extincta apud Orientales etiam Eccleſias: Eam reſtituit iſta ſcelerata factio, & tentavit exaltare in verum novi Teſtamenti Sacramentum. Hinc

iſtas mulierculas admiſit in omnes ſacras Diaconorum functiones. Dicta Michaelis Patriarchæ Cap. 11. Synodus exſtat apud Leonem Allatium in quarto libro de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis. Porrò de Montaniſtis, aut certè de Pepuziana ipſorum factione ſcribit Sanctus Epiphanius: *Apud Pepuzianos mulieres ſunt Epiſcopi, & Presbyteri, & ad cæteros gradus adleguntur, nullum ut ſexus diſcrimen ſervetur*. Quod L. 49. Cap. 2. nempè viderent in Eccleſia Catholica non ſolùs conſecrari Diaconiſſas, ſed & Presbyteriſſas. Harum benedictionem voluerunt à Presbyterorum conſecratione non diſtingui: Et ſuam audaciam ampliarunt uſque ad conſecrationem Epiſcopalem. Quòd nempè Apoſtolus ſacras mulieres non ſolis Diaconis ac Presbyteris, ſed & Epiſcopis ſubjungat atque annectat. Collyridianos, qui & ipſi fœminis impoſuere Sacerdotium, fuiſſe cum Pepuzianis nixos eidem fundamento affirmat idem Epiphanius, & proſequitur: *Illud diligenter obſervandum eſt, ſolum Diaconiſſarum Officium ad Eccleſiaſticum Ordinem fuiſſe neceſſarium, ac Viduas quidem nominatim expreſſas, & inter illas, quæ anus eſſent, Presbytidas vocatas, numquam eſſe factas Presbyteras aut Sacerdotiſſas*. Ipſarum à Laodicenſi Canone abolitam benedictionem affirmat nullatenus fuiſſe Sacramentalem conſecrationem. Quæ omnia palàm ſupponunt & altè clamant iſtas Presbytidas fuiſſe olim benedictas ab Epiſcopo ac ordinatas. Benedictionis forma & modus ſuo loco exponentur.

Quarta quæſtio eſt, An certum ſit olim præter Diaconiſſas fuiſſe etiam Presbyteriſſas? Certè Sanctus Paulus ſolas Diaconiſſas laudat, nullibi Presbyteriſſas. Etenim ſanctam Phœben, quàm ſuæ epiſtolæ portatricem commendat fidelibus Romanis disertè ſcribit fuiſſe Diaconam. Et ad Cap. 16. iſtum Apoſtoli locum ſcribit Theodoretus: *Tanta erat Cenchris Eccleſiæ congregatio, ut mulierum quoque Diaconam haberet, eamque inclytam & celebrem*. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Vide quantum Apoſtolus Phœben honoret. Nam illam & ante reliquos omnes commemorat, & ſororem vocat. Dignitatem quoque adjicit, Diaconam vocans*. Videtur aſſerere Diaconatum fuiſſe ſupremum muliebris Cleri gradum. Et Bithyniæ Proconſul Plinius ſecundus, Imperatori Trajano Chriſtianorum res ac ſuam de ipſis notitiam referens, adjecit: *Quo magis neceſſarium credidi ex duabus* L. 10. *ancillis, quæ Miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri &* Epiſt. 317. *per tormenta quærere*. Per Miniſtras omnino intelligit Diaconiſſas. Eas ſubjecit quæſtionibus, quod ipſas noſcet ex ſui miniſterii officio eſſe totius ſecreti peritiſſimas. Quia nempè inter ſacras Chriſtianorum mulieres non erat gradus ſuperior. Et in data ad Orientalis Prætorii Præfectum Tatianum lege ſcribit Magnus Imperator Theodoſius: *Nulla, niſi emenſis ſexaginta annis, cui pro-* L. 16. Tit. *les votiva domi ſit, ſecundùm Præceptum Apoſtoli,* 2. lege 27. *ad Diaconiſſarum officium transferatur*. Et alias plures ad iſtum gradum exquirit conditiones. Omnes conditiones, quas in eligendis Viduis ſervari

mandat Apoſtolus, diſertè affirmat intelligi de Diaconiſſis. Exſtat lex in codice Theodoſiano. Et in eodem, uti & in Juſtinianæo codice, habemus plures ejuſmodi leges. Etiam decimus nonus Canon Nicænus in fœmineo Paulianiſtarum, qui haud dubiè hac in re non diſcordarunt ab Eccleſia, Clero numerat ſolas Diaconiſſas. Eaſdem in ſuæ Eccleſiæ Clero ſolas reperiri lucidè ſupponit ſeptuageſimus quartus Canon Arabicus. Et in eruditis ad laudatam Theodoſii legem ſcholiis Jacobus Gothofredus multis affirmat adducta Plinii ſecundi, Tertulliani, ac Sancti Pauli Apoſtoli loca agere de ſolis Diaconiſſis. De eiſdem ſolis etiam Laodicenum agere Canonem affirmat in ejus commentario Chriſtophorus Juſtellus. Quod ipſum in Notis ad Græcorum Euchologium docet, & firmare nititur Jacobus Goar.

Reſpondeo tamen olim præter Diaconiſſas fuiſſe etiam Presbyteriſſas, & ipſarum dignitatem ac ordinationem fuiſſe diverſiſſimas, ac Sanctum Paulum Apoſtolum in epiſtola ad Timotheum, aut certè Laodicenſem Canonem agere de ſolis Presbyteriſſis. Dico, *Aut certè Laodicenſem Canonem*. Quod Sanctus Paulus videatur etiam de Diaconiſſis agere, ſed non de cunctis. Agit de ſolis in Presbyteras aut Diaconiſſas eligendis Viduis. Et quidem Presbytera debuit eſſe Vidua, Diaconiſſa autem ſemper potuit eſſe & Virgo. Et hujuſmodi Diaconiſſa non debuit eſſe ſexaginta annorum. Nam Chalcedonenſis Canon in ipſa requirit ſolos quadraginta annos. Quod de ſolis Virginibus ſtatuat, ideoque Apoſtolico Canoni non adverſetur, affirmat in ejus commentario Joannes Zonaras. An ſancta Phœbe, ac illæ item, quas torturæ ſubjecit Proconſul Plinius, fuerint Presbyteræ, an Diaconiſſæ, non poſſum adfirmare. Nec obeſt, quòd illam Sanctus Paulus Diaconam, has Plinius appellet Miniſtras. Utraque enim vox eſt ambigua, & ad utramque muliebrem dignitatem ſignificandam indifferens. Vox, *Diacona*, apud Apoſtolum & antiquam Eccleſiam ſignificavit omne ſacrum Miniſterium, etiam Epiſcopatum ac Apoſtolatum. Etenim ubi Sanctus Paulus ad Timotheum Epiſcopum ſcribit, *Miniſterium tuum imple*, in textu Græco habetur: *Diaconiam*. Et ubi ad Romanos ſcribit Chriſtum Dominum fuiſſe Circumciſionis Miniſtrum ſeu Apoſtolum, in Græco habetur, *Diaconum*. Igitur vox, *Diacona*, & vox, *Miniſtra*, non ſolum Diaconiſſæ important officium, ſed etiam Presbyteræ. Et hinc ſacras mulieres, quas torturæ impoſuit Plinius, omninò exiſtimo fuiſſe Presbyteriſſas. Quod nempè apud nos eſſent altioris gradus, ideoque & ſecreti noſtri peritiores. Quòd Presbytera ac Diaconiſſa fuerint olim diſtinctæ, eſt abundè jam oſtenſum. Etenim Presbytera cum Epiſcopo & Presbyteris ſedebat intecta in ſacro Tribunali, Diaconiſſa illic ſedere non poterat, ſed dumtaxat inſervire. Nec Diaconi illic poterant ſedere. Et Presbyteriſſa debebat eſſe vidua; Diaconiſſa poterat eſſe & virgo. Et in hac electione virgo præferebatur viduæ. Et certè baptizandas denudare, nudatas ungere aut tergere, ac ſuſpectas de vitio mulieres inſpicere non erat Virginum opus. Præterea non Diaconiſſas, nec ipſarum ordinationem, ſed ſolas Presbyteriſſas abolevit Laodicenſe Concilium, ideoque plurimum inter eas diſtinxit. Solas viduas, & quidem anus, iſtius dignitatis fuiſſe capaces, ſupra dixit noſtrarum rerum etiam conſcius Apoſtata Lucianus. Gentilis item Sophiſta Libanius eas alicubi vocat *Matres Vetularum*. Et certè carceratorum Confeſſorum negotia dirigere, & horum cauſa per civitates circumcurſare, nequaquam quadrabat virginibus Diaconiſſis. Præſertim in Oriente, Italia, aut Hiſpania. An Paulianiſtæ Laodicenſem Canonem admiſerint, atque ita Presbyteriſſas aboleverint, ignoro. Eſt difficile creditu. Quidquid ſit, ob iſtius Canonis auctoritatem Nicæna Synodus memoravit, & converſis Paulianiſtis permiſit ſolas Diaconiſſas. Nempè Epiſcopi, qui apud Laodicæam ediderant iſtum Canonem, ferè omnes fuerunt in Nicæno Concilio, ideoque ipſum voluere confirmatum ac perpetuum. Eadem ratio permovit auctores Canonum Arabicorum. Etiam Magni Theodoſii ac aliorum Imperatorum leges ſanciunt juxta Nicænos Canones, & ſui temporis diſciplinam, atque ita Apoſtolicas Sancti Pauli conſtitutiones contraxerunt ad ſolas Diaconiſſas. Et hæc eſt ratio, cur laudatus Theodoſius ſanxerit ſolas deinceps Viduas, quæ proles habuerint ac benè educaverint, & alias ab Apoſtolo requiſitas virtutes habeant, nullam Virginem eligi & conſecrari in Diaconiſſas. Quòd nempè omnia Presbyterarum officia eſſent in Diaconiſſas translata, & eorum quædam non deceret fieri per Virgines ſuo loco hæc elucidabuntur. Notanda ſunt Apoſtoli verba de Sancta Phœbe: *Ipſa adſtitit multis, & mihi ipſi*. Edicunt Phœben non fuiſſe pauperem matriculariam, ſed inſigniter opulentam. Ex quo vides Apoſtolica de alendis, ſeu in gazophylacii matriculam adſcribendis Viduis Decreta non tangere adſumendas ad dignitatem Diaconiſſæ aut Presbyteriſſæ. Edicunt hos Viduarum Ordines tunc fuiſſe penitus diſcretos.

Quinta quæſtio eſt, Quis has Presbyteriſſas & ipſarum conſecrationem abrogaverit? Reſpondeo Synodum Laodicenſem. Nulla prior reperitur abrogatio. Hæc autem Laodicæa non eſt Syriæ, ſed Aſiatica Phrygiæ. Hic tamen ejus Canon videtur etiam à Syris fuiſſe admiſſus. Etenim & in Panario, & in Chriſtianæ vitæ expoſitorio libello Sanctus Epiphanius, in Orientali Diœceſi Metropolitanus Epiſcopus, ipſum laudat, affirmatque vigere. Interim ubique non fuit ſtatim admiſſus. Etenim in laudata ſuper Apoſtolicum de eligendis Viduis verbum homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus laudat illas Presbyteras, ipſarum dignitatem & munia exponit, palamque affirmat adhuc vigere. Quia nempè non Antiochiæ Presbyter, ſed Conſtantinopoli in Thracica Diœceſi Epiſcopus iſta ſcripſit & dixit. Eaſdem eodem tempore viguiſſe in Africa docet ſuprà adductus Canon Carthaginen-

Lib. 79. cap. 4. cap. 21.

ginenſis. Etiam Romanæ Eccleſiæ antiquus Or-
do, ubi de Preſbyteri conſecratione agit, lau-
dat Diaconiſſas ac Preſbyteriſſas. Notandum
tamen eſt, quod non dicat *Diaconiſſas ac Preſ-
byteriſſas*, ſed *Diaconiſſas Preſbyteriſſas*. Videtur
ambas in unum confundere, & unicum gradum
cenſere. Quòd nempè veræ Preſbyteriſſæ eſſent
illic exſtinctæ. Interim & Gregorius ſecundus
Pontifex, & ejus ſucceſſor Zacharias laudant
ac diſtinguunt Preſbyteram, Diaconam, Non-
nam, & Monacham, omnibuſque æqualiter,
ut ſacro voto ligatis, nuptias interdicunt. Quin
& inſignem Preſbyteriſſarum memoriam habet
in litteris ad Jannuarium Calaritanum Epiſco-
pum ac Sardiniæ Metropolitam Magnus Papa
Gregorius: *Communis filius Epiphanius, Archi-
presbyter veſter, reſpondit Stricam, nuperrimè*
defunctam *Abbatiſſam, uſque ad diem obitus indui
ſe Monachica veſte noluiſſe, ſed in veſtibus, quibus
loci illius utantur Presbyteræ, permanſiſſe. Ad hæc
replicabat Gravinia*, Siricæ in locum Præfecta,
*hoc penè ex conſuetudine licuiſſe, adeò ut Abbatiſ-
ſam, quæ ante Stricam fuerat, talibus uſam fuiſ-*
L. 7. indic. 2. *ſe veſtibus allegaret*. Diſcimus hinc plura. Pri-
Epiſt. 7. mò, quòd Sardinia uſque tunc Preſbyteriſſas
habuerit. Secundò, quòd hæ habuerint diſtin-
ctam ab aliis veſtem. Tertiò, quòd earum ve-
ſtis fuerit honoratior veſte Abbatiſſarum. Quar-
tò, quòd & earum ſtatus fuerit altior. Nam
veſtium dignitas ſequitur dignitatem gradus.

Quæſtio ſexta eſt, Quibus de cauſis Eccleſia
has Preſbyteras abrogaverit? Reſpondeo abro-
L. 79. c. 4. gatas ob duas præſertim cauſas. Ob earum ſu-
perfluitatem, ac inutilitatem. Primam cauſam
adducit in Panario Sanctus Epiphanius: *Illud
diligenter obſervandum eſt ſolum Diaconiſſarum of-
ficium ad Eccleſiaſticum Ordinem fuiſſe neceſſarium*.
Cap. 21. Enumerat pleraque Preſbyterarum antiqua offi-
cia, & ipſa aſſignat Diaconiſſis. Quod ipſum
facit in Catholicæ fidei ac diſciplinæ expoſito-
rio libello. Nempè omnia ſacrarum fœminarum
munia poſſe per unicum Ordinem fieri advertit
Laodicenſis Synodus, ideòque duos Ordines
contraxit in unum. Et non Diaconiſſas extin-
xit, ſed Preſbyteriſſas. Hinc omnia harum an-
tiqua munia in iſtas tranſcribit etiam Apoſtoli-
carum Conſtitutionum author, atque adjungit:
L. 3. c. 19. *Utique*, & Diaconi & Diaconiſſæ, *obeunt munus
nuntiandi, peregrinandi, miniſtrandi, ſerviendi.
Unuſquiſque ſuas partes agnoſcat, & eas ſtudiosè
agat, & concordi animo, & cum charitate, ut qui
miniſterii mercedem non ignoretis*. Mandat circa
fœminas omnia Eccleſiaſtica miniſteria, quæ
circa viros à Diaconis fiunt, fieri à Diaconiſ-
ſis. Utique ob dictam Preſbyteralium officio-
rum in Diaconiſſas factam à Laodicenſi Syno-
do tranſlationem.

Altera hujus tranſlationis ac abrogationis cau-
ſa fuit iſtarum Preſbyterarum inutilitas, immò
& pernicioſitas, orta ex variis ipſarum exceſſi-
bus, de quibus in Laodicenſis Canonis Com-
mentario Theodorus Balſamon: *Antiquitus quæ-
dam vetulæ mulieres, in Catholicis Eccleſiis ſeden-
tes, reliquas fortè mulieres ad bonum & honeſtum
Ordinem ſervandum deducebant. Quia autem ex
earum conſuetudine, eo quod honeſtum eſt non rectè
utentium, vel propter arrogantiam, vel propter
turpem quæſtum quidam offendebantur, prohibue-
runt Patres, ne deinceps omninò eſſent in Eccleſiis
Presbyteræ vel Præſidentes*. Primus igitur earum
exceſſus fuit arrogantia. Utique nata ex glo-
rioſo cum Preſbyteris intra ſacrum Tribunal
conſeſſu, ex varia Præfectura & Magiſtratu,
ac ex ſummi honoris faſtigio. Nec mireris hoc
in fœmina. Nam & Diaconos ex ſuarum fun-
ctionum dignitate fuiſſe olim arrogantiſſimos,
ac per varios Canones debuiſſe poni in capiſtro,
eſt omnibus exploratum. Et hinc fortaſsè A-
poſtolicarum Conſtitutionum Auctor mandat,
ut Diaconiſſæ cum Diaconis ſervent concordiam,
& ſuo munere cum pace ſungantur. Nempè
ne propter tranſlata in ſe Preſbyterarum officia
inflentur, & nolint Diaconis obedire. Et qui-
dem Diaconorum arrogatio olim adeò excrevit,
ut & humana & Divina mandata prævaricati
non erubuerint attentare oblationem noſtri ſa-
crificii, ac Sacramentalem etiam Reconciliatio-
nem. Ita & Preſbyteriſſarum tumor fuit lapſus in
ſacrilegos ac Hæreticos auſus, de quibus Doctor
in hoc ipſo libro: *Ipſæ mulieres hæreticæ quàm
procaces, quæ audeant docere, contendere, Exor-
ciſmos agere, curationes promittere, forſitan &
tingere*. Omninò & tingere. Etiam ſacrificare,
reconciliare, attentare Sacerdotalia omnia. Ea
attentarunt Marcioniſtarum, Montaniſtarum, &
Collyridianorum mulieres. Immò & quædam
Viduæ Orthodoxarum Eccleſiarum. Quod ſo-
lemniter ab Epiſcopis eſſent benedictæ, cen-
ſuerunt ſe conſecratas. Et Montaniſtæ atque
Collyridiani ipſas etiam attentarunt conſecrare.
Et hic Orthodoxarum Viduarum exceſſus vide-
tur etiam noſtri Doctoris Africam infeciſſe.
Ita ſuadent ejus verba in libro de velandis Vir-
ginibus: *Non permittitur mulieri in Eccleſia lo-* Cap. 9.
*qui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec
ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii,
ſortem vindicare*. Palam agit de Præſidentibus
Viduis. Quorsùm tanto impetu? Quod quæ-
dam præſumerent ſimilia, aut etiam attentarent.
Etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctor
Chriſtum Dominum laudat, quod nec commen-
datis in Evangelio mulieribus, immò nec pro-
priæ ſuæ matri permiſerit publicè docendi fa-
cultatem, & adjungit: *Vidua igitur ſciat eſſe Al-* L. 3. c. 6.
tare Dei, & domi ſuæ ſedeat. Haud dubiè no-
tat exceſſus, quibus Præſidentes Viduæ labo-
rarant.

Alios ipſarum exceſſus expoſuit ſuprà in libris
de Sacerdotio Sanctus Joannes Chryſoſtomus:
*Quòd Viduæ in album temerè referantur, innumera
olim mala peperit. Nam & familias peſſumdedit,
& nuptias divellit. Prætereà hac una de cauſa com-
pertum eſt Viduas aliquot tùm furando, tùm cau-
ponando, atque alia id genus committendo, multa
præter dignitatem & ordinem geſſiſſe*. Agit quidem
de relatis in Eccleſiaſtici gazophylacii matricu-
lam

lam Viduis, ita tameo ut agat etiam de Præſidentibus. Nam & quædam Præſidentes ſpectabant ad iſtam matriculam. Sanctus Joannes eas arguit de variis. Primò, quòd quædam divortia ſibi procurarent, ſeſe facerent viventium virorum viduas, atque ita ſuas familias devaſtarent. Utique ex ambitu conſequendæ Vidualis Præfecturæ. Secundò eaſdem arguit, quòd furarentur, utique Eccleſiaſticam ſubſtantiam. Tertiò, quòd cauponarentur, utique ex ſuæ Præfecturæ miniſteriis. Quæ omoia crimina committi non potuerunt, niſi per Præſidentes Viduas. Earum avaritiam, & ex hac natas peſſimas artes notat ac damnat etiam Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum. Radicalem iſtius avaritiæ cauſam exponit in libro de bono Viduitatis Sanctus Auguſtinus. Propter hos igitur exceſſus, quos anteriores Epiſcopi baud dubiè frequenter corripuerant, & non potuerant corrigere, Laodicenſis Synodus omnem harum Viduarum conſecrationem, Præſidentiam, & omnem gradum extinxit atque abolevit. Earum miniſteria tranſcripſit in Diaconiſſas.

Redeamus ad Tertullianum. Ex adductis ejus teſtimoniis tertiò addiſcimus Præſidentium Viduarum variam dignitatem, Prærogativas, privilegia. Prima dignitas eſt in his verbis: *Velaminis venia illi ſit*. Edicunt has Viduas non fuiſſe facie velatas in Eccleſiæ conventu, ſed virili more apertas ac inteſtas. Quòd nempè eſſent adeò probatæ caſtitatis, ut nec allici periclitarentur, nec allicere. Hinc ſubditur: *Ut honorem ſanctitatis in libertate capitis oſtendat*. Per ſanctitatem ioelligitur caſtitatis. Eſt Apoſtolo conſueta phraſis. Secunda dignitas eſt in his verbis: *Ut in Eccleſiam notabilis & inſignis introeat*. Hoc eſt, tamquam eximia & eminens perſona. Tertia dignitas eſt in his verbis: *Ea auctoritate illic ſedet. Ad quam ſedem eliguntur*. Hujus ſedis excellentiam exponit Doctor in exhortatorio ad caſtitatem libro: *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus*. Inter Clerum & populum ponit duplicem diſtinctionem ac Prærogativam: Auctoritatem ſeu Præfecturam, & hujus indicem eminentiorem in Eccleſiæ conventu ſedem. Nempè cum Epiſcopo Clerus in eminentiori circa Altare loco, quem ſactum Tribunal appellavit antiquitas, ſedebat ac præſidebat. Sedebant ſoli Presbyteri. Hinc eos Sanctus Martyr Ignatius io epiſtola ad Trallenſes appellat Epiſcopi Conſiliarios & Cooſeſſores. Diaconi illic ſtabant ac miniſtrabant, & ſedere non poterant, niſi in Diaconico. At verò Presbyteriſſæ ſedebant cum Presbyteris. Earum ergò erat eminens gradus, ſpectabilis dignitas. Hinc & ipſarum ad hæreſes declinationem fuiſſe graviſſimum infirmis fidelibus ſcandalum rectè affirmat noſter Septimius.

Si Virgo.

Etiam profeſſæ virginitatis ſtatus fuit ſemper in Eccleſia eximius ac frequentiſſimus, inchoatus à ſactoſancta Virgine MARIA. Quod hæc virgioitatem ſuam Domino Deo voverit & conſecrarit, disertè tradunt in Oratione de Dominica Nativitate Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, in epiſtola ad ſacram Virginem Euſto- Ep. 22.
chium Sanctus Hieronymus, in libro de Sancta cap. 7.
Virginitate Sanctus Auguſtinus, & alii paſſim antiqui Patres. Et rectè probant ex ejus ad Archangelum Reſponſo: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hoc eſt, quia voti cauſa non poſſum virum admittere. Affirmant illam adhuc infantem fuiſſe Deo oblatam, atque ita ſtatim in rationis ingreſſu ſeipſam conſecraſ-
ſe. Quare Hugo de Sancto Victore, qui in Cap. 10.
ſeptimo Theologicæ Eruditionis Tractatu aſſerit ipſam non niſi poſt virgineum partum voviſſe, inſigniter hallucinatur. Et iſtum errorem fruſtra nititur firmare ex Sancti Auguſtini libris de nuptiis & concupiſcentia. Et hanc conſecrationis ſpeciem Chriſtus Dominus noſter inſtantiſſimè & conſtantiſſimè prædicavit. Eodem zelo prædicarunt & ejus Apoſtoli, ac inſuper in executionem miſerunt. Etenim Sanctam Theclam Sanctus Paulus, Regiam filiam Iphigeniam Sanctus Matthæus, proprias filias ſanctus è ſeptem primis Diaconis Philippus ita conſecrarunt.

Eandem prædicationem omnes eorum in Epiſcopatus ſucceſſore ſunt zeloſiſſimè proſecuti. Etenim in exhortatorio ad caſtitatem libro ſcribit Tertullianus: *Quanti & quantæ in Eccleſiaſticis ordinibus de continentia cenſentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis ſuæ honorem reſtituerunt, qui ſe jam illius ævi filios dicaverunt, occidentes in ſe concupiſcentiam libidinis, & totum illud, quod*
intra paradiſum non potuit admitti? Et adverſum Cap. 13.
tria Chriſtianis olim per Gentiles adficta famoſa crimina exponit impoſitam nobis ab Evangelio caſtitatem in libro Apologetico, & adjungit:
Quidam multò ſecuriores totam vim hujus erroris virgine Cap. 9.
continentia depellunt, ſenes, pueri. Et in libro de cultu fœminarum: *Multi ſe ſpadonatui obſignant propter Regnum Dei, tam fortem, & utique permiſſam voluptatem ſponte ponentes*. Et in primo ad uxorem libro: *Sorores noſtræ, quarum nomina ſunt penes Dominum, nulla formæ vel ætatis occaſione preſſæ, maritis ſanctitatem anteponunt. Ma-*
lunt enim Deo nubere. Deo ſponſæ, Deo ſunt puel- Cap. 4.
læ. Cum illo vivunt. Et infrà: *Quot ſunt qui ſtatim à Lavacro carnem ſuam obſignant? Voluntarii ſpadones pro cupiditate Regni Cœleſtis*. Chriſtianorum caſtitatem adversùs dictas Gentilium calumnias prædicat inſigniter in ſuo Apologetico libro & Sanctus Athenagoras, & adjungit: *Invenias autem multos ex noſtris in utroque ſexu, qui in cœlibatu conſeneſcunt, quòd in hoc ſtatu ſe ſperent Deo futuros conjunctiores*. Et in ſecunda

ſua

ſua Apologia Sanctus Martyr Juſtinus: *Quin omninò vel matrimonium non aliter contrahimus, niſi liberorum creandorum & educandorum gratia, vel conjugium detrectantes perpetuò nos continemus*. Et ad ſuam Antiochenam Eccleſiam ſcripſit Sanctus Martyr Ignatius: *Saluto ſuſceptrices Chriſti Virgines, quas ego nutrivi in Domino* JESU. *Saluto pudiciſſimae Virgines*. In quibuſdam tunc, licet adhuc novellis, Eccleſiis fuiſſe numeroſos Virginum choros, lucet ex aliis ejuſdem epiſtolis. Et glorioſum Martyrem Cyprianum, quòd ad mortem properans ſingularem ſacrarum Virginum cuſtodiam ſuo Clero demandarit, laudat Sanctus Auguſtinus. Quòd Africana Eccleſia ſemper habuerit ampliſſimum iſtarum Virginum numerum, lucet ex variis eorundem Patrum ſcriptis, ac item ex Sancto Optato Epiſcopo Milevitano. Alexandrina Eccleſia habuit adeò numeroſas, ut ipſarum ſeptingentas unus Arius ſeduxerit. Ita teſtatur in ejus hæreſi Sanctus Epi-
L. 69. c. 3. phanius. Nec dubium, quin longè major numerus in orthodoxa fide conſtans permanſerit. Nec mireris hoc. Etenim de Sancto Antonio, qui nec Epiſcopus nec Clericus fuit, ſcribit Ma-
F. 51. gnus Athanaſius: *Quot Virgines, etiam jam deſponſatæ, ſolo Antonii adſpectu eminùs motæ, Virginitatem Chriſto ſervaverunt?* Et in tertia decima ſuper Apoſtolicam ad Romanos epiſtolam Homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus affirmat Virginitatem, quæ olim videbatur impoſſibilis, jam florere apud omnes Gentes: *Neque apud nos ſolùm, ſed apud Scythas, apud Thraces, apud Indos, apud Perſas, reliquoſque quamplurimos Barbaros*. Affirmat iſtic eſſe & Virginum choros, & Monachorum ſodalitates, atque adjungit: *Qui omnes jam plures ibi eſſe cœperunt qui uxores habent*. Nempè quicumque in toto orbe Evangelium prædicarunt, prædicarunt & Virginitatem, & utrique plantationi admiranda Crucifixi Domini potentia dedit ampliſſimum incrementum. Apud fideles Perſas viguiſſe, & pro ſuo flore uſque ad crudeliſſimam mortem certaſſe & viciſſe ſacras Virgines, teſtatur etiam Her-
L. 2. c. 11. mias Zozomenus. Potentia verè admiranda. Etenim de Afris verè ſcribit in libris de Providentia Sanctus Salvianus Presbyter Maſſilienſis Eccleſiæ: *Tam impoſſibile eſt Afrum eſſe caſtum, quàm Afrum non eſſe Afrum*. Hinc poſt laudatam, quæ pro ulciſcenda caſtitatis injuria ſeipſam peremit, Romanam ac gentilem Lucre-
Cap. 13. tiam adjungit in exhortatorio ad caſtitatem libro Tertullianus: *Majus eſt vivere in caſtitate, quàm pro ea mori*. Loquitur juxta impetus Africanæ libidinis. Et quis neſciat Perſarum ſalacitatem fuiſſe multò fœdiorem? Et tamen ſacrarum Virginum plenos exercitus plantavit iſtic illa potentia in omnibus ſub cœlo Chriſtianis regionibus.

Et non qualiſcumque, ſed obſignata fuit hæc Virginitas, Domino Deo per ſolemne votum conſecrata. Nec ſolam voventis Virginitatem, ſed & ejus omne corpus ac animam iſta profeſſio obſignabat & conſecrabat. Hinc in exhortatorio ad caſtitatem libro Tertullianus omnem caſtitatem appellat noſtram *ſanctificationem*, & Cap. 31.
noſtræ *carnis honorem*. Et omninò loquitur ex Apoſtolo. Quare votiva caſtitas longè magis conſecrat. Et hinc profeſſas Virgines omnis Chriſtianitas ſemper appellavit ſacras. Dedit & alios ſublimes titulos. Primum edicit in vigeſimo tertio ſermone de verbis Domini Sanctus Auguſtinus: *Illæ, quæ propria & excellentiori ſan-* Cap. 1.
ctitate Virgines in Eccleſia nominantur, quas etiam uſitatiori vocabulo Sanctimoniales appellare conſuevimus. Nequaquam de ſolis Cœnobitis, ſed & de caſtitatem profeſſis in paterna aut alia privata domo Virginibus agit. Etenim uſque ad Sancti Auguſtini Epiſcopatum Africana Eccleſia & virorum & Virginum Cœnobia penitus ignoravit. Nam & ipſe Auguſtinus, dum in Italia doceret Rhetoricam, ignoravit vocem, *Monaſterium*. Iſta tamen Eccleſia ſacris ſemper abundavit Virginibus: Et ipſas ſemper fuiſſe appellatas Sanctimoniales habemus item ex aliis Scriptoribus. Idem titulus viguit apud antiquus Longobardos. Etenim apud eorum leges ſeptimus & trigeſimus ſecundi libri titulus eſt de *Sanctimonialibus*. Et illic contentæ leges iſtum titulum aſſiduè donant etiam privatarum domorum Virginibus. Secundum titulum habet prima Toletana Synodus: Cap. 4.
Puella Dei. Eundem habet noſter Doctor in primo libro ad uxorem. Tertium titulum adducit in prima ſua Apologia Sanctus Athanaſius: *Certè Puellas Virginitatis virtute præditas Catholica Eccleſia ſolita eſt appellare Sponſas Chriſti*. Cauſam dat in libro de velandis Virginibus noſter Doctor, ſacras Virgines alloquens: *Non mentiris nuptam. Nupſiſti enim Chriſto. Illi tradidiſti* Cap. 16.
carnem tuam. Illi ſponſaſti maturitatem tuam. Diligenti antiquorum Patrum lectori occurrent & alii tituli.

Integer Sancti Athanaſii locus eſt audiendus: *Dei Filius Dominus ac Salvator noſter* JESUS-CHRISTUS, *homo propter nos factus, profligata morte, & adſerto à ſervitute & corruptione humano genere, inter cætera dona ſua largitus eſt nobis in Virginitate exemplar Angelicæ ſanctitatis. Certè Puellas ea virtute præditas Catholica Eccleſia ſolita eſt appellare Sponſas Chriſti. Quas Ethnici conſpectas ut Verbi templum admiratione proſequuntur. Nuſquam enim alibi ſanctum illud & cæleſte æternæ Virginitatis mandatum feliciter adimpletur, niſi dumtaxat apud nos Chriſtianos. Atque in eo magnum documentum eſt planè apud nos eſſe veram Religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religioſiſſimus Pater tuus Conſtantinus Auguſtus in pretio habuit. Et tua Religioſitas in ſcriptis ſuis eas pretioſas & ſanctas nominavit*. Quòd ſit Angelicum vitæ genus, confirmat in litteris ad omnes ſub cœlo orthodoxos Epiſcopos Sanctus Petrus, Magni Athanaſii in Alexandrino Patriarchatu proximus ſucceſſor: *Sanctarum Chriſti Virginum pius vitæ cultus exemplar vivendi Sanctorum Angelorum expreſſit*. Sancti enim Angeli neque nubunt, neque nubuntur. Exſtat epiſtola apud Eccleſiaſticam Hiſtoriam Theodoreti. L. 4. c. 20.

Quod

Digitized by Google

Quod ipſum affirmant & alii paſſim Patres. Nam & hinc profeſſatum utriuſque ſexus Virginum ſacram veſtem Orientalis Eccleſia poſtmodum appellavit *Angelicum habitum.*

Quòd Magnus Conſtantinus ſacras Virgines fuerit ſummè veneratus, teſtatur etiam in ejus
L. 4. c. 28. vita Euſebius Cæſaræenſis: *Conſtantinus maximus eos honoribus proſequebatur, qui vitam ſuam Cœleſti Philoſophiæ dedicaſſent. Sanctiſſimum ergò perpetuarum Virginum cœtum conſtanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipſum, cui ſe conſecraverant, inhabitare crederet.* Diabolus, licet carnem ac ejus libidinem non habeat, nullo tamen vitio magis delectatur, quàm humani corporis corruptionibus. Noſtra quippè corpora ac præſertim in ipſis habitantes animæ ſunt Divinæ Majeſtatis habitacula ac templa, quæ nullo quàm iſto vitio magis polluuntur, profanantur, ac evertuntur. Hinc ille per Paganos Imperatores promulgavit duriſſimas leges in quoſvis cœlibes. De his ſcribit in Libro de Viduis Sanctus Ambroſius: *Unde & illi, qui Deorum ſuorum adulteria & probra venerantur, Cœlibatus & Viduitatis ſtatuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent ſtudia virtutum. Specie quidem qua fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio quo Propoſitum caſtitatis abolerent.* Quod haſce leges in Sacrarum noſtrarum Virginum gratiam Conſtantinus circumduxerit, teſtatur
Cap. 26. idem Euſebius. Ejuſdem mentis ac pietatis fuiſſe Sanctam Conſtantini matrem Helenam ſcribit
L. 1. c. 13. Socrates: *Helena Virgines, quæ Eccleſiaſticæ vivendi regulæ ſe conſecraverant, ad epulas invitabat, ipſa illis miniſtrabat, obſonia menſæ apponebat.* Devotiſſima Princeps ita egit ex antiqua Chriſtianitatis regula, quam in libro de velandis Virginibus laudat noſter Septimius: *Fraternitas Virgi-*
Cap. 14. *nes facilè ſuſcipit.* Addit quod *omni honore & charitatis operatione cumulare à fratribus*, omnium oculis attendi, omnium digitis demonſtrari, amari nimium, ac omnium amplexibus & oſculis excipi conſueverint, & quòd horum ambito circumſcriptæ quædam non ex religione, ſed ex æmulatione ſuſciperent iſtud Propoſitum, atque ita ſub iſto fuco colerent Deum ventrem.

Addit Sanctus Athanaſius, quòd etiam Gentiles iſtud vitæ genus cenſerent verè Divinum, ideoque & ſummè venerarentur. Etiam Judæi. Nam quòd Philo Judæus, quem non fuiſſe Chriſtianum affirmat in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus, noſtras ſacras Virgines ſummè prædicaverit, oſtendit ex ejus verbis præ-
L. 2. c. 16. fatus Euſebius. Quin & ipſi Chriſtianæ Religionis jurati hoſtes, Paganique & Barbari Turcæ eandem virtutem in nobis admirantur & colunt. Sanctimonialium Monaſteria ſunt apud iſtos impudiciſſimos, non minùs quàm apud nos, in omnibus ſecuriſſima. Neſcio quem Turcam, quòd ebrius in iſtiuſmodi Cœnobii portam feciſſet violentias, fuiſſe à ſuis damnatum ſcribit in Orientalis ac Occidentalis Eccleſiæ concordia
L. 4. c. 8. Leo Allatius. Addit Sanctimoniales, dum ſuas texturas Turcis vendunt, etiam apud militarem petulantiam eſſe in ſumma reverentia. Virginalis integritas apud Gentiles Romanos fuit tanti, ut capitalis etiam criminis ream Virginem, niſi priùs ſtupratam, tortor tangere non poſſet, longè minùs occidere. Salaci cuidam Juveni tradebatur priùs ſtupranda. Hunc fuiſſe avitum Ro- L. 3. c. 61.
manæ Reipublicæ morem teſtantur Svetonius L. 56.
Tranquillus, Dio Caſſius, & Cornelius Tacitus. Quam legem ſervarunt etiam in noſtras Virgines. Hinc plures, antequam Martyrio coronarent, curarunt & tentarunt ſtuprandas. Verùm Angelica cuſtodia ipſas paſſim protexit. Inſignia exempla habemus in Sancta Agnete, Sancta Serapia, ac Sancta Lucia. Et iſta Sanctorum Angelorum protectio compulit Tyrannos à ſua lege & flagitioſa pietate diſcedare. Ex eodem virginalis integritatis amore ſuas Veſtales habuerunt in authoritate ac reverentia. In tanta reverentia, ut earum violatio meruerit capitale vivæ defoſſionis ſupplicium, & hujus exequendi locus ſingulari elogio diceretur campus ſceleratus. Verùm iſta Virginitas fuit temporalis. Quòd poſt emerita caſtitatis ſtipendia habuerit nubendi licentiam & conſuetudinem, teſtatur in primo de Virginibus libro Sanctus Ambroſius. Hinc noſtras Virgines, quæ perpetuam Integritatem voto firmarent atque ſervarent, quicumque Gentiles fuerunt & admirati ac venerati. Eandem ex voto perpetuitatem Magno Conſtantino fuiſſe venerationis cauſam dixit ſtatim Euſebius.

Et hinc Magnus Athanaſius non quamcumque, ſed ſolam perpetuam Virginitatem dixit reperiri apud ſolos Chriſtianos. Quod ipſum in variis locis tradit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. In famoſa adversùm Agapetas homilia: *Inter Græcos quidam, licèt pauci, ita philoſophati fuerunt, ut opum eſſent contemptores, & iram vicerunt; Virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in qua ſemper nobis conceſſerunt primam dignitatem, ingenuè faſſi rem eſſe ſupra naturam, & non humanam. Et eapropter omnibus gentibus fuimus ſummæ admirationi.* Et in Homilia de jejunio & temperantia: *Ejuſmodi eſt Virginitas, tantoque opùs habet labore, ut cum è cœlo Chriſtus ex hominibus Angelos facturus veniſſet, ut hic ſupernam civitatem plantaret, ne tunc quidem eam præcipere ſit auſus, aut inter leges referre. Et mortem quidem, qua nihil eſt gravius, pro ſe oppetere, crucem quoque continuò ferre, & inimicis bene facere juſſit, Virginitatem autem ſervare nequaquam lege ſancivit, ſed in libera Auditorum voluntate reliquit. Enimverò magna eſt hujus rei dignitas, & admodum occultus virtutis ager. Atque hoc etiam illi manifeſtum faciunt, qui in veteri teſtamento multa alioquin præclara geſſerunt. Magnus enim ille Moyſes, caput illud Prophetarum, familiaris Deo amicus.* Prophetæ Moyſis miracula & certamina exponit ac extollit, atque proſequitur: *Ad hæc verò Virginitatis certamina ne oculos quidem intendere potuit, ſed conjugio ac ejus præſidio habuit opùs, nec auſus eſt in Virginitatis pelagus ſe dare, ejuſdem fluctus veritus. Et Patriarcha ille filii Sacerdos crudeliſſimum illum in naturam affectum ſuperare*

*perare valuit, filiumque occidere, ſed ad Virgini-
tatis certamen ſe accingere non eſt auſus*. Quod ip-
ſum cenſet de Propheta Joh. Eadem docet in
homilia de eleemoſyna ac jejunio, & in ſecun-
da ad Olympiadem epiſtola, atque extendit et-
iam ad Iſaac, alioſque Patriarchas. Qua in re
certum eſt ipſum graviter labi. Etenim laudatos
Patriarchas & Prophetas, licet uxores habue-
rint, fuiſſe tamen Sancto Joanni Baptiſtæ, aut
Sancto Joanni Evangeliſtæ, aliiſque novi Teſta-
menti puriſſimis animabus pares in caſtitate, de-
monſtrat in variis locis Sanctus Auguſtinus,
præſertim in vigeſimo ſecundo libro contra Fau-
ſtum Manichæum. Uti Sanctus Timotheus,
licet ex Apoſtoli mandato vinum biberit, fuit
nihilominùs in temperantia perfectus, validuſ-
que ſemper aquam bibere; ita & iſti ſe habue-
runt ad caſtitatem. In matrimonium non ſuerunt
ex libidine lapſi, neque ex hac in iſtud adſcen-
derunt, ſed Divinæ legis compellente Præcepto
ex plena caſtitatis virtute in conjugale commer-
cium deſcenderunt. Uti ex plena temperantia
Timotheus in vinum. Quia nempè erat tunc
tempus ſpargendi lapides, ſeu filios generandi.
Interim eſt longè certiſſimum, quod perpetua,
præſertim per votum Deo profeſſa, Virginitas in
antiquo Teſtamento nec prædicata fuerit, nec
obſervata. Et obſervari non poterat. Et per
Gentiles ſervari non valuit. Eis enim erat nu-
dum, inerme, & ſub libidine captivum arbi-
trium. Hæc ſplendidiſſima ac eminentiſſima
virtus eſt gratia novi Teſtamenti, Initiata per
ſacratiſſimam Virginem, quæ omnium homi-
num prima dixit: *Quoniam virum non cognoſco*.
Quòd omnium in toto humano genere prima
perpetuam virginitatem voverit, eſt conſtans
traditio Eccleſiæ.

Et hinc ampliſſima ac plurima virginitatis en-
comia habemus apud antiquos Patres. Etiam in
Apoſtolo ac ipſo Evangelio. Et in Sancti Joan-
nis Apocalypſi ſacræ Virgines coram Divina Ma-
jeſtate cantant canticum novum, quod nemo
alius novit. Eſt novum novi Teſtamenti canti-
cum, in futuro Chriſti Domini regno inſignien-
dum ſingulari laureola. Rationem dat in libro
Cap. 1. de Pudicitia noſter Doctor: *Pudicitia eſt flos mo-
rum, honor corporum, decus ſexuum, integritas
ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis,
præjudicium omnis bonæ mentis*. Et in Tractatu
de Virginum habitu Sanctus Cyprianus: *Nunc
nobis ad Virgines ſermo eſt, quarum quò ſublimior
gloria, major & cura eſt. Flos eſt ille Eccleſiaſtici
germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpirita-
lis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum
atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad Sancti-
moniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.
Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccle-
ſiæ Matris glorioſa fœcunditas: Quantòque plus co-
pioſa Virginitas numero ſuo addit, tantò plus gau-
dium matris augeſcit*. Et in Catholicæ fidei expo-
Cap. 21. ſitorio libello Sanctus Epiphanius: *Fundamen-
tum & velut crepido quædam in Eccleſia Virginitas
eſt, quæ à pleriſque colitur & obſervatur, & in
illuſtri quadam gloria & prædicatione verſatur*.
Quòd enim Sacras Virgines, dum prodirent,
omnes cum admiratione & profunda veneratio-
ne ſpectarent, ſuprà à noſtro Doctore audivimus.
Eſt virtus adeò eminens, ut ipſam in nobis non
veram, ſed mendacio ſimulatam crediderit Im-
perator Licinius. Omnes ex ſua infirmitate me-
tiens cenſebat impoſſibilem. Ita in Magni Con-
ſtantini vita teſtatur Cæſaræenſis Euſebius. Ex L. 1. c. 46.
eadem cauſa ſceleratus ac Arianus Wandalorum
in Africa Rex Hunnericus noſtras Sacras Virgi-
nes, quòd cum Epiſcopis & Clericis crederet
clandeſtinè ſcortari, juſſit per ſuos inſpici. Ita
in libris de Wandalica perſecutione teſtatur Vi-
ctor Epiſcopus Uticenſis. Idem eſt hodie Luthe-
ranorum & Calviniſtarum ſenſus. Caſtitatem,
uti ſibi, ita & nobis opinantur impoſſibilem,
ideoque nos omnes ſuſpicantur eſſe clanculo ſcor-
tatores aut ſcortatrices.

Et hinc Sacræ Virgines dignum & altum in
Eccleſia ſemper habuere locum. Eum edicit in
Catholicæ fidei ac diſciplinæ expoſitorio libello
Sanctus Epiphanius: *Virginitatem ſolitaria vita* Cap. 21.
*proximè ſequitur, quam in pleriſque ſexus utriuſque
Monachis videmus*. Hiſce ſubjungit Continentes,
Viduas, caſtos conjuges. Virginalem gradum
ſtatuit Monaſtica utriuſque ſexus profeſſione al-
tiorem. Alium ordinem ſtatuit Apoſtolicarum
Conſtitutionum Auctor, mandans ut publicus
Eccleſiæ Conventus Euchariſtiam ſumat hoc or-
dine: Epiſcopus, Presbyteri, Diaconi, Sub-
diaconi, Lectores, Cantores, Monachi, Dia-
coniſſæ, Virgines, Viduæ, Pueri, omnis L. 8. c. 13.
populus. Monachos præponit etiam Diaconiſſis.
Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Auctor, quem aliqui
credunt Sanctum Dionyſium Areopagitam, in
epiſtola ad Demophilum affirmat Monachos ex-
cludi à Sacris adytis, ſeu à Clericorum choro,
communicare tamen ad illorum ſpecioſas portas
ante omnem populum. Monachos Sacris Virgi-
nibus anteponit, poſtponit Diaconiſſis. Hæ
namque cum maſculino Clero ſerviebant in Sa-
cris adytis, adeoque & iſtic communicabant.
Quapropter variæ Eccleſiæ habuerunt varium or-
dinem. Exiſtimo Monachos Sancti Epiphanii
tempore necdum fuiſſe in Antiocheno Patriar-
chatu conſecratos, conſecratas autem Virgines,
ac ideò has iſtis à dicto Patre præponi. Hodie
Monaſticus ſtatus eſt longè dignior. Ex firmiſ-
ſimis fundamentis. Proindè Sacræ Virgines olim
locum non habuerunt in Sacratio: Longè minùs
ſedem in Sacro Tribunali. Hinc enim neſcio
quis apud Tertullianum Africanus Epiſcopus
Sacram Virginem, ut ſede honoraret, retulit
inter Presbyteriſſas. Hinc item fuerunt inferio-
res Diaconiſſis. Hæ enim non in ſolo Sacratio
ſerviebant, ſed & in ſacro Tribunali.

Et hinc oritur prima quæſtio, An Sacræ Vir-
gines fuerint olim conſecratæ? Rationem dubi-
tandi facit Apoſtolicarum Conſtitutionum Au-
ctor inducens Sanctum Jacobum Apoſtolum pro-
nunciantem de Virginibus: *Virgo non fit ordina-
tione. Mandatum enim à Domino non habemus*. L. 8. c. 24.

Certare

Digitized by Google

Certare pro Virginitatis præmio eſt voluntatis, non ad criminationem conjugii, ſed ad otium cultus Dei. Videtur aſſerere Sacras Virgines non conſecrandas. Reſpondeo tamen ſemper fuiſſe conſecratas. Et quidem in litteris ad Goſredum Vindocinenſis Monaſterii Abbatem Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus affirmat eſſe Inſtitutum Apoſto- [Epiſt. 41.] licum: *Conſecratio Virginum ex Apoſtolica auctoritate Epiſcoporum privilegio reſervatur.* Et rectè. Etenim quòd Sanctus Clemens, Sancti Petri Apoſtoli Diſcipulus, ac in Romano Pontificatu ſucceſſor, Sanctam Flaviam Domitillam, Virginem & Martyrem ſacto velamine conſecravit, ad ſeptimam Maii diem teſtatur Romanum Martyrologium. Quod ipſum ad vigeſimam tertiam Novembris diem adfirmat Martyrologion Sancti Adonis, Archi-Epiſcopi Viennenſis. Et quidem Domitilla erat Flavii Clementis, Romanorum Conſulis, ex ſorore neptis. Hæc conſecratio ex tunc erat tanti ponderis. Eandem laudat in libris adversùs Parmenianum Donatiſtarum Carthaginenſem Epiſcopum Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus, de antiquo Idicrenſi in Numidia apud eamdem factionem Epiſcopo Felice ſcibens: *Felix comprehenſam puellam, cui mitram ipſe impoſuerat, à qua paulò ante Pater vocabatur, nefariè inceſtare nequaquam dubitavit.* Mitra apud Afros erat facti veli ſpecies, per ſo- [Lib. 2.] lemnes preces conſueta ab Epiſcopo imponi, ideoque ejus impoſitio erat Virginis conſecratio. Hinc in litteris ad neſcio quem Epiſcopum Theodorum Sanctus Auguſtinus inter Sacramenta, quæ Donatiſtæ ſemper habuerunt, & quæ in ipſis ad Catholicam unitatem redeuntibus nunquam violavit Mater Eccleſia, ponit etiam [Ep. 213.] *continentiæ profeſſionem, & Virginitatis conſiguationem.* Utique fieri conſuetam per impoſitionem mitræ. Eodem ritu Virgines olim conſecravit Romana Eccleſia. Lucet ex epiſtola Sancti Hieronymi ad Sacram Virginem Demetria- [Epiſt. 8.] dem: *Scio quod ad imprecationem Pontificis Flammeum virginale ſanctum operuerit caput.* Etiam illam Virginem, quam è Hieroſolymitano Monaſterio rapuit ac ſeduxit nefarius Sabinianus Diaconus affirmat Romæ in Sancti Petri Baſi- [Ep. 47.] lica fuiſſe *Flammeo conſecratam.* Quòd nempè Flammeum, & ſacrarum & ſecularium nuptiarum velum, ſacris Virginibus in conſecratione per Epiſcopum imponeretnr. Africanæ mitræ meminit in libro de Velandis Virginibus etiam noſter Doctor, ideoque vetuſtiſſimus eſt hujus conſecrationis ritus, omninò ducens originem ab Apoſtolis.

Mitræ qualitatem exponit in ſexto libro Sanctus Optatus: *Jam illud quàm ſtultum, quam vanum, quod ad voluntatem & quaſi dignitatem veſtram revocare voluiſtis, ut Virgines Dei agerent pœnitentiam, dicentes ut jam diu profeſſæ ſigna voluntatis capitibus, poſtea vobis iubentibus, immutarent. Ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent. Primò dicite, ubi vobis aliquid de Mitrella mandatum eſt? Virginitas enim voluntatis res eſt, non neceſſitatis.* Virginitatem eſſe voluntariam ac liberam oſtendit multis, atque proſequitur: *Nec alia ſunt præcepta conjuncta, vel de qua lana Mitrella fieret, vel de qua purpura pingeretur. Non enim panno hoc poteſt virginitas adjuvari. Non enim inde compeſcuntur æſtus animi, quos interdum ætas accendit. Non indè ſublevatur mens, quæ nonnumquam deſideriorum ponderibus premitur. Nam ſi ita eſſet, non una, ſed plurimæ Virginis capiti imponerentur, ut quotteſcumque animum deſideria carnis pungerent contra impugnationem mentis mitrellarum numerus dimicaret. Res inventa eſt ad ſignum capitis, non ad remedium caſtitatis. Denique talis panus & deturbari, & rodi, & perire poteſt: Et tamen Virginitas, ſi ialeſa ſit, ſine mitrella eſſe tuta poteſt. Spiritale nubendi hoc genus eſt. In nuptias Sponſi jam venerant voluntate & profeſſione ſua, & ut ſæcularibus nuptiis ſe renunciaſſe monſtrarent, ſpiritali Sponſo ſolverunt crinem, jam cæleſtes celebraverunt nuptias. Quid per vos ab ipſis exacta eſt profeſſio ſecunda? Quis eſt alter ſpiritalis Sponſus, cui iterum nuberent? Quando mortuus eſt cui nupſerunt, ut iterum nubant? Nudaſtis denuò capita jam velata, de quibus profeſſionis detraxiſtis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In mitrella indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium: Ut rem jam Deo devotam ne qui ſponſabat, jam perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare. Signum eſt ergò, non Sacramentum. Inveniſtis igitur hujuſmodi virgines, quæ jam ſpiritaliter nupſerant, quaſi ſecundas coegiſtis ad nuptias: Ut crinem iterùm ſolverent, imperaſtis. Detraxiſtis non capitis ornamenta, ſed bonæ voluntatis indicia. Jam conſecratas adſperſiſtis immundis cineribus: Crines juſſiſtis etiam ſalſa aqua perfundi.*

Ex quibus verbis addiſcimus varia. Primò, quòd mitra ſeu mitrella fuerit virginalis veli ſpecies. Secundò, quòd ipſa in virginis conſecratione imponeretur per conſecrantem Epiſcopum. Tertiò, quòd iſtud velum non eſſet ullum novi Teſtamenti Sacramentum, ſed purum putum ſignum. Etenim luctanti caſtitati non erat adversùm libidinis impetus ullum remedium, levamen, vel auxilium. Hoc eſt, ex opere operato non dabat auxillantem gratiam. Adeò antiquum & firmum eſt noſtrum dogma de virtute operati operis. Quartò diſcimus, quòd mitra eſſet ſignum capitis, & ſpiritale nubendi genus. Erat ſpiritalis matrimonii flammeum. *Flammeum,* [P. 1. l. 3.] inquit in libris de re Veſtiaria Octavius Ferra- [c. 21.] rius, apud Romanos *erat velum, qua novæ nuptæ caput nubebant. Undè & nuptiæ appellatæ.* Et in ſecunda ejuſdem operis parte: *Flammeum velum fuit amiciendo capiti, quod perpetuò à Flaminia geſtatum, boni ominis cauſa ad nuptias translatum eſt.* Non à colore, ſed à Flamminia videtur nomen dnxiſſe. Et hinc Romana Eccleſia velum, quod ſacris Virginibus in conſecratione imponebatur, appellavit etiam Flamium. Hinc item Africanam mitram Sanctus Optatus ſcribit fuiſſe ſpiritale nubendi genus. Quintò diſcimus, quòd illa fuerit profeſſæ & conſecratæ Virginitatis ſignum contra ſponſos, petitores, atque raptores: Ut Virgo *ſe ſæcularibus nuptiis renunciaſ-*

ſe

ſe menſtraret, & *ne qui ſponſabat*, *perſeveraret petere*. Sextò, quòd ſacræ Virgines geſtarent mitrellas purpureas & aureas: Ex lana purpurea, auro intertexta. Erat ornamentum & laureola tantæ profeſſionis & conſecrationis. Septimò, quòd facinoroſa Donatiſtarum audacia profeſſis Virginibus datam à Catholicis Epiſcopis conſecrationem ac impoſitam mitram exſufflarit cum aliis Sacramentis, atque iterarit. Quòd exſufflarit ipſam etiam profeſſionem. Et hac de cauſa Sanctus Optatus multis demonſtravit iſtam mitram non eſſe gratiæ donativum Sacramentum, ſed merum ſignum ſpontaneæ voluntatis. Quo ſcilicet evinceret nullum fundamentum, immò nullum fuiſſe fucum, ex quo iteraretur iſta cæremonia, ac ipſæ ſacræ Virgines adſpergerentur immundis cineribus, & ipſarum crines aqua ſalſa lavarentur. Octavò diſcimus, quòd eadem audacia etiam mitrarum materiam mutaverit. Etenim juſſit capitum ſigna immutari, projici mitrellas aureas, & alias accipi. Hæc verba: *De qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura pingeretur*, inſinuant, quòd non tantummodo aurum, ſed & purpuram juſſerint auferri mitrellis, ac ipſas fieri de vili lana.

Elucidari hæc debent ex noſtri Septimii libro de velandis Virginibus. Affirmat non quaſcumque dumtaxat Virgines, ſed & maritatas mulieres, dum procedunt aut apparent in publico, Cap. 17. oportere velari, atque proſequitur: *Mitris enim & lanis quædam non velant caput, ſed circumligant. A fronte quidem protectæ, quà propriè autem caput eſt, nudæ*. Affirmat mitras conjugatis etiam fœminis fuiſſe communes. Eſt antiquiſſimus earum ornatus. Etenim de Sancta Judith habet ſacer Textus: *Diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum*. Et inter ornamenta, quorum luxum in Judaicis fœminis damnavit Iſaias Propheta, erant & mitræ. Quin & viris, & quidem militibus fuiſſe communes, oſtendit hic Virgilii verſus: *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ*. At viris incongruus, & ignominioſus erat iſte habitus. Quale capitis operimentum fuerit mitra, non eſt hic diſquirendi locus. Adduco tamen Jacobi Pamelii ad noſtri Doctoris verba commentarium: *Mitra erat corona muliebris, atque adeò non velabat, ſed circumligabat caput, ex qua pendebant faſciolæ, quæ phylla dicebantur*. Erat potiùs ornamentum, quàm plenum velum. Hinc enim mulieres, quæ in ſola mitra procedebant, Doctor arguit. Quòd ſacræ Virgines in ſolemni Eccleſiæ conventu nequeant habere ſedem, ſeu quòd illis ad honorem nihil de loco permiſſum ſit, docet in nono ejuſdem libri capite, ac in decimo pergit: *Sic nec de aliquibus inſignibus. Cæterùm ſatis inhumanum, ſi fœminæ quidem, per omnia viris ſubditæ, honorigeram notam virginitatis ſuæ præferunt, quaſi ſuſpiciantur, & circumſpiciantur, & magnificentur à fratribus, viri autem tot Virgines, tot ſpadones voluntarii, cæco bono ſuo incedant, nihil geſtantes quod & ipſos faciat illuſtres*. Sacræ igitur Virgines tunc geſtabant aliqua inſignia, per quæ ſuſpiciebantur, circumſpiciebantur, ac magnificabantur à fratribus. Ea geſtabant ſolæ fœminei, non maſculini ſexus Virgines. Et ipſa Tertullianus voluit abrogata. Audi cauſam: *Certi ſumus Spiritum Sanctum magis maſculis tale aliquid ſubſcribere potuiſſe, ſi fœminis ſubſcripſiſſet*. Prædicat ſpiritum, qui iſtis diebus fuerat in Hæreſiarcha Montano locutus, atque inter alias Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationes volebat iſta etiam fœmineæ virginitatis inſignia proſcribi & aboleri. Erat ſpiritus Pythonicus. Et hunc librum Doctor omninò ſcripſit poſt ſuum lapſum. Verùm quæ iſta inſignia? Certè non alia, quàm purpureæ & aureæ mitræ. At iſtum facinoroſum ſpiritum Catholica Mater Eccleſia non attendit, ideoque & aureæ ac purpureæ ſacrarum Virginum mitræ permanſerunt. Porrò Donatiſtæ Tertullianum habuerunt in pretio. Utpotè primum authorem iterandi Baptiſmatis. Creditur enim ille Agrippini Carthaginenſis Archi-Epiſcopi, qui primus attentavit iſtud facinus, fuiſſe Presbyter: Et ipſum forſan in iſtam audaciam circumſcripſit. Eam ſanè conſtanter tuetur in libro de Baptiſmo. Ex ejus ergò principiis etiam Donatiſtæ mutarunt ſacrarum Virginum mitras, ac ipſas auro & purpura ſpoliarunt.

Notandum eſt, quod Sanctus Optatus multis demonſtret virginalem profeſſionem à mitrella non dependere, nec adjuvari per ipſam, aut roborari, ſed eſſe ſpontaneæ electionis ac voluntatis. Eodem ſenſu accipiendus eſt Apoſtolicarum Conſtitutionum Author, dicens ſacram Virginem non fieri ordinatione, ſeu impoſitione manuum. Quia nempe illam facit ſpontanea profeſſio, cujus iſta ordinatio eſt dumtaxat obſignatio & ornamentum. Et adducta Tertulliani verba fortiter innuunt, quòd ſacræ Afrorum iſto tempore Virgines ſolis mitris, ideoque non plenè, velarentur. Quòd mitras apertas geſtarent. Si fuiſſent ſuperimpoſito velo tectæ, Virgo per eas non poterat ſuſpici, circumſpici, & magnificari. Et hinc prodiit Doctoris liber de velandis Virginibus. Non voluit ablatas mitras, ſed dumtaxat ſpoliatas purpura ac auro, & velo tectas. Et iſtud voluit contra priorem conſuetudinem. Lucet ex primo libri capite, ubi urget Chriſtum Dominum dixiſſe in Evangelio, *Ego ſum veritas*, nullibi autem, *Ego ſum conſuetudo*. Hinc concludit omnem conſuetudinem veritati poſtponendam. Etiam omne *privilegium regionum*. Et addit ſolum Dogma apud Eccleſiam eſſe immobile, non diſciplinam. Hinc infert antiquam diſciplinam à novo Montani Paracleto potuiſſe mutari. Nempè diſciplinam, quæ ſacras Virgines permiſit in ſola mitra procedere. Horum plena elucidatio eſt alterius loci.

Secunda quæſtio eſt, An omnes profeſſæ Virgines olim fuerint conſecratæ? Reſpondeo non fuiſſe. Etenim in litteris ad Sanctum Victricium Rothomagenſem Archi-Epiſcopum Sanctus Papa Innocentius primus diſtinguit duplicia ordi-

nis ſacras Virgines: Alias *quæ Chriſto ſpiritali-*
Epiſt. 2. cap. 12. & 13. *ter nupſerunt*, & velari à Sacerdote, ſeu ab Epi-
ſcopo conſecrati *meruerunt*; *alias quæ necdum ſa-*
cro velamine tectæ, tamen in propoſito Virginali
ſemper ſe permanere promiſerunt. Notanda ſunt
verba: *Velari meruerunt*. Demonſtrant conſecra-
tionem dari non conſueviſſe ſine meritis & exa-
mine, ſed in ipſa ſervandum fuiſſe hunc Apo-
ſtolicum Canonem: *Nemini citò manus impoſue-*
ris, ne communices peccatis alienis. Canones quos
olim ad Gallorum Epiſcupos miſit Romana Sy-
nodus, Jacobus Sirmondus rectè adſcribit eidem
Sancto Innocentio. Et laudatæ ad Sanctum Vi
ctricium epiſtolæ penitùs concordant. Dictas
ſacrarum Virginum claſſes ita diſtinguunt: *Virgo*
Cap. 1. & 2. *velata jam Chriſto, quæ integritatem publico teſti-*
monio profeſſa à Sacerdote prece effuſa benedictionis
velamen accepit. Puella quæ necdum velata eſt, ſed
propoſuit ſic manere. Et ad Ruſticum Archi-
Epiſcopum Narbonenſem reſcripſit Sanctus Leo
Magnus: *Puellæ quæ non coactæ parentum impe-*
rio, ſed ſpontaneo judicio virginitatis Propoſitum
atque habitum ſuſceperunt, ſi poſteà nuptias eligunt,
prævaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſerit.
Cujus utique non fraudarentur munere, ſi in Pro-
poſito permanerent. Ambigi verò non poteſt, cri-
men magnum admitti, ubi & Propoſitum deſeritur,
Cap. 15. *& conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſ-*
ſunt impunè calcari, quid eos manebit, qui cor-
rumpunt fœdera Divini Sacramenti? Et hæc eſt
forſan epiſtola, ex qua Hermannus Contractus
ſcripſit magnum hunc Papam ſanxiſſe, ut nulla
A 443. ſacra Virgo ſacrum capitis velamen ac Epiſcopi
benectionem acciperet, niſi priùs bonis vitæ ar-
gumentis probaſſet ſe ſtabilem & firmam in cu-
ſtodia Virginitatis. Et Venetica Synodus affir-
mat eſſe quaſdam profeſſas Virgines, *quæ bene-*
Cap. 4 *dictionem per manus impoſitionem ſub hujus Propoſiti*
conteſtatione conſequuntur. Etiam tertia Aurelia-
nenſis Synodus affirmat ſacrarum Virginum ali-
Cap. 16. quas eſſe conſecratas, aliquas *in Propoſito ſub*
devotione vivere. Tertia Pariſienſis Synodus elu-
cidat, dicens alias Virgines eſſe ſacratas, alias
quæ ſola *veſtium commutatione Virginitatem fuerant*
Cap. 5. *publica declaratione profeſſæ*. Et prima Matiſco-
nenſis habet: *Virgo religionem profeſſa, vel bene-*
Cap. 12. *dictionem conſecuta*. Eandem Virginum diſtin-
ctionem firmant alia plura teſtimonia. Omnia
altè clamant hanc conſecrationem fuiſſe per ali-
quot annos profeſſæ ac ex integro ſervatæ virgi-
nitatis magnum prœmium. Et profeſſam virgi-
nitatem accipiunt ad ſenſum tertiæ Pariſienſis
Synodi: Intelligunt profeſſionem factam cum
mutatione veſtium.

Eadem teſtimonia affirmant virginitatis pro-
feſſionem fuiſſe in conſecratione iteratam ac re-
novatam: Conſecrationem fuiſſe illius ſignacu-
lum ſolemne, ac publicum ab Eccleſia infixum
ſigillum.

Et hinc oritur tertia quæſtio; Quod & quale
vinculum conſecratio profeſſioni addiderit?
Quod addiderit aliquod vinculum, manifeſtè
affirmant adducta Sancti Leonis verba: *Nam ſi*
humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid
manebit eos, qui corrumpunt fœdera Divini Sa-
cramenti? Loquitur ex Sancto Innocentio, qui
in laudata ad Sanctum Victricium epiſtola ſcri-
bit ſimplicem profeſſionem eſſe dumtaxat bonæ
fidei contractum: Quia nempe per conſecratio-
nem ſigillata profeſſio eſt contractus novo vin-
culo veſtitus. Quod ipſum aut edicunt, aut
palam ſupponunt & alii Canones. In antiquo
Longobardorum Codice habemus hac de re le-
gem Luitprandi Regis; *De his fœminis, quæ* Lib. 2.
velamen Religionis in ſe recipiunt, aut à parenti- tit. 39.
bus ſuis Deo voventur, aut ipſæ elegerunt Reli- 37. cap. 1.
gionis habitum, aut veſtem Monachicam induere
videntur, quamquam à Sacerdote conſecratæ non
ſint, ſic nobis juſtum apparuit eſſe pro Dei
amore, ut in ipſo habitu in omnibus perſeverent,
nec ſit excuſatio malis hominibus, dicendo quod
conſecratæ non ſint, & ideò ſi copulentur, culpam
non habeant. Nigrum, quem tunc ſacræ in pri-
vatis ædibus Virgines aſſumebant, habitum Lon-
gobardi appellabant habitum Divæ Virginis.
Emiſſum perpetuæ caſtitatis votum quidam per
ejus aſſumptionem cenſebant non fieri ſolemne,
nec firmari in dirimens matrimonii impedimen-
tum, ſed opus eſſe acceſſu Epiſcopalis conſe-
crationis. Cenſebant à tali voto matrimonium
impediri, non dirimi. Et iſtum errorem Regia
Luitprandi lex evertit ac damnat. Damnat ex
antiquo Eccleſiæ ſenſu, Magno Leone, aliiſ-
que jam adductis Canonibus. Quod tamen iſtiuſ-
modi matrimonium non dirimeretur, videtur
olim ſenſiſſe, ac Sancto Victricio reſcripſiſſe
Sanctus Innocentius. Ejuſmodi enim attentatum
conjugium nec ad diſſolutionem damnavit,
nec ad perpetuam, ſed ſolummodò ad tempora-
lem coegit pœnitentiam: *His agenda aliquanto*
tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Deo
tenebatur. At hoc Reſponſum movit Gallica-
nam Eccleſiam ad denuò referendum, & con-
ſultandum *de velatis, & de mutato Propoſito*,
ſeu ſolo voto & mutata veſte ligatis virginibus:
Quid exindè judicatum ſit? Poſtulavit Innocen-
tii Reſcriptum elucidari. Hinc ſuam Synodum
adunavit Pontifex, & Gallis remiſit ſuprà lau-
datos Canones. Et videtur iſta Synodus ejus
judicium firmaſſe. Ita fortiter ſuadet ſecundus
Canon. Et in ipſo Doctores aut Epiſcopi, qui
apud Longobardos iſtud ipſum voluerunt, for-
ſitan ſe fundaverint. Quidquid ſit, oppoſitum
ſentire conſtanter perrexit Gallicana Eccleſia,
& ipſi in litteris ad Ruſticum Narbonæ Metro-
politam adjunxit ſe Leo Magnus. Haud dubiè
eandem quæſtionem à Ruſtico rogatus. Et meri-
tò ſe adjunxit. Etenim apud antiquos non ſola
Monaſtica profeſſio, aut ſacer Ordo, ſed & quod-
vis, etiam propria voluntate aſſumptum, ſigil-
lum reddebat votum ſolemne, & futuras nuptias
dirimebat. Latiùs hæc oſtendi in Diſſertatione
de antiqua Latini Cleri continentia. Nihilomi-
nùs Epiſcopalis conſecratio addebat voto ſingu-
lare obligationis vinculum. Lucet ex adductis
teſtimoniis. Magnus Leo Pontifex ipſum appel-
lat

lat *fœdus Divini Sacramenti*. Elucidat in Reſcri-
Cap. 1. pto ad Gallicanos Epiſcopos laudata Innocentii
Synodus: *In ejuſmodi muliere quot ſunt cauſę, tot
reatus. Integritatis Propoſitum mutatum, Velamen
amiſſum, fides prima depravata, atque in irritum
devocata.*

Et hinc naſcitur quarta quæſtio, An hæc con-
ſecratio fuerit, aut ſit verum novi Teſtamenti Sa-
cramentum? Etenim ita cenſere videtur Magnus
Leo, & ipſi adſtipulatur Author Apoſtolicarum
Conſtitutionum, iſtam conſecrationem appel-
lans Cheirotoniam, ſeu impoſitionem manuum.
Hæc vox apud Græcos importat Sacramentum
Cap. 4. Ordinationis. Eodem modo appellat Synodus
Venetica. Et in litteris ad Siagrium Veronen-
ſem Epiſcopum Sanctus Ambroſius neſcio quam
ſacram Virginem affirmat fuiſſe Sancti Zenonis,
qui Siagrium proximè præceſſerat in eadem Ca-
Epiſt 46. thedra, *judicio probatam, & benedictione ſancti-
ficatam*. Quæ verba omninò videntur aſſerere
virtutem operati operis. Et in Decretali ad Lu-
caniæ Antiſtites epiſtola Sanctus Gelaſius ſancit
ſacras Virgines in certis dumtaxat temporibus
conſecrandas, excipit mortis articulum, & ad-
jungit exceptionis cauſam: *Ne ſine hoc munere*
Epiſt. 9. *de ſæculo exeant*. Et ſacras Viduas ſtatuit non
velandas ab Epiſcopo, & addit: *Eis ſic Eccleſia-
ſtica ſunt ferenda ſubſidia, ut nihil committatur illici-
tum*. Etiam voces, *Ferenda ſubſidia*, videntur lau-
dare operis operati virtutem. Et munus, ſine quo
ſacra Virgo non poteſt ab Epiſcopo tranſmitti
ad aliud ſæculum, omninò videtur eſſe effectus
alicujus Sacramenti.

Reſpondeo tamen eſſe ac ſemper fuiſſe ritum
dumtaxat Eccleſiaſticum, non Divinum Sacra-
mentum. Ita nobis lucidè jam dixit Sanctus
Optatus. Etiam Tertullianus à ſe impugnata
virginalis mitræ inſignia palam ſupponit non eſſe
Sacramentum. Ac iſtud ipſum conſuerunt &
Donatiſtæ. Nam ex hac communi doctrina San-
ctus Optatus concludit nullum illis fuiſſe funda-
mentum aut ſucum mutandi mitras, aut ipſarum
impoſitionem, hoc eſt, ſacrum Virginum con-
ſecrationem exſufflandi & iterandi. Nec enim
de ſola mitra, ſed & de ejus impoſitione, &
tunc dari conſueta conſecratione omninò loqui-
tur. Miſtet tamen aliqua, quæ de ſola mitra
oportet accipi. Nempe dum dicit in mitra nul-
lum eſſe Sacramentum, nullum levamen tenta-
tionum, nullum caſtitatis remedium aut auxi-
lium. Etenim Epiſcopalis mitram imponens be-
nedictio eſt omninò aliquod latè dictum Eccleſiæ
Sacramentum, aliquod humanæ infirmitatis re-
medium, levamen, auxilium, non ex operato
opere, ſed ex communione Sanctorum, cujus
merita ſolemnibus ſuorum Sacerdotum benedi-
ctionibus Eccleſia adjungit, ac facit cooperari.
Et hæ etiam preces à ſanctis Patribus & Syno-
dis frequenter appellantur Cheirotonia, ſeu ma-
nus impoſitio. Et Sanctus Gelaſius etiam vidua-
le velamen, quod ab Epiſcopo non imponeba-
tur, ideoque nullam habebat Sacramenti um-
bram, appellat Eccleſiaſtica ſubſidia.

Quinta quæſtio eſt, Quis ſit hujus conſecra-
tionis Miniſter? Ex Theodori Cantuarienſis Ar-
chiepiſcopi, per Dominum Lucam Dacherium
nuperrimè vulgatis, Capitulis reſpondeo: *Se-* Cap. 10.
*cundùm Græcos Presbytero licent Virginem ſancto ve-
lamine conſecrare, & reconciliare pœnitentem & fa-
cere oleum exorcizatum, & infirmis Chriſma, ſi ne-
ceſſe ſit; ſecundùm Romanos non niſi Epiſcopis ſolis.*
Et ſuprà: *Presbyter poteſt Abbatiſſam conſecrare.*
Utique ſecundum Græcos. Quod apud Latinos
ſolus Epiſcopus poſſit conſecrare Virgines, eſt
antiquiſſima conſuetudo, ipſamque Sanctus Ivo
ſuprà dixit eſſe Inſtitutum Apoſtolicum. Et
hinc de Felice Idicrenſi Epiſcopo, quod ſacris
Virginibus mitras impoſuiſſet, ſuprà audivimus
à Sancto Optato. Et in ſecunda Carthaginenſi
Synodo neſcio cujus Civitatis Epiſcopus Fortuna-
tus dixit: *Si jubet Sanctitas veſtra, ſuggero.* Cap. 3.
*Nam memini præterito Concilio fuiſſe ſtatutum, ut
Chriſma, vel Reconciliatio pœnitentium, necnon &
puellarum Conſecratio à Presbyteris non fiant. Si
quis autem emerſerit hoc faciens, quid de eo ſtatuen-
dum ſit?* Et Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus,
ac totius Diœceſeos Primas, Synodo retulit:
*Audivit Dignatio veſtra ſuggeſtionem fratris & Coepi-
ſcopi noſtri Fortunati. Quid ad hæc dicitis?* Et om-
nes Epiſcopi reſponderunt: *Chriſmatis confectio,
& puellarum Conſecratio à Presbyteris non fiant. Vel
reconciliare quemquam in publica Miſſa non liceat
Presbytero, hoc omnibus placet:* Canon palam ſta-
tuit, & à priori Synodo ſtatutum aſſerit adversùs
neſcio quorum Presbyterorum anteriora Attenta-
ta. Eundem morem conſtanter viguiſſe in Galli-
cana Eccleſia, evincit per Rejenſem Synodum
facta Armentario Ebredunenſium degradato Epi-
ſcopo gratia. Nicæna Synodus omnibus Nova-
tianenſibus Epiſcopis, quos exuit omni Epiſco-
pali dignitate ac functione, fecit tamen gratiam,
ut non tantummodò poſſent munere Presbyteri,
ſed & per quemvis Catholicum Epiſcopum aſſumi
in Chorepiſcopos. Eandem gratiam Rejenſis Sy-
nodus fecit dejecto Armentario, & adjecit: *Ar-
mentarius in Eccleſia quoque, in qua ordinatus fue-
rit Corepiſcopus conſecrandi Virginem, ſicut confir-
mandi Neophytum, jus habebit.* Ei permittit has
duas Epiſcopales functiones. Quod ambæ in
Gallicana Eccleſia privativè, ſpectarent ad Epi-
ſcopos. Et apud Sanctum Hieronymum exſtat,
ficta quidem & ſpuria, antiqua tamen ac eru-
dita neſcio cujus Gallicani Doctoris ad Ruſticum
Narbonenſem Metropolitam epiſtola, ac dicit
*Sola propter authoritatem ſummo Sacerdoti Clerico-
rum ordinatio, & Virginum conſecratio reſervata eſt,* Epiſt. 13.
*cum Baſilicæ, Altaris & Chriſmatis dedicatione vel
ſanctificatione, ne à multis diſciplina Eccleſiæ ven-
dicata concordiam Sacerdotum ſolveret, ſcandala ge-
neraret.* Et antiquus, qui in Gallicana Eccleſia
pleniſſimè viguit, Romanorum Ordo habet:
Presbyteris licet viduas velare, Epiſcopis ſolis Vir- Fol. 167.
gines. Et ſexta Pariſienſis Synodus ſtatuit: *Quo-*
rundam relatu didicimus, quoſdam Presbyteros ſua Lib. 2. cap. 41.

menſuræ immemores, imò Canonicæ authoritati reſultantes, in tantam audaciam prorupiſſe ut ſacrarum Virginum conſecratores exiſterent. Et hoc ad negligentiam Epiſcoporum pertinere dubium non eſt, Quod quia Canonicæ authoritati minimè concordat, ne ulterius quiſquam Presbyterorum id facere præſumat, prorsùs inhibemus. Quod ſi fortè, quod non optamus, aliquis Presbyterorum id facere præſumpſerit, utpotè Canonicæ authoritatis tranſgreſſor, irretractabiliter feriatur. Et quod hoc ex Apoſtolica traditione deſcendat, ſuprà audivimus à Sancto Ivone. Idem Ivo in ſui Decreti ſeptima parte Cap. 51. ponit hunc Rothomagenſem Canonem: *De puellis Virginibus à Presbyteris non velandis ſtatutum eſt, ut ſi quis hoc facere tentarit, tanquam tranſgreſſor Canonum damnetur*. Vetuſta eſt iſta Synodus. Nam plures ejus Canones ſuo Codici inſeruit etiam Regino Abbas Prumienſis. Eundem Canonem ſuo Capitulari inſeruit Odo Pariſienſis Epiſcopus. Proindè magni ſemper ponderis fuit hæc conſecratio. Res enim mediocres non ſolent Epiſcopis reſervari. Æquatur confectioni Chriſmatis, Chriſtianæ Confirmationi, publicæ pœnitentium Reconciliationi, ac dedicationi Baſilicarum atque Altarium.

Sunt tamen caſus, in quibus Presbyter Latinus olim potuit conſecrare Virgines. Eos habemus in tertia Carthaginenſi Synodo: Cap. 36. *Presbyter inconſulto Epiſcopo Virgines non conſecret, Chriſma verò nunquam conficiat*. Virginum conſecrationem canon permittit Presbyteris ab Epiſcopo delegari. Utique ex gravibus cauſis, quæ etiam ſolemnem pœnitentium Reconciliationem, Baſilicarum dedicationem, & Chriſtianæ Confirmationis collationem permittant illis delegari. Quod enim & hanc Latini etiam Epiſcopi Presbyteris olim delegaverint, poſſit lucidè demonſtrari. Et quidem iſta Epiſcopi delegatio debet eſſe ſingularis, & ad ſingulos actus. Et dari po- Col. 7. teſt à ſolo Epiſcopo. Hinc vacante ſede fieri non poſſe Virginum conſecrationes, rectè affirmat antiquum Chronicon Moguntinæ Eccleſiæ. Quod etiam per generalem Epiſcopi Vicarium delegari Alleg. 27. num. 55. non poſſit, docet in opere de poteſtate Epiſcopi Auguſtinus Barboſa. Quidquid ſit, ſuis ad Goffredum Vindocinenſem Abbatem litteris addit Sanctus Ivo: *Conſecratio Virginum, quæ ex authoritate Apoſtolica Epiſcoporum authoritati reſervatur, ſi aliquando à Presbyteris uſurpetur, propter Sacramentum Chriſti, & Eccleſiæ, quod ibi continetur, nullatenus ab Epiſcopis iteratur*. Proindè Epiſt. 41. iſta reſervatio actum, ſi à Presbytero attentetur, eſſe facit dumtaxat illicitum, non invalidum. Et nota hac in conſecratione contineri Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum. Eſt enim ſpiritnale conjugium inter conſecratam Virginem & Chriſtum Dominum. Unde & huic imponitur annulus, ac nuptiale Flammeum. Hinc item antiqui Canones perpetuæ caſtitatis ſine conſecratione profeſſionem dicunt eſſe dumtaxat ſponſalia. Et iſtud matrimonium, uti & carnale, ſignificat matrimonium Chriſti Domini cum Eccleſia. Et ideò eſt etiam Sacramentum: At non pari ratione. Quocirca in adducto loco Auguſtinus Barboſa, affirmans hanc conſecrationem ab Epiſcopo delegari non poſſe, niſi alteri Epiſcopo, ſecundùm hodiernos Romani Pontificalis Canones loquitur, non ſecundùm antiquos. Quidam tamen hodie Abbates habent privilegium conſecrandi Moniales ſui ordinis, & ſuæ ſubjectionis. Et ut omnes Epiſcopales ritus tunc adhibeant, ſanxit Sacra congregatio Dominorum Cardinalium.

Et quidem olim non ſoli Presbyteri, ſed & quædam Abbatiſſæ attentarunt conſecrationem ſuarum Monialium. Lucet ex Capitulari, quod ad Epiſcopos & Abbates olim ſcripſit Carolus Magnus: *Auditum eſt aliquas Abbatiſſas contra mo-* Lib. 1. cap. 76. *rem Sanctæ Dei Eccleſiæ velare Virgines cum benedictione ſacerdotali. Quod omninò à vobis, ſanctiſſimi Patres, illis eſſe in veſtris Parochiis interdicendum ſcitote*. Eundem abuſum damnat ſexta Pariſienſis Synodus: *Inter cætera, quæ contra Re-* Lib. 1. cap. 41. *ligionem Chriſtianam in Eccleſia Chriſti fieri cognovimus, non minùs emendatione & congrua correctione dignum invenimus, quòd quædam Abbatiſſæ & cæteræ Sanctimoniales non ſolùm viduas, ſed etiam virgines puellas velare ſolitæ ſint. Quòd quantum ſexui fœmineo illicitum, & à Religione Chriſtiana ſit alienum, omnis qui ſanum ſapit facilè advertit. Penè igitur in omnibus Monaſteriis puellaribus hujuſcemodi velatas invenies. Idcircò etenim hujuſmodi hoc modo potiùs, quàm à Sacerdote velari volunt, quia dum clanculò ſe corrumpunt, nihil ſibi obeſſe ad peccandum tale velamentum putant. Ita ergò idem illicitum & temerarium factum habetur in uſu, ut vix aut viduæ velari à Presbyteris, aut puellæ virgines conſecrari expetant à Pontificibus. Nulli quippè dubium eſt, quin hoc factum ex toto à Divina abhorreat authoritate, & ad negligentiam quorundam pertineat Sacerdotum. Verùm ne deinceps fieri præſumatur, omnes in commune inhibendum decrevimus. Ac ſi fortè ut Abbatiſſa, aut alia quælibet Sanctimonialis poſt hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, ut viduam aut puellam virginem velare præſumat, congrua ab Epiſcopo ſuo correctione coerceatur, & pœnitentiæ Canonicæ uſque ad ſatisfactionem ſubdatur*. Fœminea audacia occaſionem & originem ſumpſit ex Caroli Martelli in Eccleſiaſticas facultates violenta rapina. Hæc omnes Francici Regni per Galliam ac Germaniam Eccleſias redegit ad extremam inopiam, atque ita plures tandem orbavit Epiſcopis & Clericis. Et miſeria manſit uſque ad Apoſtolatum Sancti Bonifacii. Hinc iſto medio tempore quædam Abbatiſſæ, quod Epiſcopos non haberent, cœperunt ſuas Moniales velare & conſecrare. Et abuſus tranſiit in firmam adeò conſuetudinem, ut non ſolummodò per Magnum Carolum, ſed & per ejus filium ac ſucceſſorem pium Ludovicum, & varias ſub ipſis Synodos debuerit impugnari & aboleri. Simile Decretum Iſidori Mercatoris Collectio adſcribit Sancto Pontifici Eutychiano. At certum eſt, quòd ſit alicujus Gallicanæ Synodi. An ſit ſexta Pariſienſi anterius vel poſterius,

ſterios, ignoro. Quin etiam poſterioribus ſæcu-
lia ad Palentinum & Burgenſem Hiſpaniarum
Lib. 2 Ep. 187. Epiſcopos ſcripſit Innocentius III. *Nova quædam*
nuper noſtris ſunt auribus intimata, quod Abbatiſ-
ſæ Moniales proprias benedicunt, ipſarumque con-
feſſiones criminalium audiunt, & legentes Evange-
lium præſumunt publicè prædicare. Et hanc epi-
ſtolam ſuo Decretalium codici inſeruit Grego-
Lib. 5. rius IX. Quòd nempè abuſua necdum eſſet ple-
tit. 38. nè evulſus. Quòd etiam quædam Græcorum Ab-
cap. 10. bariſſæ voluerint ſuarum Monialium confeſſiones
audire, lucet ex Theodori Balſamonis Antio-
cheni Patriarchæ Reſponſis ad quæſtionea Marci
Quæſt. 34. Patriarchæ Alexandrini. Virginum conſecran-
darum audacia non legitur fuiſſe apud Græco-
rum Abbatiſſas. Et eam Larina ſemper Eccleſia
conſtantiſſimè damnavit.

An Græci iſtam conſecratianem permiſerint
Presbyteris, & an adductus à Sancto Theodoro
Cantuarienſi Canon ſit legirimus ac authenticus,
non poſſum affirmare. Certè alium ſimilem Ca-
nonem huc uſque non vidi. Et ad ſupra lauda-
tum ſecundæ Carrhaginenſia Synodi tertium Ca-
nonem ſcribit Sacrorum Cannnum ſummus apud
Græcos Doctor Theodorus Balſamon: *Puellarum*
conſecratio non eſt Diaconiſſarum per manuum im-
poſitionem ordinatio, ſed mos erat puellas ad Ec-
cleſiam adduci virginitatem profitentes, & eas Epi-
ſcopi per preces conſecrabant ut Deo dedicatas, &
illi earum cuſtodiæ curam gerebant. Hæc ergò à
Presbyteris fieri prohibuit Synodus, quemadmodum
& templorum conſecrationem, & dedit eorum facul-
tatem Antiſtitibus. Et infrà: *His ita ſe habentibus,*
dicunt aliqui, quod quoniam ab Antiſtitibus fit puel-
larum conſecratio, non licebit monaſterii Præfecto,
qui eſt ſacratus, quemvis Monachum tondere ſine
Epiſcopali permiſſione. Idem enim eſt puellarum con-
ſecratio & Monachorum tonſura. Mihi autem videtur
Sacerdotes Præfectos poſſe citra ullum impedimentum
tondere, etiam ſine Epiſcopali permiſſione. Vide-
tor palàm affirmate, quòd apud Græcos, ut &
olim apud Afros, Virginum conſecrario fuerit
reſervata Epiſcopia. Et ad hunc morem firman-
dom Trullana Græcorum Synodus iſtum etiam
Carthaginenſem Canonem inſeruit ſuo Codici.
Qnin imò hæc inſertio videtur eſſe longè anti-
quior. Eam enim iſta Synodus non induxit,
ſed dumtaxat eſt proſecuta. Interim Sanctus
etiam Theodorus fuit vir Græcus, ſummuſque
Sacrorum Canonum Doctor, ac ideò de ejus fide
non poſſit dubitari. Exiſtimo variis Græcorum
locis aut tempotibus fuiſſe varias conſuetudines.
Eorum Eccleſiæ, quæ Presbyteris permiſerunt
collatinnem Chriſtianæ Confirmationis, etiam
Virginum conſectationem poſſint credidiſſe.
Hæc enim ſunt connexa. Et ambas degradato
Epiſcopo Armentario permiſit etiam Rejenſis
Synodus.

Sexta quæſtio eſt, Quæ ætaa requiratur in
conſecranda Virgine? Reſpondeo requiri ætatem
plenè adultam. Hinc licet olim impuberes, et-
iam infantes, puellæ potuerint per parentes Do-
mino Deo ac Monaſteriis donari, & per iſtam

donationem profiteri & ligari, attamen nonniſi
in adulta ætate potuerunt conſecrari. Ita apud
Gregorii noni Decretalia teſtatur Papa Clemens Lib 3. Tit. 31. c. 12.
tertius. Loquitur cum novella lege Imperato-
rum Leonis & Majorani ad Baſilium Prætorio
Præfectum, inferiùs laudanda & adducenda.
Eccleſiæ variæ olim exquiſierunt variam ætatem.
Antiquum Africanæ Eccleſiæ morem edicit vi-
geſimus ſextus Canon ſecundæ Milevitanæ Sy-
nodi: *Placuit ut quicumque Epiſcoporum, neceſſita-*
te periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor
potens vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo
etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne
non velata moriatur, aut exigentibus parentibus,
aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virgi-
nem, ſeu velavit intra viginti quinque annos, non
ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero con-
ſtitutum eſt. Hic poſterior Canon periit aut latet.
Ex adducto interim diſcimus plura. Primò, quòd
apud Afros Sacra Virgo velari ſeu conſecrari
non potuerit, niſi expleto ætatis anno vigeſimo
quinto. Secundò, quòd Epiſcopus in aliquot
annia potuerit ob cauſas diſpenſare. Et cauſa
exprimuntur. Et inter ipſas eſt parentum devo-
tio, anhelantium videre conſecratam filiam. Et
hinc diſcimus tertio, quòd Romana Eccleſia,
hodie ex ſimili cauſa diſpenſans in ætate requi-
ſita ad Presbyteratus ordinem, nitatur antiquo
fundamento.

Longè majorem ætatem olim exquiſivit Gal-
licana Eccleſia. Lucet ex Agathenſi Canone:
Sanctimoniales, quantumlibet vita earum & mores Cap. 19.
probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum
non velentur. Verùm hanc diſciplinam diſſipavit
vel Merovingiorum Regum ignavia vel Caroli
Martelli in Eccleſiaſticas facultates violentia.
Etenim avitam diſciplinam reparans magnus Rex
Carolus ſtatuit in ſuis Capitularibus: *Ut Virgi-* Lib. 1 c. 46.
nes non velentur ante viginti quinque annos, niſi
rationabili neceſſitate cogente. Et ſuam ſanctionem
firmat ex adducto Milevitano Canone. Ipſum
producit integrum. Proindè avita Gallicanæ Ec-
cleſiæ diſciplina erat tunc circa hoc punctum
adeò proſtrata, ut ipſam plenam reducere au-
ſus non fuerit tantus Rex, ſed ejus in locum
poſuerit diſciplinam Africanam, longè laxiorem.
Et hanc ejus moderationem probavit ac firma-
vit Francofordienſis Synodua: *De Virginibus,* Cap. 46.
quo tempore velandæ ſint, vel quibus occupationibus
ante annos viginti quinque detinendæ, ſi neceſſitas
compellit, ea quærantur quæ in Canone ſcripta ſunt.
Utique Africano Canone. Eundem Canonem
laudat, ac ſuum facit tertia Turonenſis Syno-
dus: *Virginibus ſacrum velamen accipiendum De-* Cap. 38.
creta Patrum interdicunt ante viginti quinque annos,
niſi fortè aliqua cogente neceſſitate, pro qua licitum
eſt hæc Statuta mutare, ut in Canonibus, ſi requi-
ratur, inveniri poteſt. Laudat non Canonem,
ſed Canones. Exponit Capitulare Imperatoris
Ludovici Pii, laudans duos Africanos Cano-
nes: Decimum ſextum, & nonageſimum ter-
tium. Hunc adducit integrum: Et eſt jam à
nobis adductus Milevitanus. Sexti-decimi ad-

D 3 ducit

L 1.c.107. ducit ſolum compendium: *De tempore velandarum Puellarum in Africano Concilio, Capitulo decimo-ſexto continetur, ut non ante viginti quinque annos conſecrentur*. Uſus fuit ea collectione, quam hodie paſſim appellant Concilium Africanum ſub Pontificatu Bonifacii primi. Hac enim in collectione iſte Canon, qui in Africano apud Græcos uſitato codice eſt centeſimus trigeſimus ſextus, eſt nonageſimus tertius. Utraque autem in collectione alter Canon deeſt. Proindè videtur perditus medio inter nos & iſtas Francorum ſanctiones tempore. Alterum Canonem laudat in litteris ad Sanctum Nicolaum primum Pontificem, exſtantibus in tertia Sueſſionenſi Synodo, etiam Hincmarus Metropolita Remenſis. Porrò hic Canon toties tunc per Francorum Reges ac Synodos innovari debuit, quòd inveterata Sacrarum Virginum ante vigeſimum quintum annum conſecrandarum conſuetudo vix poſſet eliminari.

Aliarum Eccleſiarum antiquos mores ignoro. Etenim Chalcedonenſis Canon, conſecrandam Diaconiſſam mandans eſſe quadraginta annorum, huc non pertinet. Quòd enim alia ſit Diaconiſſæ, alia ſacræ Virginis apud Græcos ratio & conſecratio, nobis ſupradixit magnus eorum Doctor Theodorus Balſamon. Et Chalcedonenſes Canones multo tempore non fuerunt probati Romanæ ac omni Latinæ Eccleſiæ, ideòque ligarunt ſolos Orientales. Pro Romana & Latina Eccleſia quidam Sancto Pio primo Pontifici adſcribunt hoc Decretum: *Virgines non velentur ante viginti quinque ætatis, niſi fortè neceſſitate periclitantis pudicitiæ Virginalis*. At eſt ſpurium: Eſt fragmentum, alteratum tamen,
L.2 c.177. deſumptum ex Milevitano Canone. Quod ipſum in ſuo Capitulari advertit Regino Abbas Prumienſis. Crediderim tamen iſtum morem olim viguiſſe in Romana Eccleſia. Nam qui iſtud Decretum Sancto Pio affinxit, eſt antiquus Scriptor, non ignarus Romanæ diſciplinæ. Et nobis ſuprà dixit Clemens tertius Pontifex ſacras Virgines non conſecrandas ante ætatem adultam. Et vigeſimus quintus annus eſt ætas plenè adulta. Sub Magni Leonis Pontificatu graſſabatur abuſus, de quo in novella ad Palladium Italiæ Prætorio Præfectum lege Imperatores Leo & Majoranus: *Quis ferat parentes filias, quas oderunt, his non tam dicare, quàm damnare conſiliis, ut eas in annis adhuc minoribus conſtitutas neceſſitati continuæ virginitatis addicant, ac ne adoleſcentibus animis aliud velle ſit liberum, capitibus invitarum ſacrum velamen imponat?* Graſſabatur tunc in Italia abuſus, qui poſtmodò ex Merovingiorum Regum deſidia aut Caroli Martelli violentia ortus eſt etiam in Galliis. Graſſabatur præſertim apud illuſtres familias. Et adversùs illum laudati Imperatores ſanxerunt: *Edictali lege ſancimus filias, quas pater materve à ſæculari permixtione tranſlatas Chriſtianæ fidei ſervare præcepta continuata Virginitate cenſuerint; in beatæ vitæ Propoſito permanentes, non ante ſuſcepto honorato capitis velamine conſecrari, quàm quadraginta annos emenſæ talibus infulis inoffenſa meruerint obſervatione decorari*. Et in prævaricantes adjiciunt graves pœnas. Et de Magno Papa Leone, qui iſtis Imperatoribus convixit, ſcribit liber Pontificalis: *Leo conſtituit, ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem niſi probata fuerit in Virginitate ſexaginta annos*. Legendum eſt: *Quadraginta annos*. Etenim aut lex Apoſtolicum Decretum, aut hoc illam confirmavit, ideoque debent concordare. Licet iſta lex præferat non ſolius Majorani, ſed & Leonis nomen, data tamen eſt pro ſola Latina Eccleſia. Eſt ſolius Majorani. Eſt enim data Ravennæ. Data eſt Leone & Majorano Auguſtis Conſulibus: Eorum imperantium ſecundo, ſedentis Leonis Papæ decimo nono, Chriſti Domini anno poſt quadringenteſimum quinquageſimo octavo. Data videtur ad Sancti Pontificis preces, ideòque ejus Decretum confirmaſſe. Quibus moribus antea vixerit Latina Eccleſia, ignoro. Certum eſt juxta iſtam legem & Decretum poſtmodò vixiſſe. Et ex hoc fonte prodiiſſe videtur ſuprà adductus Canon Agathenſis. Quòd nempè Romana Eccleſia ſuam diſciplinam traduxerit in Galliam. Exiſtimo quòd Francorum ad Occidentale Imperium promotio Gallicanam ex Africana diſciplina mutuatam mitigationem portarit ac traduxerit per omnem Latinum orbem, etiam in Romanam Eccleſiam. Nam & illam in Francofordienſi Synodo probavit Legatio Apoſtolica. Eandem hodiè probat Romanum Pontificale, mandans à conſecranda Virgine eſſe expletos viginti quinque annos. Haud dubiè hæc diſciplina apud iſtud Pontificale eſt antiqua.

Octava quæſtio eſt, An in Virginem conſecranda debeat eſſe corpore integra? Reſpondeo ſemper debuiſſe, ac etiamnum debere. Etenim Romanæ Eccleſiæ laudatum Pontificale mandat, ut conſecrandas Virgines conſecraturus Epiſcopus ſecretò ſingulas de hac re examinet. Quomodo Magnus olim Gregorius, etiam examinabat conſecrandos Epiſcopos; Quia tunc omnis carnis, etiam occultiſſimus, lapſus faciebat ex vigente adhuc Apoſtolico Canone irregularem. Neſcio quis olim Stabulenſis Cænobii Monachus à venerabili Ruperto Abbate Tuitienſi quæſivit: *Si in virginitatis Propoſito corrupta conſecrari debeat vel poſſit?* Notanda ſunt verba: *In virginitatis Propoſito*. Hoc eſt, poſt emiſſam virginitatis ſolemnem profeſſionem, Mediorum ſæculorum diſciplina, uti in ſacro Ordine factum, & factum in laicali vita carnis lapſum diſtinxit in viris, & iſtos ſolos ex illo cenſuit fieri irregulares; ita iſte Monachus diſtinxit in ſacra poſeſſione lapſam, ac lapſam in ſæculo Virginem, & videtur ſuppoſuiſſe iſtam ſolam eſſe conſecrationis incapacem. Hinc de ipſa ſola retulit ad venerabilem Rupertum. Et opinatus eſt à ſe referri difficilem quæſtionem. Et Rupertus ſuo Reſponſo in fundamentum præfixit hunc locum Sancti Jeremiæ Prophetæ: *Vulgò dicitur, Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo nuxerit virum alterum,* Cap. 3.

terum, nunquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Et tunc reſpondet: *Cùm hoc Dominus dicat, non audeo dicere, quòd conſecrari non debeat vel poſſit, quæ modo præſcripto à ſponſo ſuo Chriſto receſſit. Differt tamen non nihil ipſe ordo conſecrationis. Quæ virginitatis ſigillum cuſtodivit, dum ſacrum velamen ſuſcipit, nudato capite, & revelata facie adſpeculandam Domini gloriam adſiſtit, ſignumque primæ fidei annulum accipit, & voce publica dicit:* Annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus meus JESUS Chriſtus, & tamquam ſponſam decoravit me corona. *Item:* Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. *Ejuſmodi inſignia non aguntur illi, quæ poſtquam in ſæculo converſata eſt, virum cognovit. Veniens ad converſionem ſacrum velamen accipit, ſed operto capite, & abſque annulo ſacrum velamen ſuperinduit, gratiam ſortita ſæculi, id eſt, vidualis ordinis. Quæ in ſancto Propoſito corrupta eſt, non parum conſequitur, ſi revertens ad virum ſuum Chriſtum taliter ſuſcipitur.* Reſpondet violatas in laicali vita Virgines, dum poſtmodò Moniales fiunt, non plena virginum conſecratione donari, ſed dimidiata dumtaxat aliqua benedictione benedici in Viduas, ideoque lapſas in Monaſterio Virgines eſſe eodem modo tractandas. Plenam verarum Virginum conſecrationem demonſtrat illis non convenire.

Agit de iſtis, quarum lapſus eſt publicus, aut certè non eſt occultus. Hinc proſequitur: *Veruntamen ſi corruptionem ejus nemo ſcit præter eum, cui ſecretam & ſpontaneam fortè confeſſionem obtulerit, fateor tibi, quia definire non audeo, quòd integra conſecratione conſecrari non debeat vel non poſſit. Nam virili ſexui eſt magnus non ſolùm veniæ, ſed etiam gratiæ locus ex Sanctorum Decretis reſervatus, ubi peccatum non taliter admiſſum eſt, ut vulgus ſciat, & perſona infamis habeatur.* Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanctitas pedetentim decrevit. Primitiva habuit & cuſtodivit hunc Apoſtolicum Canonem: *Oportet Epiſcopum & Diaconum ſine crimine eſſe.* Hinc quiſquis novum ſuum hominem vel unica, licet ſecretiſſima, non dumtaxat fornicatione, ſed etiam immunditia macularat, erat perpetuò irregularis. Media Chriſti Domini ſæcula rigorem mitigarunt, & contraxerunt ad maculationem hominis per majorem Ordinem conſecrati. Poſterior ætas etiam hanc maculationem admittit non tantùm ad recipiendum, ſed etiam ad ſuſcipiendum gradum, dummodò tamen non ſit publica, aut publicè infamis. Noſtra nimia licentia vult eſſe plenè probatam. Quin nec probatæ infligit irregularitatem. Nam & nuper Pius quintus Pontifex non quoſvis, ſed ſolos conſuetudinarios nefandi etiam flagitii reos proſcripſit à ſacris Ordinibus. O Antiqui Canones cur dormitatis? Rupertus juxta iſtam ſui temporis de Clericis diſciplinam ſcripſit, ipſamque extendit ad ſacras Virgines. Uti iſtos à Clericali, ita has à Virginali conſecratione cenſuit ob ſolum in externo foro notum flagitium eſſe excludendas. Et ſuam aſſertionem confirmat: *Sed rurſùs & ratio ſentit, & lex ſacra decernit puellam nihil debere pati, quæ corrupta eſt per vim. Sic enim ſcriptum eſt in libro Deuteronomii.* Si in agro repererit vir puellam, quæ deſponſata eſt, & apprehendens concubuerit cum ea, ipſe morietur ſolus, puella nihil patietur, nec eſt rea mortis. Quoniam ſicut latro conſurgit contra fratrem ſuum, ita & puella perpeſſa eſt. Sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam. *Virgo quoque fidelis*, utique Sancta Lucia, *in ſua paſſione & Chriſti confeſſione dicit:* Numquam inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis. Nam ſi me invitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. *Nam ſic patitur violatorem caſtitas, ſicut ſerpentem, ſicut latronem, ſicut barbarum. Igitur ſaltem de ejuſmodi, id eſt, de illa quæ vim paſſa eſt & corrupta, concedendum eſt, quòd coronari poſſit, & ideò liceat illam ſicut incorruptam conſecrari. Licet Beatus Hieronymus nullam exceptionem vel determinationem fecerit de modo ſuperiori, id eſt, de lapſa ſecretò, quæ nullum Eccleſiæ Dei ſcandalum fecit, & quæ paſſim non eſt facta infamis, Sapientes viderint. Mihi videtur inæqualitas eſſe miſericordiæ, ut non ita infirmiori fœmineo ſexui, ſicut fortiori, id eſt, virili condeſcendatur, in eo videlicet, ut Clericus ſecretò lapſus ex conceſſione Canonum etiam ad Sacerdotium ſuſcipiatur, & puella ſecretò lapſa ad conſecrationem, ſuo Propoſito uſitatam, non admittatur.* Habes hæc in Ruperti libello de læſione Virginitatis. C. 15. 16. 17.

Sancti Hieronymi à Ruperto laudatus locus eſt hic: *Audenter loquar, cùm omnia poſſit Deus, Virginem non poteſt coronare poſt ruinam. Vult quidem liberare de pœna, ſed non valet coronare corruptam.* Non de danda per Epiſcopum conſecratione agit, ſed de danda per Dominum Deum laureola. Et tamen Rupertus fatetur locum hunc ſibi adverſari. Et jure merito. Etenim Epiſcopalis conſecratio eſt cœleſtis laureolæ & divinæ coronationis prænuntia imago & imitatrix promiſſio. Quomodo igitur illam, quam Deus coronare non poteſt, poſſit Epiſcopus conſecrare? Ruperto adverſatur etiam Sanctus Leo Magnus, ſanciens Sanctimonialem deinceps non velandam, niſi per quadraginta annos eſſet probata in Virginitate. Hujus ſanctionis confirmatrix Imperatoris Majorani lex vult illi adeſſe inoffenſam Virginitatis per tot annos obſervationem. Hanc ſolam eſſe dignam iſtis infulis. Sanctionem ita intellexit etiam Hermanus Contractus. Eodem modo loquitur, ac intelligenda eſt Synodus Agathenſis. Longè potentiùs Ruperto adverſatur in libro de bono conjugali Sanctus Auguſtinus. Succeſſivam bigamiam docet non damnari ab Evangelio, Cap. 18. & tamen ex ipſa non poſſe creari Epiſcopum ob defectum Sacramenti, ſeu ſacræ ſignificationis. Quia nempè Epiſcopus in ſuo corpore debet habere characteres, quibus ſpirituale ac perpetuum unius Chriſti cum una omnium gentium Eccleſia conjugium repræſentetur, aut certè per quos iſta repræſentatio non ever-

evertatur. Et ádjungit: *Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus vel Paganus habuerit alteram uxorem, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato. Propter Sacramenti autem ſanctitatem, ſicut fœmina, etiamſi catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt Baptiſmum inter virgines conſecrari, ita non abſurdè viſum eſt eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam Sacramenti amiſiſſe, non ad bonæ vitæ meritum, ſed neceſſariam ad Ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum.* Non ergò delicti gravitas, ſed Sacramenti deſectus quodvis vitiatum fœminæ corpus reddit incapax hujus conſecrationis. Uti idem defectus quodvis virile in plures uxores diviſum corpus excludit à Sacerdotali aut Diaconali Ordinatione. Utrumque haud dubiè provenit ex Inſtituto Apoſtolico. Et quidem primus defectus eſt ſecundo lucidior ac firmior: Nam hunc ex illo Sanctus Auguſtinus firmat atque elucidat. At verò licet Apoſtolicus circa Clericalem caſtitatem rigor ſit jam miſerandum in modum laxatus, Apoſtolicus tamen circa bigamiam Canon vivit adhuc integer. Hinc etiam vivit, ac vivere debet idem Canon circa integrum corpus conſecrandæ Virginis. Hæc enim conſecratio repræſentat virgineum Virginis Chriſti cum Virgine Eccleſia conjugium: Quæ repreſentatio hærere non poteſt in corpore vitiato. Et hinc ut Epiſcopus hanc integritatem ſecretò inquirat à conſecranda Virgine, ac ſe de ipſa certificet, mandat etiam hodiernum Pontificale. Quare venerabilis Ruperti argumentum non facit ad Propoſitum.

Et hæc quidem eſt avita, immò Apoſtolica diſciplina Latinæ Eccleſiæ. Etenim de Græcis habent ſuperiùs laudata Sancti Theodori Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Capitula: *Græci ſimul*
Cap. 3. *benedicunt Viduam & Virginem. Et utramque Abbatiſſam eligunt. Romani non velant Viduam, ſed Virginem tantùm.* Græci non fornicatione corruptam conſecrant in Abbatiſſam aut Virginem, ſed ſolam viduam. Et iſta illorum diſciplina eſt antiquiſſima. Etenim ad Sanctam Viduam Olympiadem ſcripſit olim Sanctus Joannes Chryſoſtomus:
Epiſt. 2. *Nec ſermones meos propterea carpe, quod te in Virginum chorum & claſſem adſcripſerim, quæ in Sanctarum illarum chorea viniſti. Sæpè enim me, tum privatim, tum publicè audiſti, cùm explicarem, quæ eſſet Virginitatis definitio, illudque contenderem, nihil unquam impedimento fore, quò minùs ea in Virginum numerum & ordinem referretur, immò etiam eas longe intervallo ſuperaret, quæ in cæteris rebus ingentis Philoſophiæ ſpecimen ediſſet. Eaque de cauſa Paulus etiam, cùm Virginem diſcuteret, non eam dumtaxat, quæ matrimonii & virilis commercii expers eſſet, Virginem appellavit, verùm & illam, cui ea quæ ad Dei cultum pertinent, curæ eſſent. Quin ipſe quoque Chriſtus, oſtendens quantum eleemoſyna Virginitatem antecellat, ex Virginum choro dimidiam partem ejecit, quoniam abſque hac virtute ingreſſæ fuerant. Contra eos qui ſine Virginitate acceſſerant, quòd miſericordia ornati eſſent, perhumaniſſimè excepit.* Olympiadem, quod licet non corpore, eſſet tamen Virgo mente, Sanctus Joannes inter Virgines poſuit & conſecravit. Attendit virtutem, non actum. Quod Sanctus Timotheus, & dum aquam bibit, & dum bibit vinum, fuerit in temperantiæ virtute æqualis: Quòd item Abraham, & alii antiqui conjugati Patriarchæ, Sancto Joanni Baptiſtæ, Sancto Joanni Evangeliſtæ, ac aliis id genùs novi Teſtamenti Virginibus fuerint in caſtitate pares, ſupra audivimus à Sancto Auguſtino. Iſtis enim conjugium non fuit infirmitatis remedium, ſed meritum obedientiæ, ideoque ipſorum caſtitatem non minuit, ſed locupletavit nova corona. Hanc regulam ſecutus eſt etiam Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ideoque Olympiadem viduam, multis profeſſis Virginibus in ipſa etiam caſtitate majorem, plena conſecratione donavit.

Et videtur egiſſe ex communi Orientalis Eccleſiæ regula. Etenim hoc ejus factum nullus in Synodo ad Quercum accuſator notavit aut adduxit. Proindè Græci nullum in iſta conſecratione Sacramentum videntur agnoviſſe, ſed ſolam exquiſiviſſe virtutem & dignitatem perſonæ. Nam & ipſorum multi nullum agnovere Sacramentum etiam in ordinandorum Clericorum bigamia. Hinc omnes conſtanter docent, & ſemper docuerunt ex uno ante, & altero poſt Baptiſmum conjugio nullam oriri irregularitatem. Et ſuper primæ Apoſtolicæ ad Timotheum epiſtolæ verba, *Oportet Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, ſcribit Theodoretus Cyrenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, ac ſummus in Antiocheno Patriarchatu Doctor: *Mihi videntur quidam rectè dixiſſe. Olim enim conſueverant & Græci & Judæi cum duabus, & tribus, & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Dixerunt ergò Divinum Apoſtolum dixiſſe eum, qui cum una ſola uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe qui ordinetur Epiſcopus.* Quidam Græcorum Epiſcopi & Doctores volebant non ſucceſſivè, ſed ſolum ſimultaneè bigamum eſſe ex iſto Apoſtolico Canone irregularem. Horum ſententiam pluribus confirmat Theodoretus, atque adjungit: *Hæc & alia id genùs conſiderans admitto eorum interpretationem, qui ſic intellexerunt.* Et hinc cum aliis dicti Patriarchatus Epiſcopis ipſe Irenæum, ſucceſſivè bigamum, conſecravit in Metropolitam Tyriorum. Et quoniam Latina Eccleſia fortiſſimè ſe movit, ac Irenæum degradari juſſit, factum ille ſuum generosè defendit in variis epiſtolis, oſtendens ſe egiſſe ex vulgato more ac ſenſu totius Orientis. Cenſuit quòd bigamia non ob Sacramentum, ſed ob ſolam turpitudinem proſcriberet à Sacro Ordine. Iſtud ergò ipſum Græci ſentiunt de Virginali conſecratione. Attamen ſolas Viduas, nequaquam è fornicatione corruptas conſecrant. Quivis expletus carnis lapſus, uti ad Sacrum Ordinem, ita & ad hanc conſecrationem fecit & facit etiam apud ipſos irregularem. Et hinc in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litte-

ris

Digitized by Google

Cap. 14. ris ſcribit magnus Baſilius: *Viduam, quæ iu viduarum numerum relata eſt, hoc eſt, quæ ab Eccleſia ad Diaconatum ſuſcepta eſt, cenſuit Apoſtolus aubentem eſſe deſpiciendam.* Hoc eſt, degradandam, ideòque & antea lapſam non eligendam, oec conſecrandam. Reverà eoim Apoſtolns oon tantùm Diaconum ac Epiſcopum, ſed etiam ſacras mulieres juſſit eſſe ſioe crimine. An Presbyteriſſas abrogans Laodicenſis Canon fuerit tunc admiſſus à Pontica Eccleſia, adeòque an de illis, an verò de propriis Diaconiſſis loquatur Baſilius, ooo poſſim aſſeverare. Opinor tamen de Diaconiſſis loqui. Scribit enim ad Iconienſem Lycaoniæ Metropolitam, io cujus Aſiatica Diœceſi Canon iſte omninò vigebat. Quidquid ſit, uti carnis lapſus ad ſacram fœminarum Ordinationem, ita & ad Virgioalem benedictionem reddebat irregularem. Et qnidem Sanctus Joaones Chryſoſtomus ſuæ Eccleſiæ morem probat non tantùm ex Apoſtolo, ſed etiam fundare ſtudet io ipſo Evangelio. Quod ipſum nos Latini facimus de ooſtra diſciplina. Nempè hic locum habet quod de alijs item diverſis diverſarom gentium ritibus ſcribit ad Licinianum Sanctus Hieronymus:
Ep. 18. *Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & Præcepta Majorum leges Apoſtolicas arbitretur.*

Nona quæſtio eſt, Ao io Virginem conſecranda deberet eſſe vitam Cœnobiticam ſolemniter profeſſa Sanctimonialis? Reſpondeo hodie ſic oportere. Sic enim jubet Romaoæ Eccleſiæ hodiernum Pontificale. Quin in Apoſtolicarum Deciſionum Collectaneis ad verbum, *Conſecratio*, ſcribit Auguſtinus Barboſa: *Conſecratio non conceditur Monialibus Ordinum Mendicantium.* Ita deciſum affirmat à Sacra Congregatione Rituum. Nempè hæc cooſecratio eſt quædam Eccleſiaſtica dignitas, quas cunctas profeſſi mendicitatem debent contemnere. Porrò Antiqua Eccleſia etiam io privatis ædibus profeſſas Virgines conſecravit. Etenim Cœnobiticas Virgines uſque ad quarti ſæculi exordium ignoraverant multæ Eccleſiæ, interim habentes copioſum oumerum Virginum degentium in propriis ædibus. Cœnobiticas Africaoa Eccleſia oon vidit, niſi ſub Epiſcopatu & per operam Sancti Auguſtini. Et tamen ſuas Virgines ſemper cooſecravit. Et poſt inducta etiam hæc Cœnobia adhuc ſta-
Can. 11. tuit quarta Carthaginenſis Synodus: *Sanctimonialis Virgo, dum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.* Nempè non in vili ac pulla veſte, ſed in pompatico ornatu ſolebant iſtic Virgines ad conſecrationem accedere. Quidam exiſtimant oon tantùm profeſſas, ac anteà probatas, ſed etiam tunc priùs profitentes fuiſſe ab Africana Eccleſia conſecratas: Simul profeſſas & conſecratas. Has in laicali ornatu acceſſiſſe ad manus Epiſcopi. Quo more etiam Græcas Virgines olim intraſſe in Monaſteria teſtatur Trullanus Canon, & abolet ac damnat. Quidqnid ſit, etiam ad Sanctum Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ſcripſit Sanctus Papa Innocentius primus: *Hæ verò, quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in ſacro Propoſito ſemper manere promiſerunt.* Lucidè ſuppooit non tantùm mooaſteriales, ſed & alias profeſſas Virgines conſueſſe Chriſto nubere, velari, & cooſecrari. Verùm ſolas anteà profeſſas. Ita palàm ſupponit etiam in ſuis Synodalibus Reſponſis ad Epiſcopos Gallorum. Et ex iſta antiqua Romanæ Eccleſiæ diſciplina Magnus Papa Leo ſanxit nullam deinceps conſecrandam, niſi quæ quadraginta annis, ſeu uſque ad quadrageſimum ætatis annum demonſtraſſet ſe in ſua profeſſione integram & fortem. Quod ipſum ſtatuit Syoodus Agathenſis. Et omninò loquitur de probatione etiam extra Monaſterium. Quæ omnia agnoſcunt etiam Synodus Venetica, tertia Aurelianenſis, tertia Pariſienſis, ac prima Matiſconenſis. Et antiquos, quem etiam omnis ſervavit Gallia, Romanæ Eccleſiæ Ordo, laudat quatuor Virginum conſecrationes, ipſiſque præſcribit ſuos diverſos ritus; Sanctimonialis, Diaconæ, Abbatiſſæ, & F. 166.
Virginum, quæ à ſæculo converſæ, in domibus ſuis ſuſceptum caſtitatis habitum privatim obſervare voluerunt. Hanc Virgioum conſecratiooem probant etiam antiquæ leges Longobardorum. At verò ounc ab aliquot ſæculis ſolæ ſolemni- Lib. 2. tit. 37.
ter profeſſæ Sanctimoniales conſecrantur. Exiſtimo ſic cœptum ad duodecimi finem, aut ad tertii-decimi ſæculi exordium: Dum ſola monaſtica Virginum profeſſio cœpit eſſe ſolemnis, & omnis in privatis ædibus ſervanda numerari inter vota ſimplicia. Et hinc lucet etiam apud Latinos Sacræ Virginis conſecrationem ſemper fuiſſe diverſam à conſecratione Diaconiſſæ.

Decima quæſtio eſt, Quibus ritibus olim fieri conſueverit Sacrarom Virginum conſecratio? Reſpondeo quòd variis. Etenim ad Sacram Virginem Demetriadem ſcribit Sanctus Hieronymus; *Scio quòd ad imprecationem Pontificis Flam-* Epiſt. 8.
meum Virginale ſanctum operuit caput. Et illud Apoſtolicæ vocis inſigne celebratum ſit: Volo autem vos omnes Virginem caſtam exhibere Chriſto. *Quando adſtitit Regina à dextris ejus, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Qua veſte polymita, & multarum virtutum diverſitate contexta, indutus fuit & Joſeph, & Regum quondam utebantur filiæ. Unde & ipſa ſponſa lætatur ac dicit:* Introduxit me Rex in cubiculum ſuum. *Sodaliumque reſpondit chorus: Omnis gloria filiæ Regis ab intrinſecùs.* Hi ſunt haud dubiè compendio deſcripti ritus, quibus tunc utebatur Romana Eccleſia. Erant varii. Primò, Epiſcopus per certas preces imponebat Virginale Flammeum. Non Presbyter, ſed Epiſcopus. Deinde, legebantur quædam ex Apoſtolo, quædam ex Pſalmo quadrageſimo quarto, quædam ex Cantico Canticorum. Et ad ſingula fiebant congrui actus. Tertiò, Sacra Virgo comparebat in veſte polymita, ſignificante diverſitatem virtutum, quibus Regiam Chriſti Regis ſponſam oportet eſſe ornatam. Et huoc ritum uſitaſſe olim videtur etiam Africana Eccleſia. At poſtmodò

impro-

improbavit, mandans conſecrandam Virginem Epiſcopo tradi in humilibus & ſuæ profeſſioni congruis veſtibus, qoas deinceps oportet ipſam ſemper geſtare. Et bunc Canonem poſtmodò probavit ac ſuum fecit etiam Romana Eccleſia. Item Gallicana. Eum enim habes integrè inſertum in antiquum Romanum Ordinem. Eum habes & in Sanctimonialis, & in Sacræ extra Monaſterium Virginis conſecratione. Quòd nempè anteà etiam Sanctimoniales in polymita veſte conſecrarentur. Et hinc lucet ſententiam illorum, qui Africanas Virginea autumant in ipſa ſua prima profeſſione fuiſse quandoque conſecratas, non eſse certam & firmam. Videtur iſte, poſteà improbatus, habitus non laicalis fuiſſe, ſed jam dictus ſacer ornatus. Et certe conſecratio ex ſua natura exigit præviam probationem.

Mediolanenſis Eccleſiæ in conſecrandis Virginibus ritum exponit in libro de Sacræ Virginis inſtitutione Sanctua Ambroſius. Longam, quæ ſuper Virginem recitari ſolebat, orationem adducit, & bæc poſt variaa Deiparæ Dominæ laudes adjungit: *Quibus bæc quoque famula tua*
Cap. 17. *ad bujuſmodi Virginis gratiam laceſſitu, tuis aſſiſtit altaribus, non rutilanti cæſarie flavum deferens crinem, Flammeo nuptiali dicatum, ſed illum crinem, quo Evangelica illa mulier Maria Chriſti pedes ſedulo pietate deterſit, & domum totam effuſo implevit unguento, ſacro offerens velamine conſecrandum. Adeſt puella, quam non nuptiarum feſta, non præmia, non onerati pondus uteri, votivo nupturis dolore ſollicitent, ſed quæ immaculatos ſibi fidei partus & pietatis expoſcat, ut in utero concipiat de Spiritu Sancto, & Spiritum ſalutis Deo ſæta parturiat*. Ex quibus verbis diſcimus duo. Primò, quòd ſacra Virgo conſecraretur ante Altare. Quod etiamnum hodie ſervatur. Huic conſecrandam Virginem duci ex clauſtro in anteriorem Eccleſiam mandat hodiernum Pontificale. Secundò diſcimos, quòd conſecranda Virgo in vili pœnitentiæ habitu conſecraretur. Veniebat enim ad Epiſcopum, uti Maria Magdalena venit ad Chriſtum Dominum. Et ex hoc fonte iſtum morem forſan didicit Africana Eccleſia. Huic enim Clericorum inopia laboranti ſubſidia ſubmiſit Sancti Ambroſii Succeſſor Venereus Hi illic plantaſſe poſſint mores ſuæ Mediolanenſis Eccleſiæ, ac ſynodaliter firmaſſe.

Alios iſtius conſecrationis ritus diſcimus ex libello, quem Sancto Ambroſio adſcribit in ſuo Decreto Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus, ad
Part. 7. cap. 134. & 135. Virginem lapſam: *Non es memorata diem ſanctum, diem Dominicæ Reſurrectionis, in quo Divino Altari te obtuliſti velandam? In tanto, tamque ſolemni Eccleſiæ Dei conventu inter lumina illa ſplendidu Regni Cæleſtis quaſi Regi nupturu proceſſeras. Non es memorata, qualis ad te illo die facta ſit allocutio*: Adſpice filia, intuere Virgo, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuom, quia ipſe eſt
Cap. 5. Dominna Deos tous? *Reminiſcere ergò, quantus ad ſponſi tui & Domini nuptias convenerit populus. Servare te oportuit fidem, quam ſub tantis teſtibus pollicitu es: Semper cogitare cui virginitatem ſpoponderis. Faciliùs te oportuit ſanguinem cum ſpiritu fundere, quam perdere tuum caſtitatem. His in illo tunc die conſecrationis tuæ dictis, & multis ſuper caſtitate tua præconiis, ſacro velamine tectu es. Omnis populus, dotem tuam ſubſcribens non atramento, ſed ſpiritu, pariter clamavit, Amen. Urgeor lacbrymis, cùm hæc recordor: Compungor ſtimulis, cum hæc exempla conſidero. Nam ſi inter decem teſtes confectis ſponſaliis, nuptiis conſummatis, quævis fæmina viro convincta mortali, non ſine magno periculo perpetrat adulterium, quid putas fore, ſi inter innumerabiles teſtes Eccleſiæ coram Angelis & exercitibus cœli facta copula ſpiritalis per adulterium ſolvitur?* Sacra Virgo ſolemniter ad Eccleſiam, uti Regia ſponſa, conſecranda procadebat, concurrebat omnis populus, aſſiſtebat conſecrationi, & ipſi tamquam magno Sacramento, publica voce, *Amen*, ſubſcribebat, & eam confirmabat. Et de nobiliſſimæ apud Romanos Virginis Demetriadis conſecratæ feſto ſcripſit ad illuſtres Matronaa, ejus conſanguineas, Probam ac Julianam Sanctus Auguſtinus: *Velationis apopboretum gratiſſimè accepimus*. Virginis Epiſt 179.
conſecratio erat tantum feſtum, ut ex ipſo eminentiſſimis etiam ultrà mare perſonis mitterentur apopboreta, nuptialia ex amicitiæ officio munera.

Quæ omnia fuerunt acta ad Imitationem Regiatum nuptiarum. Quòd enim Regia filia aut ſponſa ſplenderet polymita veſte, jam audivimus à Sancto Hieronymo. Et Regius Propheta Pſ. 44.
affirmat ipſam ſuo etiam tempore fuiſſe circumamictam varietatibus. Et ad iſtum Eccleſiæ ritum forſan alluſit glorioſa Virgo Agnes, de Chriſto ſuo ſponſo dicens ad Tyrannum: *Induit me Dominus cyclade auro texta, & immenſis Monilibus ornavit me*. Quod ſi verum ſit, & antiquus eſt hic ritus, & Romana tunc Eccleſia duodennes Virgines conſecravit. Et hinc glorioſa Martyr quibuſdam videtur potiùs ad ſui Baptiſmi ritus alluſiſſe. Quòd Regia filia anc ſponſa ſolemniter procederet, docet Imperator Joannes Cantacuzenus, de filia ſua Theodora, Orchani Turcorum Principi deſponſata ſcribens: *Sponſa Theodora tabulatum conſcendit, ſolo Impe-* Lib. 3.
ratore equo inſidente, cæteris ad unum adſtantibus. cap. 95.
Tum peripetaſmatis in circuitu ablatis, ſponſa conſpectu eſt, dextera lævaque accenſis lampadibus, quas eunuchi in genua ſubſidentes tenebant. Factum id fuit ex avita Imperii conſuetudine. Quòd etiam apophoremata mitterentur, apud Euſebium Cæſarænſem probat exemplum Magni Conſtantini in ſororis nuptiis. Et adduci Lib. 4.
poſſint plura alia. cap. 49.

In opere de Sacris Ordinatiobus Joannes Morinus ex Pariſienſis Senatoria Petavii Bibliotheca producit antiquum & venerandum undecim ſæculorum Pontificale, in quo poſt ſacrorum Ordinum ritus ſeqnitur ritus conſecrandæ Virginis, & huic in fine datur pallium per hæc Epiſcopi verba: *Accipe puella pallium, quod perferes ſine*

matala

maculæ ante Tribunal Domini noſtri JESU *Chriſti*, *cui flectitur omne genu cæleſtium*, *& terreſtrium & infernorum*. Ipſum forſan fuit auro texta cyclas, ſignificans texturam virtutum, in quibus omnes Chriſtiani ſupremo Judici debemus ac ſperamus præſentari. Eadem ex Bibliotheca idem Scriptor adducit Gelaſianum nongentorum annorum Sacramentarium, in quo hæc habentur: *Sanctimonialis Virgo*, *cùm ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur*, *in talibus veſtibus applicetur*, *qualibus ſemper uſura eſt*, *profeſſioni & Sanctimoniæ aptis*. Eſt Gelaſianum, ſed aptatum ad mores Gallicos. Interim nos docet, quód Africana modeſtia, quæ conſecrandam Virginem in humili veſte juſſit offerri, videatur per Sanctum Gelaſium inducta in Romanam Eccleſiam. Et certè hic erat gente Afer.

Laudatus Morinus etiam ex Fuxiani apud Tholoſates Collegii Bibliotheca producit Pontificalis officii antiquum librum, in quo hæc habentur; *Omnes qui ad ſacros Ordines debent promoveri*, *ante pronunciationem Evangelii debent ab Epiſcopo conſecrari*. *Quia prædicatio ſancti Evangelii debet per totum mundum diffundi*. *Virgines autem & Viduæ poſt lectum Evangelium debent velari*. *Quia decet eas & per Evangelium prædicari*. *Virginem parentes Epiſcopo cum oblatione offerant*: *Et ille involutam manum ejus in palla Altaris recipiat*, *cum adſtantibus dicendo Antiphonam*, *&c.* Verbis: *Debet per totum mundum diffundi*, videtur addendum; *Ab ipſis*. Et in conſecrationis fine adjungitur: *Deindè publica voce bannum Epiſcopalem imponat*, *ne quis eas à Divino ſervitio ſub vexillo caſtitatis impediat*, *& ut bona ſua cum pace & quiete poſſideant*. *Poſt hæc relinquentes puellæ cereos*, *ſtent inclinatæ*, *uſque dum communicent*, *& Miſſa finitur ſuo ordine*. *Poſtquam communicaverunt*, *reſervent de ipſa communione uſque in diem octavam*, *& tunc communicent*. Hæc conſecrandi forma eſt deſumpta partim ex Romanis ritibus, partim ex Sancti Benedicti Regula. Hæc enim mandat, ut Domino Deo per monaſticam profeſſionem dicanda proles offeratur à parentibus, ac ejus involuta manus recipiatur in pallam Altaris. Porrò Euchariſtiæ per aliquot dies poſt conſecrationem ſervandæ, & quotidie tunc ſumendæ ritus olim apud plures Eccleſias conceſſus ſolis Epiſcopis ac Presbyteris. Hic conceditur etiam conſecratæ Virgini. Eſt grande argumentum dignitatis. Et hinc vides domeſticam communionem tunc in Gallicana Eccleſia adhuc viguiſſe. In Romano item Ordine Virginis conſecratio habet ſuum locum, ac elegantem ritum. Et quidem alium monaſticæ, alium manentis in privata domo Virginis conſecratio. Locum & elegantem ritum habet item in hodierno Romanorum Pontificali. Aſt conſecratio ſolius Sanctimonialis. Et hinc lucet profeſſam virginitatem apud omnes ſemper Eccleſias fuiſſe in ſummo pretio. Qui iſtos, quorum ſola fragmenta nobis communicavit Joannes Morinus, rituales libros meruerit videre integros, plura poterit & diſcere & docere.

Ad hanc conſecrationis dignitatem etiam ſpectat, quod fieri ſemper debuerit intra Miſſarum ſolemnia. Ita diſertè affirmat productum Pontificale ex Fuxiana Bibliotheca. Confirmant ſuperiùs laudata Sancti Theodori Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Capitula: *Sanctimoniales & Baſilicæ ſemper cum Miſſa debent conſecrari*. Baſilicarum noſtrarum & ſacrarum Virginum conſecratio optimo jure æquiparantur. Quod enim quodvis Chriſtianum corpus in verum Divinæ Majeſtatis templum per Baptiſma conſecretur, & quòd ideò nulla magis quàm carnalia flagitia iſti conſecrationi adverſentur, teſtatur Apoſtolus in prima epiſtola ad Corinthios. Affirmat hoc vivum & verum Dei templum per illa prophanari atque everti. Quare virgineum corpus eſt nobiliſſima Divinitatis Baſilica. Hinc enim ad Paſchaſium tyrannum dixit glorioſa Martyr Lucia: *Caſtè & piè viventes templum ſunt Spiritus Sancti*. Et in Virginis conſecratione fit ejus nobiliſſima dedicatio. Ex ejus odio Diabolus noſtras Virgines paſſim ſtuduit ſtuprari ante Martyrium, & ita iſtud cum ſua conſecratione templum fœdari. Et uti in lapideis noſtris, ita & in iſtis vivis Baſilicis virgineum Chriſti Domini corpus, licet aliud & aliud, ac alio & alio modo, Deo Patri offertur ac ſacrificatur. Hinc ergò Mater Eccleſia & lapideas, & vivas haſce Baſilicas voluit nonniſi cum Miſſæ Sacrificio conſecrari. Cur has poſt Evangelium, eſt ſuprà nobis dictum.

Undecima quæſtio eſt, Quibus temporibus facienda ſit hæc conſecratio? Productus è Fuxiana Bibliotheca ritualis liber habet: *Conſecratio ſacrarum Virginum in Epiphania*, *vel in ſecunda feria Paſchæ*, *aut in Apoſtolorum Natalitiis celebratur*. Quod ipſum habet poſterior Codex Petavianæ Bibliothecæ. Et Reginonis Prumienſis Abbatis Capitulare habet hunc Canonem: *Virgines*, *ut Gelaſius Papa dicit*, *niſi in Epiphania*, *& in Albis Paſchalibus*, *& in Apoſtolorum Natalitiis non ſunt conſecrandæ*, *niſi cauſa mortis urgentis*. Lib. 2. cap. 117. Et antiquus Romanorum Ordo habet: *Conſecratio ſacræ Virginis in Epiphania Domini*, *vel in Albis Paſchalibus*, *aut in Apoſtolorum Natalitiis celebratur*. Fol. 158. Sancti Papæ Gelaſii Decretum eſt in litteris ad Lucaniæ Epiſcopos: Epiſt. 9. *Devotis Deo Virginibus*, *niſi aut in Epiphaniarum die*, *aut in Albis Paſchalibus*, *aut in Apoſtolorum Natalitiis ſacrum velamen Epiſcopi minimè imponant*, *niſi forſitan*, *ſicut de Baptiſmo dictum eſt*, *gravi languore correptis*, *ne ſine hoc munere de ſæculo exeant*, *implorantibus non negetur*. Vides hic aliquam differentiam. Aliquæ enim Eccleſiæ in ſecunda Paſchatis feria, aliquæ id fieri jubent in clauſo Paſchate. Varietatis originem ignoro. Horum verò temporum Author videtur eſſe Sanctus Papa Gelaſius. Uti ſacris Clericorum Ordinibus, ita & huic conſecrationi ſua tempora aſſignavit, Et quidem tanto rigore, ut nonniſi ob urgentis mortis periculum permiſerit diſpenſari. Eſt lucidus character altæ dignitatis. Poſterior ætas adjecit etiam omnes Dominicas. Ita habet hodiernum Romanorum Pontificale.

Lib. 1. tit. 11. cap. 1. ficale. Eſt antiqua acceſſio. Etenim ex ipſa ſcripſit ad Bathonienſem in Anglia Epiſcopum Alexander tertius, quòd quivis Epiſcopus poſſit in quavis Dominica ſacras Virgines conſecrare. Et iſtud Reſcriptum ſuis Decretalibus inſeruit Gregorius nonus.

Porrò quòd hæc temporum neceſſitas ſit per Sanctum Gelaſium inducta, lucidè jam dixit Abbas Regino. Hoc ipſum diſcimus ex Sancti Ambroſii tertio de Virginibus libro, hunc in modum alloquentis ſororem ſuam Marcellinam: *Tempus eſt, Soror ſancta, ea quæ mecum conferre ſoles, beatæ memoriæ Liberii Præcepta revolvere, ut quò vir ſanctior, eò ſermo accedat gratior. Namque is, cum in Salvatoris Natali ad Apoſtolum Petrum Virginitatis profeſſionem veſtis quoque mutatione ſignares, atque adſtantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de ſocietate, Bonas, inquit, filia nuptias deſideraſti. Vides quantus ad natales ſponſi tui populus convenerit, & nemo impaſtus recedat?* Sacras Virgines affirmat Dei puellas, ſororem ſuam conſecratam in feſto Dominicæ Nativitatis. Et Liberium Pontificem non fuiſſe Arianum, ſed virum inſigniter Sanctum. Et lapſam illam Virginem, cujus ſuperiùs eſt facta mentio, fuiſſe in ipſo Dominicæ Reſurrectionis feſto conſecratam dixit ille antiquus quicumque Scriptor. Eſt nempè antiquior Sancto Gelaſio. Et tunc quovis ad Epiſcopi beneplacitum tempore fiebat iſta conſecratio. Nam & ſacræ Clericorum ordinationes olim apud nos Latinos fiebant in quavis Dominica. Et hinc etiamnum hodie Græci, uti harum Ordinationum, ita iſtius conſecrationis nulla habent tempora.

Rationem, quæ ſuam ſororem Marcellinam in Dominico Natali conſecrandam ſuaſit, edicit Sanctus Ambroſius: *Quo meliùs die, quàm quo Virgo poſteritatem acquiſivit?* Eſt optima ratio. Cur in Apoſtolorum Natalitiis iſta fieri ſanxerit Sanctus Gelaſius, aperit in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Virgines ideò in Apoſtolorum Natalitiis velantur, quia per Apoſtolicos viros, quaſi per paranymphos ſponſæ Chriſto conſecrantur. Et quia morem Virginitatis primùm Apoſtoli Eccleſiæ ſervandum tradiderunt, quem à perpetua Virgine Maria acceperunt.* Etiam aliis diebus ſua non deeſt ratio. Porrò Sanctus Ambroſius ſororem ſuam Marcellinam affirmat ſimul profeſſam, conſecratam, & veſtium mutatione ſignatam. Qui mos an tunc viguerit in Romana Eccleſia, non poſſim affirmare. Si viguerit, viguit uſque ad ſuprà laudatum Decretum Magni Papæ Leonis. Poſſit tamen iſta ſimultas fuiſſe præter morem indulta Marcellinæ virtutibus ac illuſtriſſimis natalibus. Habebat enim virtutes omni probatione majores. Et erat filia Ambroſii Galliarum Prætorio Præfecti, quam dignitatem fuiſſe Imperium, cui ſola deerat purpura, rectè ſcripſit Ennapius. Eorum ſanè, dum Romana Reſpublica floruit, dignitati noſtri hodie Reges non ſunt vel à longè comparandi. Porrò in ipſa patris Præfectura, cujus ſedes erat Treviris, natus eſt Sanctus Ambroſius. Hinc quidam rectè exiſtimant ipſum fuiſſe Trevirenſem ac Belgam. Etiam conſecratam Virginem Demetriadem fuiſſe ex eminentiſſima Aniciorum familia ſcribit Sanctus Auguſtinus. Et Regiam Virginem Alboſledin fuiſſe à ſe conſecratam teſtatur in litteris ad ejus fratrem Clodovæum Regem Sanctus Remigius. Plurima ſunt iſtiuſmodi exempla. Evincunt hanc conſecrationem fuiſſe ſtatum eminentis dignitatis.

Lib. 1. cap. 191. — Ep. 179. — Epiſt. 1.

Et hinc ſacræ Virgines, licèt neque ſacrum Tribunal, neque Clericorum Sacrarium aſcendere, nec glorioſam illic ſedem habere potuerint, in publico tamen Eccleſiæ conventu habuerunt ſingularem & honoratum locum. Hinc enim Eccleſiaſticæ Apparituræ ordinem aſſignans Apoſtolicarum Conſtitutionum Author ſcribit: *Virgines, & viduæ, & anus ſtent primæ, aut ſedeant.* Lib. 2. cap. 57. Et antiquus apud Sanctum Ambroſium Author ſcribit ad lapſam Virginem: *Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in Eccleſia ſtabas, recordari debuiſti, ad quem religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oſcula petentes, quaſi ſanctioris & dignioris?* Cap. 6. Proindè & ſacrarum Virginum locus erat dignior loco illuſtrium Matronarum. Et hinc in loca iſta dividente pariete memoratus Author addit fuiſſe inſcripta hæc Sancti Pauli Apoſtoli verba: *Diviſa eſt mulier. Et Virgo quæ non eſt nupta, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Hæc inſcriptio non ſolas ſacras Virgines, ſed & ipſarum locum prædicabat, & mandabat venerandum. Fuiſſe ſacro Tribunali viciniſſimum demonſtrat patrata ab Ariana apud Syrmienſem Sanctimoniali in Sanctum Ambroſium audacia. Hæc enim è ſuo loco proximè adſcendit in ſacrum Tribunal, & ex ipſo tentavit optimum Epiſcopum trahere in partem mulierum; Arianarum mulierum, quæ ipſum trucidarent. Amplè hæc in ejus vita refert Sanctus Presbyter Paulinus. Eadem audacia evincit ſacrarum Virginum authoritatem fuiſſe non modicam. Quocirca noſter Septimius ex firmo fundamento dicit ſacræ Virginis ad hæreſim aut ſchiſma lapſum ſemper fuiſſe graviſſimum in Eccleſia ſcandalum.

Si Doctor.

Generalia gentium ſtudia, & ſolemnes in ipſis ad Doctoratum promotiones, eſſe in omni humano genere antiquiſſima, docet Themana Idumæorum ſchola, de qua Sanctus Propheta Jeremias: *Nunquid non ultra eſt ſapientia in Theman? Inutilis facta eſt ſapientia eorum.* Cap. 49. Vicinarum gentium minima erat Idumæa, & habebat ſcholam famoſiſſimam. Hinc enim Eliphaz Themanites in Sanctum Prophetam Job diſputare auſus de profundiſſimis myſteriis, creditur illic non tantùm fuiſſe Rex, ſed & Doctor. Morem iſtum fuiſſe etiam apud Barbaros gentiles, poſſit lucidè demonſtrari. Apud Judæos fuiſſe receptiſſimum,

mūm, edicunt in antiquis Dei litteris laudati Prophetarum filii, ipſorumque in quietis ac ſecretis locis hsbitacula ſive gymnaſia, nec non & légis Doctores in Evangelio laudati. Morem probavit, & ad nos trsnſtulit Chriſtus Dominus noſter, atque ita in Eccleſia ſua poſuit non tantùm Apoſtolos, Prophetas, ac Paſtores ſeu Epiſcopos, ſed etiam Doctores. Quod omnis Epiſcopus ſeu Paſtor debeat eſſe & Doctor, & quòd Paſtores ac Doctores conſundat in litteris ad Epheſios Sanctus Paulus Apoſtolus, aſſerit in epiſtola ad Sanctum Paulinum Beatus Auguſtinus. Nec malè. Quòd tamen Chriſtus Dominus Doctores à Paſtoribus etiam diſtinxerit, & Doctoratum ac Epiſcopatum ſanxerit eſſe diſcretos Eccleſiæ ſuæ gradus, in Apoſtólicis Actis
Cap. 13. lucidè affirmat Sanctus Evangeliſta Lucas: *Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores*. Ab Epiſcopis omninò diſtincti. Etenim inter eos erant Saulus & Barnabas, quos ex Doctoribus dicit poſtmodùm Spiritus Sancti juſſu ſegregatos ac electos fuiſſe in Epiſcopos, & ab Apoſtolis conſecratos. Paulum Apoſtolum fuiſſe, & quidem ob anteriora merita, in Antiochena Eccleſia primò Doctorem; ac poſteà creatum Epiſcopum, diſertè affirmat in homilia de nominum mutatione Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Etiam Simonem Nigrum, Lucium Cyrenenſem, & Manahen Herodis Regis collactaneum adfirmat ibidem promotos ad Doctoratum. Certè gradus, quem propria in terra, ac in nova religione non dedignabatur Regius collactaneus, eſſe debuit inſigniter nobilis & honoratus. Hinc & Septimius noſter Doctores hic diſtinguit ab Epiſcopis, & ipſorum in Africana Eccleſia gradum oſtendit fuiſſe eminentem. Hinc & ad ſuum Clerum ſcripſit Sanctus
Ep. 24. Cyprianus: *Optatum conſtituimus Doctorem Audientium*. Et ſcholam Alexandrinam fuiſſe à Sancto Marco erectam, & magnis ſemper abundaſſe Doctoribus, teſtatur in Illuſtrium virorum Catalogo Sanctus Hieronymus. In litteris ad Ruſticum Monachum ſcribit etiam Romæ, haud dubiè ex Sancti Petri Inſtituto, fuiſſe ſcholam florentiſſimam. Nec tantummodò ſcholam, ſed & ſacram è duodecim Doctoribus facultatem Sanctus Petrus, aut quis proximus ejus Succeſſor, non ſine fundamento creditur iſtic inſtituiſſe. Lucet ex Magni Imperatoris Conſtantini Inſtituto apud Conſtantinopolim. Quod ille hìc duodecim ſacræ Theologiæ Doctores in ſplendidiſſimo palatio cum opulentiſſima Bibliotheca poſuerit, teſtantur Sanctus Martyr Theophanes, Georgius Cedrenus, Michael Glycas, ac in originibus Conſtantinopolitanis Georgius Codinos. Et ipſorum Primatem poſterior ætas appellavit Doctorem œcumenicum, ſeu univerſalem. Quæ omnia Conſtantinus induxit ex forma Romana. Etenim Conſtantinopolim eſſe almæ urbi per omnia ſimilem voluit, ideoque dici ſecundam & novam Romam. Et certè quod Sanctus Clemens Pontifex Sanctum Dionyſium, dum Apoſtolum miſit in Gallias, Doctorem creaverit, aſſeverat in hujus vita venerabilis Methodius. Simile è pluribus ſub uno Rectore Doctoribus Collegium fuiſſe apud Cappadociæ Cæſaræam teſtatur in Msgni Baſilii encomio Sanctus Gregorius Nazianzenus. Et ipſe Msgnus Baſilius ſcripſit litteras ad Doctores Eccleſiæ Neo-Cæſaræenſis. Quòd etiam Hieroſolyma, Epheſus, Cæſaræa Palæſtinæ, Edeſſa, aliæque per Orientem & Occidentem nobiliores Metropoles habuerint ſimilia gymnaſia, eſt eruditis exploratum.

Horum gymnaſiorum utilitas atque dignitas ſunt luce meridiana clariores. Sunt fœcundiſſima Chriſtianitatis ſeminaria. Ex ſola unius Origenis ſchola quidam affirmant prodiiſſe ultra quingentos Epiſcopos. Hinc iſta gymnaſia, tamquam prima noſtræ Religionis fundamenta, gentiles noſtri perſecutores primo ac pleno ſemper impetu aarietarunt. Quòd Imperator Severus Pertinax, verè pertinax & ſeverus hoſtis Chriſtiani nominis, omnem Alexandrinam ſcholam deſtruxerit, queritur in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Epiſcopus Cæſaræenſis. Imperator Diocletianus non ſolùm ſcholas, ſed & omnes ubique Bibliothecas exuſſit, quo nullus Chriſtianus aut docere poſſet aut ſtudere. Julianus Imperator Apoſtata omnes noſtras ſcholas tranſcripſit in ſuos Doctores Paganos. Imperator Leo Iſaurus, quod ſuam Iconoclaſticam impietatem aliter non poſſet ſtabilire, duodecim laudatos ſcholæ Conſtantinopolitanæ Doctores cum ſuo Conſtantiniano Collegio vivos exuſſit. Quòd per alias totius imperii civitates clauſerit omnes ſcholas, teſtatur in Eccleſiaſtica hiſtoria Cardinalis Anaſtaſius, Bibliothecarius Romanæ Eccleſiæ. Sceleratus Princeps iſtud didicerat à juratis Chriſtianæ vitæ hoſtibus Saracenis. Et elapſo ſæculo Martinus Lutherus nihil majori egit impetu, quam Pariſienſis ac Lovanienſis gymnaſiorum, quæ evertere non poterat, authoritatem circumſcribere.

Ex adverſo principio non ſoli Pontifices, & aliarum civitatum Epiſcopi, ſed & cuncti verè Chriſtiani Principes in erigendis, conſervandis, ac reparandis publicis gymnaſiis omne ſemper adhibuere ſtudium, omnes vires. Magnus Conſtantinus, ac plerique ejus uſque ad Juſtinianum Succeſſores, bonarum litterarum in publicis gymnaſiis Profeſſores ac ſtudioſos ampliſſimis ſtipendiis, honoribus, privilegiis cumularunt. Detulerunt etiam Palatinæ Comitivæ dignitatem. Plures hac de re non tantùm leges, ſed & titulos habemus in Theodoſiano Codice ac Juſtinianæo. Et inter vitia, ex quibus Imperatorem Juſtinianum publico odio exponere ſtuduit, in arcana hiſtoria Procopius Cæſaræenſis numerat quarundam ſcientiarum Profeſſoribus ſubſtracta ſtipendia. Et reverà per Petrum Pithæum vulgata Juſtiniani pragmatica ſanctio illis ſtipendia reddit. Quòd nempè iſtud Principe indignum facinus erubeſcens Juſtinianus poſteà correxerit. Et Sanctum Agapetum Pontificem, quòd ſub barbarica Erulorum & Gothorum captivitate defloratam Romanam ſcholam reduxerit in priſtinum

vigorem, amplè prædicat Aurelius Caſſiodorus. Et ab Imperatore Carolo Magno, qui per Merovingiorum Regum deſidiam deſtructa reparavit ſtudia, factum eſſe mundum quaſi novum, laudat Monachus Sancti Galli. Bardam Michaelis tertii Auguſti Cæſarem, multi criminis virum, quòd tamen à Michaele Balbo relegatas ſcientias revocarit ac recrearit, altè prædicat Georgius Cedrenus. Etiam Conſtantinus, Leonis Sapientis filius Porphyro-genitus, varia morum labe laboravit: Quia tamen publica ſtudia dilexit & promovit, multa láude dignum cenſuit Michael Glycas. Et ab Imperatore Michaele Palæologo, & Patriarcha Germano tertio, qui reparatas à ſe, & ampliſſimis ſtipendiis firmatas ſcholas quandoque intrare, audire lectiones, & ita Doctores honorare atque animare non ſunt dedignati, Conſtantinopolitanæ civitatis dignitatem fuiſſe reſtitutam aſſeverat Georgius Pachymeres. Plurima ſunt hujuſmodi exempla ac teſtimonia. Et certè publica gymnaſia ſunt Eccleſiæ ac Reipublicæ oſſa, per ſimiles nervos ſtabilienda.

Et Theologorum præſertim Doctorum authoritas, licèt ſemper ſumma, poſterioribus tamen Eccleſiæ ſæculis cœpit eſſe longè amplior, quando Regiæ nominationis violentia multis Eccleſiis intruſit Epiſcopos, de quibus diceret Sanctus Hieronymus: *Facilius eſt Epiſcopatum adipiſci, quàm promereri*. Exindè Provinciarum Synodi aut deſinere cœperunt, aut non per Epiſcopos, ſed dirigi potiùs per Doctores. Omnes ad iſtas Synodos conſuetæ referri quæſtiones cœperunt decidi per ſacras Facultates. Quin & in Generalibus Synodis ſacræ Facultates jam dudum egerunt plurima, Etiam in ſacro-ſancta Tridentina. Plures jam etiam Latinæ gentes parùm diſtant à more Armeniorum, de quibus in opere de ipſorum cum Latinis Eccleſiaſtica concordia ſcribit Clemens Galanus: *Magiſterium adeò ſupremæ apud Armenios eſt dignitatis, ut ipſi quoque præferatur Epiſcopatui, nec aliis niſi pauciſſimis è ſapientioribus Monachis, ac tanto ceremoniarum & Divinarum precum ritu confertur, ut ab incauto populo verè Sacramentalis Ordo, quin aliorum omnium ſupremus credatur, utpotè qui, ut ipſi dicunt, Chriſti Domini perſonam, qui Rabbi, hoc eſt, Magiſter appellabatur, præ ſe fert. Magiſtris iſtis dumtaxat licet fidei Dogmata approbare, concionari in Eccleſiis, in populi cauſas judicium exercere, lites dirimere. Quare ſuos Epiſcopos, qui ſunt ut plurimùm indoctiſſimi, penè non niſi ad ſolos ſacros Ordines conferendos adhibent*. Nempè Doctorum fida vigilantia Epiſcopos nimiùm ſecuros reddidit, fecitque dormitare. Addit Galanus ipſis admodùm numeroſis propè Armenii Patriarchæ Palatium fuiſſe proprias ac ampliſſimas ædes, à Nierſeſe vigeſimo nono Patriarcha exſtructas, quas eorum vetuſtus Hiſtoricus vocat *magnificentiſſimum Gregis rationalis ovile*. Factum id haud dubiè fuit ad imitationem Doctoralis Palatii, quod à Conſtantino habuit Conſtantinopolis.

Et iſta Theologici Doctoratus dignitas habet antiquiſſima fundamenta. Etenim Sanctus Heraclas, ac Sanctus Dionyſius fuerunt ex iſto gradu proximè aſſumpti ad Patriarchatum Alexandrinum. Quod ipſum factum eſt olim in cunctis paſſim Eccleſiis. Ita nobis infrà dicet Georgius Codinus. Nam eligendum Epiſcopum Apoſtolicus Canon mandat eſſe Doctorem. Et hunc noviſſimè innovavit Sacroſancta Tridentina Synodus. Et iſte Canon non qualemcumque exigit Doctoratum, ſed qui omni circa Evangelicum Dogma poſcenti poſſit plenam rationem reddere, & quoſcumque contradicentes arguere, in omni patientia & doctrina. Competentium profeſſiones conſueviſſe in Eccleſia coram omnibus Sacerdotibus ac Doctoribus fieri, ſcribit in quadrageſimi primi Pſalmi Commentario Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Eſſe ſublimiſſimum ac verè Apoſtolicum gradum demonſtrat in Homilia de Chriſto Paſtore. In trigeſima tertia ſuper primam ad Corinthios epiſtolam Homilia oſtendit eſſe virtutum & curationum Chariſmate, ipſoque etiam Prophetiæ dono ſuperiorem. Doctorem poſſe ac debere in Eccleſia cùm authoritate loqui ſcribit ad neſcio quem Petrum Iſidorus Peluſiotes, & addit cauſam: *Quia Doctor eſt adminiſtrator ſapientiæ*. Ejuſdem Lib. 3.
gradus authoritatem prædicat magnus Baſilius Ep. 300.
in epiſtola ad Doctores Eccleſiæ Neo-Cæſarienſis: Suprema Eccleſiæ dignitas eſt Martyrii Corona: Huic Doctor noſter Doctores facit proximos. Uti Romana eminentiſſimos Dominos Cardinales, ita Conſtantinopolitana Eccleſia habet ſeptem Principes Diaconos, auream Crucem geſtantes in ſuo galero, ideoque dictos Crucigeros, totius Cleri Primates. Primum poſt hos in ſolemni Eccleſiæ Conventu locum Doctoribus dedit Imperator Alexius Comnenus: *Sit hic quoque Doctoribus honor tributus, ut in Eccleſia ſtatim poſt Officiales proximi ſanctiſſimo Patriarchæ adſideant, tanquam ejus perſonam repræſentantes. Audimus enim eum, qui Pontificis locum tenet, maximum ſemper gerere honorem. Et nemo poterit ad hoc contradicere*. Hoc novellæ legis fragmentum exſtat in ſecundo libro juris Græco-Romani. Notanda ſunt verba: *Nemo* Fol. 143.
poteſt contradicere. Edicunt quoſdam tantæ Doctorum dignitati invidiſſe, obſtitiſſe, & nihil obtinuiſſe. Qua in re illi ſint Patriarchæ Vicarii, exponit in decimi noni Trullani Canonis Commentario Theodorus Balſamon: *Docere populum eſt ſolis Epiſcopis datum. Et magnæ Eccleſiæ Doctores Patriarchæ jure docent*. Uti Dominus Patriarcha, ita Doctores hi ex ejus delegatione docere poterant non ſolam Conſtantinopolitanam, ſed & omnes huic ſubjectas Eccleſias. Poterant cum omnibus Epiſcopis in docendo concurrere. Et hinc idem Imperator eis è publico dedit ampliſſima etiam ſtipendia. Suorum Anteceſſorum de hac re leges & facta revocavit ac innovavit. Magna Conſtantinopolitana Eccleſia in quarto ſui Cleri quinario ordine habet etiam Doctorem Evangelii, Doctorem Apoſtoli, & Doctorem Pſalterii. Quam formam ſem-

ſemper habuit etiam Latiua Eccleſia, & uoviſſimè reparavit Tridentiua Synodus, mandaus iu quavis Eccleſia uuum Caoouicum eſſe ſacræ Theologiæ Profeſſorem.

Porrò œcumenici Doctoris authoritas fuit apud Græcos ſingularis. Erat Præfectus duodecim Doctorum, quos exuſſir ſceleratus Imperator Leo Iſaurus. De ipſo ſcribit io ſuis annalibus Couſtantinopolitanis Georgius Cedıenus: *Apud Regiam ciſternam erat Palatium venerabile, in quo juxta antiquam formam œcumenicus Magiſter ſedebat, duodecim habens diſcipulos, erudi tione & vita graves. Hi cum omnem dicendi ſcientiam celeritate & amplitudine ingenii percepiſſent, Eccleſiaſticam Divinarum rerum ſapientiam acri ſtudio tractabant. Abſque horum conſilio quidquam agi, ipſis quoque Imperatoribus nefas putabatur.* Conſonat in origiuibus Couſtantinopolitanis Geor- Fol. 42. gius Codinus: *Erant omnium ſcientiarum Doctores, quos ſemper Imperatores in conſilium adhibebant, neque fiebat quidquam abſque eorum conſenſu. Multi etiam ex illis creabantur Patriarchæ & Archi-Epiſcopi.* Addit omnes fuiſſe Monachos, & oon duodecim tantùm, ſed ſedecim. Etiam Michael Glycas ſcribit: *Haud procul à templo ſanctæ Dei Sapientiæ ſplendida domus erat extructa, qua librorum theſaurus continebatur, numero* Fol. 281. *triginta ſex millium & quingentorum. Hæc domus cuſtodem & Præfectum quemdam habebat, virum omninò venerabilem & doctum. Sub quo alii duodecim erant, admirabili virtute & rerum cognitione præſtantes, qui quoſvis abſque mercede & præmio diſciplinis optimis erudiebant. Atque horum ob virtutem tanta erat celebritas, ut ne ipſi quidem Imperatores aliquid iis non conſultis agerent.* Notanda ſunt Georgii Cedreni verba: *Juxta formam antiquam.* Oſtenduur Oecumenici Doctoris officium & dignitatem eſſe antiqoa. In Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca milleſimus trecenteſimus octogeſimus quintus codex habet honc titulum: *Prolegomena in Theodoſii regulas, dictante Georgio Diacono, Œcumenico Magiſtro.* Leo Allatius in Diatriba de claris Georgiis exiſtimat illum floruiſſe ſub imperio Anaſtaſii. Quin iſtud officiom & tunc & dudum anteà fuerit, exiſtimo non dubitaudum. At credo titulum tunc oon fuiſſe. Haud dubiè exortus eſt poſt uatam ſuperbiam, qua Conſtantinopolitani Epiſcopi cœperunt ſe ſcribere Patriarchas Oecumenicos. Profanus titolus ab his tranſivit ad iſtum Doctoratum. Quare noo per ipſum Georgium Diacouum, ſed per poſteriores deſcriptores eſt Codici appoſitus. Iſtam ſcholam, haud dubiè cum omni ſua forma, à magni Conſtantini tem- Fol. 339. pore fuiſſe ſcribit Sanctus Martyr Theophanes. Nec adverſantur hæc Georgii Codiui verba: *Duravit iſta Doctorum ſucceſſio centum & quatuordecim annos, uſque ad decimum annum Imperii Leonis.* Exiſtimo ipſa non de ipſis Doctoribus, nec de ipſa ſchola, ſed accipienda de Palatio, iu quo illos Leo vivos exuſſit. Porrò Leonis decimus fuit Chriſti Domiui annus poſt ſeptingenteſimum vigeſimus ſextus. His detrahe annos centum quatuordecim, & habes tertium Heraclii auuum, Chriſti Domini ſexcenteſimum decimum tertium. At verò Heraclius, utpotè dutiſſimo Perſarum bello & miſeranda exhauſti per Phocam Imperii inopia undique circumſcriptus, nec Doctorale Collegium inſtituit, nec Palatia ædificavit. Hinc certum eſt Codinum deviare.

His de cauſis mater Eccleſia in creandis ſacræ Theologiæ Doctoribus ſemper cuſtodivit huuc Apoſtolicum Cauouem: *Nemini citò manus impoſueris, ne communices peccatis alienis.* Ex ipſo enim ſtatuit Cæſar-Auguſtana Synodus: *Ne quis Doctoris ſibi nomen imponat præter perſonas quibus conceſſum eſt.* Conceſſum utique ex authoritate Epiſcopali. Nam & Optato Doctoratum coutulit Sanctus Cyprianus. Et quia erat res magui ponderis, factum ſuo Clero retulit, utrique ratificaudum. Fecerat id abſens in exilio. Ex quo diſcimus, quòd Epiſcopi, uti Clericos, ita & Doctores creare non potuerint ſoli ſine ſui Cleri ſuffragio. Et ex hoc Apoſtolico foute Imperator Julianus Apoſtata hauſit ſuam legem, quam tertio decimo ſui Codicis libro inſeruit Imperator Theodoſius junior: *Magiſtros ſtudiorum, Doctoreſque excellere oportet* Tit. 3. *moribus primùm, deindè facundia. Sed quia ſin-* cap. 5. *gulis Civitatibus adeſſe ipſe non poſſum, jubeo: Quiſquis docere vult, non repentè nec temerè proſiliat ad hoc munus, ſed judicio Ordinis probatus, Decretum Curialium mereatur, Optimorum conſpirante conſenſu. Hoc enim Decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore, noſtro judicio ſtudiis Civitatum accedat.* Creaudi Doctoris virtutes non ſolo Optimatum, Curialium, atque totius Ordinis, ſed etiam ſuo judicio vult examinari Julianus, atque probari. Doctoris creationem ſuæ Majeſtati reſcivat. Eſt lex doloſa. Hac enim via ſtuduit Chriſtianos ab omni Doctoratu & publica litterarum profeſſione excludere. Attamen, ſi quædam demas, eſt Apoſtolico Cauoni per omnia conformis. Doloſus enim Imperator noſtros Canones ſtoduit transferre in ſuum Paganiſmum, atque ita illum purgare & illuſtrare. Et hinc iſtam legem Chriſtianiſſimus Princeps Theodoſius probavit, & fecit ſuam: Doctoris creationem ſuo etiam judicio reſervavit. Tanti ponderis eſt iſta promotio. Et ex hoc exemplo Romana Eccleſia, quod Epiſcopi Theologicum præſertim Doctoratum nimis facilè effunderent, eaudem promotionem à multis ſæculis ſibi reſervavit. Citra ejus authoritatem, uti hodie nullus Epiſcopus, ita nollus poteſt Doctor creari. Et hinc Bonifacius octavus Pontifex, dum cum Philippo Pulchro Francorum Rege & omni Gallicana Eccleſia habuit quæſtiooes, Uoiverſitatis Pariſienſis Cancellarium ſuſpendit ab iſta Vicaria poteſtate, & omnis in Gallia Doctoris creationem voluit immediatè à ſua ſeda poſtulari. Et Caucellarius à creaodo abſtiuuit, quouſque Bonifacii ſucceſſor Benedictus uudecimus vinculum relaxaſſet. Ita teſtatur iu ſuo Chrouico Gui-

lielmus Nangiacenſis. Et hæc panca ſufficiunt, ut noſter Doctor demonſtretur Doctores rectè feciſſe proximos Martyribus. Et univerſalis Eccleſia ſolis Martyribus, Doctoribus, ac Virginibus credit eſſe ſingularem laureolam.

Si Martyr,

Martyrum ſeu Confeſsorum ſummam olim fuiſse in Eccleſia dignitatem, Doctor tradit etiam in libro de Corona militis, ubi omnem Chriſtianitatis gradum paucis his ſyllabis circumſcribit: *A Catechumenis uſque ad Confeſſores* Cap. 2. *& Martyres*. Iſtos infimos, hos ponit eſse ſupremos. Hinc in libro ad Martyres ita ipſos alloCap. 3. quitur: *Benedicti Martyres deſignati*. Vox, *Benedictus*, erat olim titulus adeò eminens, ut etiam Romanus Pontifex non baberet eminentiorem. Romani Imperatores ſuis Divalibus, ac aliis ſolemnibus litteris paſſim in primo loco appoſuerunt titulum Victoris: *Victor Conſtantinus*: Et qui quampiam barbaram gentem vicerant, exprimebant ejus nomen: *Victor Germanicus, Britannicus, Francicus*. Quia nempè publicorum hoſtium, præſertim barbarorum, victoria eſt prima gloria Principis. Ita apud nos primus gloriæ titulus eſt *Martyr*. Hinc in famoſa Sancti Cypriani Synodo habemus: *Confeſſor Jambus à Germaniciana. Confeſſor & Martyr Jader à Midila. Martyr Secundianus à Thambeis. Confeſſor & Martyr Cyprianus à Carthagine*. Plures iſtic Epiſcopi ita ſemetipſos ad majorem ſui ſuffragii authoritatem intitulant. Et uſque hodie præcipuus Sancti Cypriani apud omnes Eccleſias titulus eſt *Martyr*. Eum omnes paſſim titulamus *Martyrem Cyprianum*. Quod nempè inter Carthaginenſes Epiſcopos primus ſuam Eccleſiam illuſtraverit Martyrio. Et in Nicæna Synodo Magnus Conſtantinus omnes quidem Epiſcopos eximiè, Martyres tamen eſt ſingulariter veneratus. Oſculatus eſt eorum cicatrices. Quia Martyr eſt prima nobis dignitas.

In memorata Sancti Cypriani Synodo quidam Confeſſores, quidam Martyres, quidam Epiſcopi appellantur Confeſsores & Martyres. Etiam inter Sancti Cypriani epiſtolas quædam ad Confeſsores, quædam ad Martyres, quædam inſcribuntur ad Confeſsores & Martyres. Quare aliud apud Antiquos Confeſsor, aliud erat Martyr. In Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarænſis Hiſtoria exſtat veneranda Lugdunenſis ac Viennenſis Eccleſiæ ad Aſiæ ac Phrygiæ Eccleſias epiſtola, exponens glorioſa illic à variis tolerata ſub Antonini Veri Imperio martyria, & de ipſis Lib. 5. cap. 1. & 2. adjungens: *Iſti verò ipſius Chriſti, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, tam verè æmuli ac imitatores erant, ut quamvis in tali gloria & ſplendore locarentur, & non ſemel & iterum, ſed ſæpius, ut Martyres decet, pro fidei confeſſione acerba tormenta perpeſſi, beſtiis objecti, ab iiſdem deinde ablati, igneo ferro onuſti, vibicibus lucidi, vulneribus undique inflictis excruciati, non tamen ſe ipſi Martyres prædicarent, nec cuiquam noſtrum copiam facerent illos eo nomine appellandi, ſed ſi quiſquam noſtrum eos, vel per litteras, vel per ſermonem, ut Martyres fortè ſalutaſſet, graviter reprehenderent. Libenter enim Martyris appellationem Chriſto, fideli & vero Martyri, conceſſerunt. Martyrum etiam, qui jam ad Chriſtum ex hac Corporis cuſtodia migraviſſent, nos non gravatè in memoriam redegerunt, ac dixerunt: Illi jam verè ſunt Martyres, quos Chriſtus propter fidei confeſſionem ad ſe recipere dignatus eſt, & quorum Martyrium ipſo præclaro vitæ exitu, tanquam ſigillo certiſſimo, obſignavit; nos autem, ut tenues ſolùm & abjecti Confeſſores Chriſti nominis atque fratres, obſecrabant cum lacrymis, ut preces pro illis ardenter & obnixè Deo funderemus, quò ipſo diſceſſu è vita opus, quod Deus tam benignè in illis incepiſſet, cumulatè expleretur*. Hos inter Martyres erant viri doctiſſimi: Sanctus Photinus, primus Lugdunenſium Epiſcopus, beatus Sanctus Diaconus, glorioſus Attalus, & nobilis Vetius Epagathus, à paganis paſſim vocitatus Advocatus Chriſtianorum. Hi omnes Martyris titulum ſoli Chriſto Domino, & jam per mortem conſummatis Confeſſoribus affirmabant competere, eſſe ſuis meritis longè ſublimiorem, ideoque ſe, licèt ſæpius per horrenda tormenta probatos, non Martyres eſſe, ſed tenues & abjectos Chriſti Domini Confeſſores. Cenſebant eminentiſſimum Eccleſiæ titulum nulli viventi competere.

Verùm laudata Lugdunenſium & Viennenſium Chriſtianorum epiſtola affirmat hanc fuiſſe ipſorum humilitatem. Eos, licèt necdum defunctos, demonſtrat aſſiduè à cunctis fuiſſe appellatos Martyres. Notanda ſunt verba: *Licèt non ſemel & iterùm, ſed ſæpiùs, ut Martyres decet, acerba tormenta perpeſſi*. Edicunt non quibuſcumque apprehenſis & carceratis, ſed ſolis per tormenta probatis competere Martyris titulum, alios eſſe dumtaxat Confeſſores. Hinc de Themizone, hæretico Montaniſta, apud memoratum Euſebium ſcribit etiam antiquus Eccleſiæ Doctor Apollonius: *Themizon totus re-* Lib. 5. *vera avaritiæ ſordibus involutus, qui non tolerant-* cap. 17. *ter crucem afflictionis, quæ eſt propria veri Confeſſoris nota, geſtabat, ſed pecuniarum multitudine ſe è vinculis eripiebat, cùm oportuiſſet illum ob iſtud peccatum humili & ſubmiſſo animo ſeſe geſſiſſe, Martyrem & teſtem Chriſti ſe eſt glorìatus*. Eum culpat de duobus. Primò, quòd ob ſolam carcerationem ſe crediderit Martyrem. Hæc enim tolerantia eſt ſolius Confeſſoris opus, & non facit niſi Confeſſorem. Secundò illum culpat, quòd carcerem redemiſſet grandi pecunia, ideoque & Confeſſoris nomine eſſet indignus. De ejuſdem hæreſeos ſectatore, ob publica crimina carcerato, ac ad mortem damnato Alexandro pergit laudatus Apollonius: *Epheſi ab Æmilio Frontino Proconſule, non propter nomen Chriſti, ſed propter latrocinia Alexander in judicio condemnatus*

natus eſt. Verùm poſteà cùm ſe ob nomen Chriſti perſecutionem paſſum fuiſſe apud fideles falsò prætexuiſſet; illis Proconſulem rogantibus pro eo, dimiſſus eſt. Eum arguit, quòd ſe jactaret Martyrem. Et ſi pro Chriſto Domino accepiſſet iſtam capitalem ſententiam, fatetur quòd gloriæ titulus illi competiiſſet. Proindè ex Apollonii ſententia nec ipſa tormentorum perpeſſio requiritur ad Martyrium, ſed ſufficit capitalis, licèt poſtmodò remiſſa, damnatio. Quia nempè ſimilis Chriſtianus eſt Dominum glorioſè confeſſus, ei dixit extremum teſtimonium, ad ipſum ſuo ſanguine ſigillandum fuit paratus, ideoque nihil ipſi deeſt ad Martyrium.

Ejuſdem ſententiæ fuit in litteris ad Sanctum Lucium Pontificem glorioſus Martyr Cypria-
Ep. 58. nus: *Et nuper quidem tibi, Frater chariſſime, gratulati ſumus, cum te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit Divina dignatio. Sed & nunc non minùs tibi & comitibus tuis, atque univerſæ Fraternitati gratulamur, quod cum eâdem gloriæ & laudibus veſtris reduces vos denuò ad ſuos fecerit benigna Domini & larga protectio, ut paſcendo gregi Paſtor, & gubernandæ navi Gubernator, & plebi regendæ Rector redderetur. Et appareret relegationem veſtram ſic Divinitùs eſſe diſpoſitam, non ut Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam major rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit Martyrii dignitas, quia morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt, aut non conſummatus Daniel extitit in ſuis laudibus, quia qui leonibus miſſus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confeſſoribus Chriſti dilata Martyria non meritum Confeſſionis minuunt, ſed magnalia Divinæ protectionis oſtendunt. Repræſentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes atque illuſtres pueri prædicaverunt: Ipſos quidem paratos eſſe ardere flammis, ne Diis ejus ſervirent, aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, potentem eſſe ut eos de camino ignis eximeret, & de Regis manibus, ac de pœnis præſentibus liberaret. Quod invenimus in Confeſſionis veſtræ fide, & in Domini circa vos protectione nunc geſtum, ut cùm vos parati fueritis & prompti omne ſubire ſupplicium, Dominus tamen vos pœnæ ſubtraheret, & Eccleſiæ reſervaret. Regredientibus vobis breviata non eſt in Epiſcopo Confeſſionis ſuæ dignitas, ſed magis crevit Sacerdotalis authoritas, ut Altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad Confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria, non verbis plebem, ſed factis cohortetur, & virtutis exemplo.* Cur Lucium dicat ſimul conſtitutum & Sacerdotem & Confeſſorem exponit liber Pontificalis: *Lucius in exilio fuit relegatus, poſteà nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus.* Evenit Lucio iſtud ipſum, quod evenerat ejus Anteceſſori Cornelio: Uti ob hujus conſecrationem Imperator Decius, ita ob illius evectionem acti in rabiem Auguſti Gallus & Voluſianus ipſum capitaliter proſcripſerunt. Et ei in ſedem reducto Sanctus Cyprianus fuit gratulatus. Et ex hac epiſtola addiſcimus va-

ria. Primò, quod ad Martyrium non requiratur mors, nec item tormentorum perpeſſio, ſed ſufficiat capitalis ſententia. Secundò, quòd iſtud Cyprianus probet ex tribus Hebræis juvenibus, quos ad ignes damnavit Rex Nabuchodonoſor. Et probatio eſt firma. Etenim licèt ſententia fuerit miſſa in executionem, iſti tamen juvenes nec fuerunt mortui, nec ab ignibus paſſi quidquam moleſtiæ. Tertiò diſcimus, quòd perpetui exilii ſententia ſit capitali æqualis, ideoque non dumtaxat Confeſſorem faciat, ſed & Martyrem. Quartò, quòd iſtum titulum donet etiam gratioſè remiſſa ſententia, ſeu quòd per gratioſam ſententiæ remiſſionem titulus non aboleatur. Et quidem quòd perpetui exilii ſententia ſit capitali æqualis, eſt fundatum in Romanis legibus.

Hinc etiam de ſuo Sancto Anteceſſore Dionyſio, quem cum Sancto Euſebio Vercellenſi Epiſcopo relegavit Imperator Conſtantius, quòd *in exilii locis, viciniori Martyribus titulo, vitam finie-* Ep. 25.
rit, ſcribit ad Vercellenſem Eccleſiam Sanctus Ambroſius. Affirmat Sanctum Dionyſium eſſe potiori jure Martyrem, quàm Sanctum Euſebium. Quia nempè Euſebius in ſua Eccleſia, Dionyſius ſit in exilio mortuus, ideoque hujus ſolius exilium fuerit ipſa re perpetuum & capitale. Et tamen etiam Euſebium Romana ac omnis ſub cœlo Eccleſia veneratur ut Martyrem. Etiam Sanctum Joannem Evangeliſtam. Sanctus Hieronymus in primo contra Jovinianum libro dat duas cauſas. Prima eſt: *Joannes in Pathmos inſula fuit à Domitiano Principe ob Domini Martyrium relegatus.* Secunda eſt: *Tertullianus refert, quod Joannes Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit, quàm intraverit.* Proindè & ipſe nihil iſtic fuit paſſus. Et utraque cauſa eſt per ſe ad Martyrii titulum ſufficiens. Etiam Sanctum Euſtatium Patriarcham Antiochenum, quem in perpetuum exilium proſcripſerat Euſebiana Arianorum factio, eſſe verum Martyrem affirmat in homiliis ad populum Antiochenum Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et addit cau-
ſam: *Neque mirum vobis videatur, quod ipſo in* Hom. 52.
orationis limine ſanctum Martyrem appellem. Si quidem ſua morte è vivis ſublatus eſt. Quomodo poteſt igitur Martyr eſſe? Sæpè numero dixi vobis Martyrem facere non mortem tantùm, ſed animi quoque propoſitum. Non enim eventu ſolo, ſed etiam voluntate Martyrii corona comparatur. Non quavis, ſed per inſigne Chriſti teſtimonium ſigillata voluntate. Iſtud ipſum repetit in homilia ſuper decimum ca-
put Sancti Prophetæ Jeremiæ, & in homilia ſu- Tomo 5. fol. 9010.
per Pſalmum nonageſimum quintum. Et nervo- Tomo 3.
sè demonſtrat. Etiam ad metalla damnatos San- fol. 1040.
ctus Cyprianus paſſim inſcribit Martyres. Et certè iſta etiam damnatio apud Romanas leges æquivalet ſupplicio capitali. Proindè eos omnes qui pro Chriſto dumtaxat erant comprehenſi & carcerati, antiqua Eccleſia appellavit non glorioſos Martyres, ſed ſimplices Confeſſores. Nondum enim ſolemne Chriſto Domino dixerant teſtimonium, necdum iſtud ſua paſſione

aut damnatione ſigillaverant, adhuc extra & ante judicium confitebantur. Martyr debet eſſe ſolemnis ante Regia Tribunalia in publico judicio Confeſſor & teſtis; Debet hocce teſtimonium aut toleratis tormentis, aut accepta ſententia ſigillaſſe.

Quid porrò & quos Septimius noſter intelligat per deſignatos Martyres, non planè conſtat. Eadem interim phraſi utitur in litteris ad Sanctos Epiſcopos, Dionyſium Mediolanenſem, Luciferum Calaritanum, ac Euſebium Vercellenſem, quos Imperator Conſtantius proſcripſerat, Liberius Pontifex: *Vos accepiſſimos Deo Sacerdotes egregia & ſingularis fides, & hic probabiles Deo oſtendit, etiam ad futuram gloriam Martyres deſignavit*. Exſtat epiſtola inter fragmenta Sancti Hilarii Pictavienſis Epiſcopi. Vocem, *Deſignatos*, quidam putant eſſe reſtringentem, ac aliquantum diminuentem: Diſtinguentem contra Martyres conſummatos. Alii cenſent à Septimio intelligi ſimplices Confeſſores. Et rectè. Iſtam enim vocem direxit ad carceratos dumtaxat, necdum damnatos, necdum caſtigatos, necdum in tormentis aut judicio ſolemniter confeſſos ac teſtatos. Eos appellat Deſignatos atque à Domino Deo electos ad Martyrium, ſeu ad iſtud ſolemne teſtimonium. Nec refert, quòd iſtum ſuum librum inſcribat; *Ad Martyres*. Etenim ſeipſum exponit, dum ſtatim in exordio adjungit: *Deſignati*. Deindè, quis ignoret in Romanorum Præfectorum carceribus fuiſſe Confeſſores diverſorum graduum? Sanctus tamen Liberius videtur, alio ſenſu loqui. Videtur intelligere Deſignatos ad mortem; Martyrium conſummatum. Videtur Deſignatos Martyres diſtinguere contra Conſummatos. Porrò inter ipſos eſt multa differentia, longa diſtantia. Earum una eſt, quòd Deſignatus ſit adhuc in carne & ſanguine filius hujus ſæculi; ideoque extolli poſſit in ſuperbiam, labi in luxuriam, ſchiſma, hæreſim, apoſtaſiam, quodcumque peccatum. Et ita multa exempla nos docuerunt, & coegerunt ad amaras lachrymas.

In Tertulliani circa vocem, *Deſignati*, ſenſu exponendo conſonat nobis Beatus Rhenanus: *Deſignati, id eſt, futuri Martyres, metaphorà ab electis Magiſtratibus ſumpta, qui deſignati dicuntur cum eliguntur. Porrò quos hic alloquitur Tertullianus, nondum Martyrium tulerant ſive fecerant, ſed exſpectabant*. Per Martyrium Rhenanus vult intelligi mortem. Et hinc oritur quæſtio, An Tertullianus ſolos morte conſummatos Martyres cenſeat honorandos iſto titulo? Quidam affirmant. Probant ex libro apologetico, qui inter illos, quibus ſolemnes Fidelium Collectæ ſeu eleemoſynæ ſolebant tunc diſtribui, ponit &

Cap. 39. hos: *Et ſi qui in metallis, ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa Dei Sectæ, alumni confeſſionis ſuæ ſunt*. Per ſuæ confeſſionis alumnos intelligit ſanctos Confeſſores, quos alebat pia Mater Eccleſia. Intelligit non ſolos apprehenſos & carceratos, ſed & per definitivam ſententiam deportatos in inſulam, aut ad metalla damnatos. Hos omnes, quòd nempè necdum eſſent morte conſummati, appellat non Martyres, ſed Confeſſores. Et in libro de Pudicitia

ſcribit: *Quem in prælio confeſſionis tormentis conflictatum ſævitia dejecit*. Tormentorum perpeſſionem vocat non Martyrium, ſed confeſſionem. Solos conſummatos paſſim appellat Martyres. Cap. 22.

Reſpondeo tamen ipſum loqui etiam alio modo. Etenim in libro contra Valentinianos ſcribit: *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex Martyrii Prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ Regulæ abrupit*. Valentini Corrivalem affirmat fuiſſe Martyrem: Quòd nempè aut tormenta, aut capitalem ſententiam ſuſtinuiſſet, vel aliud ſimile Chriſto Domino reddidiſſet teſtimonium. Et de hæreſiarcha Praxea ſcribit: *Praxeas de jactatione Martyrii inflatus, ob ſolum, & ſimplex, & breve carceris tædium*. Notanda ſunt verba: *Solum, & ſimplex, & breve carceris tædium*. Nempè dumtaxat apprehenſus, ac ſine tormentis & ſententia dimiſſus fuerat Praxeas: Hinc Doctor affirmat ipſum non fuiſſe Martyrem. Omninò futurum, ſi vel alterum ſuſtinuiſſet. Proindè Septimius, licèt quandoque ſolos morte conſummatos inſcribat Martyres, quandoque tamen & aliis adſcribit iſtum titulum. Hinc & in libro de corona militis palàm diſtinguit Confeſſores & Martyres. Et hæc phraſis erat tunc omninò vulgatior. Lucet ex Sancti Cypriani litteris ad Presbyteros ſuos ac Diaconos: *Honorem quem nobis Martyres cum Confeſſoribus ſervant. Martyres & Confeſſores. Ante ipſum penè Martyrum exceſſum. Ad Martyres, & Confeſſores, & Plebem. Honorem Martyrum & Confeſſorum pudorem, & Plebis tranquillitatem turbare*. Inter Martyres & Confeſſores apertè diſtinguit. Agit de Indulgentiarum libellis, quos tunc carcerati Confeſſores & Martyres pro pœnitentibus dirigebant ad Epiſcopos. Quod & à Confeſſoribus & à Martyribus mitterentur, frequenter affirmat etiam in aliis epiſtolis. Et ex ipſis patet, quòd Romani tunc carceres non ſolos Confeſſores ſeu Deſignatos Martyres, ſed etiam plenos Martyres continerent. Et in litteris ad Antonianum Epiſcopum ſcribit de Moyſe Presbytero Romanæ Eccleſiæ: *Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc autem & Martyre*. Hic locus altiſſimè clamat non ſolùm mortuos, ſed & vivos fuiſſe Martyres, eoſque diſtinctos à Confeſſoribus, & ipſis eminentiores. Confeſſio erat gradus ad Martyrium. Et in alia ad Martyres & Confeſſores epiſtola ſcribit: *Ex quibus quoſdam jam comperi coronatos, quoſdam ad coronam gloriæ proximos, univerſos autem, quos glorioſo agmine carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos*. Hinc vides tria. Primò, quòd alii Martyres, alii eſſent Confeſſores. Secundò, quòd Martyrum alii eſſent coronati, alii coronæ proximi, utique pluſquam Deſignati. Tertiò, quòd carcer & Confeſſores & Martyres includeret. Sunt tamen & loca in

Cap. 4. Cap. 1. Epiſt. 9. Epiſt. 52. Epiſt. 7.

quibus

quibus vocem, *Confeſſor*, etiam pro Martyribus Cyprianus accipit. Quia nempè omnis Martyr eſt etiam Confeſſor.

Dominus Cardinalis Cæſar Baronius hæc de re ſcribit in Notis Romani Martyrologii: *Juxta Sancti Cypriani ſententiam, qui non interpellatus ſe Martyrio ingerebat, hic dicebatur Profeſſor, ſi adhuc autem quis timore correptus, ne fidem proderet, ſua ſuoſque relinquens, exilio ſpontaneo procul à patria vitam ageret, hic appellabatur Extorris. Cujus non erat deſpicienda conditio. Nam & numero Martyrum recenſendus erat, ſi ea de cauſa mortem oppetiiſſet.* Præter Confeſſoris ac Martyris ſolemnes titulos affirmat fuiſſe olim & duos alios: Profeſſoris & Extorris. At vocem, *Profeſſor*, nec in Sancto Cypriano inveni hactenùs, in nec Tertulliano, niſi me fallat memoria. Titulus tamen fundamentum habet in Sancti Cypriani ad ſuum Clerum & populum ultima epiſtola, quæ mandat, ut poſt ejus mortem cuncti ſe rectè gerant, omnis apprehenſus ſit conſtans, & ne-
Ep. 83. mo ſe offerat. Et addit cauſam: *Dominus nos confiteri magis voluit, quàm profiteri*. Confiteri ad apprehenſos, ad ſe offerentes refert profiteri. Et in ſermone de Lapſis memorat Proconſularia Edicta, quæ omnes Chriſtianos mandabant intra certum diem accedere ad Curiam, & Deos profiteri, atque adjungit: *Quiſquis profeſſus intra diem non eſt, Chriſtianum ſe eſſe confeſſus eſt*. Profeſſionem, licèt rei pravæ, adſcribit ultrò id agenti. Proindè laudatus à Domino Cardinali titulus habet fundamentum.

Extorris titulum habes apud Sanctum Cyprianum in litteris, quibus Epiſcopi, Caldonius, Herculanus, & Victor Rogatiano, ac Numidico Presbyteris denuntiant quoſdam à ſe excom-
Ep. 39. municatos Feliciſſimi Diaconi ſchiſmaticos Sectatores: *Repoſtum de Extorribus. Sopronium, & ipſum de Extorribus*. Verùm hic titulus non ſolis ſpontaneis, ſed & proſcriptis ob fidem exulibus olim omninò competiit. Lucet ex Sancti Cypriani ad Rogatianum Presbyterum & alios Confeſſores litteris, quæ inter cæteros quorundam
Ep. 7. Confeſſorum exceſſus ponit & hunc: *Alius in eam patriam, undè Extorris factus eſt, regreditur, ut deprehenſus non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat*. Utique nocens ob violatam exilii ſententiam. Quam violationem eſſe crimen Sanctus Cyprianus affirmat in aliis etiam epiſtolis. Et in litteris ad Martyres & Confeſſores: *Suſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit* Extorres. Quare in litteris ad Sanctum Papam Lucium, ac in litteris ad Florentium Pupianum, Extorres vocat Relegatos. Eoſdem in ſermone de Lapſis appellat Proſcriptos. Attamen & voluntarios exules in hoc ſermone laudat. Etiam in libro exhortatorio ad Martyrium. Quare hi omnes olim habebant titulum *Extorris*. Erant igitur quatuor tituli: *Martyr*, *Confeſſor*, *Profeſſor*, *Extorris*. Sanctus Cyprianus de ipſorum non tantùm in hæreſes aut ſchiſmata, ſed & in fraudes, ſtupra, atque adulteria lapſu ſcribit zelosè ac eleganter in libro de Unitate Ecclefiæ: *Confeſſio immunem non facit ab inſidiis Diaboli, aut contra tentationes & pericula, & incurſus atque impetus ſæculares, adhuc in ſæculo poſitum perpetua ſecuritate defendit. Quidquid ante finem fuerit, gradus eſt quo ad ſalutis faſtigium adſcenditur; non terminus quo jam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum majus eſt, quia plus adverſarius provocatus eſt. Confeſſor eſt, hoc magis ſtare debet cum Evangelio Domini, per Evangelium gloriam conſecutus à Domino*. Addit de iſta gloria non oportere extolli, ſed omni diſciplinæ, humilitati præſertim, eſſe inſiſtendum ſtudioſiſſimè, atque proſequitur: *Non idcircò Apoſtolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum ſocietate defecit; ſic & hic non ſtatim Confeſſorum ſanctitas & dignitas comminuta eſt, quia quorumdam fides fracta eſt*. Quæ omnia tradit etiam in ſermone de Lapſis, ac in variis epiſtolis: Præſertim in epiſtola ad Rogatianum Presbyterum.

Et iſtos Confeſſorum aut Martyrum lapſus fuiſſe ſemper graviſſimum in Eccleſia ſcandalum, rectè affirmat Septimius. Etenim de Maximo Romanæ Eccleſiæ Presbytero, Nicoſtrato Archidiacono, & quibuſdam aliis ad Novatiani ſchiſma & hæreſim delapſis Confeſſoribus ſcripſit ad Sanctum Cornelium Pontificem Martyr Cyprianus: *Hic quoſdam fratres noſtros error induxerat, quòd ſibi communionem Confeſſorum ſequi viderentur*. Ep. 47. Confeſſores ſunt Eccleſiaſtici corporis oſſa, ideoque illis confractis aut concuſſis non poſſunt non quævis alia infirmiora membra aut frangi aut laxari, & quævis firma non quaſſari ac mœrore turbari. Sunt Eccleſiaſticæ communionis radix, cui quis adhærens ſemper credidit ſe non poſſe deviare. Quòd inſuper eſſent infallibilis Nota veræ Eccleſiæ, crediderunt Montaniſtæ. Etenim de ipſis ſcribit apud Cæſarienſem Euſebium laudatus Apollonius: *Cùm jam omnia illorum argumenta, quæ ſuprà poſuimus, ſint penitùs confutata, & nihil habeant quod dicant amplius, ad Martyres confugiunt, & ſe affirmant complures habere Martyres, atque hoc eſſe certum argumentum veritatis & potentiæ, quæ eſt in Prophetico illorum ſpiritu abdita*. Lib. 5. cap. 15. Addit etiam Marcionitas, ac alios hæreticos in eodem argumento ſe fundaſſe. In ipſum adeò ſperarunt Donatiſtæ, ut ſe jactarent ac appellarent *Eccleſiam Martyrum*. Et apud gregariam Chriſti Domini multitudinem argumentum non caret fuco. Hinc enim quidam Africani fideles maluerunt Apoſtatis Romanorum Confeſſoribus adhærere & communicare, quàm ſuis Epiſcopis, quàm glorioſo Martyri & Primati Cypriano. Et hinc idem Cyprianus, quouſque Romanos iſtos Confeſſores reduxiſſet ad Catholicam unitatem, ſibi ipſi nullas fecit cogitandi & laborandi ferias; & poſt reductos perrexit in eadem ad Cornelium epiſtola: *Meritò illos revertentes ſumma, ut ſcribitis, gaudio & Clerus, & Plebs, & Fraternitas omnis excepit, quoniam in Confeſſoribus gloriam ſuam conſervantibus, & ad unitatem revertentibus, nemo non ſocium ſe ac participem eorum gloriæ*

compu-

computat. Hujus diei lætitiam de noſtris poſſumus ſenſibus æſtimare. Nam cùm iſtic ad litteras veſtras, quas de eorum confeſſione miſiſtis, lætatus ſit omnis Fratrum numerus, & ſumma alacritate hunc nuntium communis gratulationis exceperit, quid illic, ubi res ipſa & præſens lætitia ſub oculis omnium gerebatur? Epiſtola, qua iſtorum Confeſſorum reditum ſignificavit Sancto Cypriano Cornelius, eſt omninò legenda. Etiam aliæ litteræ Sancti Cypriani de eadem materia. Ex ipſis videbis ex Confeſſorum aut Martyrum lapſu ſummum ſcandalum ac mœrorem, ex eorundem reditu ſummum Eccleſiæ fuiſſe gaudium, ac publicum feſtum. Etiam in Tranſmarinis Eccleſiis.

Ex perſonis probamus fidem, &c.

Plures Romani Imperii illuſtres perſonas eſſe adhuc Paganas, ac Evangelio potenter adverſari, queritur in quinquageſimi quarti Pſalmi Commentario Sanctus Auguſtinus, atque adjungit: *Ille Nobilis ſi Chriſtianus eſſet, nemo remaneret Paganus. Plerumque dicunt homines: Nemo remaneret paganus, ſi ille eſſet Chriſtianus. Plerumque dicunt homines: Et ille ſi fieret Chriſtianus, qui remaneret paganus? Quòd ergò nondum ſunt Chriſtiani, quaſi muri ſunt civitatis illius non credentis, & contradicentis: Quamdiu iſti muri ſtabunt? Non ſemper ſtabunt.* Fidelis plebs terrenæ civitatis muros optat converti in muros Civitatis cœleſtis. Etenim Chriſtiani Nobiles ſunt reverà munimen ac tutela Eccleſiæ. Et hinc ſibi ad illuſtres præſertim perſo-

Epiſt. 164. nas è Donati parte ad Catholicam Matrem reducendas fuiſſe ſingulare ſtudium, in litteris ad Emeritum iſtius partis Cæſarænſem in Mauritania Epiſcopum profitetur Sanctus Auguſtinus. Eſt Apoſtolicum ſtudium. Etenim ad Philippenſes ſcripſit è Romana ſua captivitate Sanctus Paulus Apoſtolus: *Scire vos volo, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto, in omni Prætorio.* Et infrà: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.* Erat reverà magnus Evangelii profectus, natus è ſingulari Sancti Apoſtoli erga illuſtres perſonas ſtudio. Ex ſtudio erga Evangelium, cui talium perſonàrum acceſſio non poteſt non plurimùm prodeſſe. Hinc etiam Romanum Clerum in Conſulari viro Prætextato convertendo plurimùm laboraſſe ſcribit Sanctus Hieronymus. Et jure merito. Etenim tales à Chriſto Domino comprehenſæ perſonæ tandem ad illum ducunt ipſum etiam ſupremum Principem, de cujus communione Palatinus Valentis Præfectus, & magnus noſter Baſilius dixerunt ad invicem: *Ne tu nihili facias, quod magnus Imperator tuo populo inſeri cupiat.* Hæc Præfectus. Et Baſilius: *Imperatorem in Eccleſiam recipi eſt res omnium graviſſima.* Et Præfectus dedit rationem: *Patiaris ipſius quoque Magiſter nominari.* Ita habes apud Sanctum Gregorium Nyſſenum Epiſcopum in primo libro contra Eunomium. Et certè quòd unius iniqui hominis converſio ſit cœli & terræ creatione majus Divinæ Majeſtatis opus, aſt communis Patrum doctrina. Quantum ergò miraculum eſt converſio ipſius Imperatoris? Hinc inter Chriſti Domini ſumma miracula Sancti Patres numerant & hoc: Quòd Piſcatores ſubegerint Imperatores. Quòd Romæ ad Piſcatoris & Pellificis tumulum Imperatores adorent. Quòd illic Piſcator habeat Baſilicam omni Auguſto Palatio ſuperbiorem. Quòd etiam in Regum frontibus fixa ſplendeat iſta crux, cui antea totus mundus inſultavit. Hinc ob converſum Conſtantinum publicas feſtivitates egit omnis Eccleſia, & ſolemniſſimas egit Deo gratias. Enata exindè animarum lucra quis ignoret? Ab Ario converſum Richaredum omnis Hiſpania veneratur non duntaxat ut Regem, ſed etiam ut Apoſtolum. Et certè ſimilium Regum Apoſtolatus fuit potentiſſimus. E contrario dum Imperator, Rex, aut quæ eminens mundi Poteſtas cadit à fide, concutiuntur omnia Reipublicæ elementa, omnium Eccleſiarum cythara vertitur in luctum. Et jure merito. Iſtiuſmodi namque Poteſtates ſic fiunt ſerpentes, qui ſua cauda quandoque tertiam, quandoque longè majorem è cœli ſtellis partem trahunt ſecum ac dejiciunt in terram, in abyſſum æternæ damnationis. Ita factum Majores noſtri viderunt in Apoſtaſia Juliani, Valentis, Zenonis, Anaſtaſii, Leonis Iſauri, ac aliorum Imperatorum. Et nos videmus in Anglia, Dania, Suecia, ac aliis Europæ Regnis. Similes Dracones per Apoſtaſiam fiunt etiam Epiſcopi, Doctores, Martyres, aliæque ſpectabiles in Eccleſia perſonæ. Quamvis non ſeducant, ſcandalizant, ac infirmorum conſcientias percutiunt. Quòd Himenæus ac Philetus, magni utique Doctores, dum à fide exciderunt, quorumdam infirmorum fidem non ſolummodò concuſſerint, ſed etiam ſubverterint, ſcribit Apoſtolus in ſecunda epiſtola ad Timotheum. Ad ſimilium ere- Cap. 2.
ctionem & conſolationem hic ſcribit Septimius, non fidem ex perſonis, ſed perſonas ex fide pendere ac oportere probari. Eodem modo ſcri- Cap. 14.
bit in libro de Velandis Virginibus: *Virgines Eccleſiam, an Eccleſia Virgines ornat Deo ſive commendat?* Eſt ſolatium mutuatum ex Apoſtolo, qui ad infirmos fideles de Phileti & Hymenæi lapſu animandos & ſolandos ſcripſit Sancto Timotheo: *Fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Cognovit Dominus qui ſunt ejus. Et diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Iſtud Dei fundamentum eſt Catholica Mater Eccleſia, magna domus ſupra petram fundata, adversùs quam nulla inferorum porta, nullus infidelium impetus, nullus Apoſtatarum livor poſſit prævalere. Eſt à Deo ſacratus & ſignatus fons, cui bibentes non proſunt, ſed ipſe prodeſt bibentibus. Omnes nos etiam illi debemus dicere: *Bonorum meorum non eges.*

Quòd Magnatum ac Sapientum converſio plu-

rimum

ſimùm proſit Eccleſiæ, ideoque ſtudioſiùs procuranda ſit ac optanda, variis in locis docet,
ac ex Apoſtolo demonſtrat Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. Hæc Sancti Pauli ad Romanos
verba, *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*,
commentatur: *Aut gaudebant robuſti, qui crediderunt cæteri, quia videbunt Principes ſuos fratres
ſibi factos in fide; aut certè qui non crediderant, poterunt credere horum exemplo. Facilè enim facis inferior, quòd fieri viderit à Potiori.* Et ad verba,
quibus Apoſtolus ſibi optat occaſionem veniendi
Romam, ſcribit: *Majus gaudium eſt, ſi Potentes
mundi convertuntur ad Deum. Quia quantò inimici
graves ſunt, tantò magis reconciliari neceſſarii.* Et
ad verba, quibus Apoſtolus profitetur ſe promptum Romanis etiam evangelizare: *Quamvis miſſum ſe prædicare omnibus dicat Gentibus, promptum tamen ſe Romanis aſſerit tradere Evangelium
Gratiæ Dei, apud quos Regni caput & ſedes eſt. Ad
membrorum enim utilitatem vel requiem pertinet, ſi
caput inquietum non fuerit. Ideò Romanorum pacem
optat, ut non multùm ſe jactet Satanas, & uberiores fructus habeat operis ſui.* Eadem in epiſtola
ſcribit Sanctus Paulus: *Salutate Epænetum, dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.* Et
Hilarus dat cauſam: *Hujus Epæneti etiam præſentem dignitatem non tacet, ut oſtendat & dignitoſos
credere.* Etiam ad hæc Apoſtoli verba, *Gaudeo
de vobis*, ſcribit: *Gaudet quia Romani, qui Regnum habere videntur, ſubjecerunt ſe Fidei Chriſtianæ.* Pergit Apoſtolus: *Salutat vos Eraſtus diſpenſator Civitatis.* Et Hilarus: *Diſpenſator Civitatis eſt quaſi curator, qui dictante juſtitia gubernabat Civitatem, maximè in pactis moderandis. Hos
omnes ideò nominatim enumerat in ſalutatione Romanorum, ut ſcirent quales & quanti congaudent bono
cœpto illorum.* Et Pontium ſuum Diaconum, qui
Imperatores Philippos convertit ad fidem, Romana Eccleſia ſingulari encomio ornavit in ſuo
Martyrologio.

Nemo Sapiens, niſi Fidelis, &c.

Quòd omnes hæretici lucidam ſcientiam ac
ſapientiam jactent atque promittant, ſcribit in
octavi Pſalmi Commentario Sanctus Auguſtinus. Et in quadrageſimo quinto ſuper Sancti
Joannis Evangelium Tractatu adjungit: *Se videntes non ſolùm jactant, ſed & à Chriſto illuminatos videri volunt.* Quin immò de Gnoſticis,
quos hoc in libro præſertim impugnat Septimius,
Lib. cap. 3. ſcribit Sanctus Irenæus: *Dicunt ſe non ſolùm Preſbyteris*, ſeu Epiſcopis, *ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores ſinceram inveniſſe veritatem.* Immò
& ſupra ipſum Chriſtum Dominum ſapere: *Se
indubitatè, & incontaminatè, & ſincerè abſconditum ſcire myſterium.* Se cum Sancto Paulo poſſe
dicere: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Hinc
ſe non qualeſcumque Doctores appellari voluerunt, ſed Gnoſticos. Porrò Epiſcopi, Doctores, Martyres, Presbyteri, Diaconi, Viduæ,
ac Virgines habent plenum ſapientiæ teſtimonium & authoritatem, ideoque eorum lapſus infirmam plebem peſſimè percutit & ſcandalizat.
Creduntur non poſſe cadere in tenebras, ideoque
in ignoratum anteà, & tunc repertum lumen adſcendiſſe. Et iſtud de ſeſe jactitant. Ipſe noſter
Tertullianus, dum ad Montani anteà à ſe nervoſè impugnati ſordes fuit delapſus, tamquam novo perfuſus lumine ſcribere non erubuit in libro
de Pudicitia: *Erit igitur & hic adverſùs pſychicos* Cap. 1.
*titulus, adverſùs meæ quoque ſententiæ retrò penes
illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Nunquam ſocietatis repudium delicti
præjudicium eſt: Quaſi non facilius ſit errare cum
pluribus, quando veritas cum paucis ametur. At
enim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam
ornavit nocens. Non ſuffundor errore quo carui, qui
caruiſſe delector. Quia meliorem me & pudicitiorem
recognoſco. Nemo proficiens erubeſcit. Habet & in
Chriſto ſcientia ætates ſuas, per quas devolutus eſt
Apoſtolus.* Cùm parvulus, *inquit*, eſſem, tamquam parvulus loquebar, tamquam parvulus ſapiebam. At ubi vir ſum factus, ea quæ parvuli
fuerant evacuavi. *Adeò divertit à ſententiis priſtinis, nec idcirco deliquit quod æmulator factus eſt,
non Paternarum traditionum, ſed Chriſtianarum;
Optans etiam ut præciderentur, qui circumciſionem
detinendam ſuadebant. Atque utinam & iſti, qui
meram & veram integritatem carnis obtruncant.*
Suam perverſionem Sancti Pauli Apoſtoli converſioni æquiparare, ac eidem principio adſcribere
non erubuit. Hinc ejus de oratione librum laudat
in S. Matthæi commentariis S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, & adjungit: *Sed conſequens error* Can 5.
hominis detraxit Scriptis probabilibus authoritatem.
Ejus contra Gnoſticos eruditiſſima opera prædicat etiam Vincentius Lirinenſis, & addit: *Et
fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio.* Nam de
ſuo nomine abortivit Tertullianiſtas. Præſentem
librum ſcripſit adhuc ſanus, ideoque adverſùm
ſimiles tentationes rectè dedit hoc antidoton:
Nemo ſapiens niſi fidelis; nemo major niſi Chriſtianus, nemo autem Chriſtianus, niſi qui ad finem uſque perſeveraverit. Eſt firmum antidoton. Etenim omnis hæreticus tantis paraſangis diſtat à
veræ ſapientiæ gratia & lumine, ut ſi cœcus &
ſtultus. Stultitia & hæreſis ſunt genus & ſpecies.
Ita affirmat in libro de Pelagii apud Dioſpolitanam Synodum Actis Sanctus Auguſtinus: *Omnis* Cap. 6.
hæreticus conſequenter & ſtultus eſt, non autem omnis ſtultus continuò eſt appellandus hæreticus. Et infrà: *Si hæreſis eſt procul dubio & ſtultiloquium eſt.*
Quod præſertim verum eſt de Gnoſticis, & cunctis ipſorum ſurculis. Eorum dogma omnis Eccleſia ſemper appellavit duplicis Divinitatis fabulam. Eſſe fabulatricem ſtultitiam frequenter in
libris contra Manichæos, & contra legis ac Prophetarum Adverſarium affirmat ac demonſtrat S.
Auguſtinus. Et quænam ſtultitia poſſit eſſe Helleboro dignior? Etiam de Arianis, Euſebianis, Eunomianis, ac Macedonianis ſcribit in vigeſima
ſexta Oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus:
Ingenia magna & ferventia tumultus iſtos, in quibus

ver-

verſamur, excitarunt. *Non illa quidem ſimpliciter magna & ferveutia, ſed quæ cum generoſitate imprudentiam & inſcitiam, & qui malus ipſius fætus eſt, temeritatem conjunctam babeant. Siquidem inſcitiæ fætus eſt temeritas.* Temeritas eos ex inſcitia dejecit in ſtultitiam. Er de Eunomianorum Congerronibus Ætianis babet Sanctus Epipha- Lib. 15. cap. 1. nius: *Hæreſis ex peſſimo conſilio profecta eſt. Sive illos gloriæ cupiditas aut arrogantia, ſive voluptatum libido, ſive aliorum æmulatio, ſive commotio quædam animi aut temeritas impulerit. A Diabolo porrò omnis illa eſt inflicta cæcitas.* Cunctos de Divina veritate dumtaxat dubitantes eſſe & cæcos & & ſtultos affirmat in qnarti Pſalmi commentario etiam Sanctus Auguſtinus. Et quid opus multis teſtibus? Ad lapſos, aut ſortè dumtaxat ceſpitantes Galatas ſcripſit Apoſtolus: *O inſenſati* Luc. 24 *Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Er ad dubitantes de ſua Reſurrectione Diſcipulos ipſe Chriſtus: *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ!* De vera enim ſapientia dicit Spiritus Sanctus: *Initium ſapientiæ eſt timor Domini.* Eſt unum è ſeptem ejus donis, ideoque in cordibus noſtris diffuſa Dei charitas, per cujus lumen deducimur in omnem veritatem. Hinc igitur dicit Doctor: *Nemo ſapiens niſi fidelis.* Dicit nos, dum quis Epiſcopus aut Doctor in hæreſim aut ſchima labitur, non plus oportere turbari, quam ſi eorum quis moto cerebro ſtultus, aut læſis oculis fiat cœcus.

Fidelis.

Vox *Fidelis*, & vox *Chriſtianus*, apud Antiquos paſſim fuerunt diſtinctæ ſignificationis. Hinc ſeptimus Conſtantinopolitanus Canon dicit Gentiles primùm Chriſtianos fieri, deindè Catechumenos, ac tandem poſt varii gradus tranſitum baptizari, atque ita fieri fideles. Et hinc olim prima Gentilium ad fidem noſtram adſpirantium vox apud Epiſcopum aut Presbyterum fuit: *Domine, volo Chriſtianus fieri.* Et de primo Epiſcopi aut Presbyteri in ejuſmodi petentis actu ajunt frequenter Geſta Martyrum: *Fecit illum Chriſtianum.* Utique impreſſo ſigno Crucis. Solus ergò baptizatus eſt Fidelis. Chriſtianus autem necdum eſt Catechumenus, ſed dumtaxat ad Catechumenatum deſignatus ſeu admiſſus. Quo ſenſu etiam Canones Trullani loquuntur, eandemque phraſim quandoque ſecutus eſt Sanctus Auguſtinus. Hic tamen Tertullianus utram- Cap. 2. que vocem pro eodem accipit. Ita in libro ſecun- Ep. 83 cap. 2. do contra Jovinianum, & in epiſtola ad Oceanum accipit & Sanctus Hieronymus. Quin immò eadem ſignificatione utuntur in lege ad Poſthumianum Prætorio Præfectum Imperatores Gratianus, Valentinianus ſecundus, ac magnus Theodoſius: Chriſtianum cum fideli confundunt. Eadem tamen in lege confundunt Chriſtianum & Catechumenum. Exſtat lex in ſexto-decimo libro Codicis Theodoſiani.

Nemo major niſi Chriſtianus.

Simplicem Chriſti plebem, ex Epiſcoporum, Doctorum, aut Martyrum lapſu turbatam & ceſpitantem, Doctor confirmat alio argumento: Quòd ſub ſole nihil ſit vero Chriſtiano majus. Quòd firma Chriſtianitas ſeu juſtitia ſit non tantùm Virginum, Viduarum, Diaconorum, ac Presbyterorum, ſed etiam Doctorum, Martyrum, ac Epiſcoporum gradu & dignitate eminentior, ideoque firmus Chriſtianus plus ponderis & authoritatis habeat ad nos in Catholica Eccleſia firmandos, quàm quivis alius ad nos ſuo lapſu circumſcribendos ac dejiciendos. Veram ex Chriſti Domini Fide juſtitiam eſſe omnibus bonis majorem demonſtrat in litteris ad nobilem viduam Probam Sanctus Auguſtinus. Eſt enim Ep. 121. Regnum, Sacerdotium, Divinæ naturæ con- cap. 2. ſortium, ejus in nobis habitatio, incomparabilis in fictili vaſe theſaurus, aliorum omnium Divinorum donorum fundamentum. Et Virgo, Vidua, Diaconus, Presbyter, Doctor, Martyr, Epiſcopus, quid ſunt ſine juſtitia? Vaſa ſignata, ſed vacua. Æs ſonans, ac cymbalum tinniens. Antiquus ille & venerabilis Scriptor, quem paſſim credunt Sanctum Dionyſium Areopagitam, in Eccleſiaſtica Hierarchia juſtificationem humanam definit hoc modo: *Eſt ineffabiliſſima Divini noſtri ſtatus fabricatio.* Eſſe opus mortuorum reſuſcitatione majus docet in noni Pſalmi Commentario Sanctus Auguſtinus: *Terrent homines, & oculis dediti, magis mirantur re-* Cap. 2. *ſurrexiſſe in corpore mortuum Lazarum, quàm reſurrexiſſe in anima perſecutorem Paulum.* Eos graviter arguit. Iſtud ipſum docet in prima Concione ſupra Pſalmum octogeſimum octavum. Conſonat in quadrageſima ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Eſt longè majus peccata delere, quàm corpus ſuſcitare.* Et in quarta homilia ſuper epiſtolam ad Epheſios: *Majus eſt morte affectæ mede-* Tom. 5. *ri animæ, quàm ſuſcitare mortuos.* Et in homilia fol. 692. de Chriſti Domini precibus: *Quid majus eſt, peccata dimittere, an panes creare? Nonne manifeſtum eſt hoc eſſe majus?* Et in homilia de Chananæa muliere ſcribit: *Numquid potes modum expo-* Tom. 6. fol. 298. *nere, quo creatus es? Sic neque potes effari modum, quo peccata tolluntur.* Neque mireris. Etenim in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Prorſùs majus hoc, utique ex impio facere pium, eſſe dixerim, quàm eſt cœlum & terra, & quæcumque cernuntur in cœlo & in terra. Et cœlum enim & terra tranſibit, prædeſtinatorum autem ſalus & juſtificatio permanebit. In illis tantùm opera Dei, in his autem eſt etiam imago Dei.* Hocce miraculum aſſerit eſſe illud, de quo dixit in Evangelium Dominus: *Qui* Joan. 14. *credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Addit iſtud miraculum eſſe in Eccleſia quotidianum ac perpetuum. Quo-

tidie

tidie fieri à veris Chriſtianis. Hi enim operanti in ſe Deo cooperantur, ideoque ſemetipſos faciunt ex impiis pios, ex ebrioſis ſobrios, ex impudicis caſtos. Adjungit Auguſtinus & hanc quæſtionem: *In cœlis Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Archangeli, Angeli ſunt opera Chriſti. Numquid etiam his operibus majora facit, qui operanti in ſe Chriſto cooperatur ſalutem æternam ac juſtificationem ſuam?* Et reſpondet: *Non hic audeo præcipitare ſententiam. Intelligat qui poteſt, judicet qui poteſt, utrùm majus ſit juſtos creare, quàm impios juſtificare. Certè enim ſi æqualis ſit utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ. Hoc eſt enim magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.* Ex adeò firmis fundamentis Tertullianus hic ſcribit nihil in mundo eſſe Chriſtiano majus: Chriſtianum eſſe Epiſcopo, Martyre, Doctore, omni Eccleſiæ gradu eminentiorem. Utique integrum Chriſtianum lapſo Martyre, Doctore, Epiſcopo. Integer enim Epiſcopus eſt non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Chriſtianus. Septimii ergò argumentum eſt omninò firmum.

Nemo Chriſtianus, niſi qui ad finem, &c.

Quòd verus Epiſcopus, verus Doctor, verus Martyr, ac quivis verus Chriſtianus poſſit à vera ſua juſtitia labi, palàm & hic & in aliis locis docet Septimius. Proindè ab errore, qui ſolos ad perſeverantiam electos garriit fieri veraciter juſtos, eſt omninò alienus. Qui aliud exiſtimant, inſigniter hallucinantur. Vult non quemvis, ſed ſolum ad perſeverantiam ac ſempiternam ſalutem electum Chriſtianum eſſe eminentiſſimum totius mundi theſaurum: Et nihil eſſe ipſo majus. Ejus exemplum debere nobis eſſe majoris authoritatis, quàm lapſum cujuſcumque Epiſcopi aut Doctoris. Loquitur de Chriſtiano, non cujus nos faciem, ſeu externam profeſſionem videmus, ſed cujus intima intuetur Deus. Qui ſpectat ad Dei fundamentum, de quo ſcripſit Timotheo Apoſtolus: *Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Qui ſit numquam eradicanda Dei Patris plantatio: Non excutienda per ventilabrum, aut rapiente vento avolatura palea, ſed firmum triticum. Eodem modo jam audivimus loquentem Sanctum Auguſtinum: *Cœlum & terra tranſibit, Prædeſtinatorum autem ſalus & juſtificatio permanebit.* Temporali Chriſtiano non tantùm ſtabilis in perpetuum Chriſtianus, ſed etiam Epiſcopus, Doctor, Presbyter, ac Martyr temporales ſunt multò majores. Omnes ſunt leves paleæ, attamen variæ. De ſolis electis dictum eſt: *Ecce omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

Proindè hic per Chriſtianum non quemvis Chriſti Domini charactere ſignatum, nec quemvis Chriſtiana vita fulgentem Septimius intelligit, ſed ſolos illos, qui in Chriſti corpore ſunt firma membra, ac ipſa oſſa, quibus Sanctus Auguſtinus applicat hæc trigeſimi tertii Pſalmi verba; *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Et commentatur: *Oſſa ſunt firmamenta fidelium. Quomodo enim in carne noſtra oſſa faciunt firmamentum, ſic in corde Chriſtiano fides facit firmamentum. Patientia ergò, quæ in fide eſt, oſſa ſunt interius. Ipſa ſunt quæ frangi non poſſunt.* Quod ipſum docet, & largiùs elucidat etiam in aliis locis. Et ad centeſimi primi Pſalmi hæc verba, *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt*, ſcribit Sanctus Proſper: *Oſſa dicuntur hi, qui ſunt in Chriſti corpore fortiores, quorum firmitate omnium compago membrorum munitur, dicente ipſo fortiſſimo Paulo, Quis ſcandalizatur, & ego non uror!* Sunt non dumtaxat in Chriſti corpore, ſed ipſum Chriſti corpus, quòd nulla creatura, nulla libido, nulla violentia poſſit à ſuo capite in perpetuum ſeparare. Audi cauſam: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm Propoſitum vocati ſunt Sancti.* (Ad Rom. 8.) Hoc totum corpus eſt omni oſſe firmius. Singula ipſum componentia oſſa ſunt immobiles per omnem æternitatem Chriſtiani. Eos hic laudat ac attendendos & imitandos mandat Septimius,

Avolent paleæ levis fidei, &c.

Doctor pergit in ſuo argumento. Affirmat omnes temporales, etiam Epiſcopos & quoſvis alios Eccleſiæ gradus, qui ad ſchiſmata aut hæreſes ſine reditu deficiunt, eſſe levis fidei paleas, ideoque ex eorum lapſu & avolatione nullum hæreſi aut ſchiſmati accedere momentum authoritatis, nullum ſtabilem Chriſtianum oportere exhinc turbari. Porrò quoſvis temporales juſtos non tantùm antiqui Prophetæ, ſed etiam in Evangelio Sanctus Joannes Baptiſta appellavit paleas, apud Sanctum Matthæum dicens de Chriſto Domino: *Cujus ventilabrum in manu ſua. Et permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili*, (Cap. 3.) Paleas in ſola area ponit, non in horreo. Horreum enim eſt futurum Chriſti Regnum, area verò eſt præſentis temporis Eccleſia, locus trituræ. Et omnes temporales juſti rectè appellantur palea levis fidei. Quid enim palea levius? Et Septimius addit ipſam tentationum flatu avolare, Utique ex Eccleſiæ area ad hæreſes ac ſchiſmata, ad mundum vanitatis. Et Sanctus Auguſtinus in ſecunda Concione ſuper Pſalmum trigeſimum quartum opponit *gravem Dei populum*, grave frumentum. Quod per paleam & triticum, quæ ſimul miſcentur in area, ſignificentur in eadem Catholica communione permixti electi ac reprobi, eſt vulgatiſſimum apud omnes Patres. Et in ſexti Pſalmi commentario ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Vel nunc, quia etſi pariter atque iiſdem conventiculis continentur, tamen in area nuda jam grana ſeparata ſunt à paleis, quamvis inter paleas lateant.*

lateant. *Simul itaque verſari poſſunt, ſimul verò auferri vento non poſſunt*. Paleæ cum ſolido tritico jacent in eadem area, verùm per firmæ charitatis ac fidei, ac præſertim per Divinæ electionis fibulam illi non uniuntur, ideoque tentationis vento auferri poſſunt, ac avolare. Hoſce ventos
Lib. 15. cap. 1. ſupra nobis edixit Sanctus Epiphanius: *Gloriæ cupiditas aut arrogantia, voluptatum libido, aliorum æmulatio, commotio animi, temeritas*. Extremus judicii dies erit dies generalis ventilationis: Dominus tunc accepto Divinæ poteſtatis ventilabro purgabit aream, ſeparans triticum à paleis. Iſtud tempus nolunt, aut non permittuntur exſpectare noſtri Apoſtatæ, ſed alto Dei judicio eligunt moveri & abripi aliquo tentationis vento, & ad ſchiſma aut hæreſim avolare. Et hanc avolationem non ſolummodò Paulus Apoſtolus, ſed etiam è ſua area paſſus eſt ipſe Dominus. Ex Apoſtolica Phigellus, Hermogenes, Hymenæus, Philetus, ac Alexander, ex Dominica area avolarunt cuncti præter Apoſtolos diſcipuli, ac ex ipſis item Apoſtolis traditor Judas. Neophytæ tunc modica, adultæ nunc Eccleſiæ area eſt ampliſſima. Hinc Septimius rectè affirmat non eſſe admirandum, ſi etiam ex hac non deſinat levis fidei palea avolare. Ejus mentem elucidat in litteris ad Romanos, qui è Novatiani ſchiſmate ad Catholicam Matrem redierant, Confeſſores Sanctus Cyprianus: *Etſi videntur in Eccleſia eſſe Zizania, non tamen impediri debet aut Fides aut Charitas noſtra, ut quoniam Zizania in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus: Ut cùm cœperit frumentum Dominicum horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus*. Septimius mandat, ut nec ob reperta in Dominico agro zizania, nec cum ipſis, quæ ſunt iſtud ipſum quòd avolantes paleæ, quandoque ſemet eradicantibus, avolemus & nos eradicemus. Mandat ut imitemur Chriſti Domini Apoſtolos & Sancti Pauli Apoſtoli Diſcipulos, quos neque Judæ, neque Phileti, aut aliorum tunc in Evangelio gigantum lapſus commoverunt.

Quæſtio eſt, An omnes ad hæreſes aut ſchiſmata declinantes Epiſcopi, Doctores, Martyres, aliique Eccleſiæ gradus ſint levis fidei palea? Ratio dubitandi eſt: Quia quis noſtrum Septimium Tertullianum, Origenem, Luciferum Calaritanum Epiſcopum, Hilarum Romanæ Eccleſiæ Diaconum, alioſque ſimiles ſummæ ſcientiæ ac juſtitiæ viros, quos labi vidimus, dicat fuiſſe levis fidei? Fuerunt palea, ſed nequaquam levis fidei. Sanè exilia & alia tormenta, quæ Lucifer & Hilarus ab Arianorum Auguſto Satellite Conſtantio ſuſtinuerunt & vicerunt cum gaudio, ſuſtineri & vinci non potuerunt ſine fide & charitate robuſta ac perfecta. Etiam Romanæ Eccleſiæ Presbyteri & Confeſſores, quos extra Catholicam communionem traxit ſchiſmatica Novatiani verſutia, nullo modo fuerunt levis fidei. Eos enim reduxit Divina gratia, & ipſorum quoſdam per nova poſtmodùm certamina coronavit in Martyres. Gravem & fortem ipſorum fidem prædicarunt Sanctus Papa Cornelius & glorioſus Martyr Cyprianus. Reſpondeo militantem Eccleſiam eſſe trituræ aream: Et omnem in ipſa juſtum poſſe labi, immò & ex ipſa avolare. Etiam ipſos juſtitiæ gigantes. Non tantummodò levem paleam, ſed & graviſſimum frumentum. Hujuſmodi fuerunt laudati Confeſſores Romanæ Eccleſiæ. At frumentum, licèt quandoque levetur à valido typhone & avolet, redit ſuo tempore. Et hinc quicumque non redituri avolant, ſunt palea levis fidei. Verùm fidei levitas eſt duplex. Alia ob levem in humana mente radicem, alia ob defectum gravis per immobile Divinæ electionis Propoſitum unionis cum Chriſto Capite. Ad priorem fidem Sanctus Auguſtinus in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas accommodat verſum Pſalmi: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur*. Et commentatur: *In Sacramento novi Teſtamenti plerique vivunt animales, qui ſi proficiant, & antequam capiant, ipſo profectu & acceſſu ad novum pertinent. Et ſi priuſquam ſpiritales ſiant, ex hac vita rapiuntur, cuſtoditi per Sacramenti ſanctitatem in terra viventium computantur*. Hanc fidem alibi appellat natam, nutritam, aut adultam, necdum perfectam aut robuſtam. De poſteriori fide dixit apud Sanctum Matthæum Dominus: *Qui ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud, non autem habet in ſe radicem, ſed eſt temporalis. Facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur*. Ejus fides non tantummodò robuſta eſſe poſſit, ſed & perfecta. Verùm quia in immobili Divinæ electionis Propoſito non eſt radicata, eſt temporalis ac levis palea. Gravis ſimul & levis. Alia & alia gravitatis ac levitatis ſpecie.

Lib. 1. cap. 15. Cap. 13.

Nomine ab ipſo Domino, &c.

Quòd Dominus duodecim Apoſtolos, & plures alios inferioris gradus Diſcipulos habuerit, quòd item hi omnes Dominum ob Euchariſtiæ prædicationem, tanquam barbarum & humanas carnes vorari & ſanguinem bibi mandantem, dereliquerint, lucet ex Evangelio. Eos omnes perduraſſe in Apoſtaſia, aſſerere apud Sanctum Auguſtinum videtur Petilianus Conſtantinenſis Donatiſtarum Epiſcopus. At certum eſt errare. Etenim inter eos fuit Sanctus Marcus Evangeliſta, de quo ſcribit in Panario Sanctus Epiphanius: *Marcus erat unus è ſeptuaginta duobus Diſcipulis, qui ob ſermonem illum diſperſi ſunt, quem Dominus locutus fuerat*, Niſi quis manducaverit carnem meam & biberit ſanguinem, non eſt me dignus, *ut ſciunt qui Evangelium legerint. Verùm ille Petri opera reverſus, ac Spiritu Sancto repletus, conſcribendi Evangelii munus accepit*. Erat & Sanctus Lucas, de quo idem Epiphanius: *Lucas unus è ſeptuaginta duobus Diſcipulis, quos Chriſti ille ſermo diſſiparat, quem deindè Paulus Apoſtolus revo-*

revocavit. Quod an plenè verum ſit, ignoro. Multi enim affirmant Sanctum Lucam fuiſſe Sancti Cleophæ in Emmauntis itinere ſocium, ideoque fuiſſe reverſum diu ante Pauli converſionem. Inter eoſdem Diſcipulos creduntur fuiſſe Barnabas, Matthias, Lucius Niger, aliique plures, quos certum eſt rediiſſe. Sub Sancti Dorothei Tyriorum Epiſcopi nomine exſtat libellus edicens ſingulorum nomina: Sed Sanctus Joannes Chryſoſtomus aſſerit ipſa ſingulatim ignorari. Uti interim Sancti Apoſtoli Thomæ incredulitas Dominicam Reſurrectionem, ita horum Apoſtaſia Euchariſticam veritatem inſigniter confirmavit.

Cùm nos oſtendant Chriſtianos, &c.

Vocem, *Chriſtianos*, denuò Tertullianus accipit pro ſolo Chriſti Domini frumento, pro ſolo ejus firmo ac æterno corpore. Et ad ipſum Cap. 2. rectè applicat locum è prima epiſtola Sancti Joannis Apoſtoli: *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum, ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*. Etiam in tertio ſuper Sancti Joannis epiſtolam Tractatu Sanctus Auguſtinus quoſdam Chriſtianos eſſe Chriſti Domini Corpus, quoſdam affirmat eſſe ſolummodò in ejus corpore, atque adjungit: *Concordia membrorum non habet Anti-Chriſtum. Et ſunt qui intùs ſic ſunt in corpore Domini, quomodo mali humores. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus. Sic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et dicit, quando eos evomit atque projicit corpus: Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Quid eſt, Non erant ex me? Non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus mihi premebant, cùm ineſſent. Ex nobis exierunt: Sed nolite triſtes eſſe. Non erant ex nobis. Undè probas? Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Hinc ergò videat Charitas veſtra, quia multi, qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum Sacramenta, accipiunt nobiſcum Baptiſmum, accipiunt nobiſcum, quod norunt fideles ſe accipere benedictionem, Euchariſtiam, & quidquid eſt in Sacramentis ſanctis. Ipſius Altaris communicationem accipiunt nobiſcum, & non ſunt ex nobis. Tentatio probat, quia non ſunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occaſione venti volant foras: Quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, cùm area Dominica cœperit ventilari in die Judicii*. Notanda ſunt verba: *Mali quando exeunt, tunc relevatur Eccleſia*. Confirmant hanc Tertulliani aſſertionem: *Avolent quantùm volent paleæ levis fidei, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur*.

CAPUT IV.

Tantò eſſe debet minor hæreſeum miratio quantò clarior prædictio.

Quin potiùs memores ſimus tam Dominicarum prænuntiationum, quàm Apoſtolicarum litterarum, quæ nobis & futuras hæreſes prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt. Et ſicut eſſe illas non expaveſcimus, ita poſſe id propter quod fugiendæ ſunt, non miremur. Inſtruit Dominus multos eſſe venturos, ſub pellibus ovium rapaces Lupos. Quænam iſtæ ſunt pelles ovium, niſi nominis Chriſtiani extrinſecùs ſuperficies? Qui Lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecùs deliteſcentes? Qui Pſeudo-Prophetæ ſunt, niſi falſi Prædicatores? Qui Pſeudo-Apoſtoli, niſi adulteri Evangelizatores? Qui Anti-Chriſti interim & ſemper, niſi Chriſti rebelles?

Nunc ſunt hæreſes, non minùs doctrinarum perverſitate Eccleſiam laceſſentes, quàm tunc Anti-Chriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur: Niſi quod perſecutio & Martyres facit, hæreſis Apoſtatas tantùm. Et ideò hæreſes quoque oportebat eſſe, ut probabiles quique manifeſtarentur, tam qui in perſecutionibus ſteterint, quàm qui ad hæreſes non exorbitaverint. Neque enim eos probabiles intelligi jubet qui in hæreſim fidem demutant; ſicut ex diverſo ſibi interpretantur, quia dixit alibi: *Omnia examinate, quod bonum eſt, tenete.* Quaſi non liceat omnibus malè examinatis in electionem alicujus mali impingere per errorem.

S C H O L I O N.

Memores ſimus Dominicarum prænuntiationum, &c.

SAncti Auguſtini tempora fuerunt noſtris ſimilia: Turbatiſſima & afflictiſſima. Gothi, Wandali, Hunni, aliique Barbari raſerunt omne Occidentis Imperium, adeò ut panem habens tunc eſſet dives. Hinc plurimorum, non tantùm Paganorum blaſphemiæ, ſed etiam Catholicorum lamentationes ad Dominum Deum & querimoniæ. Horum querulorum uni Victoriano Presbytero laudatus Auguſtinus reſpon-
Ep. 122. dit: *Plangenda ſunt hæc, non miranda. Et exclamandum ad Deum, ut non ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam à tantis malis nos liberet. Nam quid utique ſperandum fuit generi humano, cùm hæc & in Prophetis & in Evangelio ſint tantò antè prædicta? Non itaque debemus tam nobis eſſe contrarii, ut credamus quando leguntur & queramur quando complentur.* Quæ conſolandi forma fuit Sancto Auguſtino frequentiſſima. Et eſt fundatiſſima. Quare eandem hìc impendit Tertullianus illis, qui ad hæreſeon, & ab Apoſtolis & ab ipſo Domino prædictarum, exortum & graſſationem mirabantur, immò & cespitabant. Eos ceſpitare faciebat præſertim lapſus magnorum in Eccleſia gigantum, de quibus ſcribit in fœda Demæritarum hæreſi Sanctus Epiphanius: *Cauſam* cur ita contigerit, cur hæc emer-
Lib. 77. cap. 1. ſerit hæreſis, *non ſatis intelligo, niſi quod id unum naturæ humanæ perturbator & hoſtis Diabolus ſtudet, numquam ut ab infeſtandis hominibus ceſſet, qui amariſſimo ſuo veneno exquiſitos cibos inſuit, & melli fel admiſcet, idque potiſſimùm illorum opera molitur, qui admirabili vitæ Inſtituto celebrantur, & propter ſinceræ fidei ſtudium atque ardorem commendantur. Hoc enim unicum illius opus eſt, qui & adversùs parentem noſtrum Adamum invidia primùm, & adversùs omne humanum genus odiis efferbuit. Quam ad ſententiam præclarè Sapiens quidam dixit: Invidiam magnis perpetuò ſucceſſibus adverſari. Sic igitur per magnos quoſque viros introduxit errores, ut nos atque Dei Eccleſia perpetuis moleſtiis, tumultibus, ac bellis confunderentur.* Et de hujus hæreſeos authore ſubjungit: *Egregius ille* Cap. 1.
ac venerabilis ſenex, quem nos & beatæ memoriæ Papa Athanaſius, immò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinarius Laodicenſis, hujus Dogmatis author & propagator extitit. Omnes paſſim Hæreſiarchæ fuerunt ſublimes in Eccleſia montes. Quod ipſum nobis, ne ex improviſo videntes turbaremur, eſt prædictum. Nam Dominus prædixit tales ac tantos Pſeudo-Prophetas & Anti-Chriſtos eſſe nobis ſurrecturos, ut per ipſos etiam Electi, ſi fieri poſſet, eſſent ſeducendi. Et in Miletina Synodo ad Aſiæ Epiſcopos dixit Sanctus Paulus Apoſtolus: *Ex vobis ipſis exur-* Act. 20.
gent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Hinc nec ad tales eventus oportet nos mirari aut turbari.

Sub pellibus ovium Lupos rapaces.

Hæreſiarchas eſſe rapaciſſimos Lupos & omnis ſcriptura clamat, & ipſorum Acta demonſtraverunt. Fuerunt ac ſemper erunt Lupi, quibus unicum ſtudium ſit Chriſti Domini ovile invadere, raptaſque cum Paſtoribus oves occidere & mactare. Hinc circumſcriptos ac ſeductos populos appellant non ampliùs Chriſtianos, ſed Simonianos, Marcionitas, Valentinianos, Sabellianos Arianos, Apollinariſtas, Neſtorianos, Eutychianiſtas, Lutheranos, Calviniſtas. Et cum Donatiſtarum gigante Donato ſemper interrogant: *Quid agitur de mea parte?* Quia nempè humanum genus ſtudent cum Chriſto Domino dividere, immò totum illi auferre. Et uti Lupi fidos canes, ita Hæreſiarchæ orthodoxos Epiſcopos oderunt ſingulariter, & omnibus nervis ſtudent circumſcribere aut tollere. Ita de Novatiano, quod novos ſtatim Apoſtolos, qui Provincias omnes & urbes ſingulas ſuis antiquis ſpoliarent, & novis donarent Epiſcopis per omnem orbem miſerit, ſcribit ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus. Et de Donatiſtarum crudeli Goliath, Donato in Caſis nigris Epiſcopo, quòd per omnem diſcurrens Africam plurimis Epiſcopis ac aliis orthodoxis Hierarchis pœnitentialem

manum

manum violentus impoſuerit, Paſtoralis dignitatis honorem in ipſis hac via occiderit, atque ita percuſſis Paſtoribus totos greges Chriſto Domino rapuerit ac abduxerit, multis exponit Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Quod ipſum fecerunt Ariani, Eutychiani, cunctique alii, quibus Divina Providentia permiſit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Nam & hodie Lutheranis & Calviniſtis prima cura eſt orthodoxos Hierarchas ejicere, & quandoque mactare. Dum enim non poſſunt animas, mactant corpora.

At ſunt Lupi in veſtimentis ovium. Rationem dat in oratione, quam in ſuæ conſecrationis anniverſario die habuit Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus: *Macedoniani, tanquam confinium inter nos & hoſtes facti, & utraque ſunt & neutrum. Neque rectum ſermonem confitentur, & hæretici appellari recuſant. O rem inauditam! Et veritati ſimul & mendacio pariter bellum indixerunt.* Et in homiliis ad Antiochenum populum declamat Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Age, denuò adverſùm infideles Anomæos certamen ingrediamur. Qui ſi ægrè ferant quòd infideles appellentur fugiant ipſi rem, ut ego vocabulum fugiam: Diſcedant ipſi à mente impia, & ego ab hac probroſa appellatione diſcedam.* Omnis Hæreticus, præſertim Hæreſiarcha, eſt infidelis, impius, Divinæ Majeſtati rebellis, variè criminoſus ac probroſus. Hinc omnes, licèt facinus diligant, nomen oderunt ac deteſtantur. Ipſorum nemo audire volt Hæreticus, ſed germanè, & quidem ſolus, orthodoxus. Hinc eos in adducto loco laudatus Gregorius rectè comparat etiam meretricibus. Nulla namque Lupa vult appellari Lupa, ſed pudica filia, immò & Virgo. Rectè item addit, quod & veritati & mendacio adverſarentur, nec tantùm nobis, ſed & noſtris inimicis ſint inimici. Etenim Arianus, Neſtorianus, Eutychianiſta, ac Lutheranus non tantùm nos orthodoxos invadunt, ſed etiam Sabellianos, Eutychianiſtas, Neſtorianos, & Calviniſtas. Hinc ne à fideli populo, uti Lupi ab ovibus, pleno curſu ſtatim fugiantur, ac lapidibus impetantur, fingunt ſe oves & Paſtores, ovinas lanas ſibi circumponunt, ita miſcentur ovibus, inſidiantur, mordent, rapiunt, ac mactant.

Chriſtiani nominis ſuperficies.

Ovina lana, quam iſti doloſi Lupi ſibi ſuperinduunt, eſt varia. Prima eſt Chriſtiani nominis ſuperficies, ſeu Chriſtiana profeſſio, de qua ſcribit in libro de Unitate Eccleſiæ glorioſus Martyr Cyprianus: *Cavenda ſunt, Fratres dilectiſſimi, non ſolùm quæ ſunt aperta atque manifeſta, ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid verò aſtutius, quidque ſubtilius, quàm ut Chriſti adventu detectus ac proſtratus inimicus, videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, & ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe ſæculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſùs infundit, ut cum Evangelio Chriſti, & cum obſervatione ejus & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente adverſario atque fallente, qui ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Anti-Chriſtum ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.* Quam Diaboli artem notant etiam Sanctus Auguſtinus ac alii Patres. Aliqui eam nonniſi à magni Conſtantini, qui omnia Idolorum fana clauſit, Imperio exiſtimant fuiſſe exorſam. Aſt illos errare convincit iſto Imperatore multùm antiquior Sanctus Cyprianus. Notanda ſunt ejus de Diabolo verba: *Videns idola deſolata, & templa deſerta.* Hæc enim everſio ſtatim cœpit ad prædicatum gentibus Evangelium, adeoque tunc ille ſtatim fuit actus in rabiem, ipſis etiam Apoſtolis ſuſcitavit adverſarios hæreticos, & læſam idololatriam tentavit per hoſce reparare. Novam idololatriam inducere. Nam quod omnis, Gnoſticus præſertim, circa Divinam Majeſtatem error ſit nequiſſima Idololatria, ſuus locus demonſtrabit. Nec hanc dumtaxat induxerunt Gnoſtici, ſed & Gentilium antiquam repararunt. Quòd enim non tantùm Chriſti Domini effigiem, quam garriebant factam à Pontio Pilato, ſed etiam Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis, ac aliorum gentilium Philoſophorum imagines habuerint, coronaverint pagano ritu, & adoraverint, teſtatur Sanctus Irenæus. Lib. 1. cap. 24.

Inſignem Diaboli in uſurpando Chriſtiano nomine audaciam refert in ſeptimo ſuper beati Joannis Evangelium Tractatu Sanctus Auguſtinus: *Spiritus mali fingunt umbras quaſdam honoris ſibimet ipſis, ut decipiant eos qui ſequuntur Chriſtum. Uſque adeò Fratres mei, ut ſuis præcantationibus miſceant nomen Chriſti. Quia jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem. Uſque adeò ut ego noverim aliquo tempore illius Pileati Sacerdotem ſolere dicere: Et ipſe Pileatus Chriſtianus eſt. Ut quid hoc Fratres, niſi quia aliter non poſſunt ſeduci Chriſtiani?* Nec mireris hoc. Etenim etiam ſeptem Sceve Judaici Sacerdotis filii, & Chriſti Domini oſores Exorciſtæ in ipſo Evangelicæ prædicationis exordio doloſè invocabant nomen Domini Jeſu, & per ipſum tentabant Dæmonia ejicere. Et ejecerunt: Sed in ſemet-ipſos. Ita teſtatur Sanctus Lucas in Actis. Cap. 19. Quod adhuc nobiſcum degente Chriſto Domino quis Infidelis Judæus iſtud ipſum fecerit, habes in Evange-

lio Sancti Marci. Proindè Chriſti Domini nomen ſtatim à ſui prædicati exordio fuit apud omnes tantæ gloriæ & authoritatis, ut non niſi ſub ejus fuco Diabolus potuerit homines ſeducere. Hinc ipſo, uti ovina lana lupos, circumveſtitos hæreticos elegit in ſuæ pravitatis miniſterium, & per ipſos conatus eſt Chriſti Domini oves circumſcribere, auferre & mactare.

Verùm varia eſt Diaboli vafrities. Quibuſdam ad veros Chriſtianos circumveniendos, quibuſdam hæreticis iſtud glorioſum nomen circumpoſuit ad ipſum infamandum, & gentiles ab eo hoſtiliſſimè alienandos. Etenim de Gnoſticis rectè ſcribit Sanctus Epiphanius: *Quod hominum genus ad Eccleſiæ Dei probrum & offendiculum adornaſſe & ſubmiſiſſe Satanas videtur. Quippè qui Chriſtianum nomen ſibi indiderint, ut propter illos offenſæ nationes à ſanctæ Dei Eccleſiæ utilitate abhorrerent, annuntiatamque veritatem ob immania illorum facinora & incredibilem nequitiam repudient: Ut, inquam, frequentibus illorum ſceleribus animadverſis, eos quoque qui è ſancta Dei Eccleſia ſunt, tales eſſe ſibi perſuadeant, atque ita à veriſſima Dei doctrina aures avertant, aut certè paucorum improbitate conſpecta in univerſos eadem maledicta conjiciant. Atque ea demùm cauſa eſt, cur plerique Gentilium, ubicumque iſtius Sectæ homines deprehenderint, nullam nobiſcum velint, neque dati & accepti, neque conſilii, neque audiendi Divini verbi ſocietatem conjungere, ac ne aures quidem præbere ſuſtineant. Uſque adeò nefariis eorum flagitiis conſternati & deterriti ſunt.* Eorum horrenda ac nefanda, & quidem in dogma ac ſolemnem profeſſionem admiſſa, crimina erant præſertim tria: Euchariſticum infanticidium, epulæ Thyeſtææ, ac promiſcuus inceſtus. Quidam omnibus tribus, quidam aliquibus, quidam aliis æquè deteſtandis ſceleribus fuerunt palàm fœdati. Hæc monſtra Diabolus circumveſtivit Chriſtiano nomine, gentilibus hac arte perſuaſit omnem Chriſtianam profeſſionem eſſe iſtiuſmodi, & hinc gentilis Romanorum Reſpublica omnes Chriſtianos deteſtata eſt ut peſtes & probra humani generis, & innumeros trucidavit. Juſtinus Martyr, Sanctus Athenagoras, Septimius Tertullianus, aliique primitivæ Eccleſiæ Doctores eruditis apologiis ſtuduerunt & Chriſtum Dominum & ſemet-ipſos defendere ac expurgare, verùm multo tempore non potuerunt. Prima Romanorum Præfectorum in noſtros Martyres quæſtio erat de iſtis criminibus. Lucet ex Plinii ſecundi apud Bithynos Pro-Conſulis de nobis relatione ad Imperatorem Trajanum. Etiam Lugdunenſis Galliæ ſub Antonino Vero Præſes primam ſuam in glorioſos Lugdunenſis ac Viennenſis Eccleſiæ Martyres quæſtionem exorſus eſt à *Thyeſteis epulis, & inceſtibus Oedypi*. Et licèt iſti aſſiduè clamarent, *Nil apud nos admittitur ſceleris, nos neque voramus homines, neque aliud quidquam ſceleris patramus*, non fuerunt exauditi. Quin immò illos, qui tormentis fracti Chriſtum Dominum abnegaverant, Præſes retinuit in carcere, tanquam adhuc reos publicorum criminum. Ita habes apud Eccleſiaſticam Cæſareenſis Euſebii hiſtoriam in Lugdunenſis ac Viennenſis Eccleſiæ litteris ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ. Hoc ſtratagemate Diabolus fuit præſertim uſus, dum paganum eſſet Imperium, apud quod noſtræ apologiæ eſſent parvi ponderis. Præſertim apud cæcam omnis ſpeciei idololatria plebem. Hæc enim tenaciſſimè ſequebatur hanc parœmiam: *Pluvia defecit, Tyberis exundavit, fames graſſatur, cauſa ſunt Chriſtiani*. Et hinc paſſim ex amphitheatro clamabat ad Auguſtum Principem aut Provinciæ Rectorem: *Chriſtianos ad Leonem*. Verùm Dei Patris Veritas Chriſtus Dominus noſter pedetentim defendit ac expurgavit ſuam ſponſam, & mendaces demonſtravit eos, qui ipſam per calumnias maculaverant. Nam Sanctus Cyprianus & alii poſteriores Patres, item Decius, Gallus, Voluſianus, ac ipſe noſtri peſſimus oſor Auguſtus Diocletianus nullam amplius fecerunt iſtorum criminum in nos memoriam. Eramus plenè purgati. Omni Imperio demonſtratum erat aliud eſſe Gnoſticos, aliud vero Chriſtianos. Et tunc ſua vela vertit etiam Diabolus. Non palàm facinoroſis ac flagitioſis nebulonibus, ſed hypocriticis Chriſtianæ juſtitiæ hiſtrionibus impoſuit Chriſtianum nomen, ipſos in dealbata ſepulchra ac in doloſos ſub ovina pelle lupos formavit, per ipſos ſeminavit errores varios, atque ita ſtuduit non ampliùs Paganos, ſed potiùs Chriſtianos à noſtra fide & Chriſto Domino ſeducere.

Lib. 17. cap. 3.

Lib. 5. cap. 1.

At Chriſtiani nominis pallium ad hunc ſcopum quandoque non ſuffecit. Verorum Chriſtianorum menti altè nimiùm inſculpta eſt hæc Apoſtoli regula, *Vocum novitates devita*. Et firmiſſima apud nos ſemper fuit adversùs omnem hæreticum hæc præſcriptio: *Quidquid novum eſt in Dogmate, eſt falſum*. Et ita fidelis populus ad quamvis novam prædicationem ſtatim horret ac infremit, agnoſcit Hæreſiarchas, & iſtos lupos non tantùm clamoribus, ſed etiam fuſtibus ac lapidibus incipit impetere ac fugare. Hinc alia inſuper ovinarum lanarum ſpecie illos Diabolus cenſuit induendos. Ipſorum in ore ponit orthodoxas, verùm ambidextras, ex Sacris paſſim litteris deſumptas ſyllabas, his indit hæreticos ſenſus, atque ita ex ipſis per iſtos, uti per lupos ex ovinis lanis, incipit circumiens inſidiari atque venari. De his lanis dicit hic Septimius: *Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum Gregem Chriſti intrinſecùs delitescentes?* Subdoli ſpiritus ſunt ipſi hæretici: Hi ſuos nequam ſenſus abſcondunt ſub orthodoxis vocibus, & doloſè faciunt deliteſcere. Et hac in arte excelluiſſe Valentinianos affirmat Sanctus Irenæus. Affirmat Chriſti Domini Apoſtolos alia in aperto, alia in abſcondito non docuiſſe, ac pergit: *Hoc enim fictorum, & pravè ſeducentium, & hypocritarum eſt molimen, quemadmodum faciunt hi, qui à Valentino ſunt. Hi enim ad multitudinem propter eos, qui ſunt ab Eccleſia, quos communes Eccleſiaſticos ipſi dicunt, inferunt ſermones, per quos capiunt ſimpliciores, & illiciunt eos, ſimulan-*

Lib. 3. cap. 15.

tes

tes noſtrum Tractatum, at ſæpiùs audiant, qui & queruntur de nobis, quod cùm ſimilia nobiſcum ſentiant, ſine cauſa abſtineamus nos à communicatione eorum, & cùm eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos. Quia nempè eaſdem, quas doloſè & æquivocè aſſumunt, nobiſcum habent dogmaticas voces. Peſſimam vafritiem elucidat, se ejus fundamentum exponit in ſingulari contra ipſos libro noſter Septimius: *Va-*
Cap. 5. *lentiniani, frequentiſſimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimùm ex Apoſtatis veritatis, & ad fabulas facile eſt, & diſciplina non terretur, nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant. Si tamen prędicant, qui occultant.* Affirmat eos imitari Atticæ circa Veneris Sacra ſuperſtitionis ſecreta ſilentia, ac proſequitur: *Valentiniani ſanctis nominibus & titulis, & argumentis veræ Religionis, vaniſſima atque turpiſſima figmenta configurantes, Eleuſinia fecerunt Lenocinia, ſancta ſilentio magno, ſola taciturnitate cœleſtia. Si bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, Altum eſt, ajant. Si ſubtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem affirmant. Si ſcire te ſuboſtendas, negant quidquid agnoſcunt. Si cominus certes, fatuam ſimplicitatem ſua cæde diſpergunt. Nec diſcipulis quidem propriis antè committunt, quàm ſuos fecerint. Habent artificium, quo priùs perſuadeant, quàm edoceant.* Eos aſſerit eſſe doloſiſſimos ſerpentes. Et doloſæ artis fundamentum fuit: Quia plurimi erant ex noſtris Apoſtatis. Ita noſtrum dogma noverant: Et ſub ejus vocibus ſuas ſceleratas ſordes occultare.

Idem Tertullianus inſigne exemplum adducit in libro de carnis reſurrectione, non tantummodò de Valentinianis, ſed etiam de Marcionitis,
Cap. 19. & cunctis generatim Gnoſticis ſcribens: *Hoc ingenio etiam in colloquiis ſæpè noſtros decipere conſueverunt, quaſi & ipſi carnis reſurrectionem admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne reſurrexerint. Ne ſtatim illos percutiant, ſi reſurrectionem ſtatim abnuerint. Tacitè autem ſecundùm conſuetudinem ſuam hoc ſentiunt: Væ qui non, dum in hac carne eſt, cognoverit arcana hæretica. Hoc eſt enim apud illos reſurrectio. Sed & plerique ab exceſſu animæ reſurrectionem vindicantes, de ſepulchro exire, de ſæculo evadere interpretantur: Quia & ſæculum eſt mortuorum habitaculum, id eſt, ignorantium Deum. Vel etiam de ipſo corpore: Quia & corpus, vice ſepulchri, concluſam animam in ſæcularis vitæ morte detineat.* Hæc propoſitio, *Væ aut anathema illi, qui in hac carne non reſurrexerit, ſeu reſurgendum docuerit*, eſt Chriſtianiſſima. Eam plenis buccis profeſſi ſunt ſceleratiſſimi Gnoſtici, ideoque apud noſtram plebem jactarunt ſe Catholicos, & conqueſti ſunt ſibi à nobis non communicari. At iſtis vocibus ſubintrudebant ſuos nequiſſimos ſenſus, ſuo Lupo circumponebant ovinas lanas, ac ita noſtros ſimpliciores frequenter ſeduxerunt. Et quid dico ſimpliciores? Etenim de ſemetipſo ſcribit oculatiſſimus & circumſpectiſſimus Presbyter Hierony-
Epiſt. 61. cap. 14. mus: *Audivi nuper de Marcionis ſchola, Væ ei, qui in hac carne, & in his oſſibus non reſurrexerit. Gaudens animus ſtatim intulit. Conſepulti enim ſumus, & conſurreximus cum Chriſto per Baptiſma.* Iſta propoſitio eſt adeò doloſa, ut tantum Chriſtianæ doctrinæ Argum fecerit hæſitare.

Seductionis modum exponit laudatus Irenæus: Lib. 3. cap. 15.
Cum dejecerint aliquos à fide per quæſtiones, quæ fiunt ab eis, nec non contradicentes fecerint auditores ſuos, his ſeparatim memorabile Plenitudinis ſuæ enarrant myſterium. Decipiuntur autem omnes, quia quod eſt in verbis veriſimile, ſe putant poſſe diſcere à veritate. Suaſorius enim & veriſimilis eſt exquirens fucos error, ſine fuco autem veritas, & propter hoc pueris eſt credita. Et ſi aliquis quidem eorum, qui audiunt eos, quærat ſolutiones, vel contradicat eis, hunc quaſi non capientem veritatem, & non habentem de Superioribus à Matre ſua ſemen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes eſſe illum, hoc eſt, Pſychicorum. Ut à noſtra plebe audirentur, & ſtatim velut hæretici non projicerentur, communes nobis Romanas voces uſitabant: Audientiam nacti multo verborum fuco exponebant ſua Senſa, atque ita quoſdam circumſcribebant. Et quos cautiores circumſcribere non poterant, appellabant Pſychicos, ſeu animales. Manichæi de his dicebant: *Lumen in iſto habitare non potuit, ſed fecit tranſitum.* Ita ſcelerati Gnoſtici diabolo ſervierunt ad duo: Per Chriſtianum nomen ad gentes alienandas ab iſto ipſo nomine; per orthodoxas voces ad fideles circumſcribendos. Fuerunt diabolo gladius ex utraque parte acutus. Ex his inſuper diſce, quod noſter ad Montanum poſteà lapſus Septimius Pſychicorum calumniam nobis imponere didicerit à Valentinianis.

Eandem obtegendi lupi artem inſigniter calluerunt Ariani. Etenim in prima adversùm ipſos diſputatione ſcribit Sanctus Athanaſius: *Ne ſuſtinueritis eos, qui contra Nicænorum Patrum fidem novis rebus ſtudent, etiamſi dictiones ex ſacris litteris ſcribant. Ne ſuſtinueritis hoc genus Scriptorum, etiamſi voces orthodoxæ fidei loquantur. Ne ita quidem loquentibus attendite. Non enim recta animo loquuntur, ſed velut indumentum ovium proferant hæc verba: Intus verò ſapiunt, quæ ſunt Arii. Quemadmodum hæreſeon Princeps diabolus. Nam & ille loquebatur è Sacris litteris. Sed tamen æquè illi obturatum eſt os à Salvatore.* Euſebiana præſertim Arianorum factio fuit doloſiſſima. *Deum Verbum profitebatur eſſe genitum ex Patre, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, æternum ante omnia tempora*, aliaque id genus omnia præter unicam vocem, *Conſubſtantiale*. Et tantos hic adduxere fucos, ut ſolam vocem, non ejus ſententiam viderentur proſcribere. Et hinc Sanctus Athanaſius pergit: *Si igitur Scripta iſta ab orthodoxis proficiſcerentur, qualia ſunt magni illius & Confeſſoris Oſii, Maximini Galliæ, aut ejus ſucceſſoris, aut Philogonii aut Euſtathii Orientis Epiſcoporum, aut Julii & Liberii Romanorum Pontificum, aut Cyriaci Myſiæ, aut Piſti & Ariſtæi Græciæ Epiſcoporum, aut Silveſtri & Protogenis Daciæ, aut Leontii & Eupſychii Cappadociæ Epiſcoporum, vel*

Cæciliani Africæ, *vel Euſtorgii Italiæ*, *vel Capitonis Siciliæ*, & ejuſmodi plurium, *nihil eſſet quod in his Scriptis ſuſpicareris. Syncera enim & ſimplicia ſunt Apoſtolicorum Virorum ingenia. Nunc autem quia ab illis ſcripta ſunt, qui pro patrocinio hæreſeos gratiam mercedis receperunt*, *ſecundùm proverbia*, Sermones impiorum doloſi, & os impiorum mala reſpondet, & impii dolos gubernant, *vigilandum eſt*, *& ſobriè agendum*, *ne qua ex magnificentia verborum & veteratoria calliditate fiat impoſtura. Ne quis veniat cum his verbis*, Ego quoque Chriſtum annuntio, *& paulò poſt reperiatur eſſe Anti-Chriſtus*. Aſſumpta & prædicata per ſceleratam factionem verba erant adeò ſancta ac orthodoxa, ut per Sanctiſſimos Nicæni Concilii Primates, ac alios ſimiles Eccleſiæ Patres mererentur aſſumi & prædicari. Nempè erant ovinæ lanæ. Attamen ambiguæ & ambidextræ. Hinc non tantùm ab ovibus per naturam, ſed etiam à Lupis per artem poterant haberi & circumferri. Pergit Sanctus Athanaſius: *Quapropter etſi ſublimes ac magnificos ſe faciant*, *etſi majores quàm Pharisæi fimbrias ſibi alligent*, *dilatentque ſe verborum ſonitu*, *& vim vocis ac tenorem probè meditatum habeant*, *nullam ob id fidem meruerint. Non enim dictio*, *ſed mens quæ religiosè agit*, *reddit aliquem fidelem. Eadem de cauſa Sadducæi & Herodiani*, *licèt legem in labris retineant*, *pudefacti ſunt à Salvatore audientes*; Erratis, non ſcientes Scripturas, & vires Dei. *Et apud omnes innotuit eos*, *qui videbantur legem ſonare*, *animo hæreticos eſſe*, *ac Dei perduelles. Illi quidem alios hujuſmodi verborum lenociniis ſeduxerunt*, *Dominum autem ſeducere nequaquam potuerunt*. Affirmat hanc artem eſſe antiquiſſimam: Viguiſſe etiam apud Sadducæos atque Herodianos. Et illos hac tantùm valuiſſe, & tantùm in ea fuiſſe confiſos, ut non dumtaxat plurimos ſeduxerint, ſed & ipſum etiam Dominum ſperaverint ac tentaverint ſeducere. Affirmat hanc artem eſſe à diabolo non ſolummodò inventam, ſed inſuper fuiſſe uſitatam. Nam & hic ſolet ſacras & orthodoxas voces aſſumere, ſub ipſis occultare venenum, & lucis angelum ſimulare. Admodùm multa habemus magni Athanaſii ſimilia de Arianis teſtimonia.

Eundem Arianorum dolum notat in litteris ad Sanctum Meletium Patriarcham Antiochenum
Epiſt. 53 Magnus Baſilius: *Viſum eſt admonere Occidentales Epiſcopos*, *ne ſine diſcrimine quorumvis ex Oriente venientium communionem accipiant*, *ſed una ſemel electa parte*, *reliquos ex conſentientium teſtimonio admittant*, *& non cuivis*, *ſub prætextu orthodoxæ doctrinæ*, *fidei formulæ ſcribendæ adſtipulentur. Nam iſto pacto deprehendentur cum Adverſariis facientes*, *qui eadem ſæpè numero verba prætexunt quidem*, *inter ſe verò pugnant*, *ut qui plurimùm diviſi ac diſſidentes fuere*. Ariana hæreſis Orientalem præſertim corrupit Eccleſiam. Et diſſecta fuit in plurimas factiones. Et hæ omnes fuerunt Cadmæi fratres, ſeſe mutuò peſſimè odientes, degradantes, ejicientes de Eccleſiis. Hinc degradati & ejecti, non pœnitentiæ aut orthodoxæ fidei dilectione, ſed recuperandi Epiſcopatus libidine accedebant Apoſtolicam Sedem, ipſam per orthodoxas & æquivocas profeſſiones circumſcribebant, agebant varium juſtitiæ hiſtrionatum, per ipſum eliciebant reddentes Epiſcopatum litteras, ſic redibant in Orientem, atque illic omnia turbabant. Circumſcripta Romana ſimplicitas doloſos lupos, dum ex pellibus oves crederet, remiſit in Cathedras, & fecit Paſtores. Ita nuper Euſtatius Sebaſtenſis in prima Armenia Metropolitanus Epiſcopus, ac ejuſdem commatis plures, redierant à Papa Liberio ad Synodum Thyanenſem. Hinc Baſilius ſuadet ut nequiſſima ars aperiatur omni Latinæ Eccleſiæ, atque ita adversùs ſimilium luporum obreptiones illa præmuniatur. Quod iſta cum aſſeclis Euſtatius & coram Liberio, & coram Thyanenſi Synodo fuerit profeſſus Nicænum Symbolum, affirmat Baſilius in litteris ad ſuos Monachos, & proſequitur: *Sed habent aſtutum quoddam Dogma*, *ad* Epiſt. 67.
ejuſmodi ſuas mutationes paratum. Nam verbis fidei more medicorum utuntur, *pro commoditate aliter ſeſe ad affectionum rationem & varietatem accommodantes*. Habebant artem, qua ipſum etiam Nicænum Symbolum, tanquam lupo ovinas lanas, norant ſuo Dogmati circumponere. Et hinc eidem Euſtatio, fœdiſſimo fidei vertumno ac hiſtrioni, dum iterùm ad Matrem Catholicam rediit, Baſilius præſcripſit hanc regulam:
Convenit ut ſuſcipiantur, *ſi ſe juxta verba*, *quæ à* Epiſt. 72.
Patribus noſtris Nicææ ſunt expoſita, *& juxta intellectum*, *qui ſanè per verba illa ſignificatur*, *credere confiteantur*. Mandat, ut non ſola Nicænæ Synodi verba, ſed & ſanum ipſorum ſenſum cogantur profiteri. Et adjungit rationem: *Sunt enim quidam*, *qui in hac fide ſermonem veritatis dolo invertant*, *& ad ſuam ipſorum ſententiam torqueant intellectum & verborum mentem*. Quòd ipſa etiam voce, *Conſubſtantiale*, ſciverint abuti, demonſtrat per exemplum Marcelli Epiſcopi Ancyrani. Quòd eandem vocem ad ſuas fœdiſſimas blaſphemias circumponere noverint Apollinariſtæ, oſtendit ac inſectatur Sanctus Athanaſius in epiſtola ad Epictetum Epiſcopum Corinthiorum.

Iſtam Arianorum vafritiem notat in primo de Sacroſancta Trinitate libro etiam Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *Ariani*, *ut dictis ſuis fidem facerent*, *damnantes dicta & vitia hæreticorum*, *Valentini ſcilicet*, *& Sabellii*, *& Manichæi*, *& Hieracæ*, *pias Eccleſiæ prædicationes velamento profeſſionis impiæ furati ſunt*, *ut corruptis in melius verbis irreligioſorum*, *& ambigua ſignificatione moderatis*, *ſub impietatis damnatione doctrinam pietatis exſtinguerent. Sed nos ſingulorum dictis & profeſſionibus demonſtratis*, *ſanctas Eccleſiæ prædicationes abſolvimus*, *neque quidquam cum damnatis hæreticis commune eis eſſe permiſimus*, *ut damnanda damnantes*, *ſola venerabiliter ſectanda ſequeremur*. Agit de Seleucienſi Synodo. Eam accuſat, quod non dumtaxat pias Eccleſiæ prædicationes ad impiæ profeſſionis velamentum ſit furata, ſed inſuper irreligioſorum Valentinianorum ac Manichæo-

nichæorum ſceleratas voces in melius corruperit, ſeu in otthodoxam ambiguæ ſignificationis formam transfigurarit: Ut ſuam veræ pietatis damnatricem lepram tenere ſibi poſſent & occultare. Iſta nempe Caiphayca Synodus per deſumpta ex Valentinianis ac Manichæis argumenta Nicænam vocem, *Conſubſtantiale*, infamare ſtuduit, ac facere Manichæam ac Valentinianam. Eandem rem memorat idem Hilarius in libro adversùs Imperatorem Conſtsntium. Affirmat quod iſta Synodus ex Conſtantii mandato laudatam Nicænam vocem proſcripſerit, & ejus loco ſubſtituerit voces, *Patri ſimilis ſecundùm Scripturas*, & adjungit: *Paleis aquas tegis, foveas ceſpitibus occultas, & eſcis laqueos ſupponis. Callida eſt Religionis tuę profeſſio.* Etiam in vigeſima prima oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus eandem Synodum arguit, quòd multis machinis impulſa ac labefactata voce *Conſubſtantialis* avitam de Sancta Trinitate fidem ſuſtulerit, ac Arianæ *impietati feneſtram per ſcripti Dogmatis ambiguitatem aperuerit.* Et de capitalibus iſtius Dogmatis ſeu Symboli verbis, *Similis Patri ſecundùm Scripturas*, adjungit: *Erant ſimplicioribus hominibus illecebra impietatis hamo circumjecta, ſtatua ad omnes pertranſeuntes ſe obvertens, communis utrique pedi cothurnus, cribratio ad omnem ventum, ex recens ſumpta fraude, conſilioque adversùs veritatem excogitato licentiam atque authoritatem aſſecuta. Sapientes enim erant ad malè agendum.* Ad Arianum lupum ſub iſta otthodoxarum ſyllabarum lana occultandum, ac ita multos è Chriſti plebe ſimpliciores decipiendos & capiendos. Et de Acacio Luſco, Cæſareenſi apud Palæſtinos Archiepiſcopo, ac iſtius [Lib. 73. cap. 17.] Synodi Primste, ſcribit Sanctus Epiphanius: *Acacius & ſui, cum à Sancto Baſilio & ejus aſſeclis ſe disjunxiſſent, verę confeſſionis vinculum ac nexum diſſolvere cupientes, adulterinam neſcio quam, & ad refellendum facilem, & in omnes partes verſatilem fidei profeſſionem ediderunt, ut ex concepta verborum formula, ſi quibus imponere vellent, juſtam ac legitimam confeſſionem pręſe ferre videri poſſent; ſin perfidię ſuę virus patefacere cuperent, ejuſmodi illis ad manum eſſet fidei profeſſio, quę utrimque ſpectans ad quamlibet illorum ſimulationem aptum quiddam exprimeret.* Verſatilis illa profeſſio eſt Seleucienſe Symbolum, utrique pedi aptus cothurnus, ovina lanæ capax circumponi & lupis.

Hujus lanæ ſibi circumponendæ artem inſigniter calluerunt etiam Origeniſtæ, adeò ut eos mendaciorum ac perjuriorum orgiis fuiſſe colligatos ſcribat ad Pammachium & Oceanum Sanctus [Epiſt. 65. cap. 1.] Hieronymus. Et de ipſorum Coryphæo Joanne Hieroſolymæ Epiſcopo ſcribit in alia ad Pamma- [Epiſt. 61. cap. 1.] chium epiſtola: *Obſecramus ut Joannes aut ſimpliciter noſtra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates. Nolo mihi dici quod & aliter poſſit intelligi. Revelata facie gloriam Domini contemplemur.* Iſtas ambidextras locutiones affirmat cum Baal Sacerdotibus claudicare in utrumque latus, & adjungit: *Certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, uti cupio & credo, cur non verbis meis meum ſenſum loquitur? Quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpretor. Perſuadere mihi vult quod purè credat: Purè ergo & loquatur. Et ſi quidem unum verbum, vel unus ſenſus eſſet ambiguus, ſi duo ſi tres ignorantiæ veniam tribuerem, nec ea quæ aut obſcura vel dubia ſunt, de certis & perſpicuis æſtimarem. Nunc verò quæ eſt iſta ſimplicitas, quaſi ſuper ova & ariſtas inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, ubique dubium, ubique ſuſpectum?* Et poſt quædam pergit ad ipſum Joannem: *Do conſilium, ut apertè aut fidem Eccleſię prędices, aut loquaris ut credis. Diſpenſatio enim ac libratio iſta prudens verborum indoctos decipere poteſt, cautus auditor aut lector citò deprehendet inſidias, & cuniculos, quibus veritas ſubvertitur, apertè in luce demonſtrabit.* Legenda eſt hæc integra epiſtola. Etiam epiſtola ſequens ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham. Et epiſtola ad Pammachium & Oceanum. Hæ te docebunt hunc Joannem fuiſſe verſutiſſimam vulpem, quæ nequiſſimum Origenis lupum optimè calluit ſub ovinia orthodoxarum vocum lanis occultare. Eandem artem calluerunt omnes Origeniſtæ.

Et ex his nati ſunt Pelagiani, ſuis magiſtris in hac arte nullatenùs inferiores. Quarumvis in mente reſtrictionum fuerunt peritiſſimi. Nam quòd non ſuum ſceleratum Dogma, ſed ſuas ambidextras voces Apoſtolicæ Sedi perſuadere tentarint, & circumſcriptæ propemodum perſuaſerint, teſtatur in Sancti Auguſtini vita Sanctus Poſſidius Epiſcopus Calamenſis. Nec mireris hoc. Etenim de ſcelerata Montani factione ſcribit in libro adversùs Praxeam Montaniſta Tertullianus: *Praxeas Epiſcopum Romanum, agno- [Cap. 1.] ſcentem jam prophetias Montani, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum aſſeverando, & Præceſſorum ejus authoritates defendendo, coegit & litteras pacis revocare jam emiſſas, & à Propoſito recipiendorum Chariſmatum conceſſare.* Sanctum Anicetum Pontificem iſta doloſa factio non dumtaxat tentavit circumſcribere, ſed & circumſcripſit. Etiam Arianorum famoſi Principes Urſacius & Valens omnem ferè Ariminenſem Synodum ita noverunt circumducere, ut ingemiſcens poſteà terrarum orbis fuerit miratus ſe Arianum. Utique non ſenſu, ſed voce. Et de Vitali, quem ſuis apud Antiochiam conſecrarat Epiſcopum Hæreſiarcha Apollinarius, ſcribit in ſecunda ad Cledonium Iconienſis in Lycaonia Eccleſiæ Presbyterum Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Ne nos hoc nomine accuſent, quòd Vitalis viri nobis chariſſimi fidem, quam, ita poſtulante Beato Damaſo Romæ Epiſcopo, litteris conſignatam edidit, priùs quidem probaverimus, nunc verò repudiemus, de hac re pauca diſſeremus. Iſti enim, cùm apud fidos ſuos condiſcipulos & arcanorum conſcios, quemadmodum Manichæi apud eos quos Electos vocant, de Divinitate diſputant, totum morbum ipſis detegentes, vix etiam carnem Salvatori tribuunt. Cum autem communibus de Humanitatis aſſumptione ſententiis, quos*

Scri-

Scriptura eubibet, convinci ac premi ſe vident, pias quidem dictiones confitentur, verùm circa mentem ſtruunt dolos, non quidem animæ, nec rationis ac mentis expertem, nec imperfectum hominem confitentes, cęterùm animę & rationis, ac mentis loco Divinitatem inducentes, periudè atque ipſa ſola cum carne temperata & copulata fuerit, ac non etiam humanę noſtrę res & proprietates. Doloſus Vitalis non ſolùm Nazianzenum Gregorium, ſed etiam Sanctum Damaſum Pontificem ac Romanam Eccleſiam circumſcripſit, & ab ipſis impetravit non ſuum blaſphemum dogma, ſed ejus doloſas voces probari & firmari. Nempè profeſſus fuerat Chriſtum Dominum eſſe plenum ac perfectum hominem, compoſitum ex noſtra carne, anima, & mente. Et iſtam profeſſionem quis fuiſſet ſuſpicatus non eſſe orthodoxam? Verùm doloſa vulpes per animam & mentem intellexit Deum verbum. Et hinc de dolum edocto Damaſo pergit laudatus Gregorius: *Ipſe quoque Damaſus, cùm poſteà rectiùs fuiſſet edoctus, ſimulque in priſtinis expoſitionibus Vitalem perſtare audiſſet, eum ab Eccleſiæ cœtu abdicavit, fideique libellum cum anathematiſmo delevit.* Quod ipſum fecit & Gregorius. Per ſimiles ſtrophas etiam Marcellus Ancyræ Epiſcopus diu circumduxit Sanctum Athanaſium, Sanctum Julium Pontificem, Sardicenſem Synodum, ac omnem Eccleſiam Occidentalem. Ita & ſcelerati Monothelitæ ſeduxerunt optimum Imperatorem Heraclium. Per doloſè adducta Sanctorum Patrum teſtimonia. Et hinc de iſtis dixit ad ſuam Lateranenſem Synodum Sanctus Papa Martinus:
Secreta tio 2. *Hi ſunt ſimiles ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, ſicut & Hæretici Paternis velati doctrinis; intùs verò pleni ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, id eſt, mortalibus & fœtidis dogmatibus.* Rapaces lupi in veſtimentis ovium. Ita ſolent omnes hæretici.

Notanda ſunt Sancti Gregorii Nazianzeni de Sancto Papa Damaſo verba: *Fidei libellum cum anathematiſmo delevit.* Erat libellus ſpecie orthodoxus, compoſitus ex orthodoxis vocibus. Quomodo ergo illum Damaſus damnavit anathemate? Reſpondeo damnatum optimo jure. Quod nempe ejus orthodoxas voces ſubintruſum Apollinarii virus feciſſet leproſas, adeoque dignas anathemate. Nam & lanas, quas ſibi lupus circumpoſuit, ovis deinceps non induet. Nimium fœtent. Etiam mundas ac pretioſas veſtes, quas quiſpiam peſte infectus induit, cuncti fugiunt ut peſtilentes. Et mel, quod occultando ac propinando felli ſervivit, omnes projicimus ut ſcabioſum. Et iſta eſt conſtantiſſima Eccleſiaſticæ diſciplinæ providentia. Etenim hæ propoſitiones: *Tres Divinæ Perſonæ ſunt tres hypoſtaſes, Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto, Chriſtus eſt homo Dominicus, Sacra Virgo eſt Chriſtipara, Unus è Sancta Trinitate eſt Crucifixus.* Hæ, inquam, omnes & plures id genùs propoſitiones ſunt omninò orthodoxæ, ac traditæ atque laudatæ per Sanctiſſimos Eccleſiæ Doctores & Patres. Et tamen ipſas omnis Eccleſia quandoque circumſcripſit ac abolevit ſub anathemate. Non avitum & orthodoxum Sanctorum Patrum ſenſum, ſed ipſas voces. Quòd nempe varii Hæretici ſub ipſis, uti ſub ovinis lanis lupum, ſua ſcelerata Dogmata occultaſſent, atque ita eas per iſtius ſcabiei affricationem infeciſſent. Hanc propoſitionem, *Sacra Virgo eſt Chriſtipara*, infecerat Neſtorius, nolens ipſam prædicari Deiparam: Hinc illam proſcripſit quinta Synodus. Similes ob cauſas aliæ Synodi etiam alias damnaverunt. Sanctus Auguſtinus adversùm humanæ libertatis inflatores ac præcipitatores Pelagianos quandoque utitur hac propoſitione: *Homo per peccatum amiſit liberum arbitrium.* Et in Sancti iſtius Doctoris ſenſu eſt orthodoxa propoſitio. Ipſam tamen, quòd & Lutherus & Calvinus ſub-intruſo ſuo veneno horrendè fœdaſſent, optimo jure damnavit Tridentina Synodus. Catholica Eccleſia facit de iſtis vocibus, quod prudens Reſpublica conſuevit de infeſſis per latrones ſylvis: Has illa, dum purgare non poteſt, exſcindit. Mavult carere bonis lignis, quàm omnem ſuum populum vexari latronum inſidiis. Ex eodem principio orthodoxi Eccleſiæ Patres aliquando habuerunt dogmaticas lites, pravè de ſeſe mutuò ſuſpicati ſunt, immò & de hæreſi accuſaverunt. Ita contigit Sancto Cyrillo Patriarchæ Alexandrino, ac Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo. Hic illum de Apollinario, ille hunc accuſavit de Neſtorio. Nempè Sanctus Cyrillus famoſa ſua adversùs Neſtorium Capitula formaverat ex rigidis adversùs omnem Chriſti Domini diviſionem verbis, ideoque Theodoreto fuit viſus impegiſſe in Apollinarium. Hoc ipſum Sanctus Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus cenſuit, immò & omnis Patriarchatus Antiochenus. Nempè Sancti Cyrilli voces erant ambidextræ. Hinc multi ſuſpicati ſunt ſub illis non Chriſti Domini Evangelium habitare, ſed ſordes Apollinarii. Plurima habemus hujuſmodi exempla. Hæc materia eſt ampla, largiùs ſuo loco elucidanda. Ex dictis interim abundè patet, quòd Chriſtus Dominus rectè dixerit Hæreticos eſſe rapaces lupos in veſtimentis ovium. Et hinc quod de Pelagianis dixit in epiſtola ad Cteſiphontem Sanctus Hieronymus, poſſit dici de omnibus: Cap. 4.
Eorum ſententias detexiſſe, ſuperaſſe eſt.

Horum veſtimentorum eſt & tertia ſpecies, de qua in quadrageſima ſeptima ſuper Sancti Matthæi Evangelium homilia ſcribit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Id certè moris eſt apud Hæreticos, ut obumbrent ſeipſos, atque occultent in principiis, quò uſque majorem fiduciam capiant, & quodam multitudinis favore juventur. Tunc enim contagioſa venena intrepidi effundunt.* Aſſumunt ovinas lanas, ſeu externam ſpeciem Sanctæ vitæ. Quis ignoret Gnoſticorum vitam fuiſſe non dumtaxat flagitioſiſſimam, ſed & horrendè facinoroſam? Sceleratum enim Dogma, quod ad juſtitiam ac vitam æternam nulla requirit bona opera, ſed ſolam fidem, eſt ab ipſis evocatum ex inferis, & intruſum in orbem Romanum.

Ex

Ex ipſo in monſtroſiſſima humani generis probra proruerunt. Et quòd adversùm ipſos quatuor Apoſtoli ſcripſerint ſuas Catholicas epiſtolas, teſtatur Sanctus Auguſtinus in libro de Fide & Operibus. Qui ipſorum ſcelerata arcana non novit, in intelligendis iſtorum Apoſtolorum epiſtolis non poteſt non graviſſimè hallucinari. Et tamen quod ex his fœculentiſſimis nebulonibus plures perpetuæ caſtitatis profeſſionem, omnem à carne & vino abſtinentiam, ac multam aliam ſanctimoniam ſumma cum hypocriſi ſimulaverint, teſtatur non tantummodò Sanctus Irenæus, ſed etiam in litteris ad Timotheum Sanctus Apoſtolus Paulus. Explebant parœmiam: *Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt*. Fabulabantur plures Deos, at nullum diligebant magis, aut ſanctiùs venerabantur, quàm Deum ventrem. Eorum ſurculus fuerunt Manichæi, quorum doloſam hypocriſim eleganter depingit in ſecundæ ad Timotheum epiſtolæ commentario Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Nulli* Cap. 3. *tam importuni, tam fallaces, tam captioſi ſunt, quàm Manichæi, quos conſtat aliud colere, & aliud profiteri; aliud intus agere, & foris aliud vendicare. Nam ſanctimoniam defendunt, & lege ſua favente turpiter vivunt. Miſericordiam laudant, cùm inter ſe injuſti deprehendantur. Mundum ſpernendum aſſerunt, & ſemper accurati procedunt. Jejuniis inſiſtere ſe jactanter prædicant, cùm omnes ſaginati videantur. Tantùm quod arte quadam pallidi cernuntur, ut fallant*. Eandem formam habuit vita omnium Gnoſticorum.

Externis hominum oculis quid unquam apparuit ſanctius vita Montaniſtarum? Quàm caſti, quàm uſque ad Xerophagiam abſtemii, quanti cunctæ diſciplinæ zelatores apparuerint, lucet ex variis libris lapſi ad ipſos Tertulliani. Eandem nobiſcum profitebantur fidei regulam. Hinc indè lapſam, aut non ſatis firmatam diſciplinam credebantur & reparatori & perfecturi. Et hanc ſuam hypocriſim perſuaſerunt Sancto Aniceto Pontifici: Ovinas lanas adeò dextrè circumpoſuerunt ſuo lupo. Et quòd non dumtaxat rapaces, ſed etiam ſpurciſſimi lupi fuerint, in Eccleſiaſtica Euſebii Cæſarienſis hiſtoria demonſtrat antiquus & authenticus noſter Scriptor Apollonius. Ipſum ſceleratæ hypocriſios authorem Montanum fuiſſe in adulterio deprehenſum, ac indè, dum damnari timet ab Eccleſia, ad hæreticum ſceleratæ ſanctimoniæ hiſtrionatum fuiſſe tranſverſum ſcribit ad Herminum Comitem Sanctus Iſidorus Peluſiotes. Et hæc poſſit Lib. 1. Ep. 143. eſſe una rationum, ex quibus Apoſtolicum, quo perfunctos pœnitentia mœchos ad Sacramentalis Reconciliationis pacem admiſit Zephyrinus Pontifex, Edictum pertinaciſſimè refutavit ac impugnavit omnis iſta factio: Quo ſcilicet ſui Patriarchæ natale flagitium penitùs abolerent.

Novatianenſes fuerunt tanti ſanctimoniæ affectatores, ut ſemetipſos appellarent Catharos, ſeu mundos, dicentes non dumtaxat futuri, ſed & præſentis ſæculi Eccleſiam eſſe ſine macula & ruga. Et ſic oportere. Hinc omnem lapſum, utpotè veram in Eccleſia rugam ac maculam, adeò averſati ſunt, ut & ipſum pœnitentiæ Sacramentum fuerint averſati & ablegarint. Licèt enim Novatianus, dum primus adversùs Sanctum Papam Cornelium rebellionis erexit cornua, ſolos idololatras blaterarit non poſſe per Sacramentalis Reconciliationis januam recipi in Eccleſiam, poſtmodò tamen aut ipſe, aut ejus Sectatores crudelitatem extenderunt ad omne crimen, & ſic ſecundam naufragii tabulam voluerunt penitùs laceratam atque excuſſam. Et adversùm ipſos Sanctus Cyprianus ſcripſit ad Romanos ex iſto ſchiſmate reductos Confeſſores: *Etſi videntur* Epiſt. 51. *in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet fides aut Charitas noſtra, ut quoniam zizania in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodò laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus*. Novatianus Romanam, ac omnem illi communicantem Eccleſiam, quòd pœnitentia functos idololatras cœpiſſet admittere ad communionis pacem, dixit non eſſe ampliùs ſanctam & immaculatam Chriſti Domini ſponſam, ſed fœdiſſimis zizaniis maculoſam & rugoſam meretricem. Hinc ne ipſe macularetur, exivit ab ipſa, & inſtituit novam Catharorum Eccleſiam, novam Sanctorum communionem. Quod eorum Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ac totius factionis Primas Agellius ſemper inceſſerit nudis pedibus, fueritque unica & vili tunica contentus, teſtantur Socrates & Hermias Zozomenus. Et de ejus ſucceſſore Siſinnio adjungunt, quòd in alba ſemper veſte proceſſerit, allegans Chriſtum Dominum in eadem fuiſſe transfiguratum. Suæ Sectæ ſanctimoniam ita voluit prædicare. Quin & memorati Scriptores teſtantur Novatianenſium quoſdam coruſcaſſe miraculis. Et poſſit eſſe. Nam montium tranſlatrix fides & Chariſma, quod ſine charitate, ac Divina juſtificante gratia inveniri poſſe ſcribit Apoſtolus in prioribus litteris ad Corinthios. Quidquid ſit, fucatam ſanctimoniam in aliquo pretio habuerunt Imperatores, Magnus Conſtantinus & Magnus Theodoſius, Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ac alii plures. Præſertim tamen eorum conſtantiam in tuenda fide Nicæna. Ob hanc & iſtius Synodi octavus Canon illis fecit ſingularem gratiam. Per ſanctimoniæ fucum multos Eccleſiæ ſimpliciores ſeduxerunt.

Ex Sancti Cypriani epiſtola adductum locum Sanctus Auguſtinus frequenter refricat Donatiſtis in faciem. Eorum barbarica & monſtroſa facinora ſunt omnibus exploratiſſima. Nec defuerunt flagitia. Quod enim ſemetipſas è rupibus præcipitantium Sanctimonialium diſſecti uteri caſta neſcio quorum cum ipſis contubernia quandoque proderent, teſtatur in primo contrà Gaudentium Thamugadenſem Epiſcopum libro Cap. 36. Sanctus Auguſtinus. Et quædam talia Epiſcoporum exempla refert Sanctus Optatus. Undè Hunnerici Wandalorum Ariani Regis, qui etiam noſtras ſanctiſſimas Moniales de Epiſcopis & Clericis ſuſpectas habuit; ideoque juſſit inſpici, barbaricum facinus poſſit non caruiſſe fun-

damen-

damento. Uti enim Gnoſtici Catholicos Chriſtianos de Thyeſtæis epulis apud Gentiles, ita forſan Donatiſtarum laſcivia poſſit etiam nos apud iſtos barbaros feciſſe ſuſpectos. Et tamen de iiſdem Donatiſtis ſcribit in ſexto ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu Sanctus Auguſtinus: *Donatiſtæ jactant ſe aliquando, quia elee-*
Ep. 199. cap. 18. *moſynas multas faciunt*. Et in ſecunda ad Januarium epiſtola ſcribit variis gentibus eſſe in cantandis Divinis Officiis varium morem, atque adjungit: *Pleraque in Africa Eccleſiæ membra hic pigriora ſunt, ita ut Donatiſtæ nos reprehendant, quod ſobriè pſallimus in Eccleſia Divina Cantica Prophetarum*. Ambiebant ac præ ſe ferebant ſingularem in Divinis officiis zelum ac ſanctimoniam. Quòd & ipſi eorum ſceleratiſſimi Circumcelliones *ſub continentium profeſſione ambularint*, atque ita videri vellent Sancti, teſtatur in Sancti Auguſtini vita beatus Poſſidius. Etiam hæc ſcelerata Secta blateravit ſe eſſe ſine macula & ruga: Eccleſiam vel ex unius criminoſi conſortio pati contagium, maculari, ac perire. Se eſſe immaculatam Eccleſiam Martyrum.

Sanctus Auguſtinus in libris de Symbolo ſcri-
Lib. 2. cap. 13. bit etiam de Arianis: *Servus malus non inſultet Dominæ, Hæreticus Arianus non inſultet Eccleſiæ. Lupus eſt: Agnoſcite: Serpens eſt: Ejus capita conquaſſate. Blanditur, ſed fallit. Multa promittit, ſed decipit. Venite, inquit, defendam; ſi neceſſitas eſt, paſcam; ſi nuditas, veſtiam; dabo pecuniam, ſtatuam quid per ſingulos dies quiſque accipiat. O lupe male, ò ſerpens iniqua, ò ſerve nequiſſime. Artis tuæ potentia alios premis ut perdas, alios pecunia comparas, quò occidas. Ergone Hæretice ad hæc veſtis nudum, ut exſpolies intùs Chriſto veſtitum? Ad hoc paſcis eſurientem, ut anima auferas cibum cæleſtem? Ad hoc das pecuniam, ut ſic tibi iſti vendant Chriſtianum rebaptizandum, quemadmodum Judas Judæis Chriſtum crucifigendum? Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Quod
Cap. 8. ipſum repetit in Tractatu de tempore barbarico. Et in litteris ad Italiæ ac Galliæ Epiſcopos ſcri-
Ep. 64. bit Magnus Baſilius: *Ariani deducunt peregrè quovis progredientes, inviſunt infirmos, ſolantur mœſtos, & adjuvant laborantes, & preſſis omnis generis opem adferunt, myſteriorum communionem adminiſtrant*. Lamentatur quòd per iſtos pietatis fucos & seducerent plebem, & ſeductam ſibi devincirent. Et quanta conſtantia Chriſtianam fidem ſub Apoſtatæ Juliani Imperio defenderint adversùm paganos, docent per Sanctum Gregorium Nazianzenum laudata Marci Arethuſenſis in Syria Epiſcopi horrenda tormenta, Georgii Patriarchæ Alexandrini barbarica mors, & Maris Chalcedonenſis Epiſcopi libera pro Chriſto Domino lingua adversùs ipſum Julianum. Hæc eorum externa virtus circumſcripſit plurimos.

Longè ſanctiores apparuerunt Macedoniani. Eorum errore & ab Eccleſia ſeparatione ſe admodùm torqueri affirmat in quadrageſima quarta oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus, & adjungit cauſam: *Vitam veſtram mirificè probamus*. Eis ex pleno pectore optat ac precatur rectam de Spiritu Sancto fidem, & addit: *Hoc vobis morum & vitæ præmium detur*. Et proſequitur: *Adeò vos amplector atque exoſculor, adeò concinnam hanc veſtram & compoſitam veſtem vereor; & contractum ex continentia colorem, & ſacros hos cœtus, & venerandam virginitatem ac purgationem, & noctes quas in Pſalmorum cantu inſomnes tranſigitis, & propenſum in pauperes, & fratres, & hoſpites, ſtudium atque amorem, ut anathema etiam à Chriſto eſſe, ac nonnihil uti damnatus perpeti non recuſem, modò nobiſcum adjungamini, communibuſque animis Trinitatem celebremus*. Hanc, licèt fucatam, ſanctimoniam tantus Doctor ac Epiſcopus adeò dilexit. Ejus teſtimonium confirmat Hermias Zozomenus: *Ma-* Lib. 4. cap. 26.
cedoniani vitam, cui populus maximè ſolet animum attendere, non malè inſtituebant. Nam illis inceſſus gravis, & vivendi ratio ſimilis Monachorum fuit. Oratio non indiſerta, indoles ad perſuadendum apta. Eorum Principes, Eleuſium Cyzicenum Epiſcopum, Helleſponti Metropolitam, Euſtatium Sebaſtenſem Epiſcopum, Metropolitam primæ Armeniæ, Marathonium ex opulento Quæſtore pauperem Monachum, alioſque id genùs fulſiſſe magnis ſanctimoniæ radiis, eſt omnibus notum. At fuiſſe hypocriſim & fucum monſtrarunt Euſtatii exceſſus, damnati à Gangrenſi Synodo. Et hæ quidem fuerunt ſceleratiores ac fœdiores in Eccleſia hæreſes. Aliæ omnes ambularunt iiſdem veſtigiis. Etiam Pelagiana uſque ad hodiernam Lutheranam & Calvinianam. Hæc enim ſuos ſeductos ex ſanctimoniæ ambitu juſſit vocari Eccleſiam Reformatam. Et quis neſciat profundiſſimam hypocriſim hodiernorum Anabaptiſtarum? Quocirca hæ jam dictæ tres doloſorum fucorum ſpecies ſunt ovinæ lanæ, quibus cuncti ſemper Hæretici ſtuduerunt ac ſtudebunt ſuam lupinam formam ac rabiem occultare. Et hoc reſpicit in litteris ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cy-
prianus: *Novatianus neſcis Schiſmaticos ſemper* Epiſt. 52.
inter initia fervere, incrementa verò habere non poſſe, nec augere quod illicitè cœperint, ſed ſtatim eum prava ſua æmulatione deficere. Nempè in exordio jam dicta veſtimenta ſimplici populo perſuadent illos eſſe oves, ſed tempus & experientia demonſtrant intùs latere rapaces ac doloſos lupos. *Ex fructibus enim cognoſcetis eos*. Hæc Domini verba inſigniter elucidat in libro contra Imperatorem Conſtantium Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: *Eſt aliquid in corde quod diſſimulatur in vultu. Et velatum mente. Et ovem putantes, lupum ſenſerunt. Si quæ ovium ſunt agunt, credantur & oves eſſe; ſi autem rapacia luporum oves peragunt, lupi eſſe per opus ſuum intelliguntur. Ex geſtorum fructu veſtimentorum ſpecies arguitur. Veſtem ovis tuæ, Lupe rapax, cernimus. Auro Reipublicæ Sanctum Dei oneras, & vel detracta templis, vel publicata Edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Oſculo Sacerdotes excipis, caput benedictioni ſubmittis, convivio dignaris, cenſum capitum remittis, vectigalia Cæſar donas, ut ad negationem Chriſtianos invites: Quæ*

tua

tua ſunt relaxas , at quæ Dei ſunt amittuntur . Hæc tua falſa ovis indumenta ſunt . At nunc fructus operum tuorum , Lupe rapax , audi . Exindè enumerat Imperatoris Conſtantii in Eccleſiam Ariana facinora , ex quibus ejus , tot bonorum operum ovinis lanis circumducta & occultata , lupina feritas ac rapacitas fuit Chriſtiano populo manifeſtata .

Qui Pſeudo-Prophetæ ſunt , &c.

Quoſvis hæreticos eſſe Pſeudo - Prophetas , Pſeudo-Apoſtolos , ac Anti-Chriſtos , tradit ipſe in Evangelio Dominus , ac in prima ſua epiſtola
Cap. 2. Sanctus Joannes Apoſtolus . Et dat rationem ; *Filioli , noviſſima hora eſt . Et ſicut audiſtis , quia Anti-Chriſtus jam venit : Et nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt , Quis eſt mendax , niſi qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus ? Hic eſt Anti - Chriſtus .* Exponit in libro contra Auxentium Mediolanenſem Arianum Epiſcopum Sanctus Hilarius Pictavienſis : *Ne maledictis verborum in eos* , utique Arianorum Epiſcopos , *uti conviciis arguamur , cauſam proditionis publicæ , ne cuiquam ignorata ſit , non tacemus . Anti-Chriſtos plures eſſe , etiam Apoſtolo Joanne prædicante , cognovimus . Quiſquis enim Chriſtum , qualis ab Apoſtolis eſt prædicatus , negavit , Anti-Chriſtus eſt : Nominis Anti-Chriſti proprietas eſt Chriſto eſſe contrarium . Hoc nunc ſub opinione falſæ pietatis efficiunt , hoc ſub ſpecie prædicationis Evangelicæ laborant , ut Dominus* JESUS *Chriſtus , dum prædicari creditur , denegetur .* Notanda ſunt verba : *Sub opinione falſæ pietatis , ſub ſpecie prædicationis Evangelicæ .* Edicunt Arianos omnibus tribus ovinæ lanæ ſpeciebus ad ſuam belluam occultandam fuiſſe abuſos . Et ſanè Imperatorem Conſtantium , ipſorum Advocatum & Satellitem , fuiſſe magnis morum ornamentis circumtectum , lucet ex ſupra adductis ejuſdem Hilarii verbis . Etiam Sanctus Athanaſius in literis ad ſuos Monachos , ac variis in locis Lucifer Calaritanus Epiſcopus cum ipſo affirmant eundem Conſtantium eſſe verum Anti-Chriſtum , & inter allegatas ab ipſis cauſas hæc eſt una : *Conſtantius loquitur ſermones contra Altiſſimum , dum propugnat ſacrilegam hæreſim Arianam .* Quod Sanctus Stephanus Pontifex etiam Sanctum Cyprianum , quod ſuo Apoſtolico circa datum ab hæreticis Baptiſmum Decreto parere nollet , appellaverit Pſeudo - Chriſtum , Pſeudo-Apoſtolum , ac doloſum Operarium , affirmat in famoſa ſua epiſtola Sanctus Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus . De cujus tamen veritate hæſito . Etenim pacificus Cyprianus orthodoxæ communionis ac fraternitatis fibulam non diſrupit , ideoque nec dignus fuit iſtis elogiis . Et de ipſis nullibi queritur . Et illum Stephanus nequaquam ejecit aut ſuſpendit ab Eccleſia . Eum ſemper pro venerabili fratre habuit , ideoque non poſſit talibus eum oneraſſe . Et Sanctus Firmilianus , dum ob mentis duritiem fuit à Romana communione ſuſpenſus , fuit in dicendo & Cypriano incendendo liberior . Quidquid ſit , cuncti Patres omnem hæreticum , Doctorem præſertim , conſtanter appellant Anti-Chriſtum .

Notanda ſunt noſtri Doctoris verba : *Qui Anti-Chriſti interim & ſemper , &c.* Affirmant hæreticos non eſſe principalem Anti-Chriſtum , ſed Anti-Chriſtos dumtaxat per interim ac ſemper . Nempè medio inter primum ac ſecundum Domini adventum tempore , quod Sanctus Joannes Apoſtolus appellat horam noviſſimam , agunt iſti Anti-Chriſtum . Et iſti tempori ſemper adfuerunt , ac ſemper aderunt . Et hinc in laudatis libris Sanctus Hilarius Arianos Epiſcopos , ac ipſum Imperatorem Conſtantium dicit eſſe non ipſum Anti-Chriſtum , ſed ejus Vicarios , Sacerdotes , ac Præcurſores . In laudatis litteris Sanctus Athanaſius , ac variis in locis memoratus Lucifer eadem confirmant . Athanaſius addit Conſtantium eſſe Anti-Chriſti imaginem . Eodem modo loquuntur & alii Patres . Et hinc lucet Tertullianum cenſere , quòd principalis Anti-Chriſtus futurus ſit non aliquod iniquorum hominum corpus , ſed homo ſingularis .

Ad Romanos ſcribit Apoſtolus Paulus : *Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit .* Cap. 13.
Mandat paganos etiam Imperatores venerandos . Hinc oritur quæſtio , Qua ratione tanti Patres Imperatorem Conſtantium appellent Anti-Chriſtum ? Certè qui nunc tam fœdo elogio non dumtaxat Regiam Majeſtatem , ſed vel quempiam Provinciæ Præſidem invaderet , cenſeretur palàm maledicus ac turbulentus . Reſpondet Hilarius : *Sed temerarium me fortè quiſquam putabit , quia dicam Conſtantium eſſe Anti - Chriſtum . Quiſquis petulantiam iſtud magis quàm conſtantiam judicabit , relegat primum Joannem dixiſſe ad Herodem : Non tibi licet illud facere .* Demonſtrat Sanctum Joannem Baptiſtam , alioſque plures antiqui Teſtamenti Sanctos pravis Regibus reſtitiſſe etiam in faciem , & adjungit : *Non eſt iſtud temeritas , ſed fides ; neque inconſideratio , ſed ratio ; neque furor , ſed fiducia . Proclamo tibi , Conſtanti , quod Neroni locuturus fuiſſem , quod ex me Decius & Maximinus audirent : Contra Deum pugnas , contra Eccleſiam ſævis , Sanctos perſequeris , Chriſti Prædicatores odis , Religionem tollis , tyrannus non jam humanorum , ſed Divinorum . Hæc tibi & me atque illis ſocia & communia ſunt . At nunc propria tua accipe : Chriſtianum te mentiris , Chriſti novus hoſtis es , Anti-Chriſtum prævenis , & arcanorum myſteria jam operaris .* Denuò enumerat Conſtantii facinora . Affirmat majorem à ſe reverentiam ac patientiam non deberi Chriſtiano aut Catechumeno Conſtantio , quam deberetur Neroni , Decio , Maximiniano , aut cuivis gentili tyranno . Et rectè affirmat . Ob duas cauſas . Primò , quòd Chriſtianus Imperator Epiſcopo non tantummodò præſit , ſed etiam ſubſit , ideoque ſibi invicem debeant mutuum honorem ac reverentiam . Secundò , quòd ille orthodoxam fidem ac omnia ejus jura obligetur ex officio tueri , ideoque ejus in hanc crimina ſint multò graviora . At verò di-

ctos

ctos gentiles tyrannos, quòd Anti-Chriſti opus agerent, noſtri olim Patres ac Martyres dixerunt Anti-Chriſtos. Eorum teſtimonia ſunt paſſim obvia. Quin & aliqui Auguſtum Neronem dixerunt & ſcripſerunt eſſe ipſum principalem Anti-Chriſtum, ideoque non eſſe occiſum, ſed vivum reſervari in finem ſæculi, ut inchoatam olim in Eccleſiam facinora tunc compleat. Et in litteris ad Celerinum, apud Sanctum Cyprianum exſtantibus, glorioſus Martyr Lucianus Imperatorem Decium appellat *Anti-Chriſti metatorem*.
Epiſt. 23. Quod ipſum, ſi tunc viveret, poterat & dicere & ſentire Sanctus Hilarius. Et hinc infert eodem elogio inſigniri poſſe patrantem ſimilia Imperatorem Conſtantium. Nec à ſe impingi in regulam: *Principi populi tui non maledices*, Audi cauſam: *Non aliquo vitia humanæ perturbationis ad hæc ſcribenda ſum incitatus*. Non retaliandi cupiditate, ſed corrigendi ac revocandi charitate, de qua rectè Sanctus Auguſtinus: *Dilige, & fac quod vis*. Quia nempè charitas non agit perperam. Et utinam etiam nobis hodie eſſet idem animus. Experitemur verum eſſe, quod ad Imperatorem Juſtinianum ſcripſit Faenn-
Lib. 12. cap. 5. dus Epiſcopus Hermianenſis: *Credendum eſt, quia ſi nunc Deus aliquem Ambroſium ſuſcitaret, etiam Theodoſius non deeſſet. Sed cum minor eſt exigendi fiducia, minor eſt & reddendi devotio.* Et rectè Hilarius ſubdit: *Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus, ſi verò univerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam libertatem & modeſtiam.* Sui oris libertatem, quòd ex cauſa fiat, affirmat eſſe Apoſtolicam, non deviare ab Epiſcopali modeſtia, eſſe non petulantiam, ſed conſtantiam.

Nunc ſunt hæreſes non minùs doctrinarum perverſitate,
&c.

Quòd hæreticorum nequitia ſit vera Eccleſiæ perſecutio, & quidem non dumtaxat gentilium Tyrannorum, ſed & ipſius principalis Anti-Chriſti in nos perſecutionibus non inferior, docet in libro de Unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus: *Non ſola perſecutio metuenda eſt, & ea quæ ſubruendis ac dejiciendis Dei ſervis aperta impugnatione graſſantur. Facilior cautio eſt, ubi manifeſtior formida: Et ad certamen animus ante præſtruitur, quando ſe adverſarius profitetur. Plus metuendus*
Lib. 7. cap. 21. *eſt & cavendus inimicus, cùm latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis acceſſibus ſerpit. Unde & nomen Serpentis accepit.* Et hinc de Juliano Imperatore Apoſtata ſcribit Ammianus Marcellinus, quòd Chriſtianos evertere, & perſecutor audire nolens, cunctis hæreſibus libertatem fecerit, ſciens horum in iſtos odium eſſe pluſquam belluinum, potentiuſque omni ſua poteſtate ac perſecutione. Et ad hunc Apoſtoli locum, *Omnes qui volunt piè vivere in Chriſto* JESU, *perſecutionem patientur*, ſcribit in litteris ad Ruſticum Narbonenſem Archi-Epiſcopum Sanctus Leo Magnus: *Quæ perſecutio non in eo tantùm computanda eſt, quod contra Chriſtianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuſcumque ſuppliciis, cùm perſecutionum ſævitiam ſuppleant, & diſſimilitudines morum, & contumaciæ inobedientiam, & malignarum tela linguarum. Quibus conflictationibus cùm omnia ſemper Eccleſiæ membra pulſeatur, & nulla piorum portio hic à tentatione ſit libera, ita ut periculis nec otia careant nec labores, quis inter fluctus maris navem diriget, ſi Gubernator abſcedat? Quis ab inſidiis luporum oves cuſtodiet, ſi Paſtoris cura non vigilet? Quis denique latronibus obſiſtet & furibus, ſi Speculatorem in proſpectu explorationis locatum ab intentione ſolicitudinis amor quietis abducat.* Per lupos, fures ac latrones palam intelligit hæreticos, qui per ſuarum malignarum tela linguarum intendunt trucidare non corpora, ſed animas. Earum linguæ ſunt doctrinarum perverſitas. Ep. 91.

Quæ omnia præſertim vera ſunt, dum hæreſis, licèt nulla perſecutione aut publica violentia adjuvetur, tamen Principis aut alicujus Patriarchæ authoritate fulcitur. Arianorum Satelles potiùs, quàm Romanorum Imperator Conſtantius egit lupum, & propria pelle apertum, & occultum in lana ovina. Et tanquam blandus hæreticus, & tanquam crudelis tyrannus eſt Eccleſiam perſecutus. Priorem ejus perſecutionem in ſcripto adversùs ipſum libro exponit Sanctus Hilarius: *At nunc pugnamus contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Anti-Chriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat; non proſcribit ad vitam, ſed ditat ad mortem; non tradit carceri ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſervitutem; non latera venat, ſed cor occupat; non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit; non ignes publicè minatur, ſed gehennam privatim accendit; non contendit ne vincatur, ſed adulatur ut dominetur. Chriſtum confitetur ut neget. Unitatem procurat, ne pax ſit. Hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint. Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint. Eccleſiæ tecta ſtruit, ne fidem deſtruat. Te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omninò agit, ne tu, ut Deus, ita Pater eſſe credaris.* Quas omnes Conſtantii doloſas artes latiùs in variis locis exponit Lucifer Epiſcopus Calaritanus. Et adversùm ipſas exclamat ad Dominum Deum laudatus Hilarius: *Utinam illud potiùs ætati meæ & tempori præſtitiſſes, ut hoc confeſſionis meæ in te miniſterium Neronianis Decianiſve temporibus expleſſem. Nec ergò per miſericordiam Domini & Dei Filii tui* JESU *Chriſti calens equuleum metuiſſem, nec ignes timuiſſem, nec crucem & fragmenta crurum vitaſſem. Adversùs enim abſolutos hoſtes mihi illud certamen fuiſſet, quia nec dubiam relinqueretur, quin perſecutores eſſent, qui ad negandum te pœnis, ferro, igne compellerent. Neque ad teſtificandum plus tibi nos, quàm mortes noſtras liceret impendere. Pugnaremus enim in palàm, & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes. Et nos populi tui, tamquam Duces ſuos, ad confeſſionis Religionem intelligen-*

telligentia perſecutionis publicæ comitarentur. Et poſt quædam pergit ad ipſum Auguſtum Conſtantium: *Novo inauditoque ingenii triumpho de Diabolo vincis, & ſine Martyrio perſequeris. Plus crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique Beatorum Martyrum ſanguis exceptus eſt. At tu, omnium crudelitatum crudeliſſime, damno majori in nos & venia minori deſævis. Subrepis, nomine blandientis occidis, ſpecie religionis impietatem peragis. Chriſti fidem mendax Chriſti Prædicator extinguis. Non relinquis ſaltem miſeris excuſationes, ut æterno Judici ſuo pœnas & aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices, ut infirmitas defendat neceſſitatem. Sceleratiſſime mortalium, omnia perſecutionis mala ita temperas, ut excludas & in peccato veniam, & in confeſſione Martyrium. Sed hæc illa pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere ſine contumacia, jugulare ſine gladio, perſequi ſine infamia, odire ſine ſuſpicione, mentiri ſine intelligentia, profiteri ſine fide, blandiri ſine bonitate, agere quod velis, nec manifeſtare quæ velis*. Palàm affirmat blandam Conſtantii hæreſim fuiſſe peſſimam, Neroniana ac Deciana longè pejorem, Eccleſiæ perſecutinnem. Ob tres præſertim cauſas. Primò, quòd cujuſcumque pagani Principis perſecutio ſit nobis non tantummodò apud Dominum Deum, ſed etiam apud homines glorioſa. Omnes enim tunc nobis acclamant: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Omnes vincula noſtra omni honore & officio proſequuntur. Secundò, quia tolerata tunc mors conſecrat in glorioſum Martyrem. Tertiò, quia licèt tunc lapſi graviter offendant Dominum Deum, habent tamen & aliquid excuſationis: Inflictorum tormentorum violentia excuſat infirmitatem, & crimen diminuit. Quæ omnia deſunt, dum Chriſtianus Princeps agit hæreſeos doloſum ac blandum Satellitem. Adſunt omnia contraria. Ille enim Chriſtiani nominis pallium circumfert, ſeductus aut circumſcriptus cenſet ſe Chriſto Domino præſtare Regale officium, ejus authoritati adulantur plurimi, atque ita orthodoxæ fidei pugiles ſine gloria, immò & cum infamiâ in ipſum depugnant. Habent labores Martyrum ſine ſolatio adjunctæ gloriæ. Porrò carnificina, quam in nos Nero, aliique id genùs exercuerunt, & quam exercebit Anti-Chriſtus, ſunt ejuſdem formæ: Hinc lucet perſecutinnem, quam per Principis authoritatem facit blandiendo doloſa hæreſis, eſſe ipſa Anti-Chriſtiana perſecutione periculoſiorem, nequiorem, ac duriorem.

Quæ omnia inſigniter confirmavit in Chalcedonenſi Synodo Baſilios Seleucienſis Epiſcopus, Metropolita Iſauriæ. Etenim à glorioſiſſimis Judicibus rogatus, quomodo qui in Sancti Flaviani Conſtantinopolitani Epiſcopi Synodo Catholicam Fidem adversùs Eutychetem tam generosè firmarat, Dioſcoro Patriarchæ Alexandrino, tyrannidem exercenti in Epheſino Latrocinio, ad laudatum Flavianum damnandum tam infeliciter ſuccubuiſſet, reſpondit: *Quoniam in judicium centum & viginti aut triginta Epiſcoporum traditus, neceſſitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur*. Et dicto Dioſcoro replicanti fuiſſe potiùs toleranda quælibet, quàm iniquis Decretis parendum, repoſuit: *Si apud Judices habuiſſem, Martyrium ſuſtinuiſſem. Etenim apud Conſtantinopolim oſtendi fiduciam meam. A Patre autem qui judicatur, juſſis non utitur. Filius enim Patri etiam juſta dicens moriatur*. Iniquo Synodalis Præſidis dogmati aut Decreto factam reſiſtentiam affirmat non conſtantiam & rectam fidem, ſed hæreticam contumaciam à pleriſque æſtimari, ideoque generoſum Epiſcopum & faciliùs & glorioſiùs profiteri coram gentili tyranno, quàm coram hæretico Patriarcha. Conſonat Hermias Zozomenus. Etenim Eudoxii Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Acacii Luſci Cæſarænſis apud Palæſtinos Metropolitæ Arianam adversùs Nicænam Synodum, & orthodoxos, ac quoſvis non ſuæ Factionis Epiſcopos graſſationem exponens adjungit: *Perturbatio per totum Imperium pervaſit, itemque perſecutio par ferè illis, quas gentiles Imperatores jam olim exercuerant, omnes omnium Eccleſias occupavit. Nam licèt quibuſdam, quantum ad cruciatus corporis attinebat remiſſior videretur, prudentibus tamen propter dedecus multo reverà acerbior. Nam utique, & qui perſecutionem ciebant, & qui erant eadem afflictati, de Eccleſia fuerunt. Ideoque eò turpior clades erat, quòd quæ hoſtes facere ſoleat, Eadem in Tribules facta ſunt. Atqui ſacra Lex vetat nos tales oſtendere etiam adverſùm exteros & peregrinos*. Lib. 4. cap. 25.

Notanda ſunt verba: *Quod quæ hoſtes facere ſolent*, &c. Evenit in famoſa ad Marim Perſidis Antiſtitem epiſtola Ibas Edeſſenus Epiſcopus Metropolita Oſrhoenæ Provinciæ. Exponit agitatas inter Sanctum Cyrillum Alexandrinum, & Joannem Antiochenum Patriarcham in Epheſino Concilio quæſtiones, ac indè natam inter utriuſque Patriarchatus Epiſcopos ac populos dogmaticam diſcordiam, atque adjungit: *Ob hoc multa triſtitia in eos facta eſt. Et in contentione erant Epiſcopi adverſùm Epiſcopos, & populi adverſùm populos. Et completum eſt opere quod ſcriptum eſt:* Quia erunt inimici hominis, domeſtici ejus. *Ex hoc detractiones multæ adverſùm nos factæ ſunt paganorum & hæreticorum. Non enim audebat aliquis de civitate ad civitatem, aut ad Provinciam de Provincia proficiſci, ſed tanquam inimicum ſuum unuſquiſque ſuum proximum perſequebatur. Multi autem ante oculos non habentes Dei timorem, occaſione Eccleſiaſtici zeli, inimicitiam quam occultam in cordibus ſuis habuerant ad effectum perducere feſtinabant*. Epheſina in Synodo Cyrillus & Joannes ſeſe mutuò damnaverant, atque ita utriuſque Diœceſis per iſta ſpiritualia, longè pejus quàm per bellica aut tyrannica, arma perrexit in invicem ſcandaloſiſſimè ac pernicioſiſſimè præliari. Quod poſt natam è Sardicenſi Synodo & Philippopolitano Conciliabulo diſcordiam etiam Occidentalis & Orientalis Eccleſia omnem fraternam communionem dilacerarint, & incœperint hoſtiliter agere in invicem, eſt omnibus notum. Quin & de Ariana hæreſi, antequam

ulla haberet publica adminicula, ad Nicænam Synodum dixit magnus Imperator Conſtantinus: *Nolite pati ut ulla invidiæ tempeſtas, noſtris rebus proſperis inimica, iſtud bonum labefactet. Neque cum Tyrannorum dimicatio contra Deum ſuſcepta, jam Dei ſervatoris virtute ſit profligata, ut perditus Dæmon Divinam Chriſti diſciplinam & religionem malevolorum obtrectationibus denuò lacerandam objiciat. Quandoquidem inteſtina ſeditio in Eccleſia Dei conflata multò plus moleſtiarum & acerbitatis, quàm quodvis bellum aut pugna mihi videtur in ſe complecti. Atque iſtæ res ad animum ſpectantes longè plùs, quàm quæ ad corpus pertinent doloris adferre videntur.* Et tales tragœdias nobis excitarunt non ſolummodò Ariana ac Neſtoriana hæreſis, ſed etiam Eutychiana, Iconoclaſtica, aliæque plures. Eaſdem hodie adhuc videmus & patimur à Lutheranis & Calviniſtis. Omnis hæreſis animas acerbiſſimè lacerat: Facit gentem contra gentem amariùs per diverſum dogma, quam per hoſtilia tela digladiari. Quare Apoſtata Julianus, dum ex data omnibus hæreſibus licentia ſperavit Chriſtianam Religionem penitùs caſuram ac evertendam, non penitùs vanam, aut ſuis cogitationibus inutilem ſpem fovit.

Niſi quod perſecutio & Martyres facit, &c.

Anti-Chriſti nos perſequentis verbum erit bicorne: *Aut nega Chriſtum, aut morere.* Hinc illud non tantùm faciet Apoſtatas, ſed etiam Martyres. At verò Hæreſiarcharum verbum eſt unicorne: *Abnega hunc, aut iſtum orthodoxæ fidei articulum.* Hinc dum admittitur, non facit niſi Apoſtatas. Nempè Septimius loquitur juxta rationes ſui temporis, in quo paganum erat imperium, ideoque hæreſes adhuc erant inermes. At ubi hæ poſtmodò cœperunt Chriſtiano ſeducti aut circumſcripti Principis gladio, Reipublicæ authoritate, aut invaſa violentia armari, fuerunt omnibus gentilibus Tyrannis, ac ipſo Anti-Chriſto in nos barbariores & crudeliores. Et hinc de Imperatore Conſtantio, qui potiùs Arianæ blaſphemiæ Satellitem, quàm Romanæ Reipublicæ Principem egit, ſcribit ad ſuos Monachos Sanctus Athanaſius: *Quis cùm iſta fiant, & cùm impietas tantam impudentiam ſibi vendicet, auſit jam Conſtantium hominem Chriſtianum appellare? An non potiùs eſſe Anti-Chriſti imaginem? Quid enim ex Notis Anti-Chriſti huic deeſt? Aut quid eſt cur non omnibus modis Conſtantius Anti-Chriſtus, & viciſſim Anti-Chriſtus Conſtantius habeatur?* Notanda ſunt verba: *Cur non omnibus modis?* Edicunt Conſtantium eſſe plenum Anti-Chriſtum, plenam principalis Anti-Chriſti imaginem. Principali Anti-Chriſto Athanaſius affirmat ab Evangelio ac Prophetis adſcribi duos characteres; Blaſphemum dogma, & Tyrannicam poteſtatem. Quòd futurus ſit & blaſphemus Prædicator, & barbarus tyrannus. Hinc ejus per interim Vicarius eſt Anti-Chriſtus duplex: Alius truncus, ac dimidiatus per ſolum dogma, alius plenus per dogma ſimul & gladium. Undè tales hæretici faciunt non dumtaxat Apoſtatas, ſed etiam Martyres. Et tales omninò fuerunt Imperatores, Conſtantius, Valens, Zeno, Anaſtaſius, Conſtans ſecundus, Leo Iſaurus, Conſtantinus Copronymus, aliique plures. Sceleratas enim hæreſes & verbo, & gladio propagarunt. Nec ipſi ſoli, ſed & eorum Epiſcopi fuerunt omninò pleni Anti-Chriſti. Hi enim crudelem in nos gladium, licèt non manu propria, exeruerunt tamen manu aliena ſeducti Principis. Exempla ſunt plurima. Quidam iſtud egerunt etiam propria manu. Lucet in Donatiſtis, Eutychianis, Iconoclaſtis, & noſtris etiam Calviniſtis.

Septimii verba, *Hæreſis Apoſtatas tantùm*, poſſint generaliter accipi, ac extendi etiam ad plenos iſtiuſmodi Anti-Chriſtos. Etenim uti Donatiſtæ voluerunt vivere ut latrones, & ut Martyres honorari, ita iſti in nos ſtuduerunt omnem ſuum furorem effundere, & tamen ſolos nobis Apoſtatas, nullos Martyres creare. Ita de Imperatore Conſtantio dixit nobis Sanctus Hilarius: *Novo ingenii triumpho ſine Martyrio perſequeris. Excludis in confeſſione Martyrium.* Hoc obtinere ſtuduit etiam in illa perſecutione, qua crudeliſſimè ſæviit in noſtra corpora. Etenim in libro, qui nobis pro Dei Filio moriendum demonſtrat, Lucifer Calaritanus Epiſcopus affirmat plurimos orthodoxos fuiſſe à Conſtantio occiſos, & ad ipſum pergit: *Et omnes, quod tu audire minimè vis, Martyres ſunt.* Et infrà: *In hoc ſceleratiſſimus judicaris, quòd ſub ſpecie dilectionis, & conſulere cupientis, ad nos blandiaris dejiciendos, tamquam utile ſit vobis à te gradu pulſos reſervari, & à Deo damnari. Novimus quòd ſis metuens, ne in omnibus his pœnis, tua deteſtabilitate inventis, in hac Fidei perſeverantia moriamur, & tamen admoves varios duroſque cruciatus. Sic nos, quos tam infeſtè perſequeris, variè excarnificari cupis, & quidem momentis omnibus, interficiendos verò non eſſe ſtatuiſti, tanquam mors tantummodò beatos milites Chriſti faciat, ac non etiam tormenta, quantò fuerint graviora, tantò majorem virtutis gloriam pariant.* Et in Apologeticis pro Sancto Athanaſio libris: *Impingi feciſti crimina, non* Lib 1. *ſolùm Athanaſio, ſed & nobis, quod Chriſtiani noluerimus effici Ariani. Non defuerunt ſingula, quæ poſſent objici crimina ſingulis, quò nullus videretur è nobis propter Deum miſſus ad exilia, ſed quaſi pro criminibus noſtris.* Quod ipſum fecerunt Nero, Domitianus, Diocletianus, ac alii Gentiles tyranni. Non ſolas Thyeſtæas epulas, ſed & alia in ipſam Rempublicam facinora de nobis confinxerunt. Nero Romanæ urbis, Diocletianus incendium Palatii Nicomedienſis. Et in habita ad Conſtantinopolitanam Synodum oratione ſcribit etiam de Ariano Imperatore Valente Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Valens Juliano nihil hu-* Orat. 32. *manior fuit, immò etiam acerbior, quod Chriſti nomen præferens eſſet Pſeudo-Chriſtus, Chriſtianiſque opprobrium ac dedecus, quibus & facere impium,*

& pa-

& pati inglorium erat , quod ne injuriam quidem accipere viderentur , nec illuſtre Martyrii nomen cruciatibus accederet , verùm hic quoque fucus veritati fieret , ut qui tanquam Chriſtiani patiebantur , tanquam impii cruciatu afficerentur . Dicit varia . Primò, quòd etiam Imperator Valens fuerit Anti-Chriſtus . Secundò , quòd nobis inviderit nomen & gloriam Martyrii . Tertiò , quòd hunc in finem nos non ob Catholicæ Fidei profeſſionem , ſed ob alia nobis affiſta elogia cruciaverit . Quartò , quòd iſta noſtra Martyria eſſent ingloria , ideoque fuiſſet ſatius & facilius pati ſub Nerone , Domitiano , aut Diocletiano . Et ad Teodoticum , Gcizerici Wandalorum in Africa Ariani Regis filium , qui Armogaſten ob fidei conſtantiam juſſerat gladio feriri , dixit Arianus Presbyter Jucundus : *Poteris eum diverſis afflictionibus interficere . Nam ſi gladio peremeris , incipient Romani Martyrem prædicare* : Ita teſtatur in primo ſuæ hiſtoriæ libro Sanctus Victor Vitenſis Epiſcopus , & adjungit : *Tunc Theodoricus in Byzacenam Provinciam ad fodiendas eum condemnavit Scrobes* . Etiam de Geizerico , qui generoſum Maſculam damnaverat ad gladium , adjungit : *Callidus Geizericus occultè præcepit , ut ſi Maſculas in illa hora vibrantis gladii pertimeſceret ictum , magis eum occideret , ne Martyrem glorioſum feciſſet ; ſin fortem in confeſſione conſpiceret , à gladio temperaret . Sed ille , ut columna immobilis Chriſto ſolidante effectus , Confeſſor revertitur glorioſus . Et ſi Martyrem invidus hoſtis noluit facere , Confeſſorem tamen noſtrum non potuit violare* . Et de Geizerici Succeſſore Hunnerico ſcribit Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis . *Hunnericus Beatum Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum decollari juſſit ſub ea ſpecie , ut ſi in ea hora , qua enſis ſuper cervicem ejus incumbebat , non reverteretur ad hæreticam Sectam , non occideretur , ne eum pro Martyre extollerent Chriſtiani , ſed exilio damnaretur* . Et quidem ſub ipſo gladii ictu Eugenius manſit conſtantiſſimus , ideoque de ipſo liberatus , eſt relegatus ad Albigenſem Galliæ civitatem , ac ibi defunctus . Quòd etiam ſceleratus Ebroinus Sancto Leodegario Auguſtodunenſi Epiſcopo inviderit Martyrii gloriam , ideoque ipſum non gladio , ſed ærumnis abſumendum duxerit, teſtatur hujus authentica vita . Eandem in nos invidiam exercuerunt Imperator Leo Iſaurus , Conſtantinus Coptonimus , ac alii Iconoclaſtæ . Et ſuper omnes Julianus Apoſtata . Item quidam Imperatores Pagani . Quare de cunctis iſtiuſmodi hæreſibus omninò verum eſt , quòd ſolos Apoſtatas faciant , nullos Martyres . Cuncti enim nos eo perſequuntur animo , quo perſecuti ſunt Theodoricus , Geizericus , & Honneticus : Non ut occidant , ſed ut concutiant , faciant trepidare ſub gladio , atque ita dejiciant in Apoſtaſiam .

Lib. 2. cap. 3.

Quæſtio prima eſt , An Tertullianus rectè dicat quòd publicæ poteſtatis aut arreptæ violentiæ ſatellitio non armatæ hæreſes nullos faciant Martyres ? Ratio dubitandi eſt varia . Etenim ad Neſtorium , Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopum Hæreſiarcham , qui ſibi refragantes Clericos non ad Principia gladium deduxerat , ſed ſola communione , gradu , & civitate ejecerat , ſcripſit Sanctus Papa Cæleſtinus : *Lætamur eos Clericos præmium confeſſionis acquirere , ſed dolemus quod Epiſcopo perſequente . Beatus Apoſtolus Paulus perſecutorem in prædicatorem mutavit ; nefas eſt maximum prædicatorem in perſecutorem mutatum* . Et in epiſtola ad iſtos ipſos Clericos affirmat hanc eſſe glorioſiſſimam Paſſionem , & confirmat exemplo Sancti Athanaſii . Exſtant epiſtolæ in prima parte Epheſini Concilii . Et ad Alexandrinam Eccleſiam , quæ needum corporalia tormenta ab Imperatore Conſtantio , ſed ſolas Eccleſiaſticas vexationes ſuſtinuerat ab intruſo Pſeudo-Epiſcopo Gregorio , ſcripſit Sardicenſis Synodus : *Iſtiuſmodi paſſiones pars aliqua Martyrii haberi debent , & iſtiuſmodi veſtræ Confeſſiones & tormenta non carebunt mercede , cùm præmia à Deo recepturi ſitis* . Quòd Injuſtæ excommunicationis patiens tolerantia ſit ſummi præmii meritum , docet in primo libro de Baptiſmo contra Donatiſtas , & in libro de vera Religione Sanctus Auguſtinus , & adjungit : *Hos coronat in occulto Pater , in occulto videns* . Sanctus Edmundus Cantuarienſis Archi-Epiſcopus iſtam patientiam docuit eſſe verum Martyrium . Etenim in Oxonienſi Univerſitate Doctor Sacræ Theologiæ ac Profeſſor dilecto ſuo diſcipulo Sevvalo paſſim dixit : *O Sevvale , Sevvale , Martyr ab hoc ſæculo tranſmigrabis , ferro , vel ſaltem gravibus & inſuperabilibus in mundo tribulationibus impetitus & cruciatus* . Hæ tribulationes fuerunt iniqua excommunicatio , qua poſtmodò Sevvalum Eboracenſem Archi-Epiſcopum , inconditis Eccleſiaſticorum beneficiorum reſervationibus adverſantem , Alexander IV. Pontifex percuſſit , & permiſit in ipſa mori . Ita teſtatur Matthæus Pariſienſis . Et addit Sevvalum in mortis lecto coruſcaſſe miraculis . Quidquid ſit , venerabiles quoſdam Epiſcopos & Monachos , quos iniquè damnaverat Theophilus Alexandriæ Patriarcha , miraculis poſt mortem coruſcaſſe affirmat in dialogo , quem de Actis Sancti Joannis Chryſoſtomi habuit cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono , Palladius Epiſcopus Helenopolitanus . Et certè iniqua damnatio eſt telum adeò crudele , ut magnas etiam animas non ſolummodò concutiat , ſed quandoque præcipitet in lapſum. Quis enim neſciat Thalaſſium Cæſarienſem Epiſcopum , primæ Cappadociæ Metropolitam , nec non totius Ponticæ Diœceſeos Primatem , ac alios plures ipſi ſimiles Orientalis Eccleſiæ Epiſcopos fuiſſe grandes animas ? Et tamen in Chalcedonenſi Synodo rogati , cur Dioſcoro Alexandrino Patriarchæ ad Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum in Epheſino Latrocinio damnandum ſuccubuiſſent , glorioſiſſimis Judicibus reſponderunt : *Unuſquiſque verebatur , ne ut hæreticus dejectus perderet quos baptizaverat . Et non ſolùm ei erat periculum , ſed baptizatis , & his qui in Chriſto crediderant . Quid eſſemus facturi ? In ſanguine noſtro ludebant . Una*

Epiſt. 18. & 19.

Cap. 17.

Cap. 6.

Anno 1258.

Actione 1.

voce dicebant omnes. Nos terruerunt, hæreticos nos dixerunt, & ejecti ſumus ut hæretici. Eos uti Neſtorianos damnare minabatur ac parabat Dioſcorus. Hinc illi concuſſi patuerunt iniquis Decretis, & in Sancti Flaviani damnationem ſubſcripſerunt. Quid iniquius damnatiooe, quàm Sancto Cyrillo inflixit in Epheſina Synodo Joannes Patriarcha Antiochenus? Eam Acacius Melitinenſis Epiſcopus, ſecundæ Armeniæ Metropolita, dixit eſſe non Epiſcopale judicium, ſed hoſtile convitium, ideoque ſpernendam & exſufflandam. Et rectè dixit. Ipſam tamen magnus Cyrillus adeò timuit, ut non dumtaxat à Synodi Præſidentia, ſed & ab omni Synodali actu abſtinuerit, quò uſque per Romanæ Eccleſiæ Legatos illa ſolveretur aut caſſaretur. Proindè iſto telo percuti eſt omninò lethale vulnus. Eſt ſpiritualis gladius Novi Teſtamenti, Judaicis lapidibus longè durior. Quod per ipſum ſcelerati Donatiſtæ in omni hominum genere non corpora, ſed honores occiderint, frequenter teſtatur ac lamentatur Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Et ita omnes, quibus ſuppetit poteſtas, paſſim conſueverunt hæretici. Proindè & hi faciunt veros Martyres. Licèt enim non occidant, infligunt tamen capitalem ſententiam. At ſpiritualem. Oppoſitum hic tradens Septimius, loquitur de cruentis Martyriis.

Altera quæſtio eſt, An Eccleſia uſque ad Septimii tempora nullos viderit hæreticos, qui facerent etiam cruenta Martyria? Reſpondeo non vidiſſe. Hanc enim violentiam prima cœpit Feliciſſimi Archidiaconi Carthaginenſis, & quinque cum illo Presbyterorum Sancto Cypriano rebellium ſcelerata factio. Sanctus Cyprianus fuit contra Apoſtolicum Canonem è Neophyto promotus in Epiſcopum. Et in ejus vita Pontius Diaconus affirmat iſtud eſſe primum ſimilis promotionis exemplum. Utique in Africana Eccleſia. Nec ambigendum eſt, quin fuerit Spiritus Sancti opus. Ipſum iſta facinoroſa conjuratio impugnavit, ſecrevit ſe à tanti Epiſcopi communione, ejus in locum intruſit è ſuis unum Fortunatum, & ad faciendum numerum adjunxit ſibi omnes lapſos, cunctis immaturam & falſam Pacem dedit, eandem ab omnibus Epiſcopis dari voluit, reſtagantes vi adegit. Quin & cauſam ſuam deduxit Romam, & de ipſorum iſtic audacia reſcribit ad Sanctum Papam Cornelium glorioſus Martyr Cyprianus:
Ep. 55. *Lecta tua epiſtola ſatis miratus ſum, cùm animadvertiſſem te minis atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum eſſe commotum, cùm te, ſecundùm quod ſcripſiſti, aggreſſi eſſent cum ſumma deſperatione comminantes, quod ſi litteras, quas attulerant, non accepiſſes, publicè eas recitarent, & multa turpia ac probroſa, & ore ſuo digna proferrent*. Et infrà: *Quæ autem ſui elatio eſt, quæ comminantium tumens & inflata, & vana jactatio, illic abſenti minari, cùm hic me habeant in poteſtate præſentem? Convitia eorum, quibus ſe & vitam ſuam quotidie lacerant, non timemus. Fuſtes, & lapides, & gladios, quos verbis parricidalibus jactitant, non perhorreſcimus. Quod in illis eſt, homicidæ ſunt apud Deum tales; Necare tamen non poſſunt, niſi Dominus eis necare permiſerit. Et cùm nobis ſemel moriendum ſit, illi tamen & odio, & verbis, & delictis ſuis quotidie perimunt*. Litteræ, quas ſecum ex Africa delatas minabantur recitare, erant Synodica epiſtola, qua ſceleratus Fortunatus ſuam intruſionem poſtulabat à Romana Eccleſia confirmari. Primatum Epiſcoporum per Romanam Eccleſiam confirmatio eſt adeò antiqua. Et Africanæ Eccleſiæ ad Romanam dependentia eſt adeò lucida. Has litteras, niſi recitari faceret & recitatas probaret Cornelius Pontifex, factio minata eſt ipſa recitare: Et niſi Cyprianum Fortunato ceſſurum extruderet, minata eſt ipſum fuſtibus, lapidibus, & gladiis trucidare. Sacramentalis Reconciliationis januam nulli pœnitenti claudi à ſe affirmat ac demonſtrat Cyprianus, atque pergit: *Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non lamentationibus & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere, pro certo habeant contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, non poteſt vinci*. An quis à Paganis, an à Judæis, an à falſis fratribus occidatur propter juſtitiam, demonſtrat parùm aut nihil ad Martyrii gloriam referre. Et in litteris ad ſuam plebem de eadem re reſcribit: *Perſecutio eſt hæc alia, & nova tentatio*. Quæ eadem verba repetit in ſermone de Lapſis. Affirmat duo. Primò, quòd iſta Epiſt. 40.
hæretica violentia ſit vera perſecutio. Secundò, quòd ſit perſecutio nova. Eam enim Sol nondum tunc viderat. Et hinc ſuo tempore Septimius rectè dixit, quòd hæreſis faceret ſolos Apoſtatas, nullos Martyres. An iſta ſcelerata factio aliquos orthodoxos Epiſcopos aut Clericos occiderit, non poſſim affirmare. Quidquid ſit, ex ipſa poſtmodùm prodiit, & turbulentiæ exempla ſumpſit furor Donatiſtarum. Nam uti hi apud Romam, ita iſti apud Carthaginem ſuerunt Schiſmatici Montenſes ſeu Rupitani. Lucet ex litteris Sancti Cypriani ad Epiſcopos Caldonium & Herculanum.

Et ideò hæreſes quoque oportebat eſſe, &c.

Doctor affirmat hæreſes non dumtaxat nocere plurimùm, ſed & multùm prodeſſe. Hinc non eſſe mirandum, quòd à Divina Providentia permittantur. Nam & venena habent ſuas utilitates. Notanda ſunt verba: *Hæreſes quoque*. Edicunt non ſolas gentilium perſecutiones, ſed & internas Eccleſiæ hæreſes oportere eſſe. Lucet ex verbis: *Tam qui in perſecutionibus ſteterint*. Doctor hæreſes comparat perſecutionibus, &

no-

noſtra ex ambabus mala edixit: Edicit nunc & noſtra ex ambabus commoda. Quomodo autem ipſas eſſe oporteat, exponit in primæ ad Corinthios epiſtolæ commentario Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Apoſtolus ſciendo nonnullos mente corruptos verſutia Diaboli*, *dicit*: Oportet hæreſes eſſe. *Non utique voluit*, *nec optavit*, *ſed quia ſunt*, *futurum prædixit*. *Sicut & Dominus inquit*: Oportet venire ſcandala. Et oportet Filium hominis pati. *Præſcius*, *quia Judas proditor erat futurus*. Proindè quàm maximè locum hic habet Sancti Auguſtini regula: *Maluit bonus Deus de malis benè facere*, *quàm mala nulla eſſe permittere*.

Et primò quòd Gentilium perſecutiones multùm profuerint Eccleſiis, eſt conſtans pars Chriſtiani Dogmatis. Primum ipſarum fructum edicit hic Tertullianus: *Ut probabiles quique manifeſtarentur*, *qui in perſecutionibus ſteterint*. Eundem fructum laudat in libro de Fuga in perſe- Cap. 1. cutione: *Perſecutionem dixerim Deo neceſſariam*, *ad probationem ſcilicet ſervorum ejus*, *ſive reprobationem*. *Quis eſt enim exitus perſecutionis*, *quis effectus alius*, *niſi probatio & reprobatio fidei*, *qua ſuos utique Dominus examinat? Hoc omne judicium eſt perſecutio*, *per quam quis aut probatus aut reprobatus judicatur*. *Hæc pala illa*, *quæ nunc Dominicam aream purgat*, *Eccleſiam ſcilicet*, *confuſum acervum fidelium eventilans*, *frumentum Martyrum & paleas Negatorum*. *Hæc enim ſcalæ*, *quas ſomniat Jacob*, *aliis adſcenſum in ſuperiora*, *aliis de-* Cap. 1. *ſcenſum ad inferiora demonſtrantes*. Et in libro Scorpiaco ſcribit *fidem per perſecutiones æſtuare*, *& Eccleſiam exuri de figura rubi*. Quia nempè rubus ardebat, & non exurebatur. Ita per perſecutionum flammas ſola Eccleſiæ palea exuritur, non aurum. Perſecutio ergò eſt ſcala Jacob, eſt Divinæ diſcretionis judicium, eſt areæ ventilabrum, eſt purgatrix Eccleſiæ fornax, de qua poſſit dici: *Avolent*, *quantùm volent*, *paleæ levis fidei*, *ut purior maſſa frumenti in horrea Domini reponatur*.

Secundum perſecutionis fructum edicit in ſermone de Lapſis Sanctus Cyprianus: *Si cladis cauſa cognoſcitur*, *& medela vulneris invenitur*, *Dominus probari familiam ſuam voluit*. *Et quia traditam nobis Divinitùs diſciplinam pax longa corruperat*, *jacentem fidem*, *& penitùs dixerim dormientem*, *cenſura cœleſtis erexit*. *Cumque nos peccatis noſtris amplius pati mereremur*, *clementiſſimus Dominus ſic omnia moderatus eſt*, *ut hoc omne*, *quod geſtum eſt*, *exploratio potiùs*, *quàm perſecutio videretur*. Graſſata ante perſecutionem peccata enumerat, atque concludit: *Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi mereremur*? Habes hic tres perſecutionis effectus. Primus eſt, quòd perſecutio ſit Divina noſtrorum peccatorum caſtigatio. Secundus eſt, quòd ſit caſtigatorum ad meliorem frugem erectio. Quòd ſit paterna caſtigatio & diſciplina. Tertius eſt, quòd ſit probandæ Eccleſiæ exploratio potiùs quàm perſecutio. Per perſecutionem Dominus Deus explorat atque demonſtrat, quinam ſint electum acervum, ac grave frumentum juſtitiæ, quinam ſint ſcoria ac palea Negatorum. Hunc effectum amplè exponi jam audivimus à Tertulliano. Sancto Cypriano conſonat in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſarænſis, ſcribens perſecutiones eſſe caſtigationem, diſciplinam, ac probationem, quibus Divina Providentia ſuis tempori- Lib. 7. bus Eccleſiam judicet exercendam atque pur- cap. 24. gandam. Felicem ac floridum, quem ante Diocletiani Imperium Eccleſia habuit, plenæ liber- L. 8. c. 1. tatis ſtatum deſcribit inferiùs, enumerat nata exindè & per Eccleſias graſſata peccata, & affirmat ad ipſa punienda & corrigenda fuiſſe immiſſam horrendam iſtam perſecutionem. Ad ventilandam Eccleſiam, & purgandam.

Tertium perſecutionis effectum edicit Tertullianus in libro Apologetico: *Nec quidquam* Cap. 50. *proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra*. *Illecebra eſt magis Sectæ*. *Plures efficimur*, *quoties metimur à vobis*. *Semen eſt ſanguis Chriſtianorum*. Et in libro ad Scapulam Africæ Proconſulem: *Nec tamen deficiet hæc Secta*, *quam tunc magis ædificari ſciat*, *cùm cædi videtur*. *Quiſque enim tantam tolerantiam ſpectans*, *ut aliquo ſcrupulo percuſſus*, *& inquirere accenditur*, *quid ſit in cauſa*, *& ubi cognoverit veritatem*, *& ipſe ſtatim ſequitur*. Ita de ſemetipſo ſcribit in prima Apologia Sanctus Martyr Juſtinus: *Nam & ego ipſe*, *Platonis diſciplinæ ſectator*, *cum calumnioſè audirem Chriſtianos deferri*, *intrepidè autem ad mortem*, *& alia quæ terribilia eſſe cenſentur omnia*, *adire conſpicerem*, *ſtatui ipſe mecum fieri haudquaquam poſſe*, *ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent*. Per vitiorum pravitatem intelligit tria famoſa tunc Chriſtianis paſſim affìcta crimina, quorum reos rectè affirmat ac demonſtrat ſemper fuiſſe præſentis vitæ cupidiſſimos, & alienos à morte. Nam & iſtis ſordibus infecti Gnoſtici fuerunt adeò averſati Martyria, ut & damnarent. Criminoſa enim conſcientia nihil magis horret, quàm mortem. Et ſimilium converſionum exempla habemus longè plurima. Perſecutio itaque nos ita demetit, ut ſimul ſeminet. Et hinc orta eſt antiquiſſima parœmia: *Sanguis* Tom. 7. *Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum*. Eandem lau- fol. 486. dant Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Sanctus & 795. Auguſtinus, magnus Papa Leo, ac alii Patres.

Laudatus Juſtinus in epiſtola ad Diognetum exponit modum: *Non vides*, *quò plures qui ſuppliciis afficiunt*, *tantò majorem aliorum eſſe numerum? Hæc non videntur ab homine fieri*. *Hæc ſunt Dei potentia*. *Hæc adventus ejus ſunt indicia*. Sunt quædam imitamenta iſtius grani, de quo Dominus in Sancti Joannis Evangelio: *Niſi granum* Cap. 12. *frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, *ipſum ſolum manet*; *ſi autem mortuum fuerit*, *multum fructum adfert*. Etiam Martyres ſunt ſeminata Dei grana. Attamen in fructificandi virtute plurimùm diſtant à principali grano, Chriſto Domino noſtro. Diſtantiam exponit in duodecimo ſermone de Dominica Paſſione Sanctus Leo Magnus: *Quamvis in conſpectu Domini multorum San-* Cap. 3.

ſtorum pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas. Et de fidelium fortitudine nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ, ſingulares quippè in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fœnere ſolvit, cùm inter filios hominum ſolus Dominus noſter JESUS *extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes ſunt ſuſcitati.* Quod ipſum repetit & confirmat in litteris ad Epiſcopos
Ep. 81. Palæſtinos. Et conſonat adductus Tertulliani locus ex libro ad Scapulam Proconſulem. Et liber
Cap. 50. Apologeticus: *Multi apud vos ad tolerantiam doloris & mortis hortantur, ut Cicero in Tuſculanis, ut Seneca in fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus; nec tamen tantos inveniunt verba diſcipulos, quantos Chriſtiani factis docendo. Ipſa enim obſtinatio, quam exprobratis, magiſtra eſt. Quis enim non contemplatione ejus concutiatur ad requirendum, quid intùs in re ſit? Quis non, ubi requiſivit, accedit? Ubi acceſſerit, pati exoptat? Ut Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat: Omnia enim huic operi delicta donantur. Indè eſt quod ibidem ſententiis veſtris gratias agimus. Ut eſt æmulatio Divinæ rei & humanæ, cùm damnamur à vobis, à Deo abſolvimur.* Quòd iſta exempla ſint potentiſſima ſemina, inſigniter demonſtrat laudatus Leo in primo ſermone de Sanctis Apoſtolis Petro ac Paulo: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur. Et ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur. Undè duo iſta præclara Divini ſeminis germina,* utique Apoſtolorum Principes, *in quantam ſobolem germinarint, beatorum millia Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum æmuli triumphorum, urbem noſtram purpuratis & longè lateque rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multorum honore gemmarum conſerto uno diademate coronarunt.*

Quartum perſecutionis effectum adducit Tertul-
Cap. 1. lianus in libr. de fuga perſecutionis: *Sed quando Deus magis creditur, niſi cùm magis timetur? Niſi in tempore perſecutionis. Tunc Eccleſia in attonito eſt. Tunc & fides in expeditione ſolicitior, & diſciplinatior in jejuniis, & ſtationibus, & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia & dilectione, in ſanctitate & ſobrietate. Non enim vacatur niſi timori & ſpei.* Eadem
Ep. 180. de re ſcribit ad Honoratum Thabennenſem Epiſcopum Sanctus Auguſtinus: *An non cogitamus, cum ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis Reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem ac erogationem?* Hujuſmodi bona opera reſpexit Sanctus Cyprianus in ſermone de Lapſis: *Dominus probari familiam ſuam voluit. Et quia traditam nobis Divinitùs diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & penè dixerim dormientem, cenſura cœleſtis erexit.* Rectè dicit: *Jacentem fidem, & penè dormientem.* Etenim ſuæ juſtitiæ viribus quiſque juſtus non ſemper utitur: Illæ aliquando in anima occultæ jacent ſine opere, & quaſi dormiunt. Opus habent ſolo extrinſeco excitatore. Sanctus Cyprianus rectè affirmat excitari per perſecutionem. Rectè adjungit: *Hoc omne quod geſtum eſt, exploratio potiùs quàm perſecutio videtur.* Quia nempè exploravit ac demonſtravit multorum fidelium varias & infirmitates & vires. Per eam Divina Gratia Eccleſiam ſuam ità non ſolummodò probat, ſed & purgat. Utique per iſta, quæ perſecutio excitat, bona opera.

Et hinc olim fuit famoſiſſima quæſtio, An perſecutio eſſet Dei, an Diaboli opus? An à Deo permitteretur dumtaxat, an verò & immitteretur? An eſſet ab ipſo dumtaxat prævisa, an etiam prædeſtinata ac præparata? Quod Divina voluntas & idololatriam vetet, & nobis adversùs illam Martyria mandet, demonſtrat in libro Scorpiaco noſter Doctor, atque proſequitur: *Nunc de Dei voluntate compungimur, & ingeminat* Cap. 4.
Scorpius plagam, hanc negans, hanc accuſans voluntatem, ut aut alium Deum inſinuet, cujus hæc non ſit voluntas, aut noſtrum nihilominùs deſtruat, cujus talis ſit voluntas aut omninò neget voluntatem Dei ſi ipſam negare non poterit. Per Scorpium intelligit omnem Gnoſticam factionem, fabulatricem duplicis Divinitatis. Et reverà fuit peſtilentiſſimus Scorpius. Etenim Divinam, quæ idololatriam vetet ac Martyria jubeat, voluntatem affirmavit eſſe mali principii, ideoque ab hoc, non autem à bono Deo immitti perſecutiones. Et contra hoc ſceleratum Dogma Tertullianus conſtanter docet ipſas eſſe à Deo Opt. Max. Ab ipſo non tantùm permitti, ſed & immitti. Eſſe non ſolùm prævisas ſed & prædeſtinatas. Ad neſcio quem Fabium qui rogaverat, an in perſecutione liceret fugere, reſpondet: *Conſultationi tuæ ordinem quoque induimus, animadvertentes antè determinari oportere de ſtatu ipſius perſecutionis, utrùm à Deo hoc veniat, an à Diabolo, quò faciliùs de obitu ejus conſtare poſſit. Omnis enim rei inſpectio, authore cognito, planior. Satis eſt, quidem præſcriberem, nihil fieri ſine Dei voluntate, ſed non ſtatim hac ſententia cæteris tractatibus locum dabimus, ne à præſenti articulo avocemur, ſi quis reſponderit: Ergò & malum à Deo, & delictum à Deo, nihil jam in Diabolo, nihil etiam in nobis ipſis. De perſecutione nunc quæritur. Circa hanc interim dixerim nihil fieri ſine Dei voluntate, reſpiciens eam imprimis dignam Deo eſſe, &, ut ita dixerim, neceſſariam, ad probationem ſcilicet ſervorum ejus, ſive reprobationem.* Affirmat duo. Primò, quòd Dominus Deus nullius mali, nullius peccati ſit author. Secundò, quòd ſit author perſecutionis. Et dat cauſam: Quòd illa ſit Deo non tantùm digna, ſed & neceſſaria. Utique ad fructus hucuſque expoſitos. Profitetur in perſecutione omninò involvi aliquid iniquitatis, immò perſecutionem eſſe ſummam iniquitatem, ac adjungit: *Scire debemus, quatenùs nec perſecutio eſt ſine iniquitate Diaboli, nec probatio fidei ſine perſecutione, propter probationem fidei neceſſariam iniquitatem non patrocinium præſtare perſecutioni, ſed miniſterium. Præcedere enim Dei voluntatem circa fidei probationem, quæ eſt ra-*

tio perſecutionis ; ſequi autem Diaboli iniquitatem ad inſtrumentum perſecutionis , quæ ratio eſt probationis . Hæc illuſtrat exemplo Prophetæ Job , Saul Regis, Sancti Petri Apoſtoli , Phigelli , Hermogenis , & aliorum, quos Divina Providentia probare aut punire voluit, ac ab æterno prædeſtinavit, & per Diaboli iniquitatem eſt in tempore executa. Et proſequitur: *Cùm ergò hæc exempla magis in perſecutionibus eveniant, ſi quidem tunc magis vel probamur vel reprobamur, & magis humiliamur vel emendamur, ab eo permittatur vel imperetur neceſſe eſt Catholicè fieri hæc, à quo & ex parte, ſcilicet ab illo qui dicit,* Ego ſum qui facio pacem & condo mala. *Id eſt, bellum. Hoc eſt enim paci contrarium. Noſtræ autem paci quid eſt bellum niſi perſecutio?* Non tantùm gratiæ dona, ſed & pœnæ mala affirmat eſſe à Domino Deo, immitti , prædeſtinari , præparari . Et rectè. Hæc enim eſt duplicis prædeſtinationis quæſtio, quam ſæculo nono adversùs miſerabilem Monachum Godeſcalcum agitavit uſque ad ravim Hincmarus Metropolita Rhemenſis, & tandem pro Monacho definivit Sanctus Pontifex Nicolaus. Et rectè. Definivit enim ex Sancti Fulgentii libris ad Monimum , & ex lucida doctrina Sancti Auguſtini. Notanda ſunt Tertulliani verba: *A quo & ex parte.* Edicunt perſecutionem, aliaque id genus pœnæ mala non eſſe plenè ex Deo, ſed pro ſola parte. Sunt enim res mixtæ ex humana aut diabolica iniquitate, ac ex Divina juſtitia. Hæc ſola eorum pars eſt à Domino Deo. Alia ab ipſo dumtaxat permittitur. Et bonæ partis, licèt à ſe prædeſtinatæ ac immiſſæ, Dominus Deus non eſt author. Ipſe enim non fecit mortem. Immò & fecit. Fecit, non ut primus author, ſed ut peccati ultor. Longa eſt hæc res, diſcenda ex Sancto Auguſtino.

Tertullianus jam à perſecutionibus cruentis tranſit ad hæreſes, incruentas perſecutiones. Affirmat & has neceſſarias. Eſſe non tantummodò noxias variè, ſed & utiles. Etiam ex ipſis, vel potiùs ex ipſarum occaſione per Divinam Providentiam elici, ac nobis provideri optimos effectus. Primus eſt: *Ut probabiles quique manifeſtaventur, qui ad hæreſes non exorbitaverint.* Notandum eſt verbum: *Exorbitaverint.* Edicit Catholicam fidem eſſe unicam ſalutis orbitam, extra quam quiſquis animæ ſuæ rotas exire permiſerit, non poteſt non deviare in ſempiternam damnationem. Doctor loquitur ex prima Sancti Pauli

Cap. 11. ad Corinthios epiſtola: *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Apoſtolus loquitur ex Propheta Moyſe, qui in ſua noviſſima ad Dei populum concione dixit de exorituris Pſeudo-Prophetis: *Tentat vos Domi-*

Deut. 13. *nus Deus veſter, ut palàm fiat, utrùm diligatis eum, an non.* Quem locum inſigniter exponit Vincentius Lerinenſis: *Luce clariùs aperta cauſa eſt cur interdum Divina Providentia quoſdam Eccleſiarum Magiſtros nova quædam Dogmata prædicare patiatur. Ut tentet vos Dominus Deus veſter. Eſt profectò magna tentatio, cùm ille, quem tu Prophetam, quem Prophetarum diſcipulum, quem Doctorem & aſſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis, is ſubitò latenter noxios ſubintroducat errores, quos nec citò deprehendere valeas, dum antiqui magiſterii duceris præjudicio, nec facilè damnare fas ducas, dum Magiſtri veteris præpediris affectu.* Quòd Diabolus per magnos viros introducat quaſvis hæreſes, rectè affirmat in vigeſima ſexta oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus. Quod ipſum confirmat in Panario Sanctus Epiphanius. Et certè Tertullia- Lib. 77.

nus, Origenes, Sabellius, Arius, Apollinarius, cap. 1.

Marcellus, Macedonius, Julianus, Naſtorius, & cuncti uſque ad Martinum Lutherum ac Joannem Calvinum Hæreſiarchæ fuerunt hujuſmodi. Quantus ante lapſum vir fuerit Martinus Lutherus, videre poſſis apud Paulum Langium in Chronico Ziticenſis Eccleſiæ. Et magna Joannis Calvini talenta quis ignoret? Hinc ipſorum exortus fuit ſimplici populo omninò magna tentatio.

Idem Vincentius etiam laudatum Sancti Pauli locum inſigniter exponit. Hunc dicit eſſe ejus ſenſum: *Ob hoc hæreſeon non ſtatim Divinitùs eradicantur authores, ut probati manifeſti fiant, id eſt, unuſquiſque quàm tenax & fidelis, & fixus Catholicæ Fidei ſit amator, appareat. Et reverà cum quæque novitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum. Tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii illicò prorsùs avolant, alii verò tantummodò excuſſi, & perire metuunt, & redire erubeſcunt, ſaucii, ſemineces, ſemivivi. Quippè qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: Nec mori cogat, nec vivere ſinat.* Animæ & conſcientiæ torturam, quam taliter percuſſi patiuntur, eleganter depingit. Loquitur ex Sancti Auguſtini libro de Unitate Eccleſiæ contra Donatiſtas, qui ad primum Donatiſtarum exortum affirmat quoſdam fideles penitùs apoſtataſſe, quoſdam manſiſſe conſtantiſſimos, quoſdam fuiſſe medios. Et de his ſcribit: *Nonnulli etiam bonæ vo-* Cap. 25.

luntatis per carnalem caliginem, etiam poſt confirmatum contra Eccleſiam Dei malignorum furorem, in illa diſſenſione diutiùs erraverunt, tanquam ſi adhuc mollia conculcarentur frumenta, & radice viva herbæ vigor attereretur. Etiam ipſa tamen frumenta ſua noverant Deus, quamvis ut reviviſcerent, arguenda & increpanda. Non enim eo modo dictum eſt Petro, Redi poſt me Satana, quomodo dictum eſt de Juda, Unus ex vobis Diabolus eſt. Affirmat quoſdam etiam electos à tentantis novæ hæreſis vento abripi, ejici extra Eccleſiæ aream, illic diu fluctuare, ac tandem reduci. Hos eſſe non plenè mortuos, ſed dumtaxat ſaucios, ſemineces ac ſemivivos affirmat in ſimili Lapſorum ſpecie etiam Sanctus Cyprianus. Proindè exurgens hæreſis omnes tentat & cribrat, electum Dei frumentum partim probat ac manifeſtat, partim exercet & punit, reprobam paleam ab iſto diſcernit, & facit in perpetuum avolare. Diſcernit inter grave fidei frumentum ac levem paleam Apoſtatarum. Quod Divinæ Providentiæ per hæreſes opus & Sanctus Auguſtinus & alii Patres frequenter laudant.

Aliud

Aliud ejuſdem providentiæ per hæreſes opus adducit Sanctus Auguſtinus in libris de Dei Civitate. Affirmat hæreticos per ſceleratum Patriarchæ Noe filium Cham fuiſſe nobis præmonſtratos, adjungit ipſos eſſe *genus callidum, non ſpiritu ſapientiæ, ſed impatientiæ, quo ſoleat ipſorum fervere præcordia, & pacem perturbare Sanctorum*, ac pergit: *Sed hæc in uſum cedunt proficientium, juxta illud Apoſtoli*, Oportet & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in vobis: *Unde etiam ſcriptum eſt*: Eruditus filius ſapiens erit,
Lib. 16. imprudente autem miniſtro utetur. *Multa quippe*
cap. 2. *ad Fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſùs eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur: Et ab Adverſario mota quæſtio exiſtit diſcendi occaſio.*
Cap. 20. Et in libro de Dono perſeverantiæ: *Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta & certa Sanctorum, quam poſteà diligentiùs & operoſiùs, cùm jam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſiùs & enucleatiùs iſto noſtro labore defendi, niſi quod Pelagiani dicunt gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari?* Et ad quinquageſimi quarti Pſalmi verſum, *Diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius*, hæc ſcribit: *Cujus cor intelligimus, niſi cujus ira diviſi ſunt? Quomodo appropinquavit cor illius? Ut intelligamus voluntatem illius. Etenim hæreticis exerta eſt Catholica, & ex his qui malè ſentiunt, probati ſunt qui benè ſentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, & cùm præciſi eſſent hæretici, quæſtionibus agitaverunt Eccleſiam Dei: Aperta ſunt quæ latebant, & intellecta eſt voluntas Dei. Indè dicitur in alio Pſalmo*: Congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur hi, qui probati ſunt argento. *Excludantur enim dixit, Emineant, exeant, appareant. Undè dicuntur & in arte argentaria Excluſores, id eſt, ex quadam confuſione maſſæ, ſuæ formæ expreſſores. Ergò multi qui optimè poterant Scripturas dignoſcere & pertractare, latebant in populo Dei, nec aſſerebant ſolutionem quæſtionum difficilium, cùm calumniator nullus inſtaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfectè de Pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Novatiani? Sic non perfectè de Baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti Rebaptizatores. Nec de ipſa Unitate Chriſti enucleatè dicta erant quæ dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jam illi qui noverant hæc tractare atque diſſolvere, ne perirent infirmi ſollicitati quæſtionibus impiorum, ſermonibus & diſputationibus ſuis obſcura legis in publicum deduxerunt. Ergo illi diviſi ſunt præ ira vultus ejus, & nobis ad intelligendum appropinquavit cor illius. Itaque intelligite illud quod in Pſalmo alio commemoravit*: Congregatio taurorum, *id eſt, ſuperborum cornupetarum*, inter vaccas populorum. *Quas dixit vaccas? Animas ſeductibiles. Ut quid hoc? Ut excludantur hi, id eſt, appareant qui latebant, qui probati ſunt argento. Quid eſt argento?* Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probabile terræ, purgatum ſepties tantùm. *Hunc ſenſum obſcurum videte quomodo in lucem excludat Apoſtolus*: Oportet hæreſes eſſe, ut probati fiant manifeſti inter vos. *Quid eſt probati? Probati argento, probati eloquio. Quid eſt, Manifeſti fiant? Excludantur. Quare hoc? Propter hæreticos. Quid eſt, Propter hæreticos? Propter congregationem taurorum inter vaccas populorum. Sic ergò & hi diviſi ſunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius.* Hæreſes ergò Divina Providentia ita ordinat, ut Eccleſiæ ſint occaſio varii boni. Primo per ipſas ac ipſarum illecebroſam tentationem noſtra levis fidei palea avolat extra aream: Pravi humores extrahuntur & ſeparantur à ſano corpore. Deindè, probati Eccleſiæ Doctores ac Epiſcopi, quos ſecuri Dogmatis quies quaſi dormire permiſerat, excitantur, ſcientiæ ac eloquentiæ ſuæ vires exerunt, & ipſas faciunt omnibus manifeſtas. Tertiò, alios docendo & ipſi diſcunt. Coguntur enim diligentiùs quærere veritatem, ac ſtudiis incumbere. Ex Pelagianæ hæreſis occaſione ſe multa didiciſſe, ac proficienter ſcripſiſſe teſtatur & ipſe Magnus Auguſtinus. Quartò, ipſum etiam Catholicum Dogma illuſtratur, & adverſùm ſuos hoſtes roboratur. Quintò, non tantummodò probatorum Epiſcoporum ac Doctorum ſcientia ac pietas, ſed etiam quorumvis verorum fidelium conſtantia fit manifeſta. Manifeſtatur quòd ipſorum fides non ſit ſupra arenam ædificata, ſed ſupra firmam petram. Videatur & octavus decimus Sancti Auguſtini liber de Dei Civitate, demonſtrans non ſolam Eccleſiæ ſapientiam, ſed inſuper patientiam, benevolentiam, ac beneficentiam per hæreſes exerceri atque probari.

Alium Divinæ Providentiæ per hæreſes effectum adducit Sanctus Auguſtinus in commentario ſeptimi Pſalmi. Ad verſum, *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis*, ſic ſcribit: *Quia non ſagittas tantùm, ſed etiam vaſa mortis dixit in arcu Dominum paraſſe, quæri poteſt, quæ ſint vaſa mortis. An fortè hæretici? Nam & ipſi ex eodem arcu, id eſt, ex iiſdem Scripturis in animas, non charitate inflammandas, ſed venenis perimendas inſiliunt, quod non contingit niſi pro meritis. Propterea Divinæ Providentiæ etiam iſta diſpoſitio tribuenda erat: Non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat, cùm peccaverint. Malo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, ut ſit ipſa pœna peccati.* Hæreſis enim eſt aperta à Divina Majeſtate per contumacem cœcitatem Apoſtaſia: Quam certum eſt non poſſe eſſe primum peccatum. Et uti in quovis ſingulari homine, ita quoque eſt in Regno, Provincia, aut Civitate. Divina juſtitia non permittit illic graſſari aut prædicari hæreſim, niſi ob demerita ac vindictam præcedentium criminum. Lucidè hoc docet idem Auguſtinus in deci-

Digitized by Google

decimi Pſalmi commentario, ad hunc verſum, *Pluet ſuper peccatores laqueos*, ſcribens: *Si nubes generaliter Prophetæ intelligantur, ſive boni, ſive mali, qui etiam Pſeudo-Prophetæ appellantur, ſic ordinantur Pſeudo-Prophetæ à Domino, ut de his laqueos ſuper peccatores pluat. Non enim quiſquam in eos ſectandos incidit niſi peccator, ſive ad præparationem extremi ſupplicii, ſi perſeverare in peccando maluerit, ſive ad deſudandam ſuperbiam, ſi aliquando Deum cura ſinceriori quæſierit.* Quis inficietur aut ambigat Donatiſtas, Arianos, Eutychianos, Iconoclaſtes, alioſque ſimiles hæreticos fuiſſe populis Divina flagella, pœnas peccatorum? Extat inſignis epiſtola, qua Dominus Julianus Cardinalis Cæſarinus Concilii Baſileenſis, cujus erat Apoſtolicus Præſes, diſſolutionem ex pleno pectore diſſuadet Eugenio quarto Pontifici, & adjungit: *Incitavit etiam me huc venire deformitas & diſſolutio Cleri Allemanniæ, ex qua Laici ſupra modum irritantur adversùs ſtatum Eccleſiaſticum, propter quod valdè timendum eſt, niſi ſe emendent, ne Laici more Huſſitarum in totum Clerum irruant, ut publicè dicunt. Et quidem hujuſmodi deformatio magnam audaciam præbet Bohemis, multumque colorat errores eorum, qui præcipuè invehunt contra turpitudinem Cleri. Qua de re, etiamſi hic non fuiſſet Generale Concilium inſtitutum, neceſſarium fuiſſet facere unum Provinciale, ratione Legationis per Germaniam, pro Clero reformando. Quia reverà timendum eſt, niſi iſte Clerus ſe corrigat, quod etiam extinctâ hæreſi Bohemiæ ſuſcitaretur alia.* Utique ad iſtius Cleri & populi ſcelera caſtiganda, atque ita ipſum compellendum ad meliorem frugem. Eruditiſſimi ac pientiſſimi Cardinalis prophetia habuit effectum. Etenim Huſſiticæ hæreſi ſucceſſit Lutherana, quæ non ſolam Bohemiam, ſed omnem Germaniam invaſit, implevit calamitatibus, ac propemodùm deſtruxit. Ampliſſima plurimorum Eccleſiarum ac Monaſteriorum bona Lutherani invaſerunt. Et de ſuperſtite Clero dici hinc inde poſſit, quod de quibuſdam Romanis, ſeſe poſt Gothicam captivitatem non corrigentibus, ſcripſit in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus: *Perdidiſtis utilitatem calamitatis. Miſerrimi facti eſtis, & peſſimi permanſiſtis.* Sacro-Sancta Tridentina Synodus fuit præſertim facta ob nationem Germanicam: Ad ejus mores reformendos. Et ecce ipſam jam admiſit omnis Latina Eccleſia, ſoli ferè Germani nolunt admittere. Quò uſque non admiſerint, miſerrimi permanebunt & peſſimi. Divina Juſtitia addet flagellis flagella, immò & ſcorpiones. De ſcelerata Anti-Chriſti prædicatione ſcribit Sanctus Paulus ad Theſſalonicenſes: *Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Et de Ægypto prophetat Sanctus Iſaias: *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis.* Sanctus Hieronymus in hujus loci commentario affirmat Apoſtolum ex Propheta loqui: Et utrumque inſigniter elucidat. Quomodo hos pœnales errores & cæcitates Divina Juſtitia mittat in peccatores ac miſceat, exponit Sanctus Auguſtinus in libro de Gratia ac Libero Arbitrio: Abſit ut ſit eorum author aut infuſor. Eadem eſt ratio cujuſcumque hæreſeos.

Epiſt. 2. cap. 2.

Cap. 19.

Cap. 19. 20. & 21.

Aliam, quam nobis ex hæreſibus elicit Divina Providentia, utilitatem adducit Hermias Zozomenus: *Imperator Valens*, homo Arianus, *majori odio in dies in ſuæ opinionis Adverſarios*, Catholicos præſertim, *exardeſcere, acerbè eos affligere, & exagitare cœpit. Cùm verò Themiſtius Philoſophus librum ei dedicaret, hortabatur ac docebat non oportere mirari diſſenſionem, quæ in Eccleſiaſticis opinionibus verſabatur, cùm multò inferior, multòque minor ſit, quàm quæ extaret apud Gentiles. Nam permultæ apud ipſos ſunt opiniones, & diſſenſionem ſuſceptam ob multitudinem Dogmatum complures contentiones de ejuſmodi rebus & diſceptationes excitare neceſſum eſt. Siquidem Deo fortaſſe viſum ſit, ut ipſe non facilè noſceretur, & variæ de eo exiſterent opiniones, quò ſinguli eò magis vererentur, cùm exquiſitam ejus cognitionem comprehendere non poſſent, ſecum reputantes, quantus ſit, & cujuſmodi ille quidem, ad cujus cognitionem venire cogitant*: Quod ipſum ſcribit Socrates. Affirmat apud Gentiles eſſe plus quàm trecentas Sectas, & adjungit: *Deus vult tam diverſa ac diſpari opinionum ratione ſuam gloriam illuſtrare, quò ſinguli ejus Majeſtatem propterea magis revereantur, quòd non ſit cuiquam in promptu eam accuratè cognoſcere.* Magnus vir fuit iſte Themiſtius. Ipſum Imperator Conſtantius Prætura, Succeſſor Julianus honoravit Præfecturæ Urbis Conſtantinopolitanæ. Licèt gentilis, fuit nobis amicus: Et à noſtris ſub vario Imperio fidem mutantibus, quos Vertumnos appellabat, dixit non Dominum Deum coli, ſed purpuram. Et crudelem Valentem à nobis perſequendis deduxit. Attamen ut paganus eſt locutus. Nullam agnovit fixam regulam. Cenſuit uti apud paganos, ita & apud Chriſtianos, quidlibet poſſe de Deo ſentiri. Quemvis poſſe in ſuo ſenſu abundare.

Lib. 6. cap. 36.

Lib. 4. cap. 27.

Et hinc Evagrius Epiphanienſis rectè affirmat inter Gentiles Philoſophos ac noſtros hæreticos eſſe duas differentias: Hos iſtis eſſe quoad Deo meliores, ſeu minùs pravos. Hæc eſt prima differentia: *Ea quæ ſunt fidei fundamenta, quæque rata eſſe debent, communi omnium conſenſu conceduntur. Nam Numen, quod adoramus, Trinitas judicatur, & perſonæ, quibus laudes decantamus, unitas, Deique Verbum ante ſæcula genitum, & ob creaturæ ſuæ commiſerationem ſecunda generatione incarnatum creditur.* Reſpicit iſto tempore graſſantes Neſtorii ac Eutychetis hæreſes, quæ omnes de Divina Majeſtate rectum, aut ferè rectum ſenſerunt. Quidam enim Eutychianiſtæ circa Divinam Naturam delirarunt cum Apollinario ac Valentino. Hæc eſt altera differentia: *Quod ſi in aliis rebus quædam novantur, ſunt ea quidem Deo liberæ hominum voluntati permittente poteſtatem de illis pro arbitratu ſentiendi, quò ſancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, ea quæ in utramque partem dicuntur concoquat, ad ſacram doctrinam ac veram pietatem traducat, & ipſa ad planam ac rectam*

Lib. 5. cap. 11.

ſtam viam ſe recipiat. Et ob hanc cauſam dictum eſt ab Apoſtolo pleniſſimè: Oportet & hæreſes in vobis eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. *Atque in hoc etiam arcanam Dei ſapientiam licet admirari, ad Divum Paulum ſic loquentis*: Virtus mea in infirmitate perficitur. *En quibus namque rebus Eccleſiæ diſrupta ſunt membra; en iiſdem recta Dogmata, quæ in nullam reprehenſionem poſſint incurrere, accuratiùs limantur, & reponuntur integriùs, & Eccleſia Catholica in dies creſcit, & in cœlum quodammodò extollitur.* Affirmat Eccleſiæ eſſe certam regulam, ad quam quæcumque naſcentes hæreſes debent corrigi ac reduci: Adeſſe & Divinam cuſtodiam; quæ has ad illam reducat, extinguat penitùs, ac ita Chriſtianam etiam veritatem faciat in infirmitate perfici, & inter quoſvis aſſultus de cunctis hoſtibus triumphare. Limari accuratiùs, reponi integriùs, creſcere per totum mundum. Hæc omnia oſtendit deeſſe Philoſophorum diſſidiis.

Omnia examinate, quod bonum eſt, tenete.

Quod non tantùm Gnoſtici, ſed & Montaniſtæ eſſent novatores, erat adeò lucidum, ut fucari non poſſet, ideoque & ipſimet id oſtentarent & profiterentur. Gnoſtici ſe Apoſtolis doctiores, Montaniſtæ garriebant à Chriſto Domino promiſſum; qui nos omnem, incapacibus adhoc Apoſtolis non traditam, veritatem doceret; Spiritum Sanctum veniſſe in Montanum, & iſtud Promiſſum tunc priùs fuiſſe expletum. At tamen non novum Dogma, ſed novum duntaxat Chariſma ac novam diſciplinam oſtentabant. Inſaniam ſuo tempore exponemus. Hinc Apoſtoli ad Corinthios verba, *Oportet & hæreſes eſſe, ut & hi qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*, ipſorum aliqui detorſerunt in laudem hæreſium. Per probabiles ſeu probatos intellexerunt non in antiqua doctrina perſiſtentes Catholicos, ſed declinantes ad nova Dogmata Apoſtatas: Quaſdam declinationes cenſuere profectum. Ita de ſemetipſo, de ſuo ad Montanum infelici lapſu ſcribit in libro de Pudicitia noſter Doctor:
Cap. 1. *Erit & hic adverſùm Pſychicos titulus, adverſùs meæ quoque ſententiæ retrò penes illos ſocietatem, quò magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Numquam ſocietatis repudium delicti præjudicium eſt, quaſi non facilius ſit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis amatur. At enim vero non magis dedecoravit utilis levitas, quàm ornavit nocens. Non ſuffundor errore, quo carui, quia caruiſſe delector. Nemo proficiens erubeſcit.* Hanc inſaniam quidam Errones purgare & firmare nitebantur ex prima
Cap. 5. ad Theſſalonicenſes epiſtola: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Garriebant quævis novarum hæreſeon dogmata non eſſe negligenda aut ſpernenda, ſed audienda, legenda, examinanda, & cuncta quæ in cunctis viſa fuerint bona, amplectenda ac tenenda. Ex ipſis conficiendum medicum centonem, qualem fuiſſe Eutychianam hæreſim demonſtrat inſigniter in ſuis adversùs ipſam dialogis Theodoretus Epiſcopus Cyrenſis. Ejuſmodi conſuturæ ſunt quævis hæreſes. Etiam Lutherana & Calviniana. Quare Calviniſtæ non malè ſe appellarunt Geuſios, quæ Gallica vox ſignificat Mendicos. Neſcio cui Tranquillino roganti, an Origenis libros poſſet legere, Sanctus Hieronymus reſcripſit varios variè ſentire,
& adjunxit: *Ego Origenem propter eruditionem ſic* Epiſt. 76.
interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatianum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores, Græcos pariter & Latinos, ut bona eorum eligamus, vitemuſque contraria, juxta Apoſtolum dicentem, Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Quòd Hieronymi judicium an ſit probandum, eſt alta quæſtio. Certè hæreticorum librorum lectionem viris etiam magnis ſemper interdixit Eccleſia. Quantus vir, quantus Doctor fuit Sanctus Dionyſius Alexandriæ Patriarcha? Quòd tamen ſimiles libros liberiùs volveret, fuiſſe à multis reprehenſum; & compulſum ad Apologiam, teſtatur in Eccleſiaſtica
hiſtoria Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis. Etiam Lib. 7. cap. 6.
Julianus Halicarnaſſi in Caria Epiſcopus fuit grandis Doctor atque Antiſtes. Et tamen ipſum ex Valentini ac Manichæi lectis libris fuiſſe corruptum ac perverſum teſtatur in erudito contra
Acephalos opere Sanctus Anaſtaſius Sinaita. Iterum Archimandritam Eutychetem teſtatur à ſi- Cap. 14. Cap. 6.
mili lectione fuiſſe demutatum in hæreſiarcham. Hoc idem de ſe ipſo profitetur in ſuorum operum præfatione Marcus Antonius de Dominis Archi-Epiſcopus Spalatenſis. Quare qui ſcelerata Caroli Molinæi opera contra terribilem Romanæ Eccleſiæ interdictionem licentiosè legunt, & aliis legenda permittunt, grande peccatum habent. Hæc res eſt alterius loci.

Integer Sancti Pauli ad Theſſalonicenſes locus
eſt hic: *Spiritum nolite extinguere, Prophetias no-* Cap. 5.
lite ſpernere, omnia probate, quod bonum eſt tenete. Eum inſigniter exponit Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Hoc dicit Apoſtolus, ut non facilè alicui per Spiritum loquenti interdicatur. Extinguitur enim, ſi incipientis loqui fervor contradictione ſopitur. Ne fortè non intelligentes dicta ab eo ſpiritalia, injuriam faciant Spiritui Sancto, & peccent per ignorantiam. Neque aliquem, qui quaſi Scripturas revolvet, non audiri patienter debere. Sed omnia dicta examinari, & ſic judicari, ne fortè gratiam datam fratri dum reſpuunt, Authori repugnent. Omnia ergò quæ dicuntur, probanda monet: Et quidquid ſobriè & benè dictum fuerit retinendum. Quæcumque enim Apoſtolorum & ipſius Domini dictis congruunt, ea benè dicta habenda ſunt, & retinenda; ab his autem quæ inimica fidei videntur, abſtinendum. Solent enim Spiritus mundi fallaciter quaſi per imitationem dicere bona, & inter hæc ſubinducere prava, ut per hæc quæ bona ſunt, accepta ferantur & mala: Ut quia unius Spiritus dicta putantur, non diſcernantur ab invicem, ſed per id quod licitum eſt, commendetur illicitum, authoritate nominis non ratione virtutis. Solent enim ſub Apoſtolorum nomine &*

ne & ipſius Domini nefanda docere & adverſa, ideoque omnia probanda monet, quia non poſſunt eloquia Domini eſſe diverſa. Nequaquam de novis hæreticorum Dogmatibus aut libris, ſed de Novi Teſtamenti Propbetis ac Interpretibus, aliiſque primitivæ Eccleſiæ Chariſmatibus ſanxit Apoſtolus: Affirmat non quemvis Spiritum mox admittendum ut Chariſma, ſed omnem Spiritum probandum an ex Deo ſit, utique per Chariſma diſcernendorum Spirituum. Spiritus Spiritui tunc erat ſubditus: Diſcretionis ſpiritus faciebat ſpiritalem hominem, qui judicat omnia, & à nemine judicatur. Et Hilarus Diaconus rectè expoſuit diſcernendi regulam: *Quæcumque Apoſtolorum & ipſius Domini dictis congruunt, ea benè dicta habenda ſunt, & retinenda; ab his autem quæ inimica fidei videntur abſtinendum*. Et hinc diſce cauſam, cur ſceleratus Montanus non novum Dogma, ſed novum Chariſma præ ſe in principio tulerit. Ad occultandum, quod ſuo tempore parabat prodere, ſceleratum Dogma ſimulavit novum Chariſma. Nempè novum Dogma norat fugiendum ac deteſtandum ab omnibus, novum Chariſma audiendum & examinandum. Norat hoc utrumque mandari ab Apoſtolo, ſperabat per Chariſma aperiri portam Dogmati. At verò Praxeas Romano Pontifici detexit occultatum Dogma, atque ita fecit & mendax pravi Spiritus Chariſma proſcribi. Sic intellige noſtri ad Montanum lapſi Doctoris querimoniam de Praxea. Et hinc lucet Sanctum Hieronymum, dum laudatum Apoſtoli locum ad legendos quorundam hæreticorum libros, & ad ſumendam iſtius lectionis licentiam applicavit, fuiſſe loco abuſum.

Quiſquis iſtiuſmodi libros ex curioſitate aut quovis humano die examinat, examinat grandi periculo, & conſuevit in errorem impingere. Heſychius Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Presbyter, Cyriaco Presbytero, ac in Calomonis Laura prope Jordanem Abbati olim commodavit neſcio quem orthodoxum librum, cui tamen adjuncti erant duo libri Hæreſiarchæ Neſtorii. Hos Cyriacus adeò non legit, ut neſciret illic eſſe. Et tamen à Sancto Joanne Baptiſta ac Sancto Joanne Evangeliſta comitata Virgo Deipara, licèt inſtantiſſimè rogata, illius cellam noluit ingredi, ac ſeverè reſpondit: *Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis ut ingrediar?* Hunc inimicum facta multa inquiſitione tandem invenit Cyriacus, totum librum reddidit Heſychio, ac dixit: *Accipe librum tuum frater, neque enim ex eo tantùm utilitatis accepi, quantùm detrimenti*. Et cognita detrimenti cauſa Heſychius duos Neſtorii libros abſcidit è codice, atque exuſſit. Ecce quid ſit ſceleratos libros vel ignoranter habere, Romana Eccleſia, quæ ipſorum non dumtaxat lectionem, ſed & detentionem vetat, adeò firmis nititur fundamentis. Habes iſta in Prato ſpirituali Sancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani. Suo tempore adducam plura iſtiuſmodi exempla.

C A P U T V.

Hæreſis malum eſt Schiſmate pejus & reprehenſibilius.

Porrò ſi diſſenſiones & Schiſmata increpat, quæ ſine dubio mala ſunt, & in continenti hæreſes ſubjungit, quòd malis adjungat, malum utique profitetur, & quidem majus: Cùm ideò crediſſe ſe dicat de ſchiſmatibus & diſſenſionibus, quia ſciret etiam hæreſes oportere eſſe. Oſtendit enim gravioris mali proſpectu de levioribus ſe facilè crediſſe. Certè non ut ideò de malis crediderit, quia hæreſes bonæ eſſent, ſed uti de pejoris quoque notæ tentationibus præmoneret non eſſe mirandum, quas diceret tendere ad probabiles quoſque manifeſtandos, ſcilicet quos non potuerint depravare. Denique ſi totum Capitulum ad unitatem continendam, & ſeparationes coercendas ſapit; Hæreſes verò non minùs ab unitate divellunt, quàm ſchiſmata & diſſenſiones, ſine dubio & hæreſes in ea conditione reprehenſionis conſtituit, in qua

ſchiſ-

ſchiſmata & diſſenſiones : Ac per hoc non eos probabiles facit , qui in hæreſes diverterint , cùm maximè diverti ab ejuſmodi objurget , edocens unum omnes loqui , & id ipſum ſapere , quod etiam hæreſes non ſinunt.

SCHOLION.

Si diſſenſiones & ſchiſmata increpet , &c.

QUæſtio eſt , Quis unquam hæreticus garriverit hæreſes eſſe bonas , eſſe neceſſarias ? Quis dixit uti tales laudari ipſas in priori Apoſtolica ad Corinthios epiſtola ? Quis blateravit de ipſis ſcripſiſſe Apoſtolum ad Theſſalonicenſes : *Omnia probate , quod bonum eſt tenete* ? Quis fuit primus author tantæ inſaniæ ? Fuiſſe aliquem , & quidem Gnoſticum , disertè & in hoc & in præcedenti capite affirmat Septimius , teſtis irrefragabilis. Et ante omnia videndum eſt , an Apoſtolus in priori ad Corinthios epiſtola agat de genuinis hæreſibus : De erroribus circa Dogma ? Sanctus Joannes Chryſoſtomus ſuper iſtud Apoſtoli verbum ſcripſit ſingularem homiliam , & in ipſa habet hæc verba : *Dic , quæ illæ hæreſes ? Hic attendite , quod non de articulis Fidei dictum eſt* , Oportet hæreſes eſſe , *ſed de diſcordia & Sectis circa menſam*. Corinthiorum circa ſacram ac prophanam in Eccleſia menſam abuſus amplè exponit , atque concludit : *Habetis nunc , ut reor , quid & de quo dicat* , Oportet & hæreſes eſſe . *Nempè de diſcordia , quæ fit circa menſas , cùm unus eſurit , alius autem ebrius eſt .* Etiam in vigeſima ſeptima ſuper hanc Apoſtolicam epiſtolam homilia ſcribit : *Hæreſes hic vocat , non eas quæ ſunt Dogmatum , ſed horum ſchiſmatum ſeu Sectarum . Quod ſi diceret Dogmatum , non daret anſam . Nam Chriſtus quoque dicis* , Neceſſe eſt ut veniant ſcandala , *non liberum arbitrium perimens , neque neceſſitatem & vim aliquam vitæ inferens , ſed futurum omninò prædicens ex mala mente hominum , id quod erat futurum , non propter ſuam prædictionem , ſed propter eorum mentem , qui erant incurabiles . Quod enim dixit de his hæreſibus , quæ ſunt circa menſas , & de hac contentione ac diſſidio , planum fecit per ea , quæ deinceps ſequuntur . Quod de his dicis , eſt perſpicuum . Si autem ea appellat ſchiſmata & ſciſſuras , ne miteris . Nam vult eos dictione acriter pungere . Si autem eſſent ſchiſmata ac Sectæ Dogmatum , non tam placidè cum eis diſſeruiſſet* . Demonſtrat Sanctum Paulum , ubi in Dogmaticas agit hæreſes , invehi multò vehementiùs . Et ſanè hic videtur eſſe ſenſus Apoſtolicæ litteræ . Circa hunc nulli oportet nos magis fidere , quàm Sancto Joanni Chryſoſtomo . Fuit hic Sancto Paulo quaſi Secretarius . Quòd Sanctus Proclus , ejus tunc Diaconus , poſt in Regiæ civitatis Epiſcopatum ſucceſſor , Sanctum Paulum Apoſtolum frequenter viderit ſuo Sancto Epiſcopo dictantem commentaria in ſuas epiſtolas , eſt antiqua & firma traditio . Interim hoc iſtius Aſſertum ad Dogmaticas etiam hæreſes paſſim extendunt Sancti Patres . Et rectè . Et iſtud ipſum hic facit Tertullianus .

Laudatus Chryſoſtomus etiam affirmat fuiſſe hæreticos , qui omnem fidem , omnem de Domino Deo ac electo ejus Chriſto prædicationem , omne Dogma laudarent ac probarent , omnes Dogmaticas hæreſes aſſeverarent bonas . Et hanc inſaniam firmare nitebantur ex Apoſtolica ad Philippenſes epiſtola : *Quid enim ? Dum omni modo , ſive per occaſionem , ſive per veritatem Chriſtus annuntietur . Et in hoc gaudeo , ſed & gaudebo* , Chriſtum per occaſionem prædicari cenſebant eſſe ipſum prædicari per quodvis Dogma , per quamvis de ipſo opinionem . Errorem hunc multis expoſuit laudatus Pater in homilia de Evangelii profectu , multis revincit , atque concludit : *Atque ita fruſtrà & vanè verbum hoc pro hæreſibus aſſumitur . Nam qui tunc prædicabant , non Dogma corruptum prædicabant , ſed fidem ſanam & rectam* . Quòd recta , ſed non recto fine prædicarent iſti Pſeudo-Apoſtoli , lucidè demonſtrat . Quod ipſum , licèt non ita apertè , ſcribit in homilia de laudibus Sancti Pauli .

Quæſtio eſt , Qui & quales fuerint iſti hæretici ? Sanctus Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus in hæreticorum Catalogo ſcribit de neſcio quo Rhetorio : *Alii hæretici ſunt in Ægypto & Alexandria à Rhetorio quodam , qui omnes laudat hæreſes , dicens omnes benè ſentire , & neminem errare ex eis , ſed ambulare benè omnes illos , & malè non credere ſentiebat* . In libro de hæreſibus addit Sanctus Auguſtinus : *Philaſtrius à Rhetoreo quodam exortam hæreſim dicit nimium mirabilis vanitatis , qui omnes hæreticos rectè ambulare , & vera dicere affirmat . Quod ita abſurdum eſt , ut mihi incredibile videatur* . Quis qualis , quo tempore , an Gnoſticus fuerit Rhetorius , Philaſtrius non dicit . Et ejus aliam non invenio memoriam . Attamen non dixit omnes vera ſentire , ſed omnes rectè ambulare : Quæ duo multum differunt . Quiquid ſit de Rhetorio , certum eſt iſtiuſmodi inſanos omninò fuiſſe . Et fuiſſe Gnoſticos . De his ſcribit Sanctus Irenæus : *Gnoſtici dicunt tria hominum ge-* Lib. 1.
nera , ſpiritualem , pſychicum , choicum . Tres cap. 1.
diverſas hominum naturas . *Et choicum quidem in corruptelam abire ; animalem verò , ſi meliora elegerit , in loco medietatis refrigeraturum , ſi verò pejora , tranſire & ipſum ad ſimilia . Spiritalem autem nec peccare poſſe , nec perire* . Ei licere omnia : Et facinora & flagitia . Poſſe etiam Paganis ſacrificiis ſine macula communicare , abnegare Chriſtum , à nulla communione ſubire contagium .

gium. Quis non videat etiam his omnem fidem fuiſſe probabilem? Apud ipſos erant tot Dogmata, quot hominum capita: Et omnes erant una Eccleſia Gnoſticorum, Eccleſia Veſparum. Quid miramur Gnoſticos? Quòd quidam etiam Donatiſtæ crediderint ac docuerint Deum rectè coli, & hominem poſſe ſalvari in quavis fide, disertè in libro de Paſtoribus docet Sanctus Auguſtinus. Quod ipſum hodie docent plures Calviniſtæ. Etiam hi, adinſtar Gnoſticorum, tot habent diverſa Dogmata, quot hominum capita: Et tamen omnes eſſe volunt una Sancta EccleſiaCalviniſtarum.

Quòd hæreſes omnes arbitrari indifferentes, ideoque ipſas non numerare inter prava opera, ſit Gnoſticum Dogma, etiam alibi tradit Sanctus Irenæus. Etenim inter Saturnini Dogmata ponit
Lib. 1. hos articulos: *Contemnere & idolothyta, & nihil*
cap. 23. *arbitrari, & ſine aliqua trepidatione eis uti. Habere autem & reliquarum operationum uſum indifferentem, & univerſæ libidinis*. Et de Carpocrate
Cap. 24. ac ejus Sectatoribus ſcribit: *Sed & vitam quidem luxurioſam, ſententiam autem impiam ad velamen malitiæ ipſorum nomine abutuntur. Et in tantum inſania effrænati ſunt, ut & omnia quæcumque ſunt irreligioſa & impia, poteſtatem habere operandi ſe dicant. Sola enim humana opinione negotia mala & bona dicunt*. Apud Divinum judicium omnia eſſe indifferentia. Adversùs eundem errorem Irenæus etiam in alio libro demonſtrat non ſolummodò prava opera, ſed & cogitata vetari ac damnari à
Lib. 2. Domino Deo, atque adjungit: *Et ſi quidem ni-*
cap. 56. *hil eſſent mala, aut rursùs bona, opinione autem ſola humana quædam quidem injuſta, quædam autem juſta putarentur, non utique dogmatizans, id eſt, docens Dominus dixiſſet, Juſti autem fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum, injuſtos autem, & qui non faciunt opera juſtitiæ, mittet in ignem æternum*. Hæc ſcelerata principia non ſolummodò in facinoribus, flagitiis, ac aliis voluntariis operibus, ſed etiam in intellectus judiciis omninò habent locum, atque ita omnem opinionem, omne Dogma, omnem hæreſim garriverunt eſſe indifferentem.

Alia ſcelerati erroris fundamenta prodit in ſecundo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Valentiniani tum nobis quidem ſimplici-*
Fol. 363. *bus fidem tribuerint, ſibi qui natura ſalvi ſiunt, volunt eſſe cognitionem ab excellentis abundantia ſeminis dicentes eam eſſe longè magis à fide ſeparatam, quàm ſpiritale ab animali. Præterea Baſilidiani dicunt fidem ſimul & electionem eſſe propriam in unoquoque ſpatio. Rursùs autem ex conſequentia ſupermundanæ electionis conſequi mundanam totius naturæ fidem, & pro modo ſpei uniuſcujuſque convenienſ quoque eſſe donum Fidei. Voluntariæ ergò & liberæ electionis non eſt fides utique officium, ſi eſt naturæ Prærogativa. Neque juſtam conſequitur retributionem, nec qui non credidit, quia ejus culpa id non evenit, nec is qui credidit, quia cauſa non fuit. Omnis autem fidei & incredulitatis proprietas & differentia nec laudi nec vituperationi fuerit obnoxia, recta conſiderantibus, cùm habeat præcedentem naturalem neceſſitatem, quæ orta eſt ab eo, qui poteſt omnia. Quod ſi nos, tamquam inanima, naturalibus operationibus, veluti funibus, trahamur, ſupervacuum & involuntarium eſt & appetitio quæ ea præcedit. Nec ergò illud utique animal quale ſit intelligo, cujus vim appetendi, quæ ab externa cauſa movetur, ſortita eſt neceſſitas*. Baſilides cum Martino Luthero tradidit liberum arbitrium eſſe rem ſolius tituli, ſeu titulum ſine re. Eſſe merè paſſivum Divinæ influentiæ inſtrumentum, & per naturalem neceſſitatem pati omnia. Hinc ipſi nullum eſſe laudis aut vituperii locum: Omnes opiniones, omnes hæreſes, omnia facinora, omnia flagitia eſſe ipſi indifferentia.

Pergit Sanctus Clemens in tertio libro ejuſdem
operis: *Baſilidiani non rectè vivunt, ut qui vel* Fol. 417.
peccandi poteſtatem non habeant propter perfectionem, vel omninò quidem natura ſalvi futuri ſiat, & ſi peccent, propter innatam electionem. Etiam infrà
ſcribit ſceleratos homines fuiſſe abuſos Apoſtoli Fol. 442.
verbis: *Omnia mihi licent. In libertatem vocati eſtis*. Docuerunt & impiam & piam voluntatem neque
prodeſſe neque obeſſe, ideoque ſibi placere vitam Fol. 545.
indifferentem. Et in quinto libro Clemens ſcribit: *Si quis Deum ſcit natura, ut exiſtimat Baſilides, intelligentiam eximiam vocant ſimul fidem & Regnum, & Creaturam eſſentia dignam, propè eum, qui fecit ipſam, eſſe interpretans eſſentiam, ſed non poteſtatem, & naturam, & ſubſtantiam, & creaturæ, quæ ſuperari non poterit, indefinitam pulchritudinem, non autem animæ libero arbitrio utentis rationalem aſſenſionem dicit fidem. Sunt ergò ſupervacanea præcepta tam in veteri, quàm in novo Teſtamento, tùm natura ſalvus fiat aliquis, ut vult Valentinus, & ſit natura fidelis ac electus, ut putat Baſilides. Fieri autem poterat, ut abſque Adventu Servatoris aliquo tandem tempore poſſet natura reſplendeſcere. Sin autem neceſſarium duxerint Adventum Domini, evaneſcunt eis naturæ proprietates, cum doctrina, & purgatione, & bonorum operum effectione, non autem natura ſervetur electio*. Baſilides & Valentinus ex diverſis utcumque principiis docuerunt eamdem blaſphemiam. Valentinus docuit homines natura fieri ſalvos. Suos Sectatores eſſe iſtud electum ac ſpiritale hominum genus, cui Deus in conditione admiſcuit virtutis aurum, ideoque quod nullo errorum aut vitiorum luto poſſit fœdari. Baſilides cenſuit ſuos non libera electione, ſed Divina per neceſſitatem immiſſione fieri fideles & juſtos, ideoque omnem immiſſionem eſſe ſine laude aut vitio, eſſe nobis indifferentem. Martinus Lutherus agnoſcat ſuum Magiſtrum. Sanctus Clemens rectè affirmat per iſta ſcelerata Dogmata everti omnem neceſſitatem Dominicæ Incarnationis.

Tertullianus ex laudato Apoſtoli loco affirmat tria. Primò, hæreſes eſſe malas: Eſſe ſcelus. Secundò, aliud eſſe hæreſim, aliud ſchiſma. Tertiò, hæreſim eſſe crimen ſchiſmate gravius. Prima aſſertio eſt adeò lucida, ut Sanctus Auguſtinus cenſuerit Rhetorii inſaniam non potuiſſe cadere in hominem integri cerebri. Circa ſecundum erravit Parmenianus, Donatiſtarum Carthaginenſis Epiſcopus, advorsùs quem ſcripſit

Lib 1. fol. 38. Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus : *Cum Schiſmaticis hæreticos ſociaſti. Et non attendiſti inter ſchiſmaticos & hæreticos quàm ſit magna diſtantia. Indè eſt quod ignoras, & quæ ſit ſancta Eccleſia. Et ſic omnia miſcuiſti. Catholicam facit ſimplex & vetus intellectus, intelligere ſingulare ac veriſſimum Sacramentum, & unitas animorum, ſchiſma verò, ſponſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, ut deſerta Matre Catholica impii filii, dum foras exeunt, & ſe ſeparant à radice Matris Eccleſiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt. Nec poſſunt novum aliquod aut aliud agere, niſi quod jam dudum apud ſuam didicerant Matrem. Hæretici verò, veritatis exules, ſani & veriſſimi Symboli deſertores, de ſinu Eccleſiæ ſanctæ ſenſibus depravati, contempto quod benè fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de ſe naſci voluerunt. Et qui jam dudum vitalibus paſti fuerant cibis, corruptela malæ digeſtionis, in pernicie miſerorum diſputationibus impiis venena mortifera vomuerunt.* Hæreſim & Schiſma inſigniter diſtinguit,

Dicit varia. Primò, quòd Eccleſiam Catholicam conſtituant duos: Simplex & vetus intellectus, & unitas animorum. Intellectus veriſſimi ac ſingularis Sacramenti. Hæc enim verba, *Intelligere ſingulare ac veriſſimum Sacramentum*, debent claudi in parentheſi. Eſt Sacramentum Apoſtolici Symboli. Ita & ſtatim ſuprà dixit duplicis Divinitatis ſabulones, alioſque Apoſtolici Symboli per ſcelerata circa Divinam ſubſtantiam Dogmata falſatores eſſe *à Sacramentis Catholicis alienos*. In libris de Symbolo ſcribit etiam San- Lib. 2. cap. 1. & Lib. 3. c. 1. ctus Auguſtinus: *Sacramentum Symboli quod accepiſtis*. Et in hoc noſtro libro noſter Doctor laudat appellationem fraternitatis, & hoſpitalitatis conteſſerationem, atque adjungit: Cap. 20. *Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem Sacramenti una traditio*. Hoc eſt, ejuſdem Symboli. Et in quinto contra Marcionem libro affirmat quædam San- Cap. 5. cti Pauli de Deo Creatore verba *competere noſtro Sacramento*. Id eſt, Symbolo. Apud antiquos Patres frequens eſt iſtud Symboli elogium. Et eſt Sacramentum ſingulare. Hoc eſt, principale. Ita Nicænum, adeoque & Apoſtolicum Symbolum appellat etiam Chalcedonenſis Synodus in ſermone exclamatorio ad Imperatorem Martianum. Eſt veriſſimum. Etenim quòd in omnibus Eccleſiis *obtineat Dei*, ſeu Divini Verbi *authoritatem*, diſertè affirmat in Nicæni Symboli expoſitione Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus. Eſt enim verum Dei verbum: Apoſtolis omninò dictatum à Spiritu Sancto.

Sanctus Optatus ſecundò laudat *Sponſum coagulum pacis*. Per Sponſum intelligit Epiſcopum: Eccleſiaſticæ pacis reverà coagulum. Ipſum eſſe Sponſum demonſtrat Epheſinæ Synodi de Euſtatio Pamphyliæ Metropolita Decretum, vacantem Eccleſiam appellans viduam. Eodem modo loquitur Canon vigeſimus quartus Chalcedonenſis. Et de vacante per Sancti Petri Martyris mortem Alexandrina Eccleſia ſcribit Gelaſius Cyziζenus: *Vidua remanſit Eccleſia ita annum unum*. Lib. 2. cap. 1. Et in vigeſima ſeptima oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus ſcribit de quibuſdam ſuorum in Conſtantinopolitana Eccleſia laborum calumniatoribus: *Aiunt nos alienam uxorem expetiiſſe, cùm ne propriam quidem habere voluerimus*. Per alienam intelligit Conſtantinopolitanam, per propriam uxorem ſignificat Cathedram & Eccleſiam Zazimorum. Et de Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, quòd ex Berytenſi Cathedra ad iſtam Metropolim tranſiens fuiſſet prævaricatus Apoſtolicum Canonem, *Alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem*, & verum adulterium perpetraſſet, ad omnes ſub cœlo orthodoxos Epiſcopos ſcripſit olim Ægyptiaca Synodus: Argumentata fuit à carnali matrimonio ad ſpiritnale. In Miſſa ad Gallicanam Eccleſiam Capitulis etiam Romana Innocentii primi Synodus Epiſcopi tranſla- Cap. 13. tionem vocat adulterium. Quæ appellatio apud antiquos Canones & Patres eſt famoſiſſima. Et hinc Latina Eccleſia ſuis Epiſcopis in conſecrationis ritu ſemper dedit annulum: Eos ſic demonſtravit cum ſua Eccleſia deſponſari.

Eſt Sponſus coagulus pacis. Eſt enim totius Eccleſiæ Caput, & quaſi centrum, in quo omnia ejus membra uniuntur, adunantur, & in unum corpus componuntur. In litteris ad Florentium Pupianum Sanctus Cyprianus inſigniter definit Eccleſiam: *Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adu-* Ep. 69. *nata, & Paſtori ſuo grex adhærens*. Et adjungit: *Undè ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo. Et ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe. Et fruſtrà ſibi blandiri eos, qui pacem cum Dei Sacerdotibus non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt, quando Eccleſia, quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit ubique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata*. Affirmat Epiſcopos non ſolis ſuæ Eccleſiæ membris, ſed etiam cunctis aliis Catholicis Eccleſiis eſſe unitatis glutinum ſeu coagulum: Eſſe fibulam, qua cunctæ ſub cœlo ſingulares Eccleſiæ in unam Catholicam Eccleſiam compaginantur. Eſſe ſuæ Eccleſiæ non dumtaxat caput, ſed & quaſi centrum, in quod concurrunt membra omnia, & in unum corpus coordinantur. Et in epiſtola ad Lapſos ſcribit: *Eccleſia eſt in Epiſcopo &* Epiſt. 40. *Clero, & omnibus Stantibus conſtituta. Eccleſia ſuper Epiſcopum conſtituitur*, id eſt, fundatur ac ædificatur, *& omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernatur*. Etiam Martyr Ignatius affirmat Eccleſiam eſſe populum Epiſcopo adunatum.

Audienda ſunt quædam Sancti Cypriani de Romano Epiſcopo teſtimonia. In litteris ad plebem, ſcriptis adversùs factionem Feliciſſimi Archi-Diaconi, & quinque Presbyterorum illi adhærentium: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, &* Epiſt. 40. *una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud Altare conſtitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum Altare & unum Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit: Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt,*

quod-

quodcumque humano furore inſtituitur, ut Divina diſpoſitio violetur. In litteris ad Antonianum Epi-
Ep. 52. ſcopum: *A Chriſto una eſt Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*. Et in litteris ad Sanctum Cornelium
Ep. 55. Pontificem: *Petri Cathedra, atque Eccleſia principalis, undè unitas Sacerdotalis exorta eſt*. In litteris ad Januarii per Numidiam Primatis Synodum:
Ep. 70. *Una eſt Eccleſia à Chriſto Domino ſuper Petrum origine unitatis & ratione fundata*. In litteris
Ep. 71. ad Quintum: *Petrus, ſuper quem Dominus ædificavit Eccleſiam ſuam*. In litteris ad Jubajanum
Ep. 73. Epiſcopum: *Petrus ſuper quem Dominus ædificavit Eccleſiam, & undè unitatis originem inſtituit*. Et infrà: *Eccleſia eſt una, & ſuper unum, qui & claves accepit, Domini voce fundata*. Et in libro de Unitate Eccleſiæ adducit Evangelica verba, quibus Dominus Sancto Petro cœleſtes claves promiſit ac dedit, atque proſequitur: *Super illum unum Dominus ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam tribuat parem poteſtatem, tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem, ab uno incipientem, ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur: Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Eccleſiæ unitatem confirmat variè, & concludit: *Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probemus. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum; Et rami arboris multi, ſed robur unum, tenaci radice fundatum. Et qui de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab arbore ramum frange, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præciſus areſcet.* Oſtendit ſic item eſſe in Eccleſia, & in Epiſcopatu. Epiſcopus coagulat & unit varia. Primò, omnia Eccleſiæ ſuæ membra. Deindè ſemetipſum per Catholicam communionem unit omnibus aliis ſub cœlo Epiſcopis, atque ita ſuam Eccleſiam omnibus iſtorum Eccleſiis. Tertiò, omnes Epiſcopi per eandem communionem ac debitam Primatui obedientiam ſeſe uniunt Romano Epiſcopo, à quo habent Epiſcopatus originem, & traducem, atque ita cum illo conficiunt unum Epiſcopatum, unam Cathedram, unam Eccleſiam. Ei uniun-

tur uti radius cum ſole, uti ramus cum radice, uti rivus cum fonte, uti ſubditi cum Primate. Uti omnis Eccleſia Chriſto Domino, ita omnis vera hic militans Chriſtianitas eſt Romano Epiſcopo populus circumſubſtantialis. Etiam quævis ſingularis Eccleſia ſuo ſingulari Epiſcopo, Et omnes ſingulares Epiſcopi Epiſcopo Romano. Eccleſia, teſte Sancto Irenæo, eſt una familia eandem inhabitans domum, habens eandem animam, idem cor, idem os, eandem linguam. Ejus cor & anima ſunt fides, os eſt Epiſcopus. Per ipſum omnia Eccleſia loquitur. Et omnis Epiſcopus loquitur ac loqui debet ex ore Romani Epiſcopi: Loqui Romanam linguam, ſeu fidem. Hoc unicum os habet omnis ſub cœlo Eccleſia. Antiquus ille Scriptor, quem vulgò Sanctum Dionyſium Areopagitam dicimus, in libro de Eccleſiaſtica Hierarchia Epiſcopum appellat Eccleſiæ *Aptatorem*. Exponit Sanctus Maximus:
Id eſt, Concianatorem. Lacedemonii ſubjectarum Cap. 3.
civitatum Gubernatorem nominabant Aptatorem: Quod ſubditos aptaret, ut ea lege viveren. Undè etiam Athenienſes eos appellabant Aptatores, qui alios ad benè vivendum dirigebant, uti Plato Comicus in Dramate Legatis declarat. Undè etiam Dionyſius Eccleſiæ Epiſcopum propriè dixit Aptatorem. Omnia ille membra ſuo loco & ordini coaptat, ac facit unum. Idem Dionyſius Epiſcopo adſcribit tria officia: Purgare, illuminare, perficere, ſeu unire; utique Eccleſiæ membra, & cum ſeſe mutuo, & cum Domino Deo, per caſtam & ordinatam Dei ac proximi charitatem. Meritò igitur ac rectè Epiſcopus appellatur Sponſus coagulus pacis.

Sanctus Optatus tertiò dicit ſchiſma per diſſipatos ſenſus generari Sponſo coagulo pacis. Exponit in litteris ad Rogatianum Novenſem Epiſcopum Sanctus Cyprianus, poſt exaggeratam neſcio cujus Diaconi in ſuum Epiſcopum contumaciam ſubjungens: *Hæc ſunt initia hæreticorum,* Ep. 65.
& ortus atque conatus Schiſmaticorum, malè cogitantium ut ſibi placeant. Ut Præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti, & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Et
in litteris ad Florentium Pupianum: *Indè ſchiſ-* Ep. 69.
mata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur. Et in tractatu de zelo & livore: *Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis aut queritur non ſe potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre Præpoſitum*. Schiſma eſt contumax adversùs Epiſcopum rebellio, qua quis ejus communionem deſerit, ei in Divinis non ſuſtinet communicare. Hæc contumacia ex livore & zelo naſcitur, quo quis aut dolet ſe non potiùs promotum, aut

quo alium dedignatur habere Prælatum. Hinc Sanctus Optatus dixit ſchiſma generari per diſſipatos pacis ſenſus, livore nutriri, æmulatione & litibus roborari: Ejus auctores invidiæ falcibus à Catholicæ Matris compage amputari.

Eſt non adversùs Cathedram, ſed adversùs Coagulum Sponſum Epiſcopum contumacia atque diſceſſio. Qui enim non adversùs Epiſcopum, ſed adversùs Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ Cathedram rebellat, errat in Evangelico dogmate, & eſt non tantùm ſchiſmaticus, ſed etiam hæreticus. Dico, *Adversùs Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ Cathedram*. Quia poteſt quis adversùm alias, etiam Patriarchales, Cathedras contumaciſſimè citra hæreſim rebellare. Etenim omnes Cypriorum Epiſcopi, dum à ſua Metropoli invaſam Autocephaliam firmarunt in Epheſina Synodo, & contumaciter defenderunt, palàm rebellarunt adversùs Apoſtolicam Antiocheni Patriarchatus Cathedram, & certum eſt non fuiſſe hæreticos. Etiam Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus, dum per aliquot ejuſdem Patriarchatus invaſas Provincias oſtentavit ſe novum Patriarcham, adversùs eandem Cathedram omninò rebellavit. Et quidem adeò fœda fuit hæc rebellio ut celeberrimi apud Conſtantinopolim Monaſterii Archimandrita ac Presbyter Gennadius ſuo Patriarchæ Sancto Proclo, Juvenalis communionem non deſerenti, noluerit communicare. Et tamen Juvenalis adeò non fuit hæreticus, ut ejus rebellionem purgaverit, & pro parte admiſerit Synodus Chalcedonenſis. Plura ſunt ejuſmodi exempla.

Quin immò & Ravennatum Eccleſia, dum Autocephaliam invaſit atque retinuit, contumaciter rebellavit non ſolummodò adversùm Romanos Pontifices, ſed etiam adversùs Apoſtolicam Sancti Petri Cathedram. Et tamen non incurrit hæreſim. Hæc nempè Cathedra habet varias dignitates. Eſt Diœceſana, Metropolitica, Primatialis, Patriarchalis, ac inſuper Papalis. Ravenna rebellavit adversùs Primatialem, ſimul ac Patriarchalem. Adversùs ſolam Patriarchalem rebellarunt Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ejus ſucceſſor Epiphanius, Imperator Theodoſius, Juſtinianus, ac præſertim Leo Iſaurus, qui Illyricianam Diœceſim attentarunt transſcribere in Patriarchatum Regiæ civitatis. Et quidem Imperator Leo Iſaurus, qui etiam Siciliam & plures Italiæ Provincias Romanæ Cathedræ abſtulit, non dumtaxat in ejus Patriarchalem ac Primatialem poteſtatem rebellavit, ſed etiam in Metropoliticam. Hæ enim omnes Eccleſiæ tunc non habebant Metropolitam, niſi Dominum Papam. Et tamen ex iſta rebellione non fuit hæreticus. Omnis quorumvis Epiſcoporum, etiam Romani Pontificis, Metropolitica, Primatialis, ac Patriarchalis poteſtas eſt ab Apoſtolis, generalibus Synodis, aut Romanis Pontificibus instituta, ſola Papalis Majeſtas eſt Divinum inſtitutum Chriſti Domini. Hinc adversùs hanc ſolam non poteſt citra hæreſim rebellari. Ex dictis inſuper vides, quòd adversùm alias dictas poteſtates rebellari poſſit etiam ſine ſchiſmate. Etenim nec Cypriorum Epiſcopi, nec Juvenalis Hieroſolymæ Antiſtes, nec Atticus Conſtantinopolitanus, nec ejus ſucceſſor Epiphanius, nec Imperator Theodoſius, nec Succeſſor Juſtinianus fuerunt ſchiſmatici. Quia Patriarchalibus Cathedris citra Chriſtianæ communionis prævaricationem rebellarunt. Proindè hæc prævaricatio eſt penitus neceſſaria ad ſchiſma. Eſt diſceſſio ab ipſo Epiſcopo, & per ipſum ab omni Eccleſia. Rebellio adversùs Cathedram poteſt eſſe origo ſchiſmatis, ſed ad ipſum non eſt neceſſaria.

Hanc doctrinam in prima ad Sanctum Amphilochium Iconienſem in Lycaonia Epiſcopum Canonica epiſtola confirmat Sanctus Baſilius. Hæreſes, Schiſmata, & Paraſynagogas, ſeu illegitimos conventus diſtinguit, atque ſingula definitas pergit: *Hæreſes ſunt qui omninò abrupti ſunt, & in ipſa fide abalienati. Schiſmata ſunt* Cap. 1. *qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones inter ſe diſſident. Paraſynagogæ ſunt congregationes, quæ fiunt à rebellibus Presbyteris, vel Epiſcopis, & à populis minimè doctis. Ut ſi quis peccaviſſe convictus ſit à ſacro obeundi miniſterio prohibitus, & Canonibus ſe non ſubmiſit, ſed ſibi Præſulatum & ſacrum miniſterium attribuit, & quidem unà cum eo receſſerunt, relicta Eccleſia Catholica: Hæc eſt Paraſynagoga. Schiſma autem eſt de pœnitentia diſſentire ab eis, qui ſunt ex Eccleſia. Hæreſis autem eſt, ut Manichæorum, & Valentinianorum, & Marcioniſtarum, & horum ipſorum Pepuzenorum. Statim enim de ipſa in Deum fide eſt diſſenſio. Pepuzeni in Sanctum Spiritum blaſphemarunt.* Videtur aliquod diſcrimen. Magnus Baſilius videtur eos ſolos, qui circa ipſam Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam contumaciter errant, deputare hæreticos. Hinc Novatianenſes, qui de iſta ſacroſancta ſubſtantia rectum ſenſerunt, deputat ſolummodò inter ſchiſmaticos. Videtur diſtinguere hæreſim, ſchiſma, paraſynagogam.

Reſpondeo illum à nobis non diſſentire. Nequaquam ſolos circa ſupremam ſubſtantiam Errones deputat hæreticos. Solummodò affirmat eos omnes eſſe hæreticos, ideoque etiam de Montaniſtis, quin hæretici ſint, non eſſe ambigendum. Loquitur adversùs Magnum Alexandriæ Patriarcham Dionyſium, qui ea de re videtur ceſpitaſſe: etiam Encratitas, ac Hydroparaſtatas, ſeu Aquarios, licèt de Divina ſubſtantia rectum ſenſerint, cenſet hæreticos. Circa Novatianenſes cenſuit cum ſuo Anteceſſore Sancto Firmiliano. Hic circa datum aut acceptum in hæreſi Baptiſma cenſuit cum Sancto Cypriano. Cenſuit rem iſtam non eſſe dogmatis, ſed quæſtionis, diſciplinæ & conſuetudinis: Unamquamque Eccleſiam poſſe in ſuo ſenſu abundare. Idem cenſuit de dando Lapſis extremæ Pacis Viatico. Hinc Novatianenſes cenſuit non hæreticos ſed dumtaxat ſchiſmaticos. Quòd nempè ſalubri Eccleſiæ Decreto obedire recuſantes deſeruiſſent communionem Catholicam, & proprium ſibi Altare erexiſſent. Et has devias opiniones

con-

conſtanter ſectatus eſt Sanctus Baſilius. Adver-
sùs ipſum Conſtantinopolitana Synodus Nicæno
Symbolo adjunxit: *Confiteor unum Baptiſma in
remiſſionem peccatorum*. Proindè Baſilius diſtinxit
duplex ſchiſma: Aliud propter perſonam Epiſco-
pi, aliud propter Eccleſiæ diſciplinam. Et hu-
juſmodi omninò datur. Etenim de clementi Ze-
phyrini Pontificis pro pœnitentibus Mæchis De-
creto ſcribit ad Antonianum Epiſcopum Sanctus
Ep. 52. Cyprianus: *Et quidem apud Anteceſſores noſtros
quidam de Epiſcopis iſtic in Provincia noſtra dandam
Pacem non putaverunt, & in totum pœnitentiæ lo-
cum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Co-
Epiſcoporum ſuorum Collegio receſſerunt, aut Catho-
licæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ vel cenſuræ ſuæ
obſtinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris
pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararé-
tur*. Epiſcopi iſti faciebant iſtud ipſum, quod
Montaniſtæ: Et tamen hi hæretici fuerunt, iſti
Catholici. Quia nempè agebant idem alio animo
& ſenſu. Montanus Eccleſiæ poteſtatem negabat,
iſti Epiſcopi dumtaxat cenſebant Decretum ſuis
populis non expedire. Utebantur laudata iſthic
per Sanctum Cyprianum regula: *Manente concor-
diæ vinculo, & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ in-
dividuo Sacramento, actum ſuum diſponit & diri-
git quiſque Epiſcopus rationem Propoſiti ſui Domino
redditurus*. Notanda ſunt laudata verba: *Vel du-
ritiæ vel cenſuræ ſuæ obſtinatione*. Cenſuræ obſti-
natio eſt hæreſis: Eſt illa, qua quis Eccleſiam
damnat & cenſet ipſam exceſſiſſe poteſtatis ſuæ li-
mites. Et in hoc barathrum lapſi fuerunt Monta-
nus ac Tertullianus. Duritiæ obſtinatio eſt, qua
quis iſtius clementis Decreti poteſtatem agnoſcit
in Eccleſia, ſed utilitatem inficiatur adeò perti-
naciter, ut ipſum probantibus communicare no-
lit, idenque erigat novum Altare. An Zephyri-
ni Decretum habuerit iſtiuſmodi adverſarios,
ignoro. Si habuerit, fuerunt ſchiſmatici, non
hæretici. Et tales adverſarios habuit Romanæ
Eccleſiæ Decretum, quod lapſos in Ariminenſi
Synodo Epiſcopos admiſit ad gradum. Adverſa-
riorum author & dux fuit Lucifer Calaritanus
Epiſcopus, Sardorum Metropolita, quem con-
ſtat non fuiſſe hæreticum, ſed dumtaxat ſchiſma-
ticum. Hujuſmodi ſchiſma Sanctus Baſilius di-
ſtinxit à Paraſynagoga. Et rectè. Sunt tamen
ſpecies ejuſdem generis, ac fermè ejuſdem natu-
ræ.

Et hinc paſſim dicimus ſchiſma eſſe altare con-
tra altare. Hoc eſt genus commune ſchiſmati &
paraſynagogæ. Ita adversùs Feliciſſimi Diaconi
ſchiſma loquitur Sanctus Cyprianus in litteris ad
ſuam plebem: *Aliud altare conſtitui, aut Sacerdo-*
Ep. 40. *tium novum fieri non poteſt. Quiſquis alibi collegerit,
ſpargit. Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt,
quodcumque humano furore inſtituitur, ut diſpoſitio
Divina violetur*. Divina enim diſpoſitio mandat,
ut ſimus unus Grex & unus Paſtor: Populus Epi-
ſcopo adunatus. Etiam in epiſtola ad Rogatia-
num Novenſem Epiſcopum Cyprianus ſcribit:
Ep. 65. *Sic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foris
collocatur, ſic contra pacem Chriſti, & ordinatio-
nem, atque unitatem Dei rebellatur*. Et in litteris
ad Sanctum Stephanum Pontificem: *Novatianus* Ep. 67.
*Epiſcopo Cornelio prophanum altare erigere, &
adulteram Cathedram collocare, & ſacrilega contra
verum Sacerdotem ſacrificia offerre tentavit*. Et in
alia ad eundem Pontificem epiſtola: *Contra al-* Ep. 70.
*tare unum atque Divinum ſacrificia foris falſa & ſa-
crilega offerre conati ſunt*. Quæ phraſis etiam San-
cto Optato, ac aliis Latinis & Græcis Eccleſiæ
Patribus eſt familiaris. Proindè ad plenum ſchiſ-
ma non quævis contra Epiſcopum diſcordia, re-
bellio, aut communionis diſcretio ſufficit. Eri-
gi debet novum altare, & congregari paraſyna-
goga, & hinc adversùs Diaconum, qui Epiſco-
po ſuo Rogatiano contumax communicare nole-
bat, Clericalem obedientiam nervosè exaggerat
Sanctus Cyprianus, & adjungit: *Sic de Eccleſia
receditur, ſic altare proprium foris collocatur*. Affir-
mat iſtam rebellionem necdum eſſe ſchiſma, ſed
dumtaxat ſchiſmatis exordium. Etiam Feliciſſi-
mum Diaconum, & ipſi adhærentes quinque
Presbyteros, licèt ipſi contumaciter recalci-
trarint, & communicare averſarentur, non
ſtatim dixit ſchiſmaticos, ſed dumtaxat fa-
ctioſos atque rebelles. Schiſmaticos dicere pri-
mùm cœpit, poſtquam in neſcio quo prope Car-
thaginem monte erexerunt ſceleratum altare,
collegerunt prophanam paraſynagogam, & è ſuæ
factionis gremio Fortunatum Presbyterum transfi-
gurarunt in Epiſcopi idolum. Dici tunc cœperunt
ſchiſma Montenſe. Quare Montenſes ſeu Rupita-
ni ſunt duplices: Alii prope Romam Donatiſtæ, alii
prope Carthaginem Anti-Cyprianiſtæ. Hi dum-
taxat ſchiſmatici, iſti fuerunt inſuper hæretici.
Hinc item intelliges Sanctum Optatum, qui
Africæ illatas per Donatiſtarum ſchiſma calami-
tates commemorans ſcribit: *Ea imputate illis*, L. 3.
*qui populum Dei diviſerunt, & Baſilicas fecerunt
non neceſſarias*. Et infrà: *In Africa tùm ſufficerent
templa Dei quæ fuerant, alia facere voluerunt Prin-
cipes veſtri*. Hi ſcelerati Principes omnibus ubi-
que Epiſcopis & Clericis non potuerunt pœniten-
tiales manus imponere, *ſeu caput de pœnitentia
quaſſare*, ideoque nec ipſos dejicere, nec eorum
plebes capere, nec Baſilicas invadere: Plures de-
monſtrarunt ſe eſſe Epiſcopos, & Chriſto Domi-
no conſtantes adhæſerunt. Hinc Donatiſtæ, ut
etiam iſthic haberent Synagogam ac Epiſcopi
Idolum, novas ædificaverunt Baſilicas. Quod
nempè ſine Baſilica & altari ſchiſma non poſſit
eſſe completum. Non igitur quaſvis novas Baſi-
licas, ſed iſtud ſceleratum facinus damnat San- Lex 67.
ctus Optatus. Iſtiuſmodi Baſilicas novellæ Impe-
ratoris Juſtiniani leges appellant illicitas ſpelun-
cas. Et adversùm ipſas ac earum exſtructores
Mater Eccleſia olim decrevit, ut ædificandæ no-
væ Baſilicæ Epiſcopus locum deſignet & benedi-
cat, atque in ipſo figat ſignum crucis. Aliter
ædificari non permittit. Nempè ne ædificentur
Paraſynagogæ. Et hiſce antiquiſſimis Canoni-
bus Juſtinianus adjunxit auctoritatem legis.

Attamen ſeceſſio & novum altare, ut ſint
ſchiſma aut Paraſynagoga, requirunt plures con-

ditiones. Et ante omnia fieri debent ſine legitima cauſa. Deindè fieri debent contra Matrem Catholicam, non contra ſchiſma, hæreſim, aut ſimilem factionem. Etenim Sancto Euſtatio, Patriarchæ Antiocheno, per Euſebianam Arianorum factionem iniquiſſimè degradato, conſtanter adhærens fidelium turma intruſos in ejus thronum maculoſos atque hæreticos Epiſcopos agnoſcere noluit, nec illis communicare, erexit novum Altare, ipſum rexit per Presbyteros, & ſe appellavit communionem Euſtatianam. Romanæ & omni Occidentali Eccleſiæ conſtanter adhæſit, ideoque nec ſchiſma, nec Paraſynagoga fuit, ſed vera Eccleſia. Undè illi per Euſtatii mortem viduatæ Lucifer Calaritanus Epiſcopus, ac Sancti Liberii Pontificis per Orientem Legatus, tandem dedit Epiſcopum, venerabilem Paulinum, Sedebat tunc illic Orthodoxus ac Sanctus Meletius. Verùm quod ex Arianis & per Arianos intruſus haberet infirma ſui Epiſcopatus exordia, Euſtatiana communio etiam jam converſum averſata eſt, atque ita poſtulavit ac impetravit Antiſtitem Paulinum. Etiam Meletiana communio invocabat Romanam Eccleſiam, ac ejus ambiebat communionem. Verùm iſta, & omnis Occidentalis, nec non & Ægyptiaca ſoli Paulino, reliqua Orientalis Eccleſia communicabat ſoli Meletio. Et ita manſit etiam poſt Meletii ac Paulini mortem ſub ſolo Epiſcopo per Conſtantinopolitanam Synodum confirmato Flaviano. Euſtatiana communio permanſit ſub Preſbyteris, Flavianum uti intruſum, atque perjurum averſata. Erat miſeranda diſcordia: Altare contra altare. Et tamen neutra pars fuit ſchiſma aut Paraſynagoga. Utraque fuit orthodoxa Communio. Undè & Romana Eccleſia in ſuis Sanctorum tabulis veneratur, ac præclaro encomio honorat Beatum Meletium. Diſcordiam tandem compoſuit, ac utramque partem univit in unicam communionem Patriarcha Alexander. Similem diſcordiam in Sancti Joannis Chryſoſtomi degradatione vidit ac paſſa fuit Conſtantinopolitana Eccleſia. Innocenti Joanni fidelis Clerus & populus nec in locum intruſo Arſacio, nec ejus ſucceſſori Attico, nec Theophilo Alexandrino, nec ejus ſucceſſori Sancto Cyrillo, nec omni iſti factioni communicare ſuſtinuerunt, erexerunt ſibi diſtinctum altare, & appellati ſunt Joannitæ. Attici & Cyrilli communionem etiam poſt Joannis mortem ſunt averſati, quouſque Joannis, uti Canonici Epiſcopi, nomen illi inſcripſerunt Eccleſiaſticis tabulis, & ipſi per omnia communicarunt. Neutra tamen pars fuit ſchiſmatica, nec item Paraſynagoga. Utraque enim permanſit in Communione Romanæ Eccleſiæ. Theophili & Attici factio cum Romana Eccleſia quidem litigarunt, calcitrarunt, & foverunt diſcordiam, non tamen uſque ad ſchiſma. Lucet ex hoc Afri-
Can. 68. cano Canone: *Ut de diſſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſię ad Sanctum Papam Innocentium ſcribatur, quo utraque Eccleſia pacem, quam præcepit Dominus, inter ſe teneat.* Affirmat ſimplicem diſſenſionem fuiſſe, non ſchiſma: Fuiſſe reparandam non unitatem, ſed pacem. Quòd pacem hanc laudatus Patriarcha Alexander etiam compoſuerit, affirmat præfatus Atticus in ſcriptis de hac re litteris ad Sanctum Cyrillum. Eadem eſt ratio diſſenſionis, quæ inter eundem Sanctum Cyrillum, ac inter Joannem Antiochiæ Patriarcham, nec non inter eorum Diœceſes fuit ob geſta in Epheſino Concilio. Quòd fuerit hoſtiliſſima diſcordia, lucet ex famoſa epiſtola Ibæ Edeſſeni Archi-Epiſcopi ad Marim Perſidis Epiſcopum. Etiam duriſſima diſſenſio fuit inter Sanctum Cyprianum & Sanctum Stephanum Pontificem, ac inter Romanam Eccleſiam & Africanam. Quòd per illam nec Catholica unitas dilacerata fuerit, frequenter teſtatur Sanctus Auguſtinus. Nec item fuit aliud & aliud altare. Eadem eſt ratio diſcordiæ, quæ inter eaſdem Eccleſias fuit propter appellationem inferioris Cleri ad Sedem Apoſtolicam. Et hinc famoſa epiſtola, qua Bonifacius ſecundus Pontifex ad Eulalium Alexandriæ Patriarcham ſcribit Carthaginenſem Eccleſiam rediiſſe tandem ad Romanæ obedientiam ac unitatem, eſt manifeſtè ſtraminea, ficta, plena erroribus. Horrendus error eſt, quòd Carthaginenſium Primas Aurelius ſe ac ſuam Diœceſim à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregarit. Et tales Eccleſiarum ſine ſchiſmate duras diſcordias Catholica Mater frequenter vidit ac doluit.

Sanctus Baſilius rectè diſtinguit Schiſma & Paraſynagogam. Inter ipſa eſt grande diſcrimen. Omne ſchiſma eſt paraſynagoga, non vice verſa. Ad paraſynagogam requiruntur tria: Iniqua diſceſſio, prophanum altare, & illegitima populi ad ipſum congregatio. Lucifer Calaritanus Epiſcopus, dum apud Eleutheropolim in Palæſtina exulavit ſub Imperatore Conſtantio, in ſuo hoſpitio privatim celebrabat. Et quòd iſtius Eccleſiæ Arianus Diaconus Turbo altare dejecerit, & omnia ſacra vaſa diripuerit, teſtantur in exhibitis Imperatori Theodoſio precibus Romani Preſbyteri Fauſtinus ac Marcellinus. Catholicæ Matris jure utebatur Lucifer. Interim illud ipſum in noſtris terris frequenter fecerunt hæretici. Et talia ipſorum ſacrificia meritò proſcribuntur atque impediuntur. Attamen quia circa populi Collectam ſunt privata, non ſunt paraſynagogæ. Impingunt non in quintum, ſed in quartum Antiochenum Canonem. Quintus Canon ita habet: *Si quis Presbyter aut Diaconus, Epiſcopum proprium contemnens, ſe ab Eccleſia ſequeſtrarit, & ſeorſim colligens altare conſtituit, & commonenti Epiſcopo non acquieverit, nec conſentire vel obedire voluerit ſemel & iterùm convocanti, hic damnetur omni modo, nec ultra remedium conſequatur, quia ſuam recipere non poteſt dignitatem. Quod ſi Eccleſiam conturbare & ſollicitare perſiſtat, tamquam ſeditioſus per Poteſtates exteras opprimatur.* Accuratè deſcribit paraſynagogam. Ad ipſam requirit tria: Rebellionem, altare contra altare, & ſacrilegam fidelis populi Collectam. Et ejus cauſam dicit eſſe contemptum proprii Epiſcopi. Eſt Canon nequam, doloſus, & Arianus. Agit in orthodoxos Orientalis Eccleſiæ Presbyteros ac Diaconos,

conos, qui Arianis in orthodoxorum Cathedras per Imperatorem Conſtantinum intruſis Epiſcopis communicare nolebant, ideoque cum fideli populo agebant clandeſtinas & ſeparatas Collectas. Canon eſt nequam ex ſolo ſuorum authorum pravo animo. Eſt ambidexter, & ab hæreticis in Catholicos, & ab his poteſt contorqueri in iſtos. Et hinc omnes iſtus Canones, licèt dudum refutaverit, Catholica Eccleſia tandem admiſit. Illi enim firmant, licèt ex Ariano ſcopo, avitam atque Apoſtolicam diſciplinam. Et hunc quintum probavit in ſecunda Carthaginenſi Synodo, ac ſuum fecit Africana Eccleſia. Sanctus Alipius Tagaſtenſis Epiſcopus, ac Numidicæ
Can. 8. Provinciæ Legatus, illic ita retulit: *Nec illud prætermittendum eſt, ut ſi quis fortè Presbyter ab Epiſcopo ſuo correptus aut excommunicatus, tumore vel ſuperbia inflatus putaverit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra Eccleſiaſticam fidem ac diſciplinam crediderit, non exeat impunitas*. Relationem probavit & firmavit Valentinus Summenſis Epiſcopus, ſuæ tunc Provinciæ Primas, & omnes Epiſcopi reſponderunt: *Si quis Presbyter à Præpoſito ſuo excommunicatus vel fuerit correptus, ſed ſuperbia inflatus ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit ac ſeparatim cum aliquibus ſchiſma faciens ſacrificium Deo obtulerit, Anathema habeatur, & locum amittat*. An ex Antiocheno Canone loquatur, ignoro. Interim loquitur eandem diſciplinam. Ad Paraſynagogam etiam requirit tria: Seceſſionem à communione Epiſcopi, erectionem prophani altaris, & ſeductoriam populi Collectam. Et pro cauſa aſſignat Epiſcopalis damnationis aut correptionis contemptum. Eandem cauſam ſuprà adduxit Magnus Baſilius. Eandem formam Paraſynagogæ.

Iſta omnino eſt ordinaria Paraſynagogæ cauſa. Etenim ab Epiſcopo Metropolita, Primate, Patriarcha, Romano Pontifice, aut etiam à quavis Synodo datam damnationis ſententiam contumaciter arguere iniquitatis & contemnere, dignitatem ac miniſterium non deponere, atque in ipſo ſe per ſeducti populi aut Cleri violentiam firmare, atque ita Paraſynagogam facere, fuit damnatis Epiſcopis & Clericis olim admodum familiare. Hinc Antiochena Synodus ſanxit illos, dum bis moniti nolunt acquieſcere, opprimendos per Poteſtates exteras, per auxilium ſæcularis brachii. Et ad Sancti Damaſi Pontificis preces Imperator Gratianus ſanxit relegandos ad centum millia à loco ſuæ dignitatis aut miniſterii. Attamen iſta non fuit unica Paraſynagogæ cauſa. Aliam ſupra audivimus à Sancti Cypriani Tractatu de zelo & livore: *Dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis aut queritur ſe non potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum*. Reſpicit ſuſcitatam adversùs ſe à Feliciſſimo Diacono & quinque Presbyteris Paraſynagogam. Cyprianus ex Neophyto fuerat promotus Epiſcopus. Hinc iſta factio agnoſcere ipſum noluit, erexit novum altare in ſuburbano monte, Fortunatum Presbyterum transfiguravit in Epiſcopi idolum, & omnia ſua tentavit per Romanam Eccleſiam confirmari. Et quouſque lis iſtic pependit, non fuit Schiſma, ſed dumtaxat Paraſynagoga. Aliam cauſam adducit in litteris ad illuſtres Dominas, Euſtatiam, Ambroſiam, ac Baſiliſſam Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Graſſabatur tunc Apollinarii dogma, ideoque & multa circa Dominicæ Incarnationis Sacramentum quæſtio. Hinc Gregorius neſcio quid quibuſdam diſplicens permiſerat labi ex ore, atque ita multi diſceſſerant ſe ab ejus communione, ac inſuper novum altare erexerant, & collegerant Paraſynagogam. Exponit ille ſuam fidem in laudata Epiſtola, ac pergit: *Si igitur hæc alta voce prædicamus, & teſtificamur*, id eſt, authenticos noſtræ prædicationis teſtes producimus, *quæ noſtra injuria eſt? Quam ob cauſam odio habemur? Aut quid ſibi volunt nova hæc adversùm nos erecta altaria? Cur fugiendi judicamur? Et cur adversùm nos altare quidam extruunt, quaſi nos ipſi ſancta pollueremus?* Similem ex ſimili cauſa, licet non Paraſynagogam, tamen communionis diſſociationem iſto tempore paſſus fuit etiam Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, pater Sancti Gregorii Nazianzeni. Etiam Magnus Baſilius. Et plures Magni Antiſtites atque Doctores. Periculoſiſſima ob varias hæreſes erant iſta tempora: Hinc & iſtam populi ac Cleri ab Epiſcopis ſeceſſionem fuiſſe tunc frequentiſſimam affirmat idem Baſilius ad Patrophilum Epiſco- Ep. 82.85.
pum. Eam ex varia cauſa tunc non tantummodò permittebant, ſed & jubebant ſacri Canones. His factioſi ſubditi fuerunt frequenter abuſi, ſeceſſerunt ſine cauſa, & quandoque addiderunt Paraſynagogam. Hanc Arcadius Imperator in lege ad Anthemium officiorum Magiſtrum appellat *tumultuoſa conventicula*. Hæc omnia ſtatim poſt Conſtantii ac Juliani mortem extinguere non potuit Imperator Valentinianus. Quin per omnem Orientem ipſa fovit, & publica fecit ejus Collega & frater Valens. Hinc ipſis Imperator Theodoſius in lege ad Euſignium Prætorio Præfectum ſeveriſſimè interdixit omnem turbulentiam. Exſtant leges in ſexto decimo libro Codi- Tit. 4. c.
cis Theodoſiani. Etiam in illa variarum Syno- 2. 4.
dorum collectione, quam appellamus Mennæ Patriarchæ Conſtantinopolitanam Synodum, eſt varia mentio de Paraſynagogis.

Simplex igitur Paraſynagoga necdum eſt Schiſma. Utraque enim pars, licet altera iniquiſſimas turbas agat, adhuc adhæret Romanæ ac univerſali Eccleſiæ, ac ejus Pontifici. Pars diſcedens ſe ſcindit ab aliqua dumtaxat ſingulari Eccleſia, ab aliquo dumtaxat Epiſcopo, Metropolita, Primate, aut Patriarcha. Eſt tamen exordium Schiſmatis, ac frequenter proficit in plenum Schiſma. Inſigniter hæc lucent in ſcelerato Photio, qui ſeipſum in Conſtantinopolitanam Sancti Patriarchæ Ignatii Cathedram violenter intruſit, ac inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam ſuſcitavit horrendum illud Schiſma, quod Divina Juſtitia tandem vindicavit, ac etiamnum vindicat per Turcicam captivitatem. Ana-

ſtaſius

ſtaſios Romanæ Eccleſiæ ad Ssnctum Marcellum Cardinslis Presbyter & Bibliothecarius in præfatione, quam octavæ Synodo præfixit, exponit laodati Ignatii Pstrisrchalem promotionem, & Gregorii Syracuſsni Archi-Epiſcopi & quorundsm sliorum Epiſcoporum ab ipſo ſactam, aur potiùs confirmatam damnationem, atque proſequitur: *Favebat autem his Epiſcopis quidam Senator ſæcularis adminiſtrationis, fungens officio à Secretis, nomine Photius, qui ad Patriarchale conſcendere faſtigium affectans cum eis ſeorsùm colligebat, & fideles quoſque à ſanctæ communionis participatione avertens, Divinis intereſſe officiis, dum à Patriarcha Ignatio celebrarentur, penitus recuſabat.* Palam ſupponit Photium, licèt prophanum Gregorii Syracuſani altare ac Paraſynagogam ſequeretur, tunc necdum fuiſſe ſchiſmaticum. Ob duas rationes. Primò, quòd allegaret quempiam diſcretæ ſuæ communionis fucum: *Suſpicabatur Ignatium ſui Deceſſoris, id eſt, ſanctæ memoriæ Methodii vitam accuſare.* Deindè, Gregorii & illi adhærentium Epiſcoporum cauſa erat appellara ad Sedem Apoſtolicam, & ad eandem etiam Photius poſtmodo appellavir. Pendebant hæc omnia, & utraque pars Sanctum Petrum ac ejus Cathedrsm invocabat. Hinc iſta Paraſynsgoga, licèt ſceleratiſſima, necdum erat Schiſma. Aſt verò poſt temporis intervallum Leo quartus, Benedictus tertius, Nicolaus primus, ac Adrianus ſecundus Pontiſex Ignatii de Gregorii perſona ac factione judicium confirmarunt: Et duo poſteriores damnstunt etiam Photium. Et de ipſo ad ſuam Romanam, in qua octavam generalem decrevit, Synodum dixit landatus Adrianus. *Authore Photio nova præſumptio, & inaudita eſt orta temeritas. Hic ſiquidem Photius, cùm adhuc mundanus Miniſter eſſet, geminam quodammodo ſemper invidiam adversùs Fratrem & Co-Epiſcopum noſtrum Ignatium, Conſtantinopolitanum Patriarcham, in pectore geſtans, ſemetipſum ab ejuſdem beatiſſimi Præſulis communione fecit extraneum, & per hoc ab univerſali Eccleſia, quæ ipſi beatiſſimo Patriarchæ communicabat, ſe reddit prorsùs exortem, atque inter ſchiſmaticos procul dubio eſt computatus.* Utique poſt confirmatum à Romana Eccleſia in Patriarchatu Ignatium: Et præſertim poſt ejus probatum ac ſtabilitum de Gregorii perſona ac ſactione judicium. Tunc enim Photius non dumtaxat Conſtantinopolitanam, ſed & Romanam deſeruit Eccleſiam, arque ita ſemetipſum laceravit à radice Chriſtianæ unitstis, ſactuſque eſt plenè ſchiſmaticus.

Schiſma igitur ſuprs Paraſynsgogam addit ſeceſſionem à Romana & univerſali Eccleſia. Ita diſertè affirmat in litteris sd Thuſciæ Epiſcopos Pelagius primus Pontiſex, ac rectè probat ex Epiſt.13. Sancto Auguſtino: *Beatiſſimus Auguſtinus, Dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis Sedibus collocavit, in ſchiſmate eſſe dixit, quicumque ſe à Præſulis earumdem Sedium auctoritate, & communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtat eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radicibus.* Affirmat Apoſtolicarum Sedium Epiſcopos eſſe radices Chriſtianæ Communionis. Et omnium iſtarum radicum radix eſt Romana Eccleſia, ac ejus Epiſcopus, de quibus idem Auguſtinus ſcribit ad quoſdam Donatiſtas: *In Romana Eccleſia ſemper* Epiſt.162. *Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Pelagius Pontiſex agit de tribus Capitulis Synodi Chalcedonenſis, damnatis per quintum Concilium. Ipſe cum Theodoro Cæſarænſi apud Cappadoces Archi-Epiſcopo fuerar damnationis auctor: Et hanc omnis Occidenralis Eccleſia cenſebat fuiſſe Chalcedonenſis Synodi prævaricatoriam. Hinc Pelagio communicare adeò detrectavit, ut in Pontificem electus tres, à quibus conſecraretur, Epiſcopos reperire non potuerit, ſed debuerit à duobus Epiſcopis ac tertio Presbytero conſecrari. Et contumacia ſtetit firma etiam adversùs conſecratum. Cenſebat non contumaciam, ſed conſtantiam: Cenſebat non ſe à Pelagio, ſed Pelagium à ſe per prævaricationem diſceſſiſſe. Iſtam opinionem impugnat Pontifex. Affirmat ac demonſtrat non ſusm dumtaxat perſonam, ſed Apoſtolicam ſuam Cathedram, omnemque Romanam Eccleſiam ſentire cum quinto Concilio, idcoque omnes ſibi adverſantes eſſe ramos ſine radice, rivos ſine fonte, radios ſine ſole: Eſſe plenè ſchiſmaticos. Et iſtam veritatem, quam Pelagius non potuit, toti Occidenti tandem perſuaſit Magnus Pàpa Gregorius.

Quòd Apoſtolicæ Eccleſiæ & Cathedræ ſint Chriſtianæ unitatis radices, Pelagius rectè probavit ex Sancto Auguſtino. Auguſtinus enim id ſcribit in epiſtola ad Paganos Madaurenſes: *Videtis multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis,* Epiſt.42. *quæ per Sedes Apoſtolorum certa per orbem propagatione diffunditur.* Præciſos dicit eſſe areſcentia ſarmenta, *quas hæreſes & ſchiſmata nominamus*: In litteris ad Dioſcorum: *Clementiſſimus Imperator, Chriſtus Dominus, per Apoſtolorum Sedes arcè* Epiſt. 56. *auctoritatis munivit Eccleſiam.* In epiſtola ad Honoratum neſcio cujus civitatis Epiſcopum Donatiſtam, omnes Apoſtolicarum Sedium, atque epiſtolarum Eccleſias enumerat, atque adjungit: *Quibus omnibus Eccleſiis nos hodie communicare manifeſtum eſt, ſicut manifeſtum eſt vos iſtis Eccleſiis* Epiſt.161. *non communicare.* Hinc concludit Donatiſtas eſſe ſchiſmaticos. Eodem argumento utitur in litteris ad alios quoſdam Donatiſtas, in litteris ad Generoſum, ac in litteris ad ſuum in Donati Epiſt.162. ſchiſmate conſanguineum Severinum. Etiam in Lib. 2. libris de Baptiſmo clamat ad Donatiſtas: *Quare* cap. 6. *contra orbem terrarum altare erexiſtis? Quare non communicatis Eccleſiis, quibus epiſtolas Apoſtolicas miſſas tenetis & legitis, & ſecundùm ipſas vos vivere dicitis?* Et in libris adversùs Petilianum Cirthenſem Donatiſtarum Epiſcopum: *Objicio* Lib. 2. *ſchiſmatis crimen, & probo. Neque enim communicas Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis.* Et in libris cap. 16. adversùs Creſconium Grammaticum: *Ego in Eccleſia ſum, cujus membra ſunt omnes illæ Eccleſiæ,* Lib. 3. cap. 35. *quas ex laboribus Apoſtolorum natas atque firmatas novimus. Earum Communionem non deſeram.* Apoſtolicas Eccleſias Auguſtinus latè accipit: Non

dum-

dumtaxat pro illis, quæ habent Apoſtolicas Cathedras, ſed pro cunctis per Apoſtolos fundatis. Priores, quòd Patriarchales ſint, ſingulari auctoritate ſunt noſtræ Communionis radices. Hinc etiam Venerabilis Patriarcha Iſaac in ſua ſecunda Invectiva probat ſuos Armenios eſſe ſchiſmaticos, quoniam *à Sanctis & Apoſtolicis Thronis pariter defeciſſent*. Quinque Patriarchales Thronos Græci paſſim dicunt eſſe quinque ſenſus Catholici corporis. Sanctus Agobardus Lugdunenſis Archi-Epiſcopus in opuſculo de Eccleſiaſtici ac Politici Regiminis comparatione probat hæc omnia & firmat ex adducto Pelagii Pontificis teſtimonio. Et ejus textum inſigniter corrigit, hoc modo legens: *Nec aliam manifeſtat eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificalibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radicibus.* Iſtas Eccleſias ac ipſarum ſedes eſſe Chriſto capiti viciniores, ideoque nullum Chriſtianum poſſe ab ipſis ſeparari, etiam affirmat ac demonſtrat in litteris ad Francorum Epiſcopos Gregorius Papa quartus.

Omnes ſunt communionis radices: Nempè ſibi ſubditis Eccleſiis ac populis. Hinc & ipſæ habent altiorem radicem: Apoſtolicam Sedem, Romanam Eccleſiam. Hæc eſt omnium & radicatorum & radicum radix. Quòd ipſam Dominus ſuper unum Sanctum Petrum fundaverit, atque ita in ipſa Catholicæ unitatis originem & rationem poſuerit, ejuſque Epiſcopatum omnibus Epiſcopatibus atque Eccleſiis fecerit eſſe ut ſolem radiis, ut rivis fontem, ut radicem ramis, ſupra nobis dixit Sanctus Cyprianus. Hinc quiſquis iſti Eccleſiæ ac ejus Epiſcopali Cathedræ non communicat, eſt præciſum & aridum ſarmentum, plenus ſchiſmaticus. Ita tradit San-
Lib. 3. cap. 3. ctus Irenæus: *Ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt ubique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Ad iſtam Eccleſiam convenire eſt ipſi communicare. Gnoſticos, quòd illi non communicent, concludit ſchiſmaticos. Et infrà in hoc ipſo libro dicit no-
Cap. 36. ſter Doctor: *Habes Romam, undè nobis quoque auctoritas præſtò eſt.* Per authoritatem intelligit originem atque communionem. Ex ipſa probat Africanam Eccleſiam eſſem veram atque Catholicam. Ibidem prædicat authoritatem Apoſtolicarum Eccleſiarum atque Sedium. Et per Apoſtolicas Eccleſias intelligit eas omnes, quæ vel Epiſcopales Sedes, vel ſolas epiſtolas ab Apoſtolis accipere meruerunt. Hanc locutionis ſpeciem ab ipſo didicit Sanctus Auguſtinus. Et in libris adversùs Parmenianum Sanctus Optatus primam Eccleſiæ dotem affirmat eſſe Epiſcopalem Cathe-
Lib. 2. dram, atque adjungit: *Negare non potes ſcire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt, in qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret.* Rectè dicit: *Negare non potes ſcire te:* Hoc enim Donatiſtæ adeò noverant, ut paucis ſuis Romæ ob negotia morantibus Afris crearint Epiſcopum, ipſumque illic in neſcio quo monte aut rupe latitantem appellarint Pontificem Romanum. Sciebant ſine Romani Pontificis communione eſſe non poſſe veram Eccleſiam. At iſtud Pontificis ſpectrum fideles Romani per jocum appellabant Epiſcopum Montenſem aut Rupitanum. Hinc & omnes Donatiſtæ ab eadem fideli urbe appellati fuerunt Montenſes ac Rupitani. Eandem artem alia via tentarunt Ariani, de quibus ſcribit Sanctus Athanaſius in litteris ad ſuos Monachos: *Ariani nec Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercerunt, nulla reverentia ducti. Nam cùm Liberium vidiſſent orthodoxum, & oſorem Arianæ ſectæ, ſtudioſum verò in hoc, ut cunctos ab ea hæreſi retraheret, iſta ſecum impii cogitarunt: Si Liberium in noſtram ſententiam traxerimus, omnes brevi ſuperabimus.* Sine Romanæ Eccleſiæ communione ſchiſmaticos, ſine ejus doctrina noverant ſe eſſe hæreticos: Et tales ab omnibus veris Chriſtianis judicandos. Hinc Liberium ſibi ſtuduerunt adjungere, per ipſum extorquere communionem iſtius principalis Eccleſiæ, atque ita Catholici apparere. Et certè Ariani, licèt Sanctum Julium Pontificem in ſuo Philippo-Politano Conventiculo degradare tentaverint, tetigerunt tamen ſolam perſonam, non Cathedram. Iſtud ipſum circa Sanctum Leonem Pontificem in ſuo Nicæno Conventiculo fecit Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus. Etiam Sanctus Cyprianus ac Sanctus Firmilianus, & quotquot cum ipſis circa Baptiſmum errarunt, culparunt ſolam Stephani Pontificis perſonam, Romanam Cathedram pleniſſimè reveriti. Quin & noſter in Montani Secta contumaciſſimus Tertullianus, quem ob neſcio quas ab iſtius Cathedræ Clericis injurias apoſtataſſe teſtatur Sanctus Hieronymus, numquam de ipſa eſt malè locutus Antiquorum hæreticorum nemo in ipſam ſpurco fuit auſus, niſi unus è Donatiſtis Petilianus, ipſam blaterans eſſe Cathedram peſtilentiæ. Ac nullum habuit blaſphemiæ congerronem. Quod omnes olim hæretici ejus Communionem ſtudioſiſſimè ac doloſiſſimè ambiverint, ſuo loco oſtenſum eſt in Scholiis. Quare hodie Lutherani & Calviniſtæ, dum iſti Eccleſiæ non communicant, & veram ſperant habere Eccleſiam, ſperant vana. De ipſis dici poteſt ac debet, quod olim Septimius dixit de Marcionitis: *Sunt Eccleſiæ apud Lutheranos & Calviniſtas, uti favi apud Veſpas.*

Sanctus Optatus pergit ad Donatiſtas: *Unitatem cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apo-* Lib. 3.
ſtolorum, quæ Deo placita eſt, habere noluiſtis. Et
iterum: *Concordaſti cum una Eccleſia, quæ eſt in* Lib. 4.
toto orbe terrarum. Communicaſti ſeptem Eccleſiis, ad quas ſcribit Apocalypſis Sancti Joannis Apoſtoli, *& memoriis Apoſtolorum: Amplexus es unitatem.* Et in alio loco: *Denique ſi Macrobio dicatur, ubi Romæ ſedeat, numquid poteſt dicere, in Cathedra Petri? Quam neſcio ſi vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit, quaſi Schiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait:* Memoriis Sanctorum

ctorum communicantes. *Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum. Dicite ſi ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi Sanctorum memorias eſſe conſtat:* Macrobius iſte erat tunc Romæ Rupitanus aut Montenſis Donatiſtarum Epiſcopus, à Sancti Petri Cathedra adeò alienus, ut in ejus memoria ſeu Altari non tantùm nunquam obtuliſſet, ſed nec ipſam fortè vidiſſet. Hinc Sanctus Optatus concludit ipſum eſſe Donatiſtici *erroris ramum, de mendacio pretentum, non de radice veritatis*. Eſſe manifeſtum ſchiſmaticum. Exponit Gabriel Albaſpinæus, eruditus Aurelianenſium Antiſtes: *Nota modum illum loquendi*, Cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apoſtolorum. *Communio ab antiquis perfecta non habebatur, quamvis eam cum toto orbe haberes, niſi cum memoriis Apoſtolorum, hoc eſt, cum Beato Petro communicares. Perfectio communionis Chriſtianę pendet ex communione, quam habemus cum Divo Petro, & cum ejus Succeſſoribus. Alioquin Deo non poteſt eſſe grata.* Inſigniter hoc demonſtrat epiſtola, qua graſſantes in Orientali, Antiochena præſertim, Eccleſia hæreſes & ſchiſmata deplorat Sanctus Hieronymus, ac pergit ad Sanctum Damaſum Pontificem: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuę, id eſt, Cathedrę Petri, communione conſocior. Super illam Petram ſcio ędificatam Eccleſiam. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit. Hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Anti-Chriſtus eſt. Cui apud Antiochiam communicare debeam, ſignifices.* In tres Epiſcopos & factiones lacerata tunc erat Antiochenſis Eccleſia. In Vitalem promotum ab Apollinario, in ordinatum ab Arianis, ſed jam orthodoxum Meletium, ac in Paulinum ordinatum à Lucifero Calaritano. Et omnes tres invocabant Romanam Eccleſiam: Jactabant ſe de ejus communione. Præſertim Paulinus, utpotè ordinatus à Legato Apoſtolicæ Sedis. Attamen uti ejus ordinatio, ita & communio erat obnoxia quæſtionibus. Hinc ipſorum nulli communicare voluit iſtuc advena Hieronymus. Primùm noſſe voluit, cui ipſorum communicaret Damaſus, ſciens illius, cui Romana non communicaret Eccleſia, communionem eſſe contagium. Sciens omnem illum, qui iſti Eccleſiæ non communicat, eſſe extra Paſchalis Agni domum, extra Arcam; eſſe prophanum, ſchiſmaticum, atque Anti-Chriſtum. Sciens ſupra iſtam Cathedram eſſe à Chriſto Domino fundatam omnem Eccleſiam. Hinc pergit ad eundem Damaſum in ſequenti epiſtola: *Sciſſa in tres partes Antiochena Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi unus hoc aſſereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor Beatitudinem tuam, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices.* Obteſtatur per Dominicam Crucem, per omnia Sancta. Quòd nempè in alienam à Romana Eccleſia communionem incidere ſit decidere extra univerſalem Eccleſiam, in gehennam. Et quidem ex iſtis tribus Antiochenis Epiſcopis mentiebatur ſolus Vitalis. Quòd enim Romana Eccleſia & Paulino tunc communicaret, & non refutaret communionem Meletii, eſt & ſuprà dictum. Et lucet ex rerum eventu. Damaſi ad iteratas Sancti Hieronymi litteras ac preces Reſponſum periit aut latet. Interim certum eſt ipſum pro Paulino reſpondiſſe. Nam Sanctus Hieronymus poſtmòdò permiſit ſe ab ipſo conſecrari in Presbyterum. Nec Meletium excluſit Damaſus. Lucet ex concepta inter ipſum ac Paulinum concordia de pari apud ſolemnem Eccleſiæ Apparituram throno & conſeſſu. Et Aquilejenſis Synodus in litteris adversùs Urſicini ſchiſma ſcriptis affirmat Romanam Eccleſiam eſſe caput totius Romani orbis, atque adjungit: *Indè in omnes venerandæ communionis jura dimanant.* Epiſtola eſt ſcripta per Sanctum Ambroſium. Hic etiam ex proprio nomine fratrem ſuum Satyrum in ejus funebri encomio laudat, quòd nullam crederet veram Eccleſiam, niſi *quæ cum Catholicis Epiſcopis, id eſt, cùm Romana conveniret Eccleſia.* Agit adversùs Sardorum Eccleſiam, quæ ſui olim Metropolitæ Luciferi duritiem ſequens excuſſerat communionem Romanam. Romanam Eccleſiam toti mundo eſſe Catholicæ communionis radicem, item affirmat atque demonſtrat Sanctus Papa Gelaſius in litteris [Epiſt. 8.] ad Imperatorem Anaſtaſium. Addit omni ſtudio cautum ſemper fuiſſe, ac eſſe cavendum, ut nullo penitùs hæreticæ aut ſchiſmaticæ communionis contagio macularetur iſta Eccleſia: Et protegente Deo maculari non poſſe. Ex his, atque aliis ſuo loco adductis, fundamentis Sanctus Gregorius ſeptimus ſuo Dictatui indidit hoc Capitulum: *Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Eccleſiæ.* Eſt deſumptum ex adducto funebri ſermone Sancti Ambroſii.

Hujus veritatis fundamentalem rationem adducit in famoſa ad Sanctum Cyprianum epiſtola Sanctus Firmilianus, Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, Primas Ponticæ Diœceſeos: *Atque ego in hac parte juſtè indignor ad hanc tam apertam & manifeſtam Stephani ſtultitiam, quod qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fundamenta Eccleſię collocata ſunt, multas alias Petras inducat, & Eccleſiarum multarum nova ędificia conſtituat, dum eſſe iſtic Baptiſma ſua auctoritate defendit. Nec intelligit obfuſcari à ſe, & quodammodò aboleri Chriſtianæ Petræ veritatem, qui ſic prodit ac deſerit unitatem.* Pro Sancti Cypriani famoſo errore declamat adversùs Sanctum Stephanum Pontificem: Hinc omnia non ſunt probanda. Probanda tamen & nobis diſcenda ſunt plura. Primò, quòd Stephanus de ſui Epiſcopatus loco, ſeu ſuper omnem ſub cœlo Eccleſiam Primatu gloriaretur. Secundò, quòd iſte Primatus fundaretur in Sancto Petro, ac in ſucceſſione in ejus Epiſcopatum. Tertiò, quòd Chriſtus Dominus ſuper Petrum collocaſſet fundamenta Eccleſiæ, adeoque iſte

Primatus

Primatus eſſet Divinum Inſtitutum. Quartò, quòd hujus Chriſtianæ Petræ veritas per neminem queat obſuſcari, longè minùs aboleri. Quintò, quòd ejuſdem unitas nequeat prodi aut deſeri. Sextò, quòd hæretici atque ſchiſmatici multas Petras, & multarum Eccleſiarum nova ædificia moliantur conſtituere, atque in hoc molimine ſit ſua nequitia ſchiſmatis. Quia nempe per Schiſma homo decedit à Romana Eccleſia, unica atque immobili Petra, ſupra quam Dominus collocavit totius veræ Chriſtianitatis fundamenta. Notanda ſunt & adjuncta verba: *Nam qui baptizantur, complent ſine dubio Eccleſiæ numerum. Qui autem Baptiſma eorum probat, de Baptizatis & Eccleſiam illic eſſe confirmat*. Cum Sancto Cypriano cenſuit Baptiſma non poſſe eſſe ſimplex ac informe, ſed omne validum eſſe & formatum, ideoque per ipſum ſemper naſci integros Chriſtianos, viva membra Eccleſiæ. Hinc concluſit à Stephano, qui iſtud validum volebat apud Schiſmata & hæreſes, everti Chriſtianæ Petræ, ac ſupra ipſam fundatæ domus unitatem. Et ex ſuis principiis rectè concluſit. Etenim ſi extra fundatam à Chriſto Domino domum ſint integri Chriſtiani, non poſſunt non eſſe plures legitimæ domus, plures fundamentales Petræ, plures adverſariæ Eccleſiæ. Hæc omnia lucidè concludunt omnem, qui Romanæ Eccleſiæ non communicat, eſſe plenè ſchiſmaticum, nullatenus verum Chriſtianum. Non enim ſpectat ad populum uni Epiſcopo, & uni Epiſcopali Cathedræ adunatum.

Porrò Firmilianus ipſum Sanctum Pontificem Stephanum arguit, quòd Chriſtianæ Petræ unitatem proderet atque deſereret. Peſſimè. Quia ſine fundamento. Rectè tamen ſupponit id per Pontificem poſſe fieri. Hinc & in epiſtola ad Generoſum Sanctus Auguſtinus enumerat omnes Romanos Pontifices à Sancto Petro uſque ad tunc ſedentem Anaſtaſium, affirmat inter ipſos nullum fuiſſe Donatiſtam atque proſequitur: *In il-*
Ep.165. *lum ordinem Epiſcoporum etiamſi quiſquam Traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus providens ait de Præpoſitis malis*, Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim, & non faciunt. *Ut ſit certa ſpes fidelibus, quæ non in homine, ſed in Deo collocata numquam tempeſtate ſacrilegi Schiſmatis decipietur*. Conſtanter affirmat inter Romanos Pontifices nullum unquam fuiſſe traditorem. Et inter ipſos numerat Sanctum Marcellinum. Quare certum eſt ejus prætenſum ſub Diocletiano tyranno lapſum eſſe manifeſtam Donatiſtarum calumniam. Pluribus id ſuo loco demonſtravi. Auguſtinus tamen addit etiam Romanis Pontificibus traditionem, adeoque & quemvis lapſum eſſe poſſibilem. Et indè nec Romanæ, nec univerſali Eccleſiæ naſci præjudicium. Rationem dat in litteris ad Maximum Antiochiæ Patriarcham Magnus
Epiſt. 61. Papa Leo: *Aliud ſunt merita Præſulum, aliud jura Sedium*. Et hinc omnes adducti Patres Chriſtianæ unitatis radicem non tam in Romano Epiſcopo ponunt, quàm potiùs in ejus Apoſtolica Cathedra, atque Romana Eccleſia. Et trium Capitulorum pertinaces defenſores, non quod Pelagii Pontificis recitare nomen detrectarent, ſed potiùs quòd Romanæ Eccleſiæ communicare nollent, fuerunt ſchiſmatici. Quod enim ipſa etiam Romana Eccleſia ſuo Pontifici reſtiterit, ac ſe ab ejus communione legitimè retraxerit, docent plura exempla. Et circa graſſans ex Papali electione ſchiſma Sanctus Anſelmus in litteris ad Walterum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem tradit inſignem regulam. Sancto Gregorio ſeptimo ac Victori tertio recenter tunc ſucceſſerat Urbanus ſecundus, & ipſum graviſſimè infeſtabat ſchiſma Guiberti Ravennatis. Anglicana Eccleſia adhuc ambigebat, neutri adhærens. Hinc per ita ambigentes Epiſcopos in Cantuarienſem Primatem conſecrato Anſelmo Walterus improperabat, quòd eſſet initiatus à ſchiſmaticis, ideoque haberet caput, non conſecratum, ſed maledictum & execratum. Et Anſelmus re-
poſuit: *Certè neſciebam, nec ſcio eos ſchiſmaticos,* Lib. 3.
aut ſic diviſos ab Eccleſia fuiſſe, ut dicunt. Et ſi Epiſt. 36.
aliquis eorum, qui hoc vobis dicunt, me præſente hoc diceret, rationabiliter oſtenderem non ſic eſſe. Illi enim non abnegabant Canonicum Romanum Pontificem, quicumque eſſet, nec Urbanum negabant eſſe Pontificem, ſed dubitabant propter illam, quæ mundo nata eſt, diſſenſionem, & propter dubitationem illam ſuſcipere quaſi certum differebant. Nec ullum judicium eos ab Eccleſia ſegregaverat, & omninò obedientiam Romanæ Sedis tenere ſe fatebantur, & ſub Profeſſione obedientiæ Romani Pontificis me conſecrarunt. Denique Dominus Papa ſciebat me eſſe conſecratum, & à quibus, & tamen Pallium mihi non ut ſchiſmatico, ſed ut accepto miſit, & ſic quod de me factum erat confirmavit. Proindè & ipſe Urbanus cenſuit eos, qui in tali dubio non circa Romanæ Eccleſiæ obedientiam, ſed circa ſolam veri Pontificis perſonam hæſitaverant, non eſſe ſchiſmaticos. Et idem quoque ſenſit Cardinalis Walterus. Ei enim relatum fuerat, quòd iſti Epiſcopi, & quidem præſente Anſelmo, negaſſent Urbanum eſſe legitimum Papam, atque ità Guiberti factionem comprobaſſent. Hoc purgat Anſelmus. Et certè quòd iſta hæſitatio fiat circa ſchiſma, exemplo & verbo docuerunt Sanctus Cyprianus, Antonianus, aliique plures Africani Epiſcopi, qui in primo Novatianenſis contra Sanctum Cornelium Schiſmatis exordio aliquamdiu ita ceſpitarunt. Et plura ſunt iſtiuſmodi authentica exempla. Evincunt eſſe certos caſus, qui permittant Romano Pontifici citra ſchiſma non communicari, ſed ſoli ejus Cathedræ atque Romanæ Eccleſiæ. Verùm iſti ſunt rari, & opùs habent exquiſito judicio, immò & generalis Synodi auctoritate. Ita adversùm Photianæ factionis exceſſus ſanxit octava Synodus. Horum omnium diſcuſſio eſt longa, nec ſpectat ad præſentem materiam.

Notandum eſt, quòd ſuprà laudatus ſecundæ Carthaginenſis Synodi octavus Canon rebellium Presbyterorum Para-Synagogam appellet Schiſma.

ma. Non ideò tamen hoc cum illa confundit, ſed vocem, *Schiſma*, accipit latiùs. Hæc etiam ab aliis Scriptoribus quandoque accipitur pro quavis diſcordia. Ita in Chalcedonenſi Synodo Apoſtolicæ Sedis Legati adversùs vigeſimum octavum, ſine ſua præſentia & auctoritate ab Orientalibus Epiſcopis editum, Canonem intercedentes dixerunt: (Actione 16.) *Auguſtorum Principum Tranquillitati cura eſt, ne qua rursùs contentio inter Sacerdotes Dei, aut Schiſma aliquod naſcatur*. Et Tullenſis apud Saponarias Synodus de orta inter Ludovicum & Carolum, fratres Reges Francorum, diſcordia dicit in ſua præfatione: *Schiſma nuper ortum eſt in Eccleſia*. Et Sanctus Ivo Carnutenſis Epiſcopus in litteris ad Hugonem Lugdunenſis Eccleſiæ Primatem ſcribit: *Si aliquod Schiſma in-* (Ep. 60.) *de fuerit exortum*. Vox, *Schiſma*, latè hic ſemper accipitur pro quavis graviori diſcordia. Ita & contentionem, quæ propter laicas Antiſtitum Inveſtituras fuit olim inter Romanos Pontifices ac varios Reges, mediorum ſæculorum Scriptores paſſim appellant Schiſma inter Sacerdotium ac Regnum. Proprium Schiſma eſt lis cum ipſa Sancti Petri Romana Cathedra. Et non qualiſcumque, ſed lis atque rebellio, quæ ejus communionem deſerit, & confugit ad alienum Altare. Et de iſtis Schiſmaticis Sanctus Optatus pergit: *Nec poſſunt novum aliquid aut aliud agere, niſi quod jam dudum apud ſuam didicerunt Matrem*. Affirmat ipſos non eſſe *veriſſimi Symboli deſertores*, ideoque circa orthodoxam fidem non errare. Eſſe à Catholica Matre non quoad veterem intellectum, ſed quoad ſolam animorum unitatem ſeparatos: Hinc etiam in alio loco affirmat Dominicam tunicam, ſeu Eccleſiam lacerati à Schiſmaticis, & pergit ad Donatiſtas: *Quod ſciſſum eſt, ex parte diviſum eſt, non ex toto conciſum. Et meritò. Quia vobis & nobis Eccleſiaſtica una converſatio eſt. Et ſi hominum litigant mentes, non litigant Sacramenta*. Loquitur de primo Donatiſtarum exordio, in quo dumtaxat fuerunt Schiſmatici, nondum hæretici. Aut certè ſermonem ſuum diſpenſatoriè accommodat ipſorum ſenſui, de quo Imperatores Arcadius & Honorius in vulgata per Jacobum Sirmondum in Theodoſiani codicis appendice, & ad Adrianum Prætorio (Cap. 21.) Præfectum ſcripta lege: *Nova Donatiſtarum Secta, ne hæreſis vocaretur, appellationem Schiſmatis præferebat*. Hæretici omnes eſſe hæretici volunt, & non dici. Sic & Donatiſtæ volebant eſſe dumtaxat Schiſmatici. Quod ipſum lucet ex Sancto Auguſtino in libris contra Creſconium. Sanctus Optatus videtur hanc quæſtionem diſſimulare ac declinare. Quidquid ſit, palàm affirmat Schiſmaticos eſſe ab Eccleſia dumtaxat laceratos in parte, non plenè abſciſſos. Quia nempè Catholicæ Matri adhuc per orthodoxam fidem conjuncti ſunt, diviſi quoad ſolam unitatem Altaris & animi.

Quod ipſum tradit in Commentario ſuper Sancti Pauli epiſtolam ad Titum Sanctus Hieronymus: *Inter hæreſim & Schiſma hoc intereſſe arbi-* (Cap. 3.) *tramur, quòd hæreſis perverſum dogma habeat, Schiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt diverſum. Cæterùm nullum Schiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur*. Quod eſt plenè ac univerſaliter verum. Hinc & de Donatiſtis ſcribit præfata lex: *In tantum ſceleris progreſſi dicuntur ii, quos Donatiſtas vocant, ut Baptiſma ſacroſanctum, ſemel apud Catholicos traditum, myſteriis reculcatis temeritate noxia iterarint; & homines ſemel, ut traditum eſt, munere Divinitatis ablutos contagione prophanæ repetitionis infecerint. Ita contigit, ut hæreſis ex Schiſmate naſceretur*. Quòd Donatiſtæ ab exordio non rebaptizaverint, eſt omnibus Eruditis exploratum, & disertè affirmat atque demonſtrat Sanctus Auguſtinus in litteris ad Vincentium Rogatiſtam, Epiſco- (Ep. 48.) pum Cartennenſem. Circa Macariana tempora ad firmandum ac purgandum ſuum Schiſma excogitarunt Rebaptiſmum, atque ita Schiſmati hæreſim addiderunt. Eorum Doctor & Grammaticus Creſconius, dolens Petilianum Conſtantinenſem Epiſcopum, ſuæ factionis Goliath, à Sancto Auguſtino contuſum uſque ad metam non loqui, reſumpſit deſperatam cauſam, & invaſit hæc Auguſtini de Donatiſtis verba: *Hæreticorum ſacrilegum errorem*. Dixit Donatiſtas nequaquam hæreticos, ſed eſſe dumtaxat Schiſmaticos, & adjunxit cauſam: *Siquidem hæreſis eſt diverſa ſe-* (Lib. 2. cap. 3.) *quentium Secta, Schiſma verò eadem ſequentium ſeparatio*. Et perrexit ad Auguſtinum: *Quare ſtudio criminandi, quem tu incurris, non vitas errorem, cum quod Schiſma eſt, hæreſim vocas?* Creſconianas hæreſis & Schiſmatis definitiones Sanctus Auguſtinus verſat, elucidat, tandem probat, atque adjungit: *Inter Schiſma & hæreſim* (Cap. 7.) *magis eam diſtinctionem approbo, qua dicitur Schiſma eſſe recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate diſſenſio, hæreſis autem Schiſma inveteratum*. Quia nempè Catholicæ Eccleſiæ laceratio per Schiſma incipit, completur per hæreſim, & iſtud eſt hujus origo & mater. Hinc idem Auguſtinus ſcribit ad Emeritum, Donatiſtarum in Mauritania Epiſcopum Cæſareenſem: *Vobis* (Ep. 164.) *objicimus Schiſmatis crimen, quam etiam hæreſim malè perſeverando feciſtis*. Etiam Novatianus in primo ſui Schiſmatis exordio nequaquam fuit hæreticus. Quòd enim adhuc Presbyter factam Lapſis à vacantis Romanæ Eccleſiæ Clero clementiam probaverit, & propriæ manus ſubſcriptione firmarit, atque in hac fide ſit factus Anti-Papa, teſtatur Sanctus Cyprianus in litteris ad Antonianum. Ut Schiſma ſtabiliret, poſtmodò cœpit Decretum infamare de prævaricatione Evangelii, atque ita ſemetipſum facere ex Anti-Papa etiam Hæreſiarcham. Quòd Para-Synagoga ad Schiſma, & Schiſma ſit recta via ad hæreſim, inſinuat in litteris ad Rogatianum Novenſem Epiſcopum idem Cyprianus. Et in libris ad Quirinum ſcribit: *Schiſma non eſt faciendum,* (Lib. 3. cap. 86.) *etiamſi in una fide, & in eadem traditione permaneat, qui recedit*. Et quòd Schiſma ſolvat unicum dumtaxat animæ noſtræ cum Matre Eccleſia

& Deo

& Deo Patre vinculum, diſertè affirmat in Canonicis ad Sanctum Amphilochium litteris etiam Magnus Baſilius: *Hæreſes dicimus eos, qui omninò abrupti ſunt, & in ipſa fide abalienati; Schiſmata autem eos, qui propter aliquas Eccleſiaſticas cauſas, & medicabiles quæſtiones inter ſe diſſident.*

Verùm his obſtare videtur ipſe Sanctus Optatus, dicens de Schiſmaticis: *Errando rebelles abſcedunt.* Utique errando circa fidem. Et in fratris ſui apud Sardos defuncti funebri encomio ſcribit Sanctus Ambroſius: *Quamquam Lucifer pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, Satyrus tamen non putavit fidem eſſe in Schiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant, cujus patiebantur velut quoſdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, à quibus evacuatur ejus Paſſio, corpuſque diſtrahitur.* Eodem modo loquitur Sanctus Cyprianus. Etenim neſcio quis Magnus rogaverat, cur datum per Novatianenſes Baptiſma non foret validum? Videtur admiſiſſe datum per hæreticos non tenere, ſed dubitaſſe de dato per Novatianenſes, quòd hi eſſent dumtaxat Schiſmatici, ideoque circa fidem non errarent: Quòd eundem Deum crederent, quòd obſervarent eandem baptizandi legem, quòd idem Symbolum profiterentur. Et
Ep. 76. Cyprianus reſpondit: *Sciat, quiſquis hoc opponendum putat, primùm non eſſe unam nobis & Schiſmaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt*, Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per Sanctam Eccleſiam, *mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Eccleſiam.* Etiam Antoniano Epiſcopo roganti, quam hæreſim Novatianus induceret, reſpondit quòd humanam & novam contra Divinum Inſtitutum atque Dogma tentaret fabricare Eccleſiam. Et certè quòd Schiſmatici de Catholica Eccleſia errent, frequenter docet etiam Sanctus Auguſtinus. Errant plura. Primò, quòd circa motam ab ipſis litem tota Eccleſia errare poſſit, atque erret. Secundò, quòd tota Eccleſia poſſit labi in prævaricationem, atque ita perire. Tertiò, quòd extra univerſalem Eccleſiam poſſit eſſe juſtitia ac ſalus.

Reſpondeo hoc argumentum non carere nodis. Attamen nullus eſt in teſtimonio Sancti Optati. Etenim loquitur de errore non dogmatis ſed vitæ, qui committitur vagando extra gregem: Qui omninò eſſe poteſt per ſolam ſine hæreſi Apoſtaſiam. Sanctus Ambroſius rectè affirmat apud Schiſmaticos non eſſe fidem. Nec actualem, nec habitualem. Etenim vera fides debet per charitatis exordia operari ſeu effici: Et in Schiſmaticis nihil remanet charitatis. Si namque ipſius aliquid haberent, non lacerarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Eorum igitur fides eſt dumtaxat humana credulitas: Dœmoniorum fides, non Chriſtianorum. Sanctus Ambroſius item loquitur de ſolo ſchiſmate Luciferi. Et ejus frater Satyrus rectè cenſuit apud ipſum non dumtaxat deeſſe fidem, ſed inſuper graſſari perfidiam & hæreſim. Etenim Lucifer Romanæ Eccleſiæ Decretum, quod lapſis apud Ariminum Epiſcopis ſanxit reddendum gradum atque Epiſcopale officium, damnavit ut iniquum, perverſum, ac Apoſtolicæ diſciplinæ prævaricatorium. Licet Eccleſiæ poteſtatem non negaverit, negavit tamen Decreti æquitatem, atque ita cenſuit univerſam Eccleſiam, licet non circa dogma, tamen circa univerſalem ac Apoſtolicam diſciplinam poſſe falli ac prævaricari, adeoque & perire. Quæ eſt manifeſta hæreſis.

Porrò ratio, qua ſui fratris judicium firmat Sanctus Ambroſius, eſt generalis, ac extenditur ad omnes Schiſmaticos. Etiam adducta per Sanctum Cyprianum ratio. Quare diſtinguendum eſt duplex genus ſchiſmatis. Aliud propter Eccleſiæ diſciplinam, aliud ob criminales cauſas, aut quæſtiones circa Epiſcopalem promotionem. Primum ſupponit ac involvit univerſalem, aut certè Romanam Eccleſiam ex prævaricatione erraſſe ac periiſſe, ideoque ſemper includit & hæreſin. Et tale fuit ſchiſma Euſebianum in Philippopolitano conventu, Luciferi, Photii, Michaelis Cerularii, ac etiam Firmiliani Cæſaræenſis Archi-Epiſcopi, qui poſtmodò per pœnitentiam rediit ad pacem, ac eximiè Sanctus evaſit. Hi enim omnes Latinam, ipſamque Romanam Eccleſiam de vario circa diſciplinam lapſu ſunt calumniati. Euſebiana factio laboravit & Ariana hæreſi: Verùm non hæc ſola, ſed inſuper in ſupremam Romanæ Cathedræ Monarchiam pervicacia fuit ſchiſmatis cauſa, ac hæreſim hæreſi accumulavit. Etiam Photius in primo Schiſmatis exordio Romanam ac omnem Latinam Eccleſiam de nulla hæreſi, ſed de ſolo circa diſciplinam lapſu accuſavit, præſertim de Symboli additamento, ac prævaricatione Epheſini Canonis. Quinimmò videtur prima pleni ſchiſmatis exordia habuiſſe citra omnem hæreſim, citra omnem Latinæ Eccleſiæ calumniam de hæreſi aut everſione diſciplinæ. Dum nempè ex odio & contumacia in Sanctum Ignatium ſectatus eſt damnatum à Romana Eccleſia altare Gregorii Syracuſani, atque ita ſemetipſum excluſit ab omni Catholica communione. Et hæc eſt ſecunda ſchiſmatis ſpecies. Et tale etiam fuit Schiſma Novatiani. Item Schiſma Majorini contra Sanctum Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum. Et omne Schiſma ex Para-Synagoga ducens originem. Nam ab Eccleſia damnatus ob crimen, vel ob electionis vitium extruſus Epiſcopus omninò poteſt ſuam damnationem prætendere iniquam, nolle obtemperare, ſibi novum Altare præſumere, & tamen non damnare Eccleſiam, nec cum Donato aut Lucifero garrire, quòd Chriſti Domini hæreditas perierit de toto terrarum orbe, atque contracta ſit ad ſolos Afros, aut ad ſolam Maſtrucam Sardorum. Quicumque novum Altare erigens iſta garrit, eſt non dumtaxat Schiſmaticus, ſed & hæreticus. Et ita paſſim omninò fit etiam in ipſo exordio.

Omne Schiſma, licèt ſine hæreſi ſit, eſt deteſtabile facinus, horrendum peccatum. In quarto

to adverſùs Creſconium Donatiſtam libro Sanctus Auguſtinus affirmat ipſum, licèt non finalis impœnitentiæ crimen, eſſe tamen crimen in Spiritum Sanctum. Quia nempè, teſte ad Epheſios Apoſtolo, fraternæ pacis & unitatis vinculum ſervatur in Spiritu Sancto: *Et ipſum profectò violat, qui Schiſma committit.* Et quoſdam Donatiſtas, affirmantes per ipſum non in Deum, ſed in hominem peccari, idem Auguſtinus affirmat deſipere. Et quidem eſt peccatum in hominem. Eſt enim fraternum odium. Hinc in libris de
Lib. 1. cap. 12. Baptiſmo pergit Auguſtinus: *Nulli ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur.* Eſt igitur non qualecumque odium, ſed mentem excœcans. Notandum eſt ſignum diſtributivum, *Nulli:* Evincit fraternum odium eſſe adæquatam cauſam ſchiſmatis. Hujus odii cauſas idem Auguſtinus exponit in vigeſimi quinti Pſal-
Concione 2. mi enarratione, hæc verba, *Et in Domino ſperans non infirmabor*, commentans: *Quid eſt in Domino ſperans? Ille enim titubat inter malos, qui non in Domino ſperat. Hinc factum eſt, ut ſchiſmata fierent. Trepidaverunt inter malos, cùm ipſi pejores eſſent, & quaſi vollent eſſe boni inter malos. O ſi frumenta eſſent, uſque ad tempus ventilationis paleam in area tolerarent. Sed quia palea erant, flavit ventus ante ventilationem, & rapuit de area paleam, & projecit in ſpinas.* Agit de Donatiſtis, qui Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum eſſe traditorem, ac omnem illi communicantem Eccleſiam dixerunt infectam ejus contagio, omnes nos uti ſcabioſos oderunt, ac ex iſto odio receſſerunt à noſtro Altari, atque novum ſibi erexerunt. Rectè Auguſtinus dicit: *Cùm ipſi pejores eſſent.* Hoc enim egregiè lucet ex Secundi Tigiſitani Epiſcopi, tunc per Numidiam Primatis, ſcelerata Synodo, cujus Acta exponit in primo libro Sanctus Optatus. Eandem iſti odio cauſam aſſignat in litteris ad reverſos ex Novatiani ſchiſmate Romanos Confeſſores
Ep. 52. Sanctus Cyprianus: *Etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet fides aut charitas noſtra, ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus.* Demonſtrat Dominicum agrum ſine zizaniis, Dominicam Aream eſſe non poſſe ſine paleis, & horum eradicationem aut eventilationem non ad nos ſpectare, ſed ſolum Dominum Deum. Affirmat hoc Divinæ Majeſtati reſervatum officium ab illis, qui ex iſto prætextu deſerunt Eccleſiam, præſumi atque invadi, & proſequitur: *Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio, quam ſibi pravus furor aſſumit. Et dum dominium ſibi ſemper quidam, plus quam mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt: Et dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati veritatis lumen amittunt.* Affirmat ſchiſma eſſe ſuperbam obſtinationem, ſacrilegam præſumptionem, pravum furorem, ſacri Dominii aſſumptionem, inſolentem extollentiam, mentis cœcativum tumorem. Agit in Novatianenſis contra Pœnitentes lapſos duritiæ ſectatores. Uti Donatiſtæ ob non ejectos è communione aut gradu Traditores, ita ob receptos in Eccleſiam Idololatras Novatianenſes dixerunt Catholicam Eccleſiam eſſe maculatam, è virgine demutatam in meretricem, ideoque & extinctam: Hinc de ipſa exiverunt, & quaſi novam ſibi fabricarunt. Quæ ex clementi Zephyrini Pontificis in pœnitentes Mœchos Decreto concepta ratio permovit etiam plures Montaniſtas, noſtrum Tertullianum, ac omnes Tertullianiſtas. Attamen hæc non eſt adæquata ſchiſmatici in fratres odii cauſa. Etenim ipſam Novatiani perſonam in iſtud perduxit Romani Epiſcopatus ambitio: Hæc illi creavit invidiam in Sanctum Pontificem Cornelium, odium in omnem illi communicantem Eccleſiam. Sic etiam incœpit Photius, ac plures alii. Alii cœperunt ab impatientia ſuæ damnationis. Ex ipſa invidiam in iſtius auctorem, hinc conceperunt odium in omnem ejus communionem. Sic tandem ex Para-Synagoga ſchiſma fecerunt. Proindè fraterni odii cauſa eſt varia, iſtud verò odium eſt adæquata cauſa ſchiſmatis.

Schiſmatis iniquitatem inſigniter demonſtrat in libro de Unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus. Exaggerat cujuſvis diſcordiæ malum, ac pergit: *Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli Sacerdotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa eſt diſcordia, nec paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt. Ad Regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt. Sic ſe Chriſtianum profitetur, quomodò & Chriſtum Diabolus ſæpè mentitur. Averſandus eſt talis, atque fugiendus, quiſquis fuerit ab Eccleſia ſeparatus. Perverſus eſt hujuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui adverſùs Dei Sacerdotes facit? Qui ſe à Cleri ejus & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: Hoſtis Altaris, adverſùs ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro Religione ſacrilegus, inobſequens ſervus, filius impius, frater inimicus, contemptis Epiſcopis & Dei Sacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud Altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia prophanare. Nec dignatur ſcire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divina animadverſione puniatur.* Declamat in ſchiſma Feliciſſimi Diaconi, & ipſi adhærentium quinque Presbyterorum. Hinc urget derelictum Clerum & plebem, contemptos Epiſcopos, ſpretos Sacerdotes. Et hujuſmodi ex Para-Synagoga ortum ſchiſma eſt inter omnia leviſſimum. Quantum tamen ſit facinus, demonſtrat ex horribili in Chore, Dathan, & Abiron Divina vindicta, quæ non ſolos auctores invaſit, ſed & omnes ſequaces. Ita terret ſeductam à Feliciſſimo plebem. Et quoniam etiam Schiſmatum ſequaces Chriſtiani tunc ob commune nomen rapiebantur ad Martyria, operosè

demon-

demonſtrat illa non prodeſſe: Ejuſmodi homines occidi, non coronari.

Agit etiam in Novatiani Schiſma, garrientis Eccleſiam è Lapſorum contagio periiſſe. Hinc adjungit Schiſma eſſe crimen quovis lapſu atque idololatria longè gravius. Et probat: *Hic*, utique apud Pœnitentes lapſos, *Eccleſia quæritur*; *illic*, apud iſtius pœnitentiæ Schiſmaticos refutatores, *Eccleſiæ repugnatur. Hic poteſt neceſſitas fuiſſe, illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi tantùm nocuit; illic qui hæreſim aut ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hic animæ unius eſt damnum, illic periculum plurimorum. Certè peccaſſe ſe hic & intelligit, & lamentatur, & plangit; ille tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſibi delictis placens, à Matre filios ſegregat, oves à Paſtore ſollicitat, Dei Sacramenta diſturbat. Et cùm Lapſus ſemel peccaverit, ille quotidiè peccat. Poſtremò, Lapſus, Martyrium poſtmodo conſecutus, poteſt regni Promiſſa percipere; ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia pervenire*. Hoc meritò urget adversùs Novatianum. Hic enim ipſe lapſus adversùm nos de Martyrio ſingulariter gloriabatur. Eſſe crimen idololatria gravius affirmat etiam in litteris ad
Ep. 162. quoſdam Donatiſtas Sanctus Auguſtinus, & probat ex diſpari in idololatras ac in Schiſmaticos Divina vindicta: *Qui*, Judæi in Deſerto, *fecerunt idolum, uſitata gladii morte perempti ſunt; qui verò ſchiſma facere voluerunt, hiatu terræ Principes devorati, & turba conſentiens igne conſumpta eſt. Diverſitate pœnarum diverſitas agnoſcitur meritorum*. Quod ipſum ſcribit in litteris ad Emeritum; Donatiſtarum Cæſareenſem in Mauritania Epiſcopum, ac in primo libro de Baptiſmo. In
Ep. 164. ſecundo ejuſdem operis libro repetit iſtud ipſum,
Cap. 8. atqui adjungit Schiſma eſſe crimen gravius etiam
Cap. 6. traditione ſacrorum Codicum aut Vaſorum. Eadem docet Sanctus Optatus, addens Schiſma etiam homicidio eſſe ſceleratius. Quæ omnia firmari poſſint plurimis teſtimoniis aliorum Patrum.

In laudato ſuperiùs loco Sanctus Optatus à Schiſmate procedit ad hæreſim: *Hæretici, veritatis exules, ſani & veriſſimi Symboli deſertores, de ſinu Eccleſiæ ſanctæ impiis ſenſibus depravati, contempto quod benè fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent de ſe naſci voluerunt. Et qui jam dudum vitalibus paſti fuerunt cibis, corruptela malæ digeſtionis, in pernicie miſerorum, diſputationibus impiis venena peſtifera vomuerunt*. Per ſanum ac veriſſimum Symbolum intelligit Apoſtolicum. Hoc enim Latina Eccleſia, etiam poſt Nicænam Synodum, conſtanter perrexit tradere ſuis Competentibus. Et reverà eſt inter omnia veriſſimum: Etiam reſpectu Nicæni. Sanctus item Optatus loquitur non de natis in hæreſi, ſed de ſolis Apoſtatis. Verba, *De ſe naſci voluerunt*, evincunt hic agi de ſolis Hæreſiarchis. Et ipſa exponit
Lib. 3. Sanctus Irenæus: *Ante Valentinum non fuerunt qui*
cap. 4. *ſunt à Valentino, neque ante Marcionem erant qui ſunt à Marcione, neque omninò erant aliqui ſenſus maligni, quos ſuprà enumeravimus, antequam initiatores & inventores perverſitatis eorum fierent*. Quia nempè Valentinus & Marcion, item Martinus Luterus ac Joannes Calvinus, & generatim omnes Hæreſiarchæ, legitimum ac ſacrum Catholicæ Matris uterum ſeu fontem, & authenticum Evangelicæ Scripturæ aut Traditionis ſemen, ex quo fuerunt ritè geniti, contemnentes voluerunt ad circumſcribendam ſimplicem plebem naſci de ſemetipſis, ſemetipſos erigere in novum novi Dogmatis caput, & ex peſtifero ſuorum phantaſmatum ſpermate deinceps abortiri non Chriſtianos, ſed Valentinianos, Marcionitas, Lutheranos, aut Calviniſtas.

Porrò de generali hæreſeos definitione ſcribit in Præfatione libri de Hæreſibus Sanctus Auguſtinus: *Non omnis error hæreſis eſt, quamvis omnis hæreſis, quæ in vitio ponitur, niſi errore aliquo hæreſis eſſe non poſſit. Quid ergò faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omninò non poteſt, aut difficillimè poteſt*. Et in libro de Geſtis Synodi Dioſpolitanæ: *Quatenùs deſitendus ſit Hæreticus, eſt non levis quæſtio*. Quod ipſum in duodecimo ad Imperatorem Juſtinianum libro tradit Facundus Hermianenſis Epiſcopus: *Non autem me quiſquam illud in præſenti libro putet aggreſſum, ut definiam quid ſit, quòd Hæreticum faciat, quia hoc tantùm monſtrare propoſui neminem pro talium quæſtionum ignorantia in Eccleſia viventem ſive defunctum, qui ſe docilem Chriſtianæ doctrinæ præbet aut præbuit, hæreticum debere judicari. Nam ſi nunc Eccleſia quædam Chriſti ſchola eſt, omneſque fideles ejus Chriſti dicuntur eſſe diſcipuli, nec quiſquam poteſt veraciter dici diſcipulus, qui non aliquid diſcit, neque diſcitur niſi quod ignoratur, procul dubio aut docilis ignorantia non facit hæreticum, aut omnis Chriſti Diſcipulus erit hæreticus. Et quis jam Catholicus eſſe dicetur, ſi omnis qui de Chriſtiana Religione aliquid diſcit, hæreticus eſt dicendus? Quod ſi etiam creduntur aliqui ſic omnia didiciſſe, ut nihil jam poſſint habere quod diſcant, quia tamen aliquid ignorabant antequam diſcerent, ex hæreticis videbuntur facti Catholici, atque ita colligitur, ut nullus inveniatur in Eccleſia Chriſti, qui non aut eſſe aut fuiſſe perhibeatur hæreticus. At hoc dicere vel putare, cum impiſſimum, tum etiam nimis abſurdum. Scire igitur debemus, quòd Hæreticum non faciat ignorantia, quæ doctrinæ veritatis contumax non eſt, ſed potiùs obſtinata defenſio falſitatis. Ad hanc obſtinationem pertinere dicimus, immò principatum in ea tenere firmamus, illas etiam doctrinas, quas quidam non quaſi minùs intelligendo Scripturas Divinas, ſed eis apertè reſiſtendo, ſola præſumptione ſpiritus condiderunt, ſicut Manichæus, atque Origenes, & cæteri, qui non ut alii ſequentes eorum intentionem in abſtruſis quæſtionibus erraverunt, ſed ſuper illas elati melius ſe crediderunt vel ſapere vel dicere. Nam ſi obſtinatus ille dicendus eſt, qui non credit Eccleſiæ Conſtitutis earumdem Scripturarum auctoritate firmatis, quantò deterioris obſtinationis dicendus eſt, qui ipſis Divinis Scripturis dedignans acquieſcere, inviolabili earum plenitudini aut abrogat veritatem, aut aliquid deeſſe putat, quòd propria debeat adinven-* Cap. 6.

gione ſupplere? Quibus autem in rebus hæc obſtinatio hæreſis habenda ſit, majoris eſt quæſtionis.

Affirmat varia. Primò, quòd ſimplex alicujus Evangelici Dogmatis ignorantia, aut ſimplex error non faciat Hæreticum. Alioqui Eccleſia eſſet hæreticis pleniſſima. Immò omnes Chriſtiani eſſent hæretici. Etiam ipſi Apoſtoli. Nam ante acceptum in Pentecoſte lumen multa ignoraverunt. Quæ omnia Facundus facundiſſimè demonſtrat. Et ex his concludit Theodorum Mopſueſtienſem Epiſcopum, licet in quibuſdam erraſſet, non poſſe damnari hæreſens. Secundò dicit ad Hæreſim requiri contumaciam & obſtinationem: Hæreſim eſſe obſtinatam defenſionem falſitatis. Requiri contumacem obſtinationem, aut adverſùm ipſas Sacras Litteras, aut adverſùm contenta in ipſis dogmata. Tertiò dicit hanc obſtinationem poſſe eſſe variam, ideoque quibus in rebus ſita ſit Hæreſis, eſſe majoris quæſtionis.

Hæc lucem accipere poſſint ex Sancti Hieronymi Commentario ſuper caput quintum epiſtolæ ad Galatas: *Quicumque aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus Sancti flagitat, quo conſcripta eſt, licèt de Eccleſia non receſſerit, tamen hęreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt, eligens quę prava ſunt.* Agit de obſtinato ſui devii intellectus defenſore. Verùm quid ſi iſte intellectus non deviet à recto dogmate? Sanctus Auguſtinus & alii Africani Doctores hunc Sapientis locum, *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus*, conſtanter intellexerunt de accepto apud Hæreſim Baptiſmate: Et à littera deviarunt. Apoſtolica ad Romanos epiſtola habet: *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes.* At verò Sanctus Optatus conſtanter legit, *Memoriis Sanctorum*, utique Principum Apoſtolorum, *communicantes*, & ex hujus communionis defectu concludit Donatiſtas eſſe Schiſmaticos. Palàm deviavit ab Apoſtoli littera, & litterali ſenſu. Plura ſunt ſimilia ſanctorum Patrum Scripta. Fuerunt orthodoxa, ſed devia à ſcopo ſacri Scriptoris. Quid ſi ſua Scripta obſtinatè defendiſſent, fuiſſentne hæretici? Præſertim ſi non receſſiſſent ab Eccleſia ac ejus Altari. Sanè exiſtimo, quòd hæretici non fuiſſent. Alioquin etiam adversùs Stephanum Pontificem litigans Sanctus Cyprianus fuiſſet hæreticus. Proindè iſta Sancti Hieronymi cenſura eſt juſto durior. Nec tantùm quibus in rebus, ſed etiam quanta & qualis obſtinatio requiratur ad hæreſim, eſt involuta quæſtio. Hinc & Sanctus Auguſtinus & Hermianenſis Facundus rectè dixerunt iſtius quæſtionis, adeoque & Hæreſeos definitionem eſſe difficilem.

Quòd non quævis obſtinatio faciat hæreticum, lucidè docet in epiſtola ad quoſdam Donatiſtarum Epiſcopos Sanctus Auguſtinus: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuę pepererunt, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis Parentibus acceperunt, quęrunt autem cauta ſollicitudine veritatem, parati corrigi cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hęreticos deputandi. Tales ergò niſi vos eſſe crederem, nullus fortaſſe vobis litteras mitterem.* — Epiſt. 162.

Quæ verba, præſertim quòd non ad ſimplices Idiotas, ſed ad Donatiſtarum Epiſcopos ſcribantur, ſunt benè notanda. Quis enim dubitet in iſtis, licèt orthodoxam veritatem ac unitatem qualitercumque dilexerint, fuiſſe aliquid obſtinationis? Quomodo aliter manſiſſent Schiſmaticorum atque Hæreticorum, & quidem Donatiſtarum, Epiſcopi atque Doctores? Etiam in libro de Unitate Eccleſiæ idem Auguſtinus affirmat quoſdam in ſchiſmate aut hæreſi poſſe vagari, & tamen nondum eſſe ſchiſmaticos & hæreticos. Ad ſchiſma & hæreſim requirit *ſacrilegam diſſenſionem, furioſam pertinaciam, contentionem obſtinatiſſimam, confirmatum contra Eccleſiam furorem, apertiſſimę veritati malo ſtudio contradictionem.* (Cap. 15.) Addit hominem, licèt non ab omni peccato, tamen ab hæreſi & ſchiſmate purgari etiam per carnalem caliginem. Hodierna Schola diceret: Per craſſam ignorantiam.

Etiam in quarto libro de Baptiſmo contra Donatiſtas idem Auguſtinus ſcribit: (Cap. 16.) *Si aliquis hoc idem ſentiat de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, & hoc credat eſſe Fidem Catholicam, nondum eum dico eſſe hęreticum, niſi manifeſtata doctrina Catholicę Fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat, elegerit.* Et in libris de Dei Civitate: *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid pravumque ſapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera ac mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt.* Alludit ad Apoſtoli verba in epiſtola ad Titum: (Cap. 3.) *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Per correptionem intelligit non hæreſi poſteriorem, quæ fit ad hæreticum revocandum aut damnandum, ſed correptionem hæreſi priorem, ex cujus contemptu quis de errante fit hæreticus. Docet neminem cenſendum hæreticum, nec uti talem devitandum, niſi qui duplicem correptionem contempſerit. Ejuſdem ſententiæ eſt in Commentario ad præfatum Apoſtoli locum etiam Sanctus Hieronymus. Duplicis ab Apoſtolo requiſitæ correptionis dat hanc cauſam: *Quòd ſcilicet non ſufficiat tantùm ſemel eum corrigi vel commoneri, qui aliquo ſit depravatus errore, ſed & ſecunda ſit ei adhibenda doctrina, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Qui ſemel biſque correptus audito errore ſuo non vult corrigi, errare exiſtimat corrigentem, & è contrario ſe ad pugnas & jurgia verborum parans, eum vult lucrifacere, à quo docetur.* Obſtinatio igitur, quæ facit hæreticum, omninò eſt difficilis definitu. Et omnis ab hæreſi excuſans cauſa non ſemper excuſat ab omni peccato. Sanctus Auguſtinus in libris contra Creſconium tandem comprobat hanc ab illo datam definitionem: *Hæreſis eſt diverſa ſequentium Secta.* Sequentium diverſa Chriſtiana dogmata. Secta pertinax & obſtinata. Et hæc definitio comprehendit omnem hæreticum, & Apoſtatam, & natum. Et in laudato ſuperiùs loco Sanctus Optatus licèt de ſolis Hæreſiarchis loquatur, nihilominus affirmat omnem hæreſim ſchiſmate, & omnem hæreticum eſſe Schiſmatico

matico

matico longè nequiorem. Et jure merito. Omnis enim hæreſis includit Schiſma. Et Schiſmaticus eſt tantùm quoad partem laceratus ab Eccleſia, hæreticus eſt plenè deſciſſus. Quod ipſum multis hic confirmat noſter Septimius. In illuſtrium virorum Catalogo habet Sanctus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis: *Primaſius Africanus Epiſcopus compoſuit ſermone Scholaſtico de hæreſibus tres libros, directos ad Fortunatum Epiſcopum, explicans in eis quod olim Beatiſſimus Auguſtinus in libro hæreſeon, morte interveniente, imperfectum reliquerat. In primo namque oſtendens, quid hæreticum faciat, in ſecundo & tertio digerens quid hæreticum demonſtret.* Iſtos tres perditos aut latentes libros utinam Divina Bonitas reddat ſuæ Eccleſiæ. Ex ipſis firmè diſcemus, quanta & qualis pertinacia requiratur ad hæreſim.

CAPUT SEXTUM.

Quid cenſeat Paulus de hæreſi, & unde illa nomen habeat.

NEc diutius de iſto, ſi idem eſt Paulus, qui & alibi hæreſes inter carnalia crimina numerat, ſcribens ad Galatas, & qui Tito ſuggerit hominem hæreticum poſt primam correptionem recuſandum, quòd perverſus ſit ejuſmodi, & delinquat, ut à ſemetipſo damnatus. Sed & in omni penè epiſtola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, Hæreſes taxat, quarum opera ſunt adulteræ doctrinæ: Hæreſes dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſive ad inſtituendas, ſive ad ſuſcipiendas eas utitur. Ideò & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quòd aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Itaque etiamſi Angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in Virgine quadam Philumene Angelum ſeductionis, transfigurantem ſe in Angelum lucis, cujus ſignis & præſtigiis Apelles inductus, novam hæreſin induxit.

SCHOLION.

Nec diutius de iſto, &c.

IN priori ad Corinthios epiſtola Sanctus Paulus ex profeſſo non ſcripſit contra hæreſes, ſed contra ſchiſmata: Et ex his ſumpſit occaſionem dicendi aliquid etiam de hæreſibus. Et præſertim hoc: *Nam oportet & hæreſes eſſe.* Palam inſinuat atque affirmat hæreſes eſſe ſchiſmate nequiores. Ducit affirmativum argumentum à genere ad ſpeciem. Et ipſum Septimius multis expoſuit in præcedenti capite. Nunc pergit: *Nec diutius de iſto.* Utique argumento, quò Apoſtolus per ſolam conſequentiam docet hæreſes eſſe pravas. *Si idem eſt Apoſtolus.* Senſus eſt: Apoſtolus in variis locis diſertè ac directè damnat hæreſes, ideoque locum illum, in quo id facit per ſolam conſequentiam, dimittamus. Dubitandum non eſt, quin etiam in iſto loco iſtud ipſum doceat: Eſt enim idem Apoſtolus. Hoc igitur capite quædam ex iſtis diſertis ac directis locis Septimius adducit. Et primus eſt ex quinto capite epiſtolæ ad Galatas, ubi inter ſcelerata ac ad æternas gehennas damnanda carnis opera ponit & Sectas, ſive hæreſes.

Hominem hæreticum poſt primam correptionem recuſandum, &c.

Hic eſt ſecundus Apoſtoli locus, ex quo Septimius confirmat ſuam aſſertionem. Nos hodie conſtanter legimus hoc modo; *Hæreticum hominem poſt unam aut alteram correptionem devita*. Olim plures codices omiſerunt voces: *Aut alteram*. Et ita habuit etiam Codex Septimii. Eo- [Epiſt. 55. Cap. 78.] dem modo legit Sanctus Cyprianus in litteris ad Sanctum Pontificem Cornelium, ac in tertio libro ad Quirinum, Eraſmus laudatæ epiſtolæ addidit: *Et alteram*. Verùm quòd omnia antiqua Sancti Cypriani exemplaria omittant iſta verba, adeoque quòd Eraſmus temerarias ac violentas manus tanto Doctori injecerit, rectè affirmat in ſuis ſcholiis Jacobus Pamelius. Etiam in ſecundo libro de Patriarcha Abraham habet Sanctus Am- [Cap. 6.] broſius: *Hæreticum hominem poſt primam correptionem devita*. Eandem lectionem ſequitur in commentario ad decimum ſeptimum caput Sancti Lucæ, ac in ſecundo Sermone ſuper Prophetiam Sancti Danielis. Eodem modo ipſum Apoſtoli contextum legit Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus, atque commentatur: *Hujuſmodi homines, ut ſint inexcuſabiles, ſemel corripi oportere docet Apoſtolus. Frequentius enim correpti ſiunt exercitatiores in malo. Cogere autem illos videtur, qui ſæpè corripit, ut ſollicitiores fiat ad perditionem malorum. Ideò dimittendos, ut negligentiores effecti vel ſoli fortè depereant.* Hic Commentarius evincit iſtam lectionem tunc fuiſſe famoſam atque communem. Sanctus Hieronymus legit nobiſcum, *Poſt unam & alteram*, & adjungit: *Legitur in Latinis Codicibus, quod verum Papa quoque Athanaſius approbabat.* Poſt unam & alteram correptionem. *Quòd ſcilicet non ſufficiat tantùm ſemel eum corripi, qui aliquo ſit depravatus errore, ſed & ſecunda ſit ei adhibenda doctrina.* Affirmat in Græcis, *Poſt unam*, in Latinis Codicibus paſſim haberi, *Poſt unam & alteram*: Et hanc lectionem placuiſſe etiam Sancto Athanaſio. Attamen Theodoretus, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Theophylactus, aliique Græci legunt, *Poſt unam & alteram*: Quare olim etiam apud ipſos fuit varietas. Verùm hæc omnis nec obeſt nec prodeſt præſenti ſcopo noſtri Doctoris. Apoſtolus agit de correptione, qua jam contumax emendetur, aut damnetur hæreticus. Quare in ſuperius adducto loco Sanctus Auguſtinus, hæc ejus verba applicans ad correptionem, cujus contemptus facit hæreticum, quibuſdam videtur eſſe ipſis abuſus. Sacræ Scripturæ litteram detorquere fuit Afrorum Doctoribus ſemper familiare.

Sed & in omni penè epiſtola, &c.

Quod Apoſtolica ad Titum epiſtola pluribus inſectetur hæreticos, eſt omnibus manifeſtum. Et hinc notandum eſt, quod in Eccleſiaſtica Euſebii Cæſaræenſis hiſtoria ſcribit de Auguſti Trajani Imperio ac Sancti Simeonis ſecundi Hieroſolymitani Epiſcopi Martyrio antiquus Hegeſippus. *Ad illa uſque tempora quandoquidem ſi qui erant, qui ſalubrem & ſinceram ſalutaris prædicationis regulam depravare & corrumpere ſtudebant, in obſcuris tenebrarum latebris delituerint, Eccleſia integra & incorrupta permanſerat.* [Lib. 3. Cap. 26.] *Cæterùm poſtquam Sacer Apoſtolorum Chorus varium vitæ exitum, & diverſa mortis genera pertulerat, præterieratque illorum ætas, quibus à Chriſto donatum erat, ut auribus Divinam ipſius ſapientiam coram acciperent, tunc certè falſa & veteratoria impii erroris conſpiratio exordium cœpit, idque illorum fraude & aſtutia, qui doctrinam à veritate penitus alienam diſſeminare laborarunt, & qui, cùm nemini Apoſtolorum amplius vita ſuppeteret, deinceps jam nudo capite, ut ajunt, ſincero veritatis ſermoni falſam & commentitiam doctrinam ex adverſo opponere pro viribus niterentur.* Hæc, inquam, verba videntur non per omnia ſubſiſtere. Et quidem quod poſt Apoſtolorum mortem ſceleratæ hæreſeon factiones cœperint libertiùs ebullire ac vomere, eſt longè veriſſimum. At quòd ſub Apoſtolis latuerint in antris, & apertè nec ſpuerint, eſt devium à vero. Etenim quòd Simon Magus, omnium hæreticorum fons & Princeps, ſacrilega ſua dogmata plenè aperto capite ſpuerit in ipſa Romana urbe, docent & ipſi per Imperatorem Claudium erecta ſtatua, & Sancti Petri Apoſtoli in ipſum glorioſa pugna. Quòd ob hæreticam ac magicam iſtic prædicationem fuerit donatus ſolemni ſtatua, teſtantur Juſtinus Martyr, Sanctus Irenæus, Tertullianus, Cæſaræenſis Euſebius, Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, ac Theodoretus. Et Sanctus Irenæus addit de ſceleratis [Lib. 1. cap. 20.] Gnoſticis: *Habent vocabula à Principe impiiſſimæ ſententiæ, à Simone dicti Simoniani, à quibus falſi nominis ſcientia accepit initia.* Et iterùm: *Omnes qui adulterant veritatem, & præconium Eccleſiæ lædunt, Simonis Samaritani Magi, diſcipuli & ſucceſſores ſunt.* [Cap. 30.] Et de Barbelitis ſcribit: *Ex Simonianis multitudo Gnoſticorum Barbelo exurrexit, & velut è terra fungi manifeſtati ſunt.* [Cap. 31.] Et in ſecundi libri Præfatione affirmat Simonem eſſe omnium generatim Gnoſticorum, etiam flagitioſiſſimi Marci Ægyptii, progenitorem. Sceleratum ex eodem Simone natum errorem, quo nulla bona opera, ſed ſolam fidem requiri ad ſalutem, nullaque flagitia aut facinora ipſi obeſſe aſſeruere Gnoſtici, exponit in libro de Fide ac Operibus Sanctus Auguſtinus, ac pergit: *Quoniam hæc opinio tunc, Apoſtolorum tempore, fuerat exorta, Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant Fidem ſine operibus nihil prodeſſe.* [Cap. 14.] Qui non cognita Gnoſticorum hæreſi ſperat Catholicas quatuor Apoſtolorum, ac item quaſdam Sancti Pauli epiſtolas intelligere, inſigniter circumſcribitur. Iſtam hæreſim enervare eſt palmaris iſtarum litterarum ſcopus. Nam qui Dei noſtri gratiam transferebant in luxuriam,

qui Chriſtum negabant Dominatorem, qui cum Sodoma & Gomorrha exfornicati abibant poſt carnem alteram, qui blaſphemabant omnia Divina, qui ambulabant ſecundùm ſua deſideria? Certè Gnoſtici. Eoſdem notat Sanctus Joannes Apoſtolus: *Deus lux eſt, & tenebræ in ea non ſunt ullæ.* Iſta enim ſceleratiſſima blaſphemia garriebat in ipſa Divina ſubſtantia eſſe tenebras & vacuum.

Epiſt. 1. cap. 1.

Eoſdem frequenter impetit etiam Sanctus Paulus. In prima ad Corinthios epiſtola probat ac firmat caſtum matrimonium. Rationem dat in ſuorum Commentariorum Procemio Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Perturbari enim Corinthii cœpecant ab hæreticis de Matrimoniis.* Et ad ſeptimum iſtius epiſtolæ caput ſcribit: *Pravis ſenſibus Pſeudo-Apoſtolorum exagitati, qui nuptias per hypocriſim, ut puriores cæteris viderentur, ſpernendas docebant, hæc per epiſtolam ab Apoſtolo requirebant.* Nempè exagitati à Gnoſticis, damnantibus Matrimonia ut opus mali Principii. Eadem epiſtola frequenter laudat Deum & Chriſtum. Audi cauſam ab eodem Hilaro: *Multæ enim Sectæ emerſerant, quæ Evangelium Chriſti pro ſenſus ſui arbitrio aſſerebant.* Nempè Gnoſtici, de Deo & Chriſto portentoſa fabulantes. *Pſeudo-Apoſtoli nomen Chriſti per prudentiam mundi prædicabant, id eſt, admixta Philoſophia, veterem legem & Prophetas reprobabant. Negabant Chriſtum verè crucifixum, ſed tantùm viſum crucifigi, ſicut nunc Marcion & Manichæus.* Hi enim ſunt iſtud docti à Simone Mago. Eoſdem taxat Apoſtolus his verbis: *Sapientia hujus mundi eſt ſtultitia apud Deum.* Exponit Hilarus: *Pſeudo Apoſtoli, prudentes videri volentes in mundo, neque Deum Filium habere, neque Incarnationem veram eſſe, neque carnem poſſe reſurgere prædicabant.* Quæ omnia ſunt Simoniana Gnoſticorum dogmata. Quod in pluribus ſuis epiſtolis hæc invadat Sanctus Paulus, variis in locis Hilarus eleganter demonſtrat. Etiam falſi nominis ſcientiam aliquoties taxat idem Paulus. Quòd Gnoſticos, eminentiſſimam ſuam ſupra Apoſtolos ac ipſum etiam Deum Creatorem ſcientiam jactantes, taxet ac damnet, conſtanter ac verè affirmat Sanctus Irenæus. Nec tantùm Gnoſticos, ſed etiam Cerinthum ac Ebionem notant & damnant Apoſtolicæ litteræ. Etenim de Sancto Joanne Evangeliſta ſcribit in virorum Illuſtrium Catalogo Sanctus Hieronymus: *Joannes noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adversùs Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.* Fuiſſe purum hominem, natum ex Maria & Joſepho. Quòd adversùs Cerinthum convenerit prima, in Actis per Sanctum Lucam laudata, Apoſtolica Synodus, affirmat in Panario Sanctus Epiphanius. Adversùm eoſdem laudatus Evangeliſta in priori ſua epiſtula eos qui Jeſum ſolvunt, frequenter aſſeverat eſſe Anti-Chriſtos. Adversùm eoſdem etiam Sanctus Paulus ac Sanctus Petrus frequenter laudant & inculcant

Cap. 4.

Chriſtum eſſe paſſum in carne. Iſta propoſitio per Apollinariſtas, Neſtorianos, ac Eutychianiſtas fuit horrendè arietata: Ob ipſam Eccleſia ſuſtinuit horrendos motus. Apollinariſtæ ac Eutychiani ex ipſa intulerunt & hanc: *Deus eſt mortuus.* Et ex ipſa ſuas blaſphemias ſunt conati firmare. At verò Neſtoriani ſunt iſtam hoſtiliſſimè averſati, & Catholicam voluerunt ſolam hanc: *Chriſtus eſt mortuus.* Quod ipſum in opere contra Eutychianos, cujus compendium habes in Photii Bibliotheca, pertinaciter ſuſtinuit orthodoxus Cyrenſium Epiſcopus Theodoretus. Sanctorum Apoſtolorum ſcopum inſigniter exponit Sanctus Irenæus: *Cerinthus ſubjecit Jeſum non ex Virgine natum, fuiſſe autem Joſeph & Mariæ Filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines, & plus potuiſſe juſtitia, & prudentia, & ſapientia præ omnibus. Et poſt Baptiſmum deſcendiſſe Chriſtum in eum ab ea Principalitate, quæ eſt ſuper omnia, figura columbæ, & tunc annuntiaſſe incognitum Patrem, & virtutes perfeciſſe, in fine autem revolaſſe iterum Chriſtum de* JESU, *&* JESUM *paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritalem.* Idem Doctor in variis locis demonſtrat eandem blaſphemiam placuiſſe Valentinianis. Eſt ſtulta & ſcelerata, quæ JESUM judaicè ſcindit, blaſphemia, ideoque ipſam horrendè impugnant ac deteſtantur laudati Apoſtoli. Eadem Apoſtolica prædicatio invadit Simonem Magum, ac natum ex ipſo ſungum Baſilidem, garrientes nec ipſum JESUM, ſed ejus loco Simonem Cyrenenſem, aut quem alium fuiſſe à Judæis crucifixum. Et quidem Baſilides Glauciam, Sancti Petri Apoſtoli Scribam atque Interpretem, jactitabat ſuum Magiſtrum. Ita ſcribit in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Quod ſi verum ſit, poteſt ipſe Glaucias Apoſtolica tempora maculaſſe. Quidquid ſit, clarum eſt ipſorum etiam tempora non dumtaxat per tenebriones, ſed inſuper per manifeſtos ſine fronte pugnantes hæreticos fuiſſe graviter infeſtata.

Lib. 1. cap 25.

De primis hæreſeon exordiis, de primitivis à Protoplaſtorum lapſu ad diluvium, & à diluvio ad linguarum diviſionem temporibus ſcribit in Panario Sanctus Epiphanius: *Nulla per id tempus in terris hæreſis, opinionum nulla diſſenſio, cùm univerſi ſola hominis appellatione cenſerentur labio uno, unaque lingua præditi. Pietas porrò atque impietas ſola erat naturæ lege, aut uniuſcujuſque ad naturam accommodata voluntate definita, necdum error emerſerat, ſive diſciplina comparatus, ſive Scriptorum monumentis traditus. Neque igitur Judaiſmus, neque ulla alia Secta prodierat, ſed, ut ita dicam, illa eadem obtinebat, quæ hodie in ſancta Dei Eccleſia ac Catholica perſeverat Fides, quæ cùm ab ipſis rerum primordiis viguiſſet, rursùs eſt poſtmodum patefacta. Etenim ſi quis iſta ſolo veritatis ſtudio impulſus velit expendere, non dubitavit ſanctam atque Catholicam Eccleſiam omnium primam extitiſſe, dummodo ſcopum ipſum conſideret.* Et de noſtri generis uſque ad Abraham decurſu ſubjungit: *Hucuſque Scythica quædam ſucceſſio & appellatio*

Lib. 1. cap 5.

Cap. 7.

Digitized by Google

tio manſit. Nulla verò adhuc hæreſis erat, nec ullum aliud commentum præter Idololatriam irrepſerat. Quæ omnia videntur nec vera eſſe, oec ſibi ipſis cohærere. Etenim quód Pelagiana hæreſis ſit nata in ipſo cœlo, in Paradiſo prædicata per ſerpentem, Evæ perſuaſa, atque ita Cainum & ejus ſtirpem longa ſucceſſione corruperit, amplè demonſtrat in epiſtola ad ſacram virginem Demetriadem Sanctus Proſpee. Supremi inter prævaricatores Angeli, quem paſſim Luciferum appellamus, primum peccatum fuiſſe ſuperbiam demooſtrat in duodecimo Monaſticarum Inſtitutionum libro Joannes Caſſianus, ac inſigniter ex-
Cap. 4. ponit: *Lucifer indutus divina charitate, & inter cæteras ſupernas virtutes Conditoris largitate præfulgens, ſplendorem ſapientiæ, & virtutum pulchritudinem, qua ornabatur gratia Creatoris, naturæ ſuæ potentia, non munificentiæ illius beneficio ſe credidit obtinere. Et ob hoc elatus, tanquam qui ad perſeverantiam puritatis hujus Divino non egeret auxilio, Deo ſe ſimilem judicavit, utpotè qui nullius indigeret, quemadmodum Deus, liberi ſcilicet arbitrii facultate confiſus, per illam credens affluenter omnia ſibimet ſuppeditari, quæ ad conſummationem virtutum, vel perennitatem ſummæ beatitudinis pertinerent.* Non naturæ ac eſſentiæ, ſed iſtam liberi arbitrii Divinam ſimilitudinem Lucifer ambivit: In iſta independentia voluit eſſe Deo ſimilis. Iſtam ſuperbiam & ſuis in cœlo collegis, & noſtris in Paradiſo Protoplaſtis perſuaſit, atque ita omnes ſua cauda dejecit in terram. Quod ipſum tradunt alii paſſim Patres, præſertim Sanctus Auguſtinus. Et quis non videt iſtam eſſe puram putam hæreſim Pelagianam? Proindè hæc non dumtaxat priora diluvio ſæcula fœdavit, ſed etiam Paradiſum, ipſumque cœlum.

Inter Sancti Ambroſii opera exſtat eruditus liber de Pœnitentia, quem in Illuſtrium virorum Catalogo Gennadius Maſſilienſis rectè adſcribit Victori Cartennenſi Epiſcopo in Mauritania Cæſaræenſi, additque vixiſſe ſub Geizerico, Arriano Rege Wandalorum. Hic lucidè demonſtrat in Cain non ſolùm homicidium, ſed plura fuiſ-
Cap. 7. ſe facinora, præſertim hæc: *Sextum eſt, quod cùm homicidii ſcelus perficeret, inſuper & negavit, & putavit Deum alicujus facti ignarum, quem conſcientiæ ſuę ſecretum multaſſe perſenſerit, cùm competens retuliſſet in oblationis ſuę reprobatione repudium. Septimum crimen eſt, quod poſt mortem ſe non credidit perditus parricidio puniri, cùm ob infamiam criminis publicati ad præſens tempus ſe poſtulavit occidi.* Quòd veniam deſperans, ac deſperatione cœcatus Cain Divinam circa humana opera providentiam excuſſerit, ac negaverit, ideoque ſe per omnis luxuriæ flagitia ſit ſolari conatus, eſt conſtans doctrina Patrum. Hinc ipſe ædificata Enochia exaltavit ſuum nomen in terris, ejus poſteri invenerunt cantus, ſaltus, fucos, quævis corporis delectamenta ac ornamenta, atque ita per ſua flagitia corruperunt omnem terram, & Divinam juſtitiam coegerunt ad Cataclyſmum. Et hinc de Gnoſticis dicit Sanctus Judas Apoſtolus: *Vę illis, qui in via Cain abierunt.* Reverà enim Gnoſtici duxerunt Cainam vitam. Et inter varia ipſorum fruſta fuit & Caina hæreſis, longè fœdiſſima. Cain eſt omninò ipſorum primus fons & Patriarcha. Proindè certum eſt ante diluvium fuiſſe hæreſes. An etiam Idololatria fuerit, eſt obſcura quæſtio. Interim quomodo Sanctus Epiphanius affirmat Idololatriam fuiſſe ante hæreſim, ac ſine hæreſi? Licèt enim nunc Chriſtianis temporibus poſſit, tunc tamen illa ſine hæreſi eſſe non potuit. Omnis adultera de Deo aut ejus cultu doctrina tunc erat hæreſis. Hæc ſunt alterius loci. Attameo juvat inſinuaſſe.

Hæreſes dictæ Græca voce, &c.

Hæc verba, paucis mutatis, S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus inſeruit ſuis libris Originum. Et
quædam adjecit: *Hæreſis Græcè ab electione vocatur,* Lib. 8.
quòd ſcilicet unuſquiſque id ſibi eligat, quod melius ſibi cap. 3.
eſſe videtur, ut Philoſophi, Peripatetici, Academici, Epicurei & Stoici, vel ſicut alii, qui perverſum dogma cogitantes arbitrio ſuo de Eccleſia receſſerunt. Et in alio ejuſdem operis libro affirmat eſſe tres Medicorum hæreſes: Methodicam ab Apolline, Empyricam ab Æſculapio, ac Logicam indo-
ctam ab Hippocrate. Proinde vox, *Hæreſis*, Lib. 4.
quandoque indifferentem ſignificationem habet, cap. 4.
quandoque pravam. Quandoque enim quamvis etiam à Divina lege permiſſam, opinionem ſignificat, quandoque damnatam, quia traditæ per Divinam Majeſtatem doctrinæ adverſam. Conſonat in Commentario ſuper epiſtolam ad
Galatas Sanctus Hieronymus: *Hæreſis Græcè ab* Cap. 5.
electione dicitur, quòd ſcilicet eam ſibi unuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Et in Commentario ſuper epiſtolam ad Titum: *Nunc ipſum Hæreſis nomen videtur plenè ventilandum. Hæreſis Græcè ab electione dicitur, quòd ſcilicet unuſquiſque id ſibi eligat, quòd ei melius eſſe videatur. Philoſophi quoque Stoici, Peripatetici, Academici, Epicurei, illius vel illius Hæreſeos appellantur.* Et Sanctus Epiphanius ſuo Panario inſeruit etiam Stoicos, Pythagoreos, Platonicos, Epicureos, alioſque Philoſophos, tanquam hæreſes gentium, id eſt, varias opiniones. Sanctus Auguſtinus ſuo Hæreſeon catalogo inſeruit ſolas hæreſes adverſas Evangelio. Hæ enim ſolæ ſunt propriæ novo Teſtamento. In libro Apologetico Tertullianus Chriſtianam Religionem
aliquoties appellat *Sectam*, ideoque hanc vocem Cap. 46.
accipit in bonum. An quis authenticus Scriptor ita accipiat & vocem, *Hæreſis*, non facilè dixerim. Hodie apud omnes hæc peſſimè ſonat.

Ideò & ſibi damnatum dixit, &c.

Utique Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Titum: *Sciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delin-*

delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus. Exponit in adducto Commentario laudatus Hieronymns: *Hæreticus propterea à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus. Fornicator, Adulter, Homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Eccleſia propelluntur; Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes. Quæ receſſio propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio.* Ita & Sanctus Judas Apoſtnlus ſcribit de Hæreticis: *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos.* Et conſonat Dominicum in Evangelio verbum: *Qui non credit, jam judicatus eſt.* Et hæc quidem omnia teſtimonia ſunt aptiſſima Doctoris noſtri ſcopo. Etenim demonſtrant hæreſim eſſe facinus adeò enorme, ut propter ipſum homo damneiur, ac extra Eccleſiam projiciatur, non Epiſcopali aut quovis alieno, ſed proprio ſui ipſius judicio. Sequentia Doctoris verba commendant hanc fundamentalem, dignam ſcribi aureis litteris, infra adducendam in hoc ipſo libro, & ibi latiùs elucidandam regu-
Cap. 11. lam: *Tenendum eſt, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus accepit à Deo.* Ex ipſa concludit nihil circa Chriſtianum dogma poſſe novari aut mutari, ac omnem novationis aut mutationis non dumtaxat auctorem aut inductorem, ſed etiam ſuſceptorem aut electorem eſſe plenè damnatum à ſemetipſo hæreticum.

Itaque etiamſi Angelus de Cœlis aliter evangelizet, &c.

Hic eſt tertius Apoſtoli locus, ex quo Doctor rectè demonſtrat Hæreſim eſſe crimen & facinus. Et hunc ipſius locum laudat ac elucidat in iſtius Apoſtolici loci Commentario Sanctus Hieronymus: *Vir doctiſſimus Tertullianus adversùs Apellem, & ejus virginem Philumenam, quam Angelus quidam Diabolici ſpiritus & perverſas impleverat, hunc eſſe ſcribit Angelum, cui multò antè quàm Apelles naſceretur, Spiritus Sancti vaticinio ſit anathema per Apoſtolum prophetatum.* Sed quidquid ſit de Tertulliano, iſte non eſt Apoſtoli ſenſus. Apoſtolus per Angelum non prævaricatorem intellexit, ſed ſanctum ac in cœlis glorioſum. Affirmat ſuam Evangelicam prædicationem eſſe adeò firmam, ut quivis, licet Sanctus & cœleſtis Angelus, ipſam alterare attentans ſit conſtantiſſimè anathematizandus. Eſt hypothesis impoſſibilis: Inducta ad aſſertionem reddendam irrefragabilem, nulli concuſſioni obnoxiam. Apellis & Philumenæ Attentata ſuo loco exponentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Hæreſes ipſæ à Philoſophia ſubornatæ.

HÆ ſunt doctrinæ hominum & Dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans ſtulta mundi in confuſionem etiam Philoſophiæ ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres Divinæ naturæ & diſpoſitionis. Ipſæ denique hæreſes à Philoſophia ſubornantur. Indè Æones, & formæ neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Indè Marcionis Deus melior de tranquillitate: A Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis obſervatur. Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eædem materiæ apud hæreticos & Philoſophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Undè malum, & quare? Et undè homo, & quomodo? Et quod proximè Valentinus propoſuit, Undè Deus? Scilicet de Enthymeſi, & Ectromate. Miſerum Ariſtotelem! Qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi, verſipellem in ſententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam conten-

contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omninò tractaverit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ interminabiles, & quæſtiones infructuoſæ, & ſermones ſerpentes velut cancer; à quibus nos Apoſtolus refrœnans, nominatim Philoſophiam conteſtatur caveri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes: *Videte ne quis vos circumveniat per Philoſophiam & inanem ſeductionem, ſecundum traditionem hominum, præter providentiam Spiritus Sancti.* Fuerat Athenis, & iſtam ſapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, de congreſſibus noverat: Ipſam quoque in ſuas hæreſes multipartitam varietate Sectarum invicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis? Quid Academiæ & Eccleſiæ? Quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.

SCHOLION.

Hæ ſunt doctrinæ hominum & dæmoniorum.

TErtullianus pergit in Propoſito; Ex aliis inſuper argumentis demonſtrat hæreſes eſſe damnata facinora. Et probat, licet non per verba, tamen per ſenſum Apoſtoli in prima epiſtola ad Timotheum: *Diſcedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.* Affirmat hæreſes eſſe hominum ac Dæmonum commenta, ideoque & damnanda facinora. Et quidem quòd ob everſam Idololatriam, ac præſertim ob clauſa Idolorum templa exacerbati Dæmones invenerint hæreſes, & ſub Chriſtiani nominis fuco ſint iſtam, licèt non in ſanis, tamen in ſeductorum hominum mentibus reparare conati, ideoque quòd hæreſes ſint ipſorum commenta & artes, eſt abundè demonſtratum in ſuperioribus. Addit Septimius eſſe etiam doctrinas hominum. Utique à Diabolo inflatorum. Quos Apoſtolus dicit attendere Spiritibus erroris, ſeu Spiritibus impoſtoribus, ac ſeminatoribus errorum. Quare qui per erroris Spiritus exiſtimant ab Apoſtolo intelligi ipſos Hæreſiarchas, aut Hæreſeon Doctores; omninò hallucinantur. Notanda ſunt Apoſtoli verba: *Spiritus autem manifeſtè dicit.* Huic Spiritui opponit Spiritus erroris. Hilari Diaconi Codex habuit: *Spiritus fallaces.* Etiam in ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola ſcribit idem Sanctus Paulus: *Non citò moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam per nos miſſam.* (Cap. 2.) Et Sanctus Joannes Apoſtolus in prima epiſtola: (Cap. 4.) *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint. Quoniam multi Pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: Omnis Spiritus, qui confitetur* JESUM *Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis Spiritus qui ſolvit* JESUM, *ex Deo non eſt.* Primitiva Eccleſia habebat plurima chariſmata, gratias gratis datas. Et hæc uterque Apoſtolus paſſim appellat Spiritus: Quia ſunt Sancti Spiritus dona. Et iſtum titulum dant etiam hominibus iſta gratia donatis. Hinc ſcribit prima ad Corinthios epiſtola: *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt.* (Cap. 14.) Hoc eſt, veri Prophetæ obediunt veris Prophetis. Non contendunt de faciendo verbo, ſed ſibi mutuò cedunt vices prophetandi. Etiamnum hodie in Divinis Officiis Sacerdoti precanti, *Dominus vobiſcum*, populus reſpondet: *Et cum Spiritu tuo.* Hoc eſt, Dominus ſit potiùs tecum, habente officium, ad quod ſpectat habere Spiritum, ſeu chariſma orationis. Inter iſta chariſmata erant etiam dona ſcientiæ, ſapientiæ, interpretationis, ac doctrinæ. Et iſta, uti & plura alia, Divinæ clementiæ munera Diabolus fuit æmulatus. Nam & nunc quædam fingit ac mentitur in noſtris Anabaptiſtis. De iſtiuſmodi per Diabolum illuſionibus ſcribit Sanctus Paulus ad Theſſalonicenſes, ut circa extremi diei adventum non citò moveantur *per Spiritum*, id eſt, per quemvis fidelem qui ſe exiſtimat, aut ab aliis exiſtimatur habere chariſma Prophetiæ. Simili de re ſcribit ad Coloſſenſes: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* (Cap. 2.) Carnales, vagos, ac humani diei amore inflatos homines Diabolus circumſcribit in omnem ventum, ac facit ambulare in adeò magnis, ut ſe credant Divino Spiritu duci, & in omnibus dirigi per ejus chariſmata. Etiam epiſtola ad Timotheum adjungit: *In hypocriſi loquentium mendacium.* (Cap. 4.) Nempè ut aliis perſuadeant ſua ſacrilega ſenſa, requiritur hypocriſis, ovina lana, pallium Chriſtiani nominis. Sic ipſos Diabolus facit & ſeductores. Iſtiuſmodi fuerunt, qui Apoſtolica fœdarunt tempora, Simoniani Gnoſtici, ac poſtmodo hæretici omnes, præſertim Montaniſtæ. Etenim Montanus non ſola Sancti Spiritus chariſmata

[...]ta ſibi adſcripſit, ſed & ipſam ejus Divinam
perſonam. Hinc dicit Sanctus Joannes Apoſto-
Cap. 5. lus: *Nolite omni Spiritui credere. Probate Spiritus,
ſi ex Deo ſint*. Et in prima ad Theſſalonicenſes
epiſtola Sanctus Paulus: *Spiritum nolite extingue-*
Cap. 5. *re, Prophetias nolite ſpernere. Omnia probate:
Quod bonum eſt tenete*. Quidam Theſſalonicen-
ſes, dictos chariſmatum fucos & ſimulatores
pertæſi, omnem Spiritum, etiam Prophetiam,
ducebant refutandum ac ſpernendum. Et hos
illic Apoſtolus reprimit. Quia & hîc locum ha-
bet regula: *Utile non vitiatur per inutile*. Et no-
tandus eſt integer locus in prima ad Timotheum
epiſtola: *Spiritus autem manifeſtè dicit, Quia in
noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, at-
tendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmonio-
rum*. Palàm affirmat dari duplicem Spiritum,
duplex chariſma: Verum à Spiritu Sancto, &
fucatum à Dæmoniis. Hinc item ſcripſit Sanctus
Joannes Apoſtolus Spiritus eſſe probandos. Pro-
indè hic per Spiritum intelligitur fucatum & men-
dax Diaboli chariſma. Spiritus erroris & Dæ-
moniorum doctrina ſunt penitus idem. Diverſa
dumtaxat vocabula. Et iſta quidem via Diabo-
lus procreavit hæreticos primitivæ Eccleſiæ. At
verò tandem aliquando oportuit ceſſare linguas,
ſcientiam deſtrui, aboleri pleraque chariſmata,
atque ita adimpleri hanc Apoſtoli prophetiam:
*Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria
hæc*. Exindè Diabolus non per chariſmatis fu-
cum, ſed per Chriſtianæ doctrinæ affectationem,
viaſque ſimiles cœpit Emiſſarios parere. Et ita
erat Tertulliani tempore. Hinc ille dicit hære-
ſes eſſe non Spiritus erroris, ſed *doctrinas homi-
num ac Dæmoniorum, prurientibus auribus natas
de ingenio ſapientiæ ſæcularis*. In libro quidem
apologetico ſcribit de hæreſibus: *Omnia adver-
ſùs veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, ope-*
Cap.47. *rantibus æmulationem iſtam Spiritibus erroris. Ab
his adulteria hujuſmodi ſalutaris doctrinæ ſuborna-
ta*. At per erroris Spiritus palam intelligit non
æmulum chariſmatis fucum, ſed ipſum hæreti-
corum incentorem Diabolum.

Et hoc eſt aliud argumentum, ex quo Ter-
tullianus probat hæreſes eſſe pravas, damnatas
apud Divinam juſtitiam. Quia nempè ſunt fru-
ctus ac fœtus ſæcularis ſapientiæ, humanæ Phi-
loſophiæ. Argumentum ſupponit hanc Philoſo-
phiam eſſe pravam. Dico, *Hanc Philoſophiam*.
Etenim Philoſophia generatim ſumpta, ut ipſum
nomen altiſſimè clamat, eſt res ſanctiſſima, ac
ipſam in Admonitione ad gentes rectè definit
Colum- Sanctus Clemens Alexandrinus: *Philoſophia, ut*
na 70. *dicunt veteres, eſt diuturnum ſapientiæ conſilium,
quod æternum ambit amorem*. Et in dialogo con-
tra Tryphonem Judæum Sanctus Juſtinus Mar-
tyr ac Philoſophus: *Philoſophia eſt revera maxi-
mum bonum & Deo gratiſſimum. Quippè quæ ſola
nos ad ipſum adducit, eique commendat. Atque ii
demum ſunt verè felices, qui mentem Philoſophiæ
excolunt. Quid autem ſit Philoſophia, & qua de
cauſa ſit ad homines dimiſſa, permultos latet*. De-
monſtrat verum Philoſophiæ finem fuiſſe etiam
Platonicis ignotum, ideoque & ipſos, licèt
omnium meliores, fuiſſe Philoſophi nomine in-
dignos. Exponit in oratione de charitate Theo-
doretus Cyrenſis Epiſcopus: *Virtus ac Philoſo-
phia eſt ſtabile bonum ac permanens. Vincit enim
& prædonum manus, & calumniatorum linguas, &
hoſtilium telorum ac haſtarum tempeſtates. Hujus
porrò materia eſt Dei dilectio. Fieri enim nequit, ut
Philoſophiam perfectè aſſequatur, qui non ſit fervens
Dei amator. Quia hoc ipſum Philoſophia, id eſt,
ſtudium ſapientiæ vocatur. Sapientia enim & eſt
Deus, & vocatur. Qui igitur verè eſt Philoſophus,
is & Philotheus jure appellatur. Dei autem amator,
cætera omnia contemnens, & ſolum quem amat in-
tuens, ejus cultum omnibus omninò rebus anteponit,
illa dumtaxat & dicens, & agens, & cogitans,
quæ placent dilecto, eique ſunt grata, & cuncta de-
teſtans quæ ille vetat*. Quare vera Philoſophia non
eſt aliud, quàm vera Creatoris & creaturarum
cognitio, ac indè nata vera Religio.

Et hinc antiqui Patres Chriſtianam Religio-
nem frequenter appellant Philoſophiam. Ratio-
nem dat in libro apologetico Tertullianus: *Incre-* Cap.46.
dulitas, dum de bono Sectæ hujus, Religionis
Chriſtianæ, *obducitur, quod uſu jam & de com-
mercio innotuit, non utique Divinum negotium exiſti-
mat, ſed magis Philoſophiæ genus. Eadem, in-
quit, & Philoſophi monent atque profitentur: Inno-
centiam, juſtitiam, patientiam, pudicitiam*. Gen-
tiles Chriſtianam Religionem, quam non ex
propriis principiis, ſed ex ſolo vulgi rumore no-
verant, cenſebant eſſe non Divinum Inſtitutum,
ſed humanum vulgaris Philoſophiæ genus: Quod
eadem virtutum officia cum Philoſophis doceat,
ſuadeat, ac profiteatur. Verùm Chriſtiani non
iſta dumtaxat officia, ſed & germanum ipſorum
finem docebant, ideoque erant veri ac pleni
Philoſophi. Docebant enim & verbo & exem-
plo. Et hinc iſtum titulum nobis convenire Ter-
tullianus illic probat & firmat. Et rectè. Et
dum in Eccleſia compleri cœpit prophetia, *Mul-
tiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam*, dum
nimia Chriſtiani populi multitudo nequiit præter
ſtellas cœli non habere etiam arenam maris, ſeu
præter ſpiritales non habere etiam carnales, dum
omnis illa turma nequiit ad exactam Chriſtianæ
vitæ regulam compelli, nec in ipſa contineri,
atque ita cœperunt multiplicari Monaſteria, &
plenæ diſciplinæ vigor ad iſta contrahi, tunc no-
ſtra profeſſio appellari cœpit Chriſtiana Philoſo-
phia, & Monachi haberi Chriſtianorum Philo-
ſophi. Ita in libris de Magni Conſtantini vita
ſcribit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus: *Conſtan-*
tinus maximis eos honoribus proſequebatur, qui vi- Lib. 4. cap. 28.
tam ſuam cæleſti Philoſophiæ dedicaſſent. Et de
Theodoro Monacho Apoſtata ſcribit Hermias
Zozomenus: *Theodorus ad Philoſophicam vitam re-* Lib. 8.
greſſus eſt. Hoc eſt, ad Monaſterium. Hic eſt cap. 2.
ille famoſus Theodorus, qui poſteà Mopſue-
ſtienſis in ſecunda Cilicia Epiſcopus, defunctus
omnem Eccleſiam turbis implevit. Et in quinta
ſua novella lege Imperator Juſtinianus Monachos
appellat *Monaſticæ Philoſophiæ certatores*. Eun- Cap. 3.
dem

dem titulum etiam poſterioribus ſæculis tribuit illis Guilielmus Neubrigenſis. Et iſtam Philoſophiam hìc non damnat Septimius. Quin & ipſam ſuo modo profeſſus eſt, dum ſuſcepto ſpado. L. 3. c. 5. natu tranſivit à Toga ad Pallium.

Damnat ergò ſolam Philoſophiam, quæ eſt ſapientia ſæcularis. Solam gentilem Philoſophiam. Rationem dat in laudato loco libri Apologetici: *Philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Christiani & neceſſariò appetunt, & integrè præſtant, ut qui saluti ſuæ curant. Adeò neque de ſcientia, neque de diſciplina, ut putatis, æquamur.* Affirmat Chriſtianam Religionem nullatenus eſſe gentilis Philoſophiæ genus: eo quòd & circa dogma, & circa diſciplinam inter nos ac gentiles Philoſophos ſit immenſum chaos. Circa dogma diſcrimen eſt, quòd gentiles Philoſophi veritatem ſolummodò affectent, adeoque & affectando corrumpant; Chriſtiani autem ipſam & appetant, & conſequantur ac præſtent integram ac incorruptam. Circa diſciplinam diſcrimen eſt, quòd gentiles Philoſophi humanam captent gloriam, ideoque affectatam & quæſitam veritatem nequeant invenire. Hæc enim inveniri non poteſt, niſi à mundo corde, à mundo mundæ mentis oculo: At verò humanæ gloriæ cupiditas eſt tenebroſiſſima animæ caligo. Hinc ad carnales iſto vitio ſcabioſos Judæos dixit & ipſe Dominus: *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab hominibus quæritis?* Quod gentiles Philoſophi non ſolam mundi gloriam, ſed & nefandiſſimas libidines captaverint, adeoque omni tenebrarum genere fuerint circumfuſi, & hic & alibi pluribus demonſtrat Septimius. Et ipſe in ſuæ ad Romanos epiſtolæ exordio affirmat Apoſtolus. Et atteſtantur ipſi gentilium Scriptores. At verò Chriſtiani ſuæ ſaluti curant: Eorum omne ſtudium eſt, ut ſint mundi animo & corpore, ideoque expediti ad intuendum lumen omnis veritatis.

Quod Philoſophi vetitatem affectando corrumpant, Septimius demonſtrat exemplis: *Quid enim Thales, ille Princeps Phyſicorum, ſciſcitanti Crœſo de Divinitate certum renuntiavit, commeatus deliberandi ſæpe fruſtratus? Deum quilibet opifex Chriſtianus & invenit, & oſtendit, & exinde totum quod in Deo quæritur, re quoque oſtendit. Licèt Plato affirmet factitatorem univerſitatis neque inveniri facile, & inventum enarrari in omnes difficilem.* Et quidem Thales circa Divinæ eſſentiæ expoſitionem non ſolummodo cunctatus & fruſtratus eſt, ſed & fœdiſſimè deviavit. Alii etiam plerique Philoſophi. Ita novit, quiſquis ipſorum novit dogmata. Et breviter oſtendit Apoſtolus in laudato epiſtolæ exordio. Pluribus demonſtrat liber Sapientiæ. Hinc in præſenti noſtro capite dicit Septimius: *Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres Divinæ naturæ.* Inſigniter hæc exponit in libro apologetico. Demonſtrat quod Divinæ Majeſtatis exiſtentiam invenerint Philoſophi, ac per-
Cap. 47. git: *Inventum ſolummodo Deum, non ut invenerant, diſputaverunt. Ut & de qualitate, & de natura ejus, & de ſede diſceptent. Alii incorporalem aſſeverant, alii corporalem, qua Platonici & Stoici. Alii ex atomis, alii ex numeris: Qua Epicurus, & Pythagoras. Alii ex igne: Qua Heraclito viſum eſt. Et Platonici quidem curantem rerum, contra Epicurei otioſum, & inexercitum, & ut ita dixerim, neminem humanis rebus. Poſitum verò extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinſecus torqueat molem hanc; intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat.* Quæ omnia repetit, ac largiùs exponit in primo libro contra Marcionem. Cap. 13.

Et Diſpoſitionis.

Per Divinam diſpoſitionem Doctor intelligit creationem hujus mundi. Qua phraſi frequenter utitur Sanctus etiam Irenæus. Inter Theologi Doctoris officium ponit, ut enarret Dei diſpoſitionem, factam in humano genere. Et in ſequenti capite: *Reliquam diſpoſitionem feciſ-* Lib. 1.
ſe. Et in alio ejuſdem operis libro: *Cauſa quæ-* cap. 4.
renda eſt hujuſmodi diſpoſitionis Dei. Et hic eſt Lib. 2.
ſecundus gentilium Philoſophorum circa dog- cap. 4.
ma lapſus, quem Doctor elucidat in libro Apologetico, poſt enumeratos Philoſophorum circa Divinam ſubſtantiam errores pergens: *Sic & de ipſo mundo, natus innatuſve ſit, deceſſurus manſuruſve ſit, Philoſophi variant. Sic & de animæ ſtatu, quam alii Divinam & æternam, alii diſſolubilem contendunt. Ut quis ſenſit, ita & intulit, aut reformavit.* Eorum de animæ noſtræ natura diverſos ac adverſos errores exponit in libro de anima, & adjungit: *Siquidem & ab Apoſtolo jam* Cap. 3.
tunc Philoſophia, concuſſio veritatis, providebatur. Affirmat Philoſophos eſſe *ſapientiæ atque facundiæ caupones*, qui per *philoſophatas hominum doctrinas* veritatis vino admiſceant aquam multi erroris. Et qui *Philoſophiæ nidoribus candidum & purum aerem veritatis infuſtunt*. Et in libro de Patientia ſcribit: *Philoſophi alicujus ſapientiæ ani-* Cap. 1.
malia deputantur. Et infrà in hoc ipſo capite dicit Philoſophiam eſſe humanam ſapientiam, affectatricem & interpolatricem veritatis. Quia nempè eam hinc indè attingunt, nec ipſius vinum penitus abolent, ſed ſolummodo miſcent, interpolant, ac fœdant. Rationem dat in laudato libro de anima: *Planè non negabimus aliquando Philoſophos juxta noſtra ſenſiſſe. Teſtimonium eſt veritatis etiam eventus ipſius. Nonnunquam & in procella, confuſis veſtigiis cœli & freti, aliquis portus offenditur proſpero errore. Nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate. Et à natura pleraque ſuggeruntur, quaſi de publico ſenſu, quo animam Deus dotare dignatus eſt.* Quia nempè naturale intellectus noſtri lumen per primum peccatum non eſt extinctum penitus, ſed dumtaxat læſum & obductum. Reſtant magnæ ipſius reliquiæ. Iſtius proſperi erroris, & cæcæ felicitatis, quæ Philoſophos quandoque duxerunt in aliquid veritatis, Septimius

addit

addit fuiſſe & aliam cauſam: Quòd nempè no-
ſtras ſacras Prophetarum litteras legerint. Quod
ipſum affirmant & alii Patres. His ergò de cau-
ſis Septimius rectè dicit gentilem Philoſophiam
eſſe ſæcularem ſapientiam, jure merito à Chri-
ſto Domino appellatam ſtultitiam, & mundi
ſtulta ab ipſo in iſtius confuſionem electa. Nem-
pè viles opifices ac ruſticanæ mulieres ſunt ſtul-
ta ac ignobilia mundi: Et tamen ipſi Divinæ
Majeſtatis naturam, qualitates, ac ſedem, cir-
ca quæ Philoſophi miſerrimè hallucinantur, ſi-
ne errore noverunt. A Chriſto Domino edocti
in confuſionem Philoſophiæ.

Ex hoc turbido ac fœdo fonte Tertullianus
affirmat naſci ac ſubornati hæreſes, adeoque &
ipſas eſſe turbidas ac fœdas. Ita & in libro de
Cap. 3. Animæ ſcribit: *Philoſophi, Patriarchæ, ut ita
dixerim, hæreticorum*. Et in libro contra Her-
Cap. 8. mogenem: *Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi*.
Et iterùm: *Hermogenes à Chriſtianis converſus ad
Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & Porticum,
indè ſumpſit materiam cum Domino ponere, quæ
ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta*. Et
Cap. 13. in primo libro adversùs Marcionem ſcribit Phi-
loſophos eſſe *ſapientiæ Profeſſores*, & adjungit:
De quorum ingeniis omnis hæreſis armatur. Et in
libro de carnis Reſurrectione declamat ad Gno-
Cap. 3. ſticos: *Diſcede ab Ethnico hæretice, & ſi unum
eſtis omnes, qui Deum fingitis, dum hoc tamen in
Chriſto noſtro facis, dum Chriſtianus tibi videris,
alius ab ethnico es. Redde illi ſuos ſenſus, quia
nec ille de tuis inſtruitur. Quid cæco duci innite-
ris, ſi vides? Quid veſtiris à nudo, ſi Chriſtum in-
duiſti? Quid alieno uteris clypeo, ſi ab Apoſtolo ar-
matus es?* Et in libro Apologetico: *Ex horum,*
Cap. 47. gentilium Philoſophorum, *ſemine etiam noſtram
hanc novitiolam Paraturam viri quidam ſuis opinio-
nibus ad philoſophicas ſententias adulteraverunt,
& de una via obliquos multos & inexplicabiles tra-
mites ſciderunt. Quòd ideò digeſſerim, ne cui nota
varietas Sectæ hujus, in hoc quoque nos Philoſophis
adæquare videatur, & ex varietate defenſionum ju-
dicet veritatem. Expedite autem præſcribimus a-
dulteris noſtris, illam eſſe regulam veritatis, quæ
veniat à Chriſto, tranſmiſſa per comites ipſius, qui-
bus aliquantò poſteriores diverſi iſti Commentatores
probabuntur*. Agit adversùm gentiles, qui Chri-
ſtianam Religionem cenſebant non Divinum In-
ſtitutum, ſed eſſe humanum Philoſophiæ genus.
Et ipſorum argumentum erat, quòd uti inter
Philoſophos, ita & inter Chriſtianos eſſent di-
verſæ claſſes opinionum ac Sectarum. Doctor
reſpondet has omnes claſſes non eſſe authenti-
cum Chriſtianiſmum, ſed poſteriores hæreticas,
ac damnatas illius corruptelas, quæ ex deviis
gentilium Philoſophorum principiis ſint hauſtæ,
ac per erroris Spiritum intruſæ ad verum Chriſtia-
niſmum turbandum atque infamandum. Et re-
vera hæreſes ex humanæ Philoſophiæ Sectis non
dumtaxat deſumptæ ſunt, ſed & ipſas per omnia
imitantur. Etenim & illæ veritatem affectant, &
affectando corrumpunt. Etiam hæretici ſunt ali-
cujus ſapientiæ animalia, & caupones. Verita-
tem non penitùs evertunt, ſed ſolummodò per-
cutiunt ac mutilant. Aquam vino miſcent, &
purum veritatis aerem ſparſis hinc indè errorum
nebulis obducunt. Hinc & in Evangelio Domi-
nus noſter hæreſes atque hæreticos ſignificavit
per lepram atque leproſos. Et rectè. Etenim
uti lepra in cute, ita hæreſis in Chriſtiano dog-
mate eſt ſparſa hinc indè macula.

Indè Æones, & formæ neſcio quæ.

Septimius demonſtrare pergit, quòd omnes
hæretici ducant originem ex gentili Philoſo-
phia. Et incipit à Valentino, cujus ſcelerata
Secta tunc præſertim graſſabatur. Eccleſiaſticæ
glorificationis hymnus, *Gloria Patri, & Filio,
& Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc
& ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen*, eſt om-
ninò Apoſtolicum Inſtitutum. Ita in libro de
Spiritu Sancto tradit ac ſupponit magnus Bſſilius.
Eundem Hymnum, uti antiquiſſimum, laudat Cap. 25.
Doctor noſter in libro de Spectaculis. Et Sanctus
Irenæus ſcribit: *Nos in gratiarum actionibus dici-* Lib. 1.
mus, Æonas Æonum. Videtur olim Latina et- cap. 1.
iam Eccleſia iſtas Græcas voces uſitaſſe. Nam
& ipſas in Africana Eccleſia dici conſuetas affir-
mat in adducto loco Tertullianus. Erat Hym-
nus ſummæ auctoritatis. Nam ex ipſo ſuam,
quæ malè apud quoſdam ſonuerat, de glorioſa
Trinitate loquendi formulam purgavit in memo-
rato libro magnus Baſilius. Quin ejus laudem
ſuo Symbolo impoſuit, ac ex ipſo Spiritus San-
cti conſubſtantialem Divinitatem firmavit Con-
ſtantinopolitana Synodus: *Qui cum Patre & Fi-
lio ſimul adoratur & conglorificatur*. Ex ipſo ſuum
triginta Æonum Pleroma firmare ſtuduit etiam
Valentinus. Primum Æonem deſcribit Sanctus
Irenæus: *Valentiniani dicunt eſſe quemdam in in-* Lib. 1.
viſibilibus & inenarrabilibus Altitudinibus perfectum cap. 1.
*Æonem, qui antè fuit. Hunc autem & Proarchen,
& Propatora, & Bython vocant. Eſſe autem illum
inviſibilem, & quem nulla res capere poſſit. Cùm
autem à nullo caperetur, & eſſet inviſibilis, ſempi-
ternus, & ingenitus, in ſilentio & in quiete multa
fuiſſe in immenſis Æonibus. Cum ipſo autem fuiſſe
& Ennœam, quam etiam Charin & Sigen vocant,
& aliquando voluiſſe à ſemetipſo emittere hunc By-
thon, initium omnium, & velut ſemen*. Iſtum per-
fectum ac ſempiternum Æonem appellant etiam
Autogenitorem. Ennœam affirmant fuiſſe ejus
uxorem, & ex iſto conjugio proceſſiſſe triginta
Æonas. Quidam garriunt proceſſiſſe infinitos.
Sceleratam Sectam, licèt ſuos Sectatores jacta-
ret Gnoſticos ſeu Sapientes, ac non tantùm
Sanctis Apoſtolis, ſed ipſo Creatore Deo doctio-
res, fuiſſe ineptiſſimam ſtultitiam affirmat ac
demonſtrat laudatus Irenæus: Fuiſſe ſtupidiſſi-
mos pepones Quod ipſum de Marcione ſcripſit
noſter Septimius. Et omnis Eccleſia meritò ip-
ſos appellat duplicis Divinitatis fabulones. Hinc
ipſorum ſtultum ac delirum, quod & longum

ac ſibi ipſi contrarium eſt, dogma exponere eſt inutile. Ipſum videndum eſt apud Sanctum Irenæum, Doctoris noſtri librum contra Valentinianos, Sanctum Epiphanium, Theodoretum, ac alios. Ejuſdem meminit in Commentario ſuper tertium caput Amos Prophetæ Sanctus Hieronymus. Valentini interim Æonas Septimius rectè hic appellat formas. Etenim fuiſſe figuras ſeu virtutes, quæ Divinitatis Pleroma explerent, affirmat etiam Sanctus Irenæus. Erant Valentino quid ſimile Idæis Platonicis. Inſuper hic adverte voces, *Incapabilis*, *Ingenitus*, *Innominabilis*, aliaſque ſimiles, quas poſtmodò Arius aſſumpſit, eſſe à Valentino. Etiam Arianum dogma, quod garrit Patrem eſſe & Filio inviſibilem. Nam & Valentinus garrivit ſupremum Æonem à nullo etiam intra Pleroma alio poſſe videri aut agnoſci.

Trinitas hominis.

Hæc Trinitas ſunt homo Hylicus ſeu Choicus, id eſt, materialis aut terrenus; homo Pſychicus ſeu animalis; & homo ſpiritalis. Apud Valentinum trigeſimus Æon ex nimia curioſitate errans, ideoque extra Pleroma lapſus, aut potiùs errantis & lapſi tabida Enthymeſis creavit mundum, & ab ipſa factam hominis creatio-
Lib. 1. cap. 1. nem ſic exponit Sanctus Irenæus: *Cùm Enthymeſis fabricaſſet mundum, fecit & hominem Choicum, non autem ab hac arida terra, ſed ab inviſibili ſubſtantia, & ab effuſibili, & fluida materia accipientem. Et in hunc inſufflaſſe Pſychicum definiunt Valentiniani. Et hunc eſſe ſecundùm imaginem & ſimilitudinem factum. Secundùm imaginem quidem Hylicum eſſe, proximum quidem, ſed non ejuſdem ſubſtantiæ eſſe Deo. Secundùm ſimilitudinem verò Pſychicum, undè & ſpiritum vitæ ſubſtantiam ejus dictam, cùm ſit ex ſpiritali defluxione. Poſt deinde circumdatam dicunt ei adamantinam tunicam. Hanc autem ſenſibilem carnem eſſe volunt.* Et inferiùs in eodem ejuſdem libri capite: *Tria genera hominum oſtendiſſe Chriſtum docent. Hylicum quidem in eo, quòd reſponderit dicenti*, Sequar te, Non habet Filius hominis ubi caput reclinet. *Animale autem in eo, quòd dixerit dicenti*, Sequar te, permitte autem mihi ire, & renunciare domeſticis. Nemo ſuper aratrum manum imponens, & in poſteriora reſpiciens aptus eſt regno cœlorum. *Hunc autem dicunt eſſe de mediis. Et illum autem ſimiliter, qui multas partes juſtitiæ confitebatur ſe feciſſe, poſt deindè noluiſſe ſequi, ſed à divitiis victum, ut ne fieret perfectus, & hunc de Pſychico genere fuiſſe volunt. Spiritale verò in eo, quod dicit*, Remitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. *Et Zachæo Publicano dicens*: Properans deſcende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere. *Et in fermenti parabola, quod mulier abſcondiſſe dicitur in farinæ ſata tria, tria genera hominum, Spiritale, Animale, Choicum dicunt.* Et iterùm: *Hominum tria genera dicunt, Spiritalem, Pſychicum, Choicum, quemadmodum ſunt Cain, Abel, Seth, ut oſtendant & ex his tres naturas, jam non ſecundùm unumquemque, ſed ſecundùm genus.* Iſtas tres hominum formas non dumtaxat ſecundùm unumquemque, ſeu individuales proprietates differre dicunt, ſed ſecundùm genus, ſeu ſubſtantialem ſpeciem. Diſtinctionis fundamenta ſunt ſtulta ac fabuloſa, ideoque uſque ad radicem non exponenda. Non expendamus tempus, cujus nemo poteſt reparare jacturam.

Scelerati tamen dogmatis ſcopus eſt exponendus. In JESU Salvatore affirmat fuiſſe & Spiritalis & Pſychici hominis ſubſtantiam: Hanc à Demiurgo, illam ab Enthymeſi. Et adjungit: *Et Hylicum autem nihil ſuſcepit. Non enim eſſe Hylicum capacem ſalutis dicunt. Conſummationem verò futuram, cùm formatum & perfectum fuerit ſcientia omne ſpiritale, hoc eſt, homines qui perfectam agnitionem habent de Deo, & hi qui ab Achamot initiati ſunt myſteria. Eſſe autem hos ſemetipſos. Erudiuntur autem Pſychica, id eſt, animalia, Pſychici, id eſt, animales homines, qui per operationem & fidem nudam formantur, & non perfectam agnitionem habent. Eſſe autem hos nos, qui ſumus ab Eccleſia, dicunt. Quapropter & nobis quidem neceſſariam eſſe bonam converſationem reſpondent: Aliter autem impoſſibile eſſe ſalvari. Semetipſos autem non per operationem, ſed eo quod ſunt naturaliter ſpiritales, omninò ſalvari dicunt. Quemadmodum enim Choicum impoſſibile eſt ſalutem percipere, non enim eſſe illum capacem ſalutis dicunt; ſic iterùm, quod ſpiritale, quod ſemetipſos eſſe volunt, impoſſibile eſſe corruptelam percipere, licèt in quibuſcumque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depoſitum non amittit decorem ſuum, ſed ſuam naturam cuſtodit, cùm cœnum nihil nocere auro poſſit; ſic & ſemetipſis dicunt, licèt in quibuſcumque materialibus operibus ſint, nihil ſemetipſos nocere, neque amittere ſpiritalem ſubſtantiam. Quapropter & intimoratè omnia quæ vetantur, hi qui ſunt ipſorum perfecti, operantur. Etenim Idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes. Et in omnem diem feſtum Ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum primi conveniunt, ut in nihilo quidem abſtineant, quod eſt apud Deum & homines otioſum, muneris homicidiale ſpectaculum. Quidam autem & carnis voluptatibus inſatiabiliter inſervientes, carnalia carnalibus, ſpiritalia ſpiritalibus reddi dicunt.* Eorum flagitia exponit, atque proſequitur: *Nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam in mentibus noſtris & ſermonibus peccare, arguunt quaſi idiotas, & nihil ſcientes; ſemetipſos extollunt, perfectos vocantes, & ſemina electionis. Nos enim in uſu gratiam accipere dicunt, quapropter & auferri à nobis; ſemetipſos autem propriè poſſidere, de ſursùm ab inenarrabili & innominabili Syzygia deſcendentem habere gratiam, & propterea adjici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos ſemper Syzygiæ meditari myſterium. Et hoc ſuadent inſenſibilibus eis ſermonibus, dicentes ſic: Quicumque in ſæculo eſt, & uxorem non amat, ut ei conjungatur, non eſt de veritate, & non tranſiet*

in

in veritatem; qui autem de ſæculo eſt mixtus mulieri, non tranſit in veritatem. Quoniam in concupiſcentia eſt mixtus mulieri. Quapropter nobis quidem, quos Pſychicos vocant, & de ſæculo eſſe dicunt, neceſſariam continentiam & bonam operationem, uti per eam veniamus in medietatis locum; ſibi autem, ſpiritalibus & perfectis vocatis, nullo modo. Non enim operatio in Pleroma inducit, ſed ſemen, quod eſt indè quidem puſillum demiſſum, hic autem perfectum factum. Etiam infra pergit Sanctus Irenæus: *Et Choicum quidem dicunt in corruptelam abire; animalem verò, ſi meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum, ſi verò pejora, tranſire & ipſam ad ſimilia. Spiritalia verò inſeminat Achamot, ex illo tempore uſque nunc, propter quod & animæ erudiantur quidem hic, & ſemina enutrita, quia puſilla emittuntur, poſt deinde perfectione digna habita, ſponſas reddi Salvatoris Angelis reſpondent, animabus eorum ex neceſſitate in medietate cum Demiurgo refrigeraturis in æternum. Et ipſas autem animas rursùm ſubdividentes, dicunt quaſdam quidem natura bonas, quaſdam autem natura malas. Et bonas quidem has eſſe, quæ capaces ſeminis ſunt; alias verò natura nequam nunquam capere illud ſemen.* Quòd quidam Valentiniani Choicum ſexto, Pſychicum octavo mundi die dixerint creatum, ſpiritalem hominem eſſe maſculum ſimul & fœminam, teſtatur idem Irenæus.

Spiritalis ergò ac fabuloſus ſcelerati Valentini homo habet animam natura bonam, eſt naturaliter ſpiritalis ac juſtus, & licèt ſit in ſæculo, non tamen eſt de ſæculo. Eſt per omnia perfectus. Habet naturalem ac inamiſſibilem juſtitiam, & nulla via poteſt maculari. Hinc omnia judicat, & à nemine judicatur. Ei licent omnia: Et facinora, & flagitia. Etiam idololatria. Præſertim tamen flagitia. Nam quicumque in ſæculo eſt, & non miſcetur mulieribus, apud ipſos nec de veritate eſt, nec tranſiet in veritatem. Uti aurum nullo luto, ita talis anima nullo flagitio maculatur. Omnia munda mundis. Quia nempè perfectus ac ſpiritalis eſt iſte homo, ideoque omnia, etiam flagitia, patrat ſine concupiſcentia. Hanc monſtroſam Sectam notat ac damnat Sanctus Judas Apoſtolus: *Homines impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Impuro ore & corde blaterarunt luxuriam non dumtaxat ſibi licitam, ſed & eſſe ipſam Dei gratiam, opus Divinæ benedictionis impetratorium, & quidem quaſi ex opere operato. Eſſe & ſempiternam beatitudinem, in qua bonæ animæ concumbent cum Angelis Salvatoris. Valentinus eſt è Simone Mago natus fungus, ideoque quòd ejus ſemina fuerint Apoſtolicis temporibus, rectè affirmat Septimius in libro contra Valentinianos. Alterum hominis genus eſt Pſychicum, Cap. 3. ſeu animale. Imperfectum, attamen perfectibile. At ſuo modo. Nempè uſque ad quamdam medietatem. Hinc illi non licere flagitia aut facinora, ſed eſſe neceſſaria bona opera: Et ſine ipſis perire. Et nos Catbolicos eſſe iſtud hominum genus, ideoque bonorum operum neceſſitatem à nobis meritò prædicari. Tertium hominis genus eſt Hylicum & Choicum, ſeu materiale & terrenum. Et hoc eſt natura malum, & habet naturaliter malam animam. Hinc totum in corruptelam ſeu damnationem vadit, incapax ſalutis, ideoque & ejus ſubſtantia non fuit in Salvatore. Proindè hujus monſtroſæ & fabuloſæ Trinitatis ſcopus eſt, ut ſpurcus Valentini grex liberè vivat Hircum, & non tantùm poſſit, ſed inſuper quaſi obligetur per omnia flagitia volutari.

Has inſulſas fabulas latiùs ac luculentiùs exponunt Theodoretus, ac præſertim Sanctus Epiphanius, ac ipſe noſter in libro contra Valentinianos Tertullianus. Nolim omittere hoc ejus compendium: *Colligam nunc ex diſperſo, ad concludendum, quæ de totius generis humani diſpoſitione differunt. Triformem naturam primordio profeſſi, & tamen inunitam in Adam, indè jam dividunt per ſingulares generum proprietates, nacti occaſionem diſtinctionis hujuſmodi ex poſteritate ipſius Adæ, moralibus quoque differentiis tripartitæ, Cain, Abel, & Seth, fontes quodammodo generis humani in totidem derivant argumenta naturæ atque eſſentiæ. Choicum, ſaluti degeneratum, ad Cain redigunt. Animale, mediæ ſpei deliberatum, ad Abel componunt. Spiritale, certæ ſpei præjudicatum, in Seth recondunt. Sic & animas ipſas duplici proprietate diſcernunt, bonas & malas: Secundum Choicum ſtatum ex Cain, & animalem ex Abel, ſpiritalem ex Seth. De obvalentia ſuperducunt jam non naturam, ſed indulgentiam, ut quos Achamoth in ſuperioribus in animas bonas depluat, id eſt, animali cenſui inſcriptas; Choicum enim genus, id eſt, malas animas, nunquam capere ſalutaria. Immutabilem enim & irreformabilem naturam pronuntiaverunt.* Cap. 29.

Et ex iſtis ſordibus quædam addiſcimus. Primò, quòd fœdus Amalricus, Beggardi ac Beginæ, ſimileſque alii ſuam blaſphemam ſcabiem à Valentino hauſerint. Nam & hi garriverunt ſeſe perfectos, & puros à libidine, ideoque ſuæ immobili charitati licere quævis flagitia. Secundò diſcimus, quòd ex eadem radice prodeant Calviniſtæ. Etenim uti Valentinus hos, quibus ſpiritale Enthymeſios ſemen immiſſum eſt, ita Calvinus affirmat eos, qui ſunt de Divinæ electionis fœdere, eſſe immobiles in juſtitia ac Divina gratia, & hanc ipſis nullo facinore, nullo flagitio poſſe exſufflari. Et quidem Valentinus fuit Calvino æquior. Etenim docuit ſaltem animali hominum generi eſſe neceſſaria bona opera, Divinam gratiam poſſe ab illo & acquiri & perdi, & per ipſa pertingi ad æternam ſalutem: Licèt non ad ſupremam, tamen ad mediam beatitudinem. Tertiò diſcimus, quòd noſter ad Montanum lapſus Septimius contumeliam, qua nos appellavit Pſychicos, deſumpſerit ex Valentino. Ita à maximis etiam viris proficitur per hæreſim. Quartò diſcimus, quòd hæc Apoſtolica regula, *Quidquid Verbum non aſſumpſit, non ſalvavit*, ſit adeò firma & vera, ut & fœdus Valentinus ipſam non præſumpſerit inficiari. Et

enim Hylici ſeu materialis hominis ſubſtantiam, quoniam cenſebat ſalutis incapacem, etiam dixit non fuiſſe in Salvatore.

Platonicus fuerat.

Etiam infrà in hoc libro ſcribit Doctor: *Ubi Valentinus Platonicæ Sectator?* Et in libro de Car-
Cap. 30. ne Chriſti: *Hæreticus, & Apoſtata, & Platoni-*
Cap. 18. *cus Valentinus.* Et in libro de Anima: *Plato vult eſſe quaſdam ſubſtantias inviſibiles, incorporales, ſupermundiales, Divinas, & æternas, quas appellat Ideas, id eſt, formas, exempla, & cauſas naturalium iſtorum manifeſtorum, & ſubjacentium corporalibus ſenſibus. Et illas quidem eſſe veritates, hæc autem imagines earum. Relucentne jam hæretica ſemina Gnoſticorum & Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium ſenſuum & intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum attemperant, ut quinque ſtultæ ſenſus corporales figuraverint, ſtultos videlicet, quia deceptui faciles; ſapientes autem intellectualium virium notam expreſſerint, ſapientium ſcilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & ſupernam, & apud Pleroma conſtitutam, hæreticarum Idearum Sacramenta. Hoc enim ſunt & Æones, & genealogiæ eorum.* Et infrà in eodem libro: *Exinde Valentini ſemen Sophiæ inſulſit animæ, per quod hiſtorias atque mileſias Æonum ſuo-*
Cap. 23. *rum ex imaginibus viſibilium recognoſcunt. Doleo, bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum.* Et in libro Apologetico: *Plerique gentiles ſic diſponunt Divinitatem, ut imperium ſum-*
Cap. 24. *mæ dominationis eſſe penes unum, officia ejus penes multos velint. Ut Plato Jovem magnum in cœlo comitatum deſcribit exercitu Deorum pariter & Dæmoniorum.* Variæ apud Platonem, ex ſupremo Protopatre procedentes, Ideæ ſeu formæ non ſunt aliud, quàm varii intra Pleroma Dii, quos Valentinus appellavit ſæcula, ſeu Æones.

Quintinus inſigniter exponit: *Valentinus Timæum Platonis, & ejus Epinomidem totam voluit in ſalutis noſtræ negotium, Religionemque transferre, numeris atque proportionibus omnia definiens, & horum cognitioni tribuens hominis abſolutam felicitatem. Ex unitate neſcio qua connexuit quindecim dualitates. Ex his quemdam tricenarium deduxit. Quem rurſùs trifarium partitus eſt: In octonarium, in denarium, & in duodenarium. Numeros iſtos appellavit Æonas, id eſt, ætates aut ſæcula: Quæ triginta dicebat eſſe. Cur autem ſuos numeros appellarit Æonas aut ſæcula, non recordor me legiſſe rationem, niſi quod aſtutum nebulonem putem, cum nuſquam videret in Eccleſiæ Chriſtianæ myſteriis haberi numerorum rationem, Sæculorum verò Sæcula, Æonum Æonas, ſubindè memorari cerneret, iſtos nobis Æonas pro numeris ſuppoſuit: De quibus intelligi volebat ubicumque Sæculum vel Sæcula nominantur in Sacris. Inſuper & integrum Parmenidem, qui de uno omnium Principio, ſive de Ideis agit, ad noſtræ quoque ſalutis inſtrumentum, ceu neceſſarium quid proferebat. Rerum duntaxat intellectualium ſpecies quaſdam ſeu formas Acatargetas, indefinenter operantes, & inabolibiles exponens.* Dictum formarum ſeu Æonum tricenarium erat Valentino integrum Divinitatis Pleroma, de quo Sanctus Irenæus: *Horum omnium unitas, quæ voca-* Lib. 1.
tur Triacontas. cap. 15.

Sanctus Irenæus has ſceleratas Valentini blaſphemias affirmat non tantummodo ex Platone, omnium gentilium Philoſophorum minùs impuro, ſed etiam ex Thalete, Anaxagora, Democrito, ac Epicuro, immò & ex Poetarum fabulis eſſe depromptas, ac lucidè demonſtrat: *Mul-* Lib. 2.
tò veriſimilius & gratius de univerſorum geneſi dixit cap. 19.
unus de veteribus Comicis Antiphanes in Theogonia. Ille enim de nocte & ſilentio chaos emiſſum dicit, dehinc de chao & nocte cupidinem, & ex hoc lumen, dehinc reliquam ſecundum eum primam Deorum geneſim. Poſt quod rurſus ſecundam Deorum generationem induxit, & mundi fabricationem, dehinc de ſecundis Diis narrat hominum plaſmationem. Undè ipſi aſſumentes ſibi fabulam quaſi naturali diſputatione commenti ſunt, ſolummodo demutantes eorum nomina, id ipſum autem univerſorum generationis initium, & emiſſionem oſtendentes, pro nocte & ſilentio Bython & Sigen nominantes, pro chao autem Nun, & pro Cupidine, per quem ait Comicus reliqua omnia diſpoſita, hi Verbum attraxerunt, & pro primis ac maximis Diis Æonas formaverunt, & pro ſecundis Diis eam quæ eſt extra Pleroma matris ipſorum enarrant diſpoſitionem, ſecundam Ogdoadem vocantes eam, ex qua mundi fabricationem & plaſmationem hominum ſimiliter atque illi annuntiant inenarrabilia & incognita myſteria ſolos ſe dicentes ſcire, quæ ubique in theatris comœdizantur, tranſferentes in ſuum argumentum, immò verò iiſdem argumentis docentes, tantùm immutantes nomina. Demonſtrare pergit, quod etiam ex memoratis Philoſophis, ac item ex Pythagoræ per Quintinum expoſitis numeris Valentinus ſit ſuum dogma mutuatus.

Conſentit Sanctus Epiphanius. Affirmat Valentini Patriam apud multos eſſe ignotam, & Hæreſi 31.
adjungit: *Nos quidquid accepimus ex de re, pro-*
feremus. Sunt qui Phreboniten illum faciunt ex Æ- Cap. 2.
gypti quadam ora, undè Alexandriam profectus ſit, ibique Græcorum artibus inſtitutus. A quibus & Heſiodiæ Theogoniæ, ac triginta illorum Deorum, quos ibidem ille recenſuit, ac gentilium fabularum in animo ſuo exemplum informavit. Tum ab iis, qui vel ſuo tempore, vel ante ſe à veritate receſſerunt, mutuatus errorem, eadem cum Heſiodo, mutatis duntaxat nominibus, excogitata ad circumveniendum humanum genus invenit. Etenim Deos ille triginta & Æonas, totidemque cœleſtes orbes conſtituit, quorum primus eſt Bythus, ut huic inſano videtur: Quemadmodum etiam auctor ejus opinionis & conditor Heſiodus prius omnibus Diis chaos eſſe dixit. Atqui chaos & Bython idem omninò ſignificare, nemo eſt qui neſciat. Triginta Valentini Æones eſſe idem cum triginta Heſiodi Diis demonſtrat, & adjungit: *Quæ ſi quis cum Heſiodi, Steſichori, alterumque Græcorum Poetarum fabulis conferat, eadem cum illis penitus eſſe, ne-*

que

que ulla in re diſcrepare comperiet, indidemque cognoſcet nihil aliud eſſe admiratione dignum, quòd iſti mirificarum hæreſeon conditores, velut arcana quædam ac myſteria penes ſe eſſe profitentur. Et iſtud ipſum denuò demonſtrat.

Quòd Valentinus ſuum triplex hominum genûs ex Platone hauſerit, affirmat etiam Sanctus Irenæus: *Hoc autem quod ex ſubjecta materia Valentiniani dicunt fabricatorem feciſſe mundum, & Anaxagoras, & Empedocles, & Plato primi ante eos dixerunt, ut videlicet datur intelligi, & ipſi à matre ſua inſpirati. Quod autem ex neceſſitate unumquodque in illa ſecedit, ex quibus & factum eſſe dicunt, & hujus neceſſitatis ſervum eſſe Deum, ita ut non poſſit mortali immortalitatem addere, vel corruptibili incorruptelam donare, ſed ſecedere unumquemque in ſimilem naturæ ſuæ ſubſtantiam, & hi qui ex Porticu Stoici appellantur, & univerſi, quotquot Deum ignorant, Poetæ & conſcriptores affirmant. Qui eandem habentes infidelitatem, ſpiritualibus quidem ſuam regionem attribuerunt, eam quæ eſt intra Pleroma, animalibus autem medietatis, corporalibus autem quod Choicum. Et præter hæc nihil poſſe Deum. Sed unumquemque prædictorum ad ea, quæ ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, ſecedere affirmant.* Porrò Platonis de hac re ſententiam habes in his ejus verbis: *Eſtis quidem omninò, qui eſtis in civitate, Fratres, ut ii dicemus narrantes fabulas. Sed Deus, dum fingeret quicumque ex vobis apti erant ad imperandum, aurum eis commiſcuit in generatione: Et ideò ſunt præſtantiſſimi, ac maximi pretii. Quicumque autem erant auxiliatores, argentum: Ferrum autem & æs agricolis & aliis opificibus.* Hæc verba adducit in quinto Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus, atque commentatur: Fol. 595. *Undè Plato dicit fuiſſe neceſſe, ut amplecterentur & amarent, ii quidem ea propter quæ eſt cognitio, illi verò ea propter quæ eſt gloria. Fortaſſe autem divinas electam hanc naturam, quæ deſiderat cognitionem. Niſi fortè tres aliquas ponens naturas deſcribit tres formas Reipublicæ, ut quidam exiſtimarunt: Judæorum quidem argenteam, Græcorum autem tertiam, Chriſtianorum verò, quibus aurum Regale eſt admixtum, nempè Spiritus Sanctus.* Plato atque alii plures Philoſophi fuerunt uſi ſymbolico docendi genere: Arcanas ſuas aſſertiones multo verborum involucro apud cæcam plebem obtexerunt & velarunt. Hinc an per iſtam à Conditore factam metallorum mixturam voluerit ille triplicem hominum naturam, an triplicem ejuſdem naturæ in varia Religione ac Profeſſione ſtatum ſignificare, Sanctus Clemens & alii meritò dubitarunt. Clementis verba, *Fuiſſe neceſſe ut amplecterentur & amarent*, poſſint & naturæ, & legis neceſſitatem importare. De Marcione ſcri-
Fol. 434. bit idem Clemens in quinto libro: *Externorum & alienorum Dogmatum occaſiones Marcion ingratè & indoctè accepit à Platone.* Quia nempè Platonem pravè intellectum detorſit ac pervertit. Iſtud ipſum fecit Valentinus. Adducta, & alia ipſis ſimilia Platonis verba non ſymbolicè, ſed ad litteram accepit, & ex ipſis procudit ſpiritalem, animalem, ac terrenam naturam hominum. Et hic in Septimio nota vocabulum, *Trinitas*. Ipſum tamen non applicat ad Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam. Eodem modo ipſum uſurpat in quarto Stromatum libro laudatus Cle- Fol. 495.
mens, ſcribens Fidem, Spem & Charitatem eſſe Chriſtianæ juſtitiæ fundamentalem *Trinitatem*. At verò in quinto libro demonſtrat tria prima Principia doceri à Platone, atque adjungit: *Non aliter ego intelligo, quam Sanctam ſignificari* Fol. 598.
Trinitatem. Quocircà qui iſtud vocabulum exiſtimant à Divinæ Majeſtatis ſubſtantia non fuiſſe applicatum ante Arianos motus, palàm hallucinantur.

Indè Marcionis Deus, &c.

Cerdonis exordia & errores compendio expoCerdonis exordia & errores compendio exponit Sanctus Irenæus: *Cerdon ab iis, qui ſunt er-* Lib. 1. cap. 28.
ga Simonem, occaſionem accipiens, cùm veniſſet Romam ſub Higyno, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit, docuit eum qui à lege & Prophetis annuntiatus ſit Deus, non eſſe Patrem Domini noſtri Chriſti JESU. *Hunc enim cognoſci, illum autem ignorari: Et alterum quidem juſtum, alterum autem bonum eſſe.* Cerdon Valentinianos Æonas, & ipſorum interminabiles Genealogias & Pleroma deſeruit: Garrivit duos dumtaxat Deos. Alium veteris, alium novi Teſtamenti. Hunc eſſe JESU Chriſti Patrem, ad ejus uſque prædicationem fuiſſe ignotum, per iſtam prædicationem innotuiſſe humano generi, eſſe dumtaxat bonum & clementem, non juſtum aut ſeverum. Iſtum verò eſſe Creatorem mundi, ex creationis opere notum omnibus, antiquæ legis ac Prophetarum Deum, malorum omnium auctorem, juſtum dumtaxat & ſeverum, non clementem aut bonum, ideoque à Chriſto Domino improbatum. Ejus diſcipulus fuit Marcion, de quo idem Irenæus: *Succedens Cerdoni* Cap. 29.
Marcion Ponticus adampliavit doctrinam, impudoratè blaſphemans eum, qui à lege & Prophetis annuntiatus eſt Deus, malorum factorem, & bellorum concupiſcentem, & inconſtantem quoque ſententia, & contrarium ſibi ipſi dicens; JESUM *autem ab eo Patre, qui eſt ſupra mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati Præſidis, qui fuit Procurator Tiberii Cæſaris, in hominis forma manifeſtatum his, qui in Judæa erant, diſſolventem Prophetas & legem, & omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem & Coſmocratorem dicit.* Licèt Marcion ſceleratæ blaſphemiæ non primus auctor fuerit, ſed dumtaxat ſectator, omnes tamen ejus conſectatores non à Cerdone Cerdoniſtæ, ſed à Marcione appellantur Marcionitæ. Quia nempè Marcion ſtrenuiſſimè firmavit ac propagavit blaſphemiam. Eadem de cauſa Donatiſtæ non à primo ſui ſchiſmatis capite Majorino, ſed ab ejus Goliath Donato habent nomen. Cunctos Marcioniticæ impietatis ſinus ac latebras explicarunt, ac refutarunt

varii: Præſertim noſter Septimius, ac Sanctus Epiphanius. Hic addit quòd Marcion ad duos Cerdonis Deos ſeu Principia adjecerit tertium: Hæreſi 42. cap. 3. *Cerdon duo Principia conſtituit; at Marcion tertium ad illius dogma Principium adjecit, ut omninò tria ſint, quorum unum eſt ſupremum, quod neque nomine comprehendi, neque viſu percipi poſſit. Quem & bonum Deum appellat, à quo nihil eorum, quæ ſunt in mundo, ſit conditum. Alterum verò Deum eſſe dicit adſpectabilem & Creatorem. Tertium denique Diabolum, inter ambos illos, adſpectabilem ſcilicet, & eum qui adſpici nequit, interjectum. Ex iis, qui Creator eſt & opifex, ac videri poteſt, Judæorum eſſe Deum, eumdemque Judicem.* Attamen apud Euſebii Cæſaræenſis Eccleſiaſticam hiſtoriam antiquus Eccleſiæ Scriptor Rhodon affirmat tria Principia non à Marcione fuiſſe inducta, ſed à Synero. Ex his vides, cur Marcionis Deus ap- Lib. 5. cap. 13. pelletur *melior de tranquillitate*. Quia nempè eſt ſemper tranquillæ ac benignæ mentis, numquam iraſcitur, nunquam exercet vindicativam juſtitiam. Palmare blaſphemi erroris fundamentum fuit pravus intellectus ſacrarum litterarum, quæ Domino Deo adſcribunt iram, pœnitentiam, zelum, aliaſque noſtri infirmi animi paſſiones.

A Stoicis venerat.

Marcionem fuiſſe Stoicum Philoſophum Doctor etiam infrà affirmat: *Marcion Stoicæ ſtudioſus.* Cap. 30. Porrò Stoicorum de Divina Majeſtate opinionem exponit in libro de teſtimonio animæ: *Sunt* Philoſophi, *qui etſi Deum non negent, diſpectorem planè, & arbitrum, & judicem non putant, in quo utique nos maximè rejiciunt, qui ad iſtam Chriſtianitatis diſciplinam metu prædicati judicii tranſvolamus, ſic Deum honorantes, dum curis obſervationis, & moleſtiis animadverſionis abſolvunt, cui ne iram quidem adſcribunt. Nam ſi Deus, inquiunt, iraſcitur, corruptibilis & paſſionalis eſt. Porrò quod patitur, quodque corrumpitur, etiam interitum poteſt capere, quem Deus non capit.* Et in ſecundo ad Autolicum libro Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus; *Stoici Deum eſſe in univerſum abnegant; aut ſi ſit, aſſerunt eum nullius, quàm ſui, curam gerere.* Antiquus & venerabilis eſt ille Theophilus. Eſt ipſe, cui Sanctus Lucas inſcripſit ſuum Evangelium, & Acta Apoſtolorum. Stoici ergò Dominum Deum cenſuerunt eſſe hominis ſapientis, cui Apathejam adſcripſerunt, exemplar ſupremum ac ideam. Hinc eum, ne in peccatores iraſci, & vindicare cogeretur, garriverunt nec diſpectorem eſſe, nec arbitrum aut judicem, ſed ſibi ſoli attendere, ac in propria ſui ſolius pace ſemper gaudere. Hoc dogma dilexit, ſed quoniam Chriſtianum nomen prætendebat, ex integro probare non potuit Marcion. Nequiit negare Divinam Providentiam, quæ & juſtis & injuſtis diſtribuat juſta ſtipendia. Hinc ne aut Stoicos deſereret aut Chriſtianos, finxit duos Deos: Alium ſolummodò clementem & bonum, alium ſolummodò juſtum ac ſeverum. Quintinus elucidat: *Cùm Marcion didiciſſet homines à Stoicis in duo genera diſtingui, quorum dicerentur alii ſapientes, & inſipientes alii, ſapientes autem nemini unquam nocere, vel inferre malum, ſed qui ſumma vivant in Euthymia, id eſt, animi tranquillitate, quiete, pace, & utiles omnibus, inſipientes verò ſævos eſſe, nihil quam noxia cogitantes, ille protinus ſe ulciſci volens adverſùs Eccleſiam, cujus Communione privatus fuerat ob ſtupratam virginem quamdam, commentus eſt etiam duos eſſe Deos, alterum bonum & ſapientem Deum, tranquillum, quietum, ſedatum, qui nemini per indecibilem naturæ ſuæ bonitatem nocere velit, ſed neque poſſit. Is eſt Chriſti Pater. Alterum verò Deum finxit eſſe malum, qui mundum creaverit & omnium ſit auctor malorum, quæ fiunt & perpetrantur in mundo.*

Et ut anima interire dicatur.

Quidam hæc verba exiſtimant dirigi in Valentinum, aut neſcio quem Valentinianum. Errant. Diriguntur illa in Marcionis diſcipulum Lucanum, de quo Doctor in libro de Carnis Reſurrectione: Cap. 1. *Animæ ſalutem omnes ferè hæretici, quoquo modo volunt, tamen non negant. Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem ſubſtantiæ parcens, quàm ſecundùm Ariſtotelem diſſolvens, aliud quid pro ea ſubjicit, tertium quiddam reſurrecturus, neque anima, neque caro, id eſt, non homo, ſed urſus forſitan, qua Lucanus.* Ejuſdem Lucani meminit præſentis libri appendix: *Extitit Lucanus quidam nomine, Marcionis ſectator atque diſcipulus, per eadem vadens blaſphemiæ genera, quæ Marcion & Cerdon docuerant.* Sanctus Philaſtrius ac Sanctus Epiphanius appellant Lucianum. Eandem inſaniam reſpicere videtur Sanctus Irenæus: *Quidam Gnoſtici neque animam,* Lib. 5. *neque corpus recipere poſſe dicunt æternam vitam,* cap. 19. *ſed tantùm hominem interiorem. Eſſe autem hunc eum, qui in eis ſit ſenſus, volunt, quem & ſolum adſcendere ad perfectum decernunt.* Dico, *videtur.* Quia etiam videtur hæc eſſe alia inſania. Lucanus enim neque corpus, neque animam, ſed ex ambobus aliquid tertium, hæc verò ſtultitia ſolam hominis tertiam partem admiſit ad ſalutem. Nempè Gnoſticum Dogma habuit tot collegia, quot hominum capita. Similem hæreſim Origenis tempore reſumpſerunt quidam Arabes, de quibus Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebii Cæſaræenſis: Lib. 6. cap. 30. *Per idem tempus quidam in Arabia dogmatis cujuſdam à veritate prorſùs alieni auctores naſcuntur, aſſerentes hominum animos unà cum corporibus, uno eodemque temporis articulo, morte occumbere, & penitus extingui, ac demum tempore Reſurrectionis univerſę carnis cum eiſdem vitam denuò recuperaturos.* Addit errorem ab Origene, quem iſtius Provinciæ Epiſcopi ad iſtum finem invitaverant, fuiſſe revictum, & ab eorumdem Epiſcoporum Synodo damnatum. Attamen inter Lucanum & Arabes fuit aliquid differentiæ. Hi eandem animam cum eodem corpore, ille neque idem corpus,

pus, neque eandem animam, ſed aliquid ex ambobus tertium garrivit reſurrecturum.

Ab Epicureis obſervatur.

Non ſolus Epicurus deliravit animam noſtram eſſe mortalem, ſed & naſcio qui alii gentilium philoſophaſtri, de quibus Doctor in libro de Ani-
Cap. 51. ma: *Sed nec modicum quid animæ ſubſidere in mortuo corpore eſt, deceſſurum quandoque & ipſum, cum totam corporis ſcœnam tempus aboleverit. Et hoc enim in opinione quorundam eſt. Propterea nec ignibus funerandum ajunt, parcentes ſuperfluo animæ.* Quam ſtultitiam ſectatus fuiſſe videtur non dumtaxat Democritus, ſed & ipſe immortalium animarum defenſor Plato. Pergit enim Doctor: *Ita argumentationes emendicant, ut velint credi etiam poſt mortem quaſdam animas adhærere corporibus. Ad hoc enim & Plato, etſi quas vult animas ad cœlum ſtatim expediat, in Politica tamen cujuſdam inſepulti cadaver opponit, longo tempore ſine ulla labe, præ animæ ſcilicet individuitate, ſervatum. Ad hoc & Democritus incrementa unguium & comarum inſepulturis aliquanti temporis denotat.* Garriunt animas non tantummodò mortales, ſed & diviſibiles, ideoque pedetentim ſolvi cum cadavere. Et in ipſo comas adhuc & ungues produci ab ejus reliquiis. Nec mireris iſtam Platonis vanitatem. Etenim duplex animarum genus ab ipſo didicerunt Gnoſtici. Hinc pergit
Cap. 54. Septimius: *Omnes fermè Philoſophi, qui immortalitatem animæ, qualiter volunt, tamen vindicant, ut Pythagoras, ut Empedocles, ut Plato; quique aliquod illi tempus indulgent, ab exceſſu uſque ad conflagrationem univerſitatis, ut Stoici, ſuas ſolas, id eſt, Sapientum animas in ſupernis manſionibus collocant. Plato quidem non temerè Philoſophorum animabus hoc præſtat, ſed eorum, qui Philoſophiam ſcilicet ornaverint amore puerorum. Adeò etiam inter Philoſophos magnum habet privilegium impuritas. Itaque apud illum in ætherem ſublimantur animæ ſapientes. Apud Arium in aerem; apud Stoicos ſub Lunam. Imprudentes animas ſub terram proſternunt.* Illic cum corporibus pedetentim diſſolvendas, aut certè in generali conflagratione abſumendas. Ita & Gnoſtici ſuas ſolas, licèt omni flegitiorum luto ſcabioſiſſimas, ſapientum ac ſpiritalium animas expediunt in cœlum, animalium animas in medietate ponunt, Choicorum verò infelices mentes dixerunt redire in terram, ac perire. Marcionita Lucanus videtur omnium animas cenſuiſſe mortales. Nec mireris iſtam Stoicorum ſtultitiam. Stultiora enim de ipſis ſcribit in ſecunda Apologia Sanctus Martyr Juſtinus: *Qui*
Fol. 66. *appellantur Stoici Philoſophi, ipſum etiam Deum in ignem diſſolutum iri opinantur, at novum per mutationem mundum fore dicunt.* Divinam Majeſtatem garriverunt eſſe mundi animam, ideoque etiam novum ex vetere Deum, quaſi è Phœnice Phœnicem, eſſe conflagratione generandum. Ita deſipuit iſta ſapientia.

De una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur.

Quod omnes Philoſophi carnis reſurrectionem non ſolummodò abnegaverint, ſed etiam abominati ſint, inſigniter lucet ex Areopagitarum Judicum circa Sancti Pauli prædicationem judicio: *Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum,* Actor. 17.
quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Quòd Apoſtolum dumtaxat riſerint, erat grandis iſtorum Heroum moderatio. Etenim Pythagoræ de animarum noſtrarum etiam in beſtias revolutione ſententiam exponit in libro Apologetico Tertullianus, & adjungit: *At enim Chriſtianus, ſi de homine hominem,* Cap. 48.
ipſumque de Cajo Cajum, reducem repromittat, lapidibus magis, ne ſaltem cæſtibus, à populo exigetur. Cuncti tunc gentiles reſurrectionem ſunt adeo averſati. Hinc in libro de Reſurrectione dicit ipſam eſſe Dei veritatem, & Chriſtianorum fiduciam, atque adjungit: *Sed vulgus irri-* Cap. 1.
det, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem. Planè enim vulgo interdum & Sapientes ſententiam ſuam jungunt. Nihil eſſe poſt mortem, Epicuri ſchola eſt. Ait & Seneca omnia poſt mortem finiri, etiam ipſam. Satis eſt autem, ſi non minor Philoſophia Pythagoræ & Empedocli. Sed Platonici immortalem animam è contrario reclamant: Imò adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant. Affirmat apud quoſdam & corpora & animas, apud Platonicos ſola perire corpora; at corporum reſurrectionem ab omnibus concorditer abnegari. In ſecunda ſuper octogeſimum octavum Pſalmum Concione Sanctus etiam Auguſtinus noſtræ reſurrectionis fidem amplè exponit, & proſequitur: *In nulla re ſic contradicitur fidei Chriſtianæ, quàm in reſurrectione carnis. Denique ille qui natus eſt in ſignum, cui contradicitur, & ipſe carnem ſuam reſuſcitavit, ut obviam iret contradictori. Et qui poſſet membra ſua ſic ſanare, ut ea vulnerata fuiſſe non appareret, cicatrices ſervavit in corpore, ut dubitationis vulnus ſanaret in corde. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam gentium Philoſophi multa diſputaverunt, & immortalem eſſe animum humanum, pluribus & multiplicibus libris conſcriptum memoriæ reliquerunt. Cùm ventum fuerit ad reſurrectionem carnis, non titubant, ſed apertiſſimè contradicunt. Et contradictio eorum talis eſt, ut dicant fieri non poſſe, ut caro iſta terrena poſſit in cœlum adſcendere.* Quotquot docuerunt immortalitatem animæ, etiam docuerunt ſapientes animas ſuo tempore liberandas ab hujus vitæ miſeriis, levandas in cœlum, & iſtic beatificandas. Originale peccatum non intellexerunt. Hinc ſordes & infirmitates corporis crediderunt illi naturales, ac ab ipſo inſeparabiles, ideoque & cenſuerunt animam in corpore nec poſſe beatam eſſe, nec quietam. Corpus

Digitized by Google

qui mundum hunc inſtituerit, & inſtituto eo pœnitentiam admiſcuerit. Pœnitentiæ cauſam edicit in libro de hæreſibus Sanctus Auguſtinus: *Cum malignus eſſet Angelus, ſeu Deus ille, inventus eſt in ſua malignitate mundum feciſſe*. Hinc illum eſſe ovem errantem, cujus quærendæ cauſa Salvator advenerit, Apellitæ interpretantur. Singulas ejus fabulas erudito, qui magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno periit aut latet, libro refutavit Tertullianus. Item à Juſtino Martyre, Theophilo Patriarcha Antiocheno, Philippo Gortynenſium Epiſcopo, Irenæo Lugdunenſi, Modeſto, Origene, Rhodone, Adamantio, Hyppolito, ac Euſebio Emiſeno Epiſcopo optimè &
Cap. 25. doctiſſimè refutari affirmat Theodoretus in primo libro hæreticarum fabularum. Sanctus Epiphanius affirmat Apellem ſub Marcione fuiſſe Lucani ſeu Luciani condiſcipulum, ab utroque conditam novam hæreſim, atque adjungit: *Apelles ac omnis ejus factio ita ſentit. Non eſſe Principia tria, neque duo, ut Luciano ac Marcioni videtur, ſed unum eſſe bonum Deum, unumque Principium, ac Virtutem unam nominis expertem. Qui quidem Deus unus, unumve Principium, nullam eorum, quæ in hoc mundo geruntur, curam ſuſcipit. Ceterum idem ille Sanctus bonuſque Deus, qui à principio Deus eſt ac bonus, alium produxit Deum. Ab hoc univerſa condita ſunt, cœlum videlicet ac terra, cęteraque, quę in hoc mundo cernimus. Sed hic minimè bonus evaſit, ejuſque opera omnia non bene facta, ac pro mala illius mente ſunt ab illo fabricata*. Videatur & Sanctus Philaſtrius.

Heraclitus intervenit.

De Heraclito ſcribit Doctor in libro de Anima:
Cap. 2. *Heraclitus ille tenebroſus*. Et infrà: *Platonis honor, Zenonis vigor, Heracliti mœror*. Et in libro Apologetico refert varias gentilium Philoſophorum de Divina natura ſententias, & harum una eſt:
Cap. 47 *Alii ex igne aſſeverant eſſe, qua Heraclito viſum eſt*. Fuiſſe appellatum tenebroſum ſeu obſcurum, te-
Fol. 571. ſtatur etiam Sanctus Clemens Alexandrinus, & in quinto Stromatum libro adducit rationem, affirmans ac demonſtrans & Philoſophos & Poetas ſua dogmata occultaſſe ſub ænigmatibus, atque adjungens: *Innumerabilia invenias, tam apud Philoſophos, quàm apud Poetas, dicta ænigmaticè, cùm etiam toti libri indicent abditam ſcriptoris voluntatem, cujuſmodi eſt liber Heracliti de natura, qui etiam propterea appellatus eſt obſcurus & tenebroſus*. Ei mœſtitiam adſcribit in tertia oratione etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus. Quod nempè humani generis in hac pœnali vita calamitates, uti Democritus ſemper riſit, ita ille ſemper fleverit. Quòd tamen eodem tempore non vixerint, ad iſtum Gregorii locum rectè advertit Elias Cretenſis. Quòd Deum eſſe igneum, aut potiùs ignem eſſe primum Principium ac Deum docuerit, tradit in cohortatione ad gentes etiam Sanctus Martyr Juſtinus: *Heraclitus, ſicut Hippaſus Metapontinus, cauſam omnium rerum eſſe ignem aſſeverat*. Quod ipſum affirmat laudatus Clemens in admonitione ad gentes: *Parmenides Eleates* Fol. 42. *induxit Deos, ignem & terram. Ex his autem alterum ſolum Deum exiſtimarunt ignem Hippaſus Metapontinus, & Epheſius Heraclitus*. Et infrà: *Hoc etiam uſu venit Heraclito, & ejus ſectatoribus, qui ignem tamquam ortus rerum principium colunt*. Ex eodem errore propagatam dicit Perſicam idololatriam, nec non & cultum Vulcani. Heraclitum fuiſſe Epheſium ſcribit etiam Svidas. At verò Elias Cretenſis Democritum affirmat Epheſium, Heraclitum fuiſſe Abderitem. Quod ipſum affirmat antiquus Eccleſiæ Scriptor Athenagoras: *Democritus ab Epheſiis pulſus eſt, Heraclitum Abderitæ tanquam inſanum exilio, Socratem Athenienſes morte affecerunt*. Cives converem. Ejus natales & ævum exponit laudatus Clemens in primo Stromatum libro: *Heraclitus Beuſonis filius perſuaſit Melancomæ tyranno, ut deponeret tyrannidem. Hic deſpexit Regem Darium, adhortantem ut veniret ad Perſas*. Evocationis radix fuiſſe poteſt Heracliti dogma de igneo Deo: Nam & Perſæ ignem adorabant. Iſtum Darium fuiſſe Hyſtapſis filium, adeoque Heraclitum ſexageſima nona Olympiade viguiſſe affirmat Svidas. Et adjungit de ejus morte: *Heraclitus aqua intercute laborans, Medicorum curationem aſpernatus, ſe totum fimo bubulo perunxit, quem ad ſolem ſiccari ſivit. Sic ergo jacentem canes lacerarunt. Alii arena obrutum periiſſe dicunt*. Conſonat & diſſonat Tertullianus in libro ad Martyres: *Heraclitus ſe bubulo* Cap. 4. *ſtercore oblitum exuſſit*. Svidas addit nullius Philoſophi fuiſſe diſcipulum, ſed ſolo ingenii ac diligentiæ uſum magiſterio, & pergit: *Quidam tamen auctores ſunt eum Xenophanis & Hippaſi Pythagorici fuiſſe aſſiduum auditorem*. Quod etiam inſinuant Sanctus Clemens & Sanctus Juſtinus, aſſerentes de igneo Deo dogma fuiſſe illi commune cum Hippaſo. Sanctus Juſtinus addit in prima Apologia: *Quicumque cum ratione ac verbo vixerunt, Chriſtiani ſunt, quamvis Athei & nullius Numinis cultores habiti ſint. Quales inter Græcos fuerunt Socrates, Heraclitus, atque iis ſimiles*. Hæc ſunt cum multo moderamine intelligenda. In cohortatione ad gentes ſcribit etiam de Platone: *Plato Summum Deum in ignea eſſentia eſſe dicit*. Non eſſe ignem, ſed in ipſo, uti throno, habitare.

Unde malum? Et Quare?

Doctor agit in Gnoſticos, de quibus & Sanctus Irenæus: *Abalienati à veritate, digni in omni* Lib 3. *volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque ali-* c. 40. *ter per tempora de iiſdem ſentientes, & nunquam ſcientiam ſtabilem habentes, Sophiſtæ verborum magis eſſe volentes, quàm diſcipuli veritatis. Non enim ſunt fundati ſupra vivam petram, ſed ſupra arenam, habentem in ſemetipſa lapides multos. Propter hoc & multos Deos fingunt. Et quærere quidem*

ſem-

ſemper in excuſatione habent. Cæcutiunt enim. Invenire autem nunquam poſſunt. Affirmat ipſos eſſe ex numero illorum, de quibus ſcripſit Apoſtolus: *Semper diſcentes*, ſive quærentes, *& ad veritatis agnitionem nunquam pervenientes.* Hinc quod non dumtaxat ſemetipſos, ſed & noſtros, dum in ſeductionem circumſcribere ſtudent, vexaverint aſſiduis quæſtionibus, affirmat idem Irenæus in alio ejuſdem libri capite, & adjun-
Cap. 15. git: *Et ſi aliquis ex his, qui audiunt eos, quærat ſolutiones, vel contradicat eis, hunc quaſi non capientem veritatem, & non habentem de ſuperioribus à matre ſua ſemen affirmant.*

Porrò apud gentiles Philoſophos famoſiſſima fuit quæſtio: *Unde, & quare malum?* Originalis ignorantia & carnalia concupiſcentia, per quas genus humanum in flendas ac horrendas pravitates & calamitates quotidie præcipitatur, omnibus patent ad oculum, at earum origo eſt ſecretiſſima. Hinc alii animas peccaſſe ante corpora, & iſtorum peccatorum hic luere pœnas, alii dixerunt ipſas editas à natura noverca. Alii alia cœcutierunt. Cerdon & Marcion finxerunt duo Principia, duos Deos, bonum & malum: Et Deum malum eſſe omnium malorum auctorem & conditorem. Hinc Platonem, licèt gentilem, iſtis fuiſſe meliorem ac ſapientiorem rectè affirmat laudatus Irenæus. Sceleratum Valenti-
Lib. 3. c. 45. ni collegium fuit longè ſtultius. Etenim Demiurgum, ſeu Deum creatorem blaſphemavit eſſe erroris & labis fructum, atque ita ex ipſo mala omnia proceſſiſſe. Hinc item apud illos quæſtio, *Unde Deus?* uti Heſiodus ac alii gentiles Poetæ Deorum, ita Valentiniani Æonum originem quærunt, & ſtultiſſima fabulantur. Ejus blaſphemas fabulas amplè exponit laudatus Ire-
Lib. 2. cap. 20. 21. 22. næus. Omnes ignorarunt veram malorum originem, liberum rationalis creaturæ arbitrium, & ex ipſo nobis natum originale peccatum. Hinc enim à primis naſcentium vagitibus uſque ad extremos morientium gemitus eſt grave jugum ſuper filios Adæ. Etiam rectum docendi & diſcendi ordinem ignorarunt. Nec enim mentem primò ad mala deflectere, & ex ipſis duos Deos inferre oportuit, ſed unum Dominum Deum ante omnia agnoſcere, & tunc malorum origi-
Cap. 1. nem inveſtigare. Ita rectè advertit Septimius in libro de Reſurrectione.

De Enthymeſi & Ectromate.

Tertia Valentinianorum Æonum claſſis eſt duodenaria, & ejus poſtremus Æon eſt Sophia. Hæc dum inviſibilem Patrem illicita curioſitate quærit intueri & noſcere, cecidit extra Pleroma, facta eſt ovis errans, incurrit multas calamitates, ac tandem ejus Enthymeſis abortivit Demiurgum, Deum creatorem. Audiamus fabulam
Lib. 1. cap. 1. à Sancto Irenæo: *Ea quæ extra Pleroma dicuntur à Valentinianis, ſunt talia. Enthymeſin illius ſuperioris Sophiæ, quam & Achamot vocant, ſeparatam à ſuperiori Pleromate cum paſſione dicunt in umbratæ vanitatis locis deferbuiſſe per neceſſitatem. Extra enim lumen facta eſt, & extra Pleroma, informis & ſine ſpecie, quaſi abortus, ideò quia nihil apprehendit.* Extra Pleroma errans & ob errorem conſternata Sophia abortivit Enthymeſin, Enthymeſis Demiurgum, Demiurgus mundum. Notanda ſunt verba: *Extra lumen & extra Pleroma.* Quiſque enim Valentini Æon eſt lumen & quaſi accenſa fax: Et quomodo plures faces, dum conjunguntur, uniuntur in unam flammam; ita & triginta Æones, dum unus procedit ab altero, ſunt lumen de lumine, & omnes ſunt unum magnum lumen. Hoc eſt ipſorum Pleroma. Non expendamus tempus in inutiles & ſceleratas fabulas. Eas eſſe riſu, quam refutatu digniores, rectè affirmat laudatus Irenæus. Interim hinc lucet, quod Valentinus non primi & ſupremi Protopatoris, ſed aliorum dumtaxat Æonum, ac præſertim Demiurgi, originem inquiſivit. Protopatorem eſt profeſſus eſſe à ſemetipſo.

Qui illis Dialecticam inſtituit.

Quòd Ariſtotelis Dialectica Gnoſticorum blaſphemiis adjuverit, teſtatur etiam Sanctus Irenæus: *Minutiloquium & ſublimitatem circa quæſtiones, cùm ſit Ariſtotelicum, inferre fidei conantur.* Quidam codices legunt: *Multiloquium & ſubtilitatem.* Noſtra lectio eſt melior. Etenim Dia- Lib. 2. cap. 19.
lecticarum ſubtilitatum venatores conſueverunt non dumtaxat in voce aut ſyllaba, ſed etiam in uno apice vim facere & emphaſim, atque ita ſectati minutiloquium. Quod Ariſtotelis Dialectica cunctis hæreſibus adjutoria & fomenta ſubminiſtrare ſoleat, affirmat etiam in Sancti Amos Prophetæ commentariis, hæc ejus verba, *Conteram vectes Damaſci*, exponens beatus Hieronymus: *Vectes Damaſci, quaſi ſeræ robuſtiſſimæ atque fortiſſimæ, hi intelliguntur, qui inſtructi ſunt arte dialectica, & argumentis Philoſophorum. Verbi gratia oſtium vocatur, qui falſum dogma concepit & peperit, ut Arius in Alexandria. Vectes ejus & ſeræ fortiſſimæ, Euthychius & Eunomius, qui ſyllogiſmis & enthymematis, & ſophiſmatibus, quæ ab aliis malè inventa ſunt, roborare conantur.* De Ario ſcribit etiam Socra-
tes: *Arius erat dialecticarum argutiarum minimè* Lib. 1.
ignarus. Et Hermias Zozomenus: *Arius diſſe-* cap. 3.
rendi ſubtilitate erat cum primis excellens. Et de cunctis generatim Arianis ſcribit ad Imperatorem Gratianum in libris de fide Sanctus Am-
broſius: *Omnem vim venenorum ſuorum in dialecti-* Lib. 1.
ca diſputatione conſtituunt, quæ Philoſophorum cap. 3.
ſententia definitur, non adſtruendi vim habere, ſed ſtudium deſtruendi. Eoſdem Arianos Sanctus Epiphanius appellat novos Ariſtotelicos, & adjungit cauſam: *Nam hujus Philoſophi vitas omne* Hæreſi 69.
in ſeipſis expreſſerunt, & innocentem Spiritus San- cap. 69.
cti ſimplicitatem ac benignitatem reliquerunt. Evan-

gelica

ac ſibi ipſi contrarium eſt; dogma exponere eſt inutile. Ipſum videndum eſt apud Sanctum Irenæum, Doctoris noſtri librum contra Valentinianos, Sanctum Epiphanium, Theodoretum, ac alios. Ejuſdem meminit in Commentario ſuper tertium caput Amos Prophetæ Sanctus Hieronymus. Valentini interim Æonas Septimius rectè hìc appellat formas. Etenim fuiſſe figuras ſeu virtutes, quæ Divinitatis Pleroma explerent, affirmat etiam Sanctus Irenæus. Erant Valentino quid ſimile Idæis Platonicis. Inſuper hìc adverte voces, *Incapabilis*, *Ingenitus*, *Innominabilis*, aliaſque ſimiles, quas poſtmodò Arius aſſumpſit, eſſe à Valentino. Etiam Arianum dogma, quod garrit Patrem eſſe & Filio inviſibilem. Nam & Valentinus garrivit ſupremum Æonem à nullo etiam intra Pleroma alio poſſe videri aut agnoſci.

Trinitas hominis.

Hæc Trinitas ſunt homo Hylicus ſeu Choicus, id eſt, materialis aut terrenus; homo Pſychicus ſeu animalis; & homo ſpiritalis. Apud Valentinum trigeſimus Æon ex nimia curioſitate errans, ideoque extra Pleroma lapſus, aut potiùs errantis & lapſi tabida Enthymeſis creavit mundum, & ab ipſa factam hominis creationem ſic exponit Sanctus Irenæus: *Cùm Enthymeſis fabricaſſet mundum, fecit & hominem Choicum, non autem ab hac arida terra, ſed ab inviſibili ſubſtantia, & ab effuſibili, & fluida materia accipientem. Et in hunc inſufflaſſe Pſychicum definiunt Valentiniani. Et hunc eſſe ſecundùm imaginem & ſimilitudinem factum. Secundùm imaginem quidem Hylicum eſſe, proximum quidem, ſed non ejuſdem ſubſtantiæ eſſe Deo. Secundùm ſimilitudinem verò Pſychicum, undè & ſpiritum vitæ ſubſtantiam ejus dictam, cùm ſit ex ſpiritali defluxione. Poſt deinde circumdatam dicunt ei adamantinam tunicam. Hanc autem ſenſibilem carnem eſſe volunt.* Et inferiùs in eodem ejuſdem libri capite: *Tria genera hominum oſtendiſſe Chriſtum docent. Hylicum quidem in eo, quòd reſponderit dicenti*, Sequar te, Non habet Filius hominis ubi caput reclinet. *Animale autem in eo, quòd dixerit dicenti*, Sequar te, permitte autem mihi ire, & renunciare domeſticis. Nemo ſuper aratrum manum imponens, & in poſteriora reſpiciens aptus eſt regno cœlorum. *Hunc autem dicunt eſſe de mediis. Et illum autem ſimiliter, qui multas partes juſtitiæ confitebatur ſe feciſſe, poſt deindè noluiſſe ſequi, ſed à divitiis victum, ut ne fieret perfectus, & hunc de Pſychico genere fuiſſe volunt. Spiritale verò in eo, quod dicit*, Remitte mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. *Et Zachæo Publicano dicens*: Properans deſcende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere. *Et in fermenti parabola, quod mulier abſcondiſſe dicitur in farinæ ſata tria, tria genera hominum, Spiritale, Animale, Choicum dicunt.* Et

Lib. 1. cap. 1.

iterùm; *Hominum tria genera dicunt, Spiritalem, Pſychicum, Choicum, quemadmodum ſunt Cain, Abel, Seth, ut oſtendant & ex his tres naturas, jam non ſecundùm unumquemque, ſed ſecundùm genus.* Iſtas tres hominum formas non dumtaxat ſecundùm unumquemque, ſeu individuales proprietates differre dicunt, ſed ſecundùm genus, ſeu ſubſtantialem ſpeciem. Diſtinctionis fundamenta ſunt ſtulta ac fabuloſa, ideoque uſque ad radicem non exponenda. Non expendamus tempus, cujus nemo poteſt reparare jacturam.

Scelerati tamen dogmatis ſcopus eſt exponendus. In JESU Salvatore affirmat fuiſſe & Spiritalis & Pſychici hominis ſubſtantiam: Hanc à Demiurgo, illam ab Enthymeſi. Et adjungit: *Et Hylicum autem nihil ſuſcepit. Non enim eſſe Hylicum capacem ſalutis dicunt. Conſummationem verò futuram, cùm formatum & perfectum fuerit ſcientia omne ſpiritale, hoc eſt, homines qui perfectam agnitionem habent de Deo, & hi qui ab Achamot initiati ſunt myſteria. Eſſe autem hos ſemetipſos. Erudiuntur autem Pſychica, id eſt, animalia, Pſychici, id eſt, animales homines, qui per operationem & fidem nudam formantur, & non perfectam agnitionem habent. Eſſe autem hos nos, qui ſumus ab Eccleſia, dicunt. Quapropter & nobis quidem neceſſariam eſſe bonam converſationem reſpondent: Aliter autem impoſſibile eſſe ſalvari. Semetipſos autem non per operationem, ſed eo quod ſunt naturaliter ſpiritales, omninò ſalvari dicunt. Quemadmodum enim Choicum impoſſibile eſt ſalutem percipere, non enim eſſe illum capacem ſalutis dicunt; ſic iterùm, quod ſpiritale, quod ſemetipſos eſſe volunt, impoſſibile eſſe corruptelam percipere, licèt in quibuſcumque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depoſitum non amittit decorem ſuum, ſed ſuam naturam cuſtodit, cùm cœnum nihil nocere auro poſſit; ſic & ſemetipſis dicunt, licèt in quibuſcumque materialibus operibus ſint, nihil ſemetipſos nocere, neque amittere ſpiritalem ſubſtantiam. Quapropter & intimoratè omnia quæ vetantur, hi qui ſunt ipſorum perfecti, operantur. Etenim Idolithyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes. Et in omnem diem feſtum Ethnicorum pro voluntate in honore eorum factum primi conveniunt, ut in nihilo quidem abſtineant, quod eſt apud Deum & homines otioſum, muneris homicidiale ſpectaculum. Quidam autem & carnis voluptatibus inſatiabiliter inſervientes, carnalia carnalibus, ſpiritalia ſpiritalibus reddi dicunt.* Eorum flagitia exponit, atque proſequitur: *Nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam in mentibus noſtris & ſermonibus peccare, arguunt quaſi idiotas, & nihil ſcientes; ſemetipſos extollunt, perfectos vocantes, & ſemina electionis. Nos enim in uſu gratiam accipere dicunt, quapropter & auferri à nobis; ſemetipſos autem propriè poſſidere, de ſurſùm ab inenarrabili & innominabili Syzygia deſcendentem habere gratiam, & propterea adjici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos ſemper Syzygiæ meditari myſterium. Et hoc ſuadent inſenſibilibus eis ſermonibus, dicentes ſic: Quicumque in ſæculo eſt, & uxorem non amat, ut ei conjungatur, non eſt de veritate, & non tranſiet*

in

Digitized by Google

in veritatem; qui autem de ſæculo eſt mixtus mulieri, non tranſit in veritatem. Quoniam in concupiſcentia eſt mixtus mulieri. Quapropter nobis quidem, quos Pſychicos vocant, & de ſæculo eſſe dicunt, neceſſariam continentiam & bonam operationem, uti per eam veniamus in medietatis locum; ſibi autem, ſpiritalibus & perfectis vocatis, nullo modo. **Non** *enim operatio in Pleroma inducit, ſed ſemen, quod eſt indè quidem puſillum demiſſum, hic autem perfectum factum.* Etiam infra pergit Sanctus Irenæus: *Et Choicum quidem dicunt in corruptelam abire; animalem verò, ſi meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum, ſi verò pejora, tranſire & ipſum ad ſimilia. Spiritalia verò inſeminat Achamot, ex illo tempore uſque nunc, propter quod & animæ erudientur quidem hic, & ſemina emiſſa, quia puſilla emittuntur, poſt deinde perfectione digna habita, ſponſæ reddi Salvatoris Angelis reſpondent, animabus eorum ex neceſſitate in medietate cum Demiurgo refrigeraturis in æternum. Et ipſas autem animas rurſum ſubdividentes, dicunt quaſdam quidem natura bonas, quaſdam autem natura malas. Et bonas quidem has eſſe, quæ capaces ſeminis ſunt; alias verò natura nequam nunquam capere illud ſemen.* Quòd quidam Valentiniani Choicum ſexto, Pſychicum octavo mundi die dixerint creatum, ſpiritalem hominem eſſe maſculum ſimul & fœminam, teſtatur idem Irenæus.

Spiritalis ergò ac fabuloſus ſcelerati Valentini homo habet animam natura bonam, eſt naturaliter ſpiritalis ac juſtus, & licèt ſit in ſæculo, non tamen eſt de ſæculo. Eſt per omnia perfectus. Habet naturalem ac inamiſſibilem juſtitiam, & nulla via poteſt maculari. Hinc omnia judicat, & à nemine judicatur. Ei licent omnia: Et facinora, & flagitia. Etiam idololatria. Præſertim tamen flagitia. Nam quicumque in ſæculo eſt, & non miſcetur mulieribus, apud ipſos nec de veritate eſt, nec tranſiet in veritatem. Uti aurum nullo luto, ita talis anima nullo flagitio maculatur. Omnia munda mundis. Quia nempè perfectus ac ſpiritalis eſt iſte homo, ideoque omnia, etiam flagitia, patrat ſine concupiſcentia. Hanc monſtroſam Sectam notat ac damnat Sanctus Judas Apoſtolus: ***Homines impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam***. Impuro ore & corde blaterarunt luxuriam non dumtaxat ſibi licitam, ſed & eſſe ipſam Dei gratiam, opus Divinæ benedictionis impetratorium, & quidem quaſi ex opere operato. Eſſe & ſempiternam beatitudinem, in qua bonæ animæ concumbent cum Angelis Salvatoris. Valentinus eſt è Simone Mago natus fungus, ideoque quòd ejus ſemina fuerint Apoſtolicis temporibus, rectè affirmat Septimius in libro contra Valentinianos. Alterum hominis genus eſt Pſychicum,
Cap. 3. ſeu animale. Imperfectum, attamen perfectibile. At ſuo modo. Nempè uſque ad quamdam medietatem. Hinc illi non licere flagitia aut facinora, ſed eſſe neceſſaria bona opera: Et ſine ipſis perire. Et nos Catholicos eſſe iſtud hominum genus, ideoque bonorum operum neceſſitatem à nobis meritò prædicari. Tertium hominis genus eſt Hylicum & Choicum, ſeu materiale & terrenum. Et hoc eſt natura malum, & habet naturaliter malam animam. Hinc totum in corruptelam ſeu damnationem vadit, incapax ſalutis, ideoque & ejus ſubſtantia non fuit in Salvatore. Proindè hujus monſtroſæ & fabuloſæ Trinitatis ſcopus eſt, ut ſpurcus Valentini grex liberè vivat Hircum, & non tantùm poſſit, ſed inſuper quaſi obligetur per omnia flagitia volutari.

Has inſulſas fabulas latiùs ac luculentiùs exponunt Theodoretus, ac præſertim Sanctus Epiphanius, ac ipſe noſter in libro contra Valentinianos Tertullianus. Nolim omittere hoc ejus Cap. 29.
compendium: *Colligam nunc ex diſperſo, ad concludendum, quæ de totius generis humani diſpoſitione diſſerant. Triformem naturam primordio profeſſi, & tamen unitam in Adam, indè jam dividunt per ſingulares generum proprietates, nacti occaſionem diſtinctionis hujuſmodi ex poſteritate ipſius Adæ, moralibus quoque differentiis tripartitæ, Cain, Abel, & Seth, fontes quodammodo generis humani in totidem derivant argumenta naturæ atque eſſentiæ. Choicum, ſaluti degeneratum, ad Cain redigunt. Animale, mediæ ſpei deliberatum, ad Abel componunt. Spiritale, certæ ſpei præjudicatum, in Seth recondunt. Sic & animas ipſas duplici proprietate diſcernunt, bonas & malas: Secundum Choicum ſtatum ex Cain, & animalem ex Abel, ſpiritalem ex Seth. De obvenientia ſuperducunt jam non naturam, ſed indulgentiam, ut quos Achamoth in ſuperioribus in animas bonas depluat, id eſt, animali cenſui inſcriptas; Choicum enim genus, id eſt, malas animas, nunquam capere ſalutaria. Immutabilem enim & irreformabilem naturam pronuntiaverunt.*

Et ex iſtis ſordibus quædam addiſcimus. Primò, quòd fœdus Amalricus, Beggardi ac Begginæ, ſimileſque alii ſuam blaſphemam ſcabiem à Valentino hauſerint. Nam & hi garriverunt ſeſe perfectos, & puros à libidine, ideoque ſuæ immobili charitati licere quævis flagitia. Secundò diſcimus, quòd ex eadem radice prodeant Calviniſtæ. Etenim uti Valentinus hos, quibus ſpiritale Enthymeſios ſemen immiſſum eſt, ita Calvinus affirmat eos, qui ſunt de Divinæ electionis fœdere, eſſe immobiles in juſtitia ac Divina gratia, & hanc ipſis nullo facinore, nullo flagitio poſſe exſufflari. Et quidem Valentinus fuit Calvino æquior. Etenim docuit ſaltem animali hominum generi eſſe neceſſaria bona opera, Divinam gratiam poſſe ab illo & acquiri & perdi, & per ipſa pertingi ad æternam ſalutem: Licèt non ad ſupremam, tamen ad mediam beatitudinem. Tertiò diſcimus, quòd noſter ad Montanum lapſus Septimius contumeliam, qua nos appellavit Pſychicos, deſumpſerit ex Valentino. Ita à maximis etiam viris proficitur per hæreſim. Quartò diſcimus, quòd hæc Apoſtolica regula, *Quidquid Verbum non aſſumpſit, non ſalvavit*, ſit adeò firma & vera, ut & fœdus Valentinus ipſam non præſumpſerit inficiari. Et

enim Hylici ſeu materialis hominis ſubſtantiam, quoniam cenſebat ſalutis incapacem, etiam dixit non fuiſſe in Salvatore.

Platonicus fuerat.

Etiam infrà in hoc libro ſcribit Doctor: *Ubi Valentinus Platonicæ Sectator?* Et in libro de Car- Cap. 30. ne Chriſti: *Hæreticus, & Apoſtata, & Platoni-* Cap. 18. *cus Valentinus*. Et in libro de Anima: *Plato vult eſſe quaſdam ſubſtantias inviſibiles, incorporales, ſupermundiales, Divinas, & æternas, quas appellat Ideas, id eſt, formas, exempla, & cauſas naturalium iſtorum manifeſtorum, & ſubjacentium corporalibus ſenſibus. Et illas quidem eſſe veritates, hæc autem imagines earum. Relucentne jam hæretica ſemina Gnoſticorum & Valentinianorum? Hinc enim arripiunt differentiam corporalium ſenſuum & intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum attemperant, ut quinque ſtultæ ſenſus corporales figuraverint, ſtultos videlicet, quia deceptui faciles; ſapientes autem intellectualium virium notum expreſſerint, ſapientium ſcilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & ſupernam, & apud Pleroma conſtitutam, hæreticarum Idearum Sacramenta. Hoc enim ſunt & Æones, & genealogiæ eorum*. Et infrà in eodem libro: *Examen Valentini ſemen Sophiæ infulſit animæ, per quod hiſtorias atque mileſias Æonum ſuo-* Cap. 23. *rum ex imaginibus viſibilium recognoſcunt. Doleo, bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum*. Et in libro Apologetico: *Plerique* Cap. 14. *gentiles ſic diſponunt Divinitatem, ut imperium ſummæ dominationis eſſe penes unum, officia ejus penes multos velint. Ut Plato Jovem magnum in cœlo comitatum deſcribit exercitu Deorum pariter & Dæmoniorum*. Variæ apud Platonem, ex ſupremo Protopatre procedentes, Ideæ ſeu formæ non ſunt aliud, quàm varii intra Pleroma Dii, quos Valentinus appellavit ſæcula, ſeu Æones.

Quintinus inſigniter exponit: *Valentinus Timæum Platonis, & ejus Epinomidem totam voluit in ſalutis noſtræ negotium, Religionemque transferre, numeris atque proportionibus omnia definiens, & horum cognitioni tribuens hominis abſolutam felicitatem. Ex unitate neſcio qua connexuit quindecim dualitates. Ex his quemdam tricenarium deduxit. Quem rurſùs trifarium partitus eſt: In octonarium, in denarium, & in duodenarium. Numeros iſtos appellavit Æonas, id eſt, ætates aut ſæcula: Quæ triginta dicebat eſſe. Cur autem ſuos numeros appellarit Æonas aut ſæcula, non recordor me legiſſe rationem, niſi quod aſtutum nebulonem putem, cum nuſquam videret in Eccleſiæ Chriſtianæ myſteriis haberi numerorum rationem, Sæculorum verò Sæcula, Æonum Æonas, ſubindè memorari cerneret, iſtos nobis Æonas pro numeris ſuppoſuit: De quibus intelligi volebat ubicumque Sæculum vel Sæcula nominantur in Sacris. Inſuper & integrum Parmenidem, qui de uno omnium Principio, ſive de Ideis agit, ad noſtræ quoque ſalutis inſtrumentum, ceu neceſſarium quid proferebat. Rerum dumtaxat intellectualium ſpecies quaſdam ſeu formas Acatargetas, indefinenter operantes, & inabolibiles exponens*. Dictum formatum ſeu Æonum tricenarium erat Valentino integrum Divinitatis Pleroma, de quo Sanctus Irenæus: *Horum omnium unitas, quæ vocatur Triacontas*. Lib. 1. cap. 15.

Sanctus Irenæus has ſceleratas Valentini blaſphemias affirmat non tantummodo ex Platone, omnium gentilium Philoſophorum minùs impuro, ſed etiam ex Thalete, Anaxagora, Democrito, ac Epicuro, immò & ex Poetarum fabulis eſſe depromptas, ac lucidè demonſtrat: *Multò veriſimilius & gratius de univerſorum geneſi dixit* Lib. 2. cap. 19. *unus de veteribus Comicis Antiphanes in Theogonia. Ille enim de nocte & ſilentio chaos emiſſum dicit, dehinc de chao & nocte cupidinem, & ex hoc lumen, dehinc reliquam ſecundum eum primam Deorum geneſim. Poſt quod curſus ſecundam Deorum generationem induxit, & mundi fabricationem, dehinc de ſecundis Diis narrat hominum plaſmationem. Undè ipſi aſſumentes ſibi fabulam quaſi naturali diſputatione commenti ſunt, ſolummodo demutantes eorum nomina, id ipſum autem univerſorum generationis initium, & emiſſionem oſtendentes, pro nocte & ſilentio Bython & Sigen nominantes, pro chao autem Nun, & pro Cupidine, per quem ait Comicus reliqua omnia diſpoſita, hi Verbum attraxerunt, & pro primis ac maximis Diis Æonas formaverunt, & pro ſecundis Diis eam quæ eſt extra Pleroma matris ipſorum enarrant diſpoſitionem, ſecundam Ogdoadem vocantes eam, ex qua mundi fabricationem & plaſmationem hominum ſimiliter atque illi annuntiant inenarrabilia & incognita myſteria ſolos ſe dicentes ſcire, quæ ubique in theatris comœdizantur, transferentes in ſuum argumentum, immò verò iiſdem argumentis docentes, tantùm immutantes nomina*. Demonſtrare pergit, quod etiam ex memoratis Philoſophis, ac item ex Pythagoræ per Quintinum expoſitis numeris Valentinus ſit ſuum dogma mutuatus.

Conſentit Sanctus Epiphanius. Affirmat Valentini Patriam apud multos eſſe ignotam, & Hæreſi 31. adjungit: *Nos quidquid accepimus ea de re, proferemus. Sunt qui Phrebonitem illum faciant ex Æ-* Cap. 2. *gypti quadam ora, undè Alexandriam profectus ſit, ibique Græcorum artibus inſtitutus. A quibus & Heſiodiæ Theogoniæ, ac triginta illorum Deorum, quos ibidem ille recenſuit, ac gentilium fabularum in animo ſuo exemplum informavit. Tum ab iis, qui vel ſuo tempore, vel ante ſe à veritate receſſerunt, mutuatus errorem, eadem cum Heſiodo, mutatis dumtaxat nominibus, excogitata ad circumveniendum humanum genus invenit. Etenim Deos ille triginta & Æonas, totidemque cœleſtes orbes conſtituit, quorum primus eſt Bythus, ut huic inſano videtur: Quemadmodum etiam auctor ejus opinionis & conditor Heſiodus prius omnibus Diis chaos eſſe dixit. Atqui chaos & Bython idem omninò ſignificare, nemo eſt qui neſciat*. Triginta Valentini Æones eſſe idem cum triginta Heſiodi Diis demonſtrat, & adjungit: *Quæ ſiquis cum Heſiodi, Steſichori, aliorumque Græcorum Poetarum fabulis conferat, eadem cum illis penitus eſſe, ne-*

que

que ulla in re diſcrepare comperiet, indidemque cognoſcet nihil aliud eſſe admiratione dignum, quòd iſti mirificarum hæreſion conditores, velut arcana quædam ac myſteria penes ſe eſſe profitentur. Et iſtud ipſum denuó demonſtrat.

Quód Valentinus ſuum triplex hominum genùs ex Platone hauſerit, affirmat etiam Sanctus Irenæus: *Hoc autem quod ex ſubjecta materia Valentiniani dicunt fabricatorem feciſſe mundum, & Anaxagoras, & Empedocles, & Plato primi ante eos dixerunt, ut videlicet datur intelligi, & ipſi à matre ſua inſpirati. Quod autem ex neceſſitate unumquodque in illa ſecedit, ex quibus & factum eſſe dicunt, & hujus neceſſitatis ſervum eſſe Deum, ita ut non poſſit mortali immortalitatem addere, vel corruptibili incorruptelam donare, ſed ſecedere unumquemque in ſimilem naturæ ſuæ ſubſtantiam, & hi qui ex Perticu Stoici appellantur, & univerſi, quotquot Deum ignorant, Poetæ & conſcriptores affirmant. Qui eandem habentes infidelitatem, ſpiritualibus quidem ſuam regionem attribuerunt, eam quæ eſt intra Pleroma, animalibus autem medietatis, corporalibus autem quod Choicum. Et præter hæc nihil poſſe Deum. Sed unumquemque prædictorum ad ea, quæ ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, ſecedere affirmant.* Porrò Platonis de hac re ſententiam habes in his ejus verbis: *Eſtis quidem omninò, qui eſtis in civitate, Fratres, ut iis dicemus narrantes fabulas. Sed Deus, dum fingeret quicumque ex vobis apti erant ad imperandum, aurum eis commiſcuit in generatione: Et ideò ſunt præſtantiſſimi, ac maximi pretii. Quicumque autem erant auxiliatores, argentum: Ferrum autem & æs agricolis & aliis opificibus.* Hæc verba adducit in quinto Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus, atque commentatur: *Undè Plato dicit fuiſſe neceſſe, ut amplecterentur & amarent, ii quidem ea propter quæ eſt cognitio, illi verò ea propter quæ eſt gloria. Fortaſſe autem divinat electam hanc naturam, quæ deſiderat cognitionem. Niſi fortè tres aliquas ponens naturas deſcribit tres formas Reipublicæ, ut quidam exiſtimarunt: Judæorum quidem argenteam, Græcorum autem tertiam, Chriſtianorum verò, quibus aurum Regale eſt admixtum, nempè Spiritus Sanctus.* Plato atque alii plures Philoſophi fuerunt uſi ſymbolico docendi genere: Arcanas ſuas aſſertiones multo verborum involucro apud cœcam plebem obtexerunt & velarunt. Hinc an per iſtam à Conditore factam metallorum mixturam voluerit ille triplicem hominum naturam, an triplicem ejuſdem naturæ in varia Religione ac Profeſſione ſtatum ſignificare, Sanctus Clemens & alii meritò dubitarunt. Clementis verba, *Fuiſſe neceſſe ut amplecterentur & amarent*, poſſint & naturæ, & legis neceſſitatem importare. De Marcione ſcribit idem Clemens in quinto libro: *Externorum & alienorum Dogmatum occaſiones. Marcion ingratè & indoctè accepit à Platone.* Quia nempè Platonem pravè intellectum detorſit ac pervertit. Iſtud ipſum fecit Valentinus. Adducta, & alia ipſis ſimilia Platonis verba non ſymbolicè, ſed ad litteram accepit, & ex ipſis procudit ſpiritalem, animalem, ac terrenam naturam hominum. Et hic in Septimio nota vocabulum, *Trinitas*. Ipſum tamen non applicat ad Divinæ Majeſtatis ſubſtantiam. Eodem modo ipſum uſurpat in quarto Stromatum libro laudatus Clemens, ſcribens Fidem, Spem & Charitatem eſſe Chriſtianæ juſtitiæ fundamentalem *Trinitatem*. At verò in quinto libro demonſtrat tria prima Principia doceri à Platone, atque adjungit: *Non aliter ego intelligo, quam Sanctam ſignificari Trinitatem.* Quocircà qui iſtud vocabulum exiſtimant à Divinæ Majeſtatis ſubſtantia non fuiſſe applicatum ante Arianos motus, palàm hallucinantur.

Fol. 595. Fol. 434. Fol. 495. Fol. 598.

Indè Marcionis Deus, &c.

Cerdonis exordia & errores compendio exponit Sanctus Irenæus: *Cerdon ab iis, qui ſunt erga Simonem, occaſionem accipiens, cùm veniſſet Romam ſub Higyno, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit, docuit eum qui à lege & Prophetis annuntiatus ſit Deus, non eſſe Patrem Domini noſtri Chriſti* JESU. *Hunc enim cognoſci, illum autem ignorari: Et alterum quidem juſtum, alterum autem bonum eſſe.* Cerdon Valentinianos Æonas, & ipſorum interminabiles Genealogias & Pleroma deſeruit: Garrivit duos dumtaxat Deos. Alium veteris, alium novi Teſtamenti. Hunc eſſe JESU Chriſti Patrem, ad ejus uſque prædicationem fuiſſe ignotum, per iſtam prædicationem innotuiſſe humano generi, eſſe dumtaxat bonum & clementem, non juſtum aut ſeverum. Iſtum verò eſſe Creatorem mundi, ex creationis opere notum omnibus, antiquæ legis ac Prophetarum Deum, malorum omnium auctorem, juſtum dumtaxat & ſeverum, non clementem aut bonum, ideoque à Chriſto Domino improbatum. Ejus diſcipulus fuit Marcion, de quo idem Irenæus: *Succedens Cerdoni Marcion Ponticus adampliavit doctrinam, impudoratè blaſphemans eum, qui à lege & Prophetis annuntiatus eſt Deus, malorum factorem, & bellorum concupiſcentem, & inconſtantem quoque ſententia, & contrarium ſibi ipſi dicens;* JESUM *autem ab eo Patre, qui eſt ſupra mundi fabricatorem Deum, venientem in Judæam temporibus Pontii Pilati Præſidis, qui fuit Procurator Tiberii Cæſaris, in hominis forma manifeſtatum his, qui in Judæa erant, diſſolventem Prophetas & legem, & omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem & Coſmocratorem dicit.* Licèt Marcion ſceleratæ blaſphemiæ non primus auctor fuerit, ſed dumtaxat ſectator, omnes tamen ejus conſectatores non à Cerdone Cerdoniſtæ, ſed à Marcione appellantur Marcionitæ. Quia nempè Marcion ſtrenuiſſimè firmavit ac propagavit blaſphemiam. Eadem de cauſa Donatiſtæ non à primo ſui ſchiſmatis capite Majorino, ſed ab ejus Goliath Donato habent nomen. Cunctos Marcioniticæ impietatis ſinus ac latebras explicarunt, ac refutarunt

Lib. 1. cap. 28. Cap. 29.

varii: Præſertim noſter Septimius, ac Sanctus Epiphanius. Hic addit quòd Marcion ad duos Cerdonis Deos ſeu Principia adjecerit tertium: Hæreſi 42. cap. 3. *Cerdon duo Principia conſtituit; at Marcion tertium ad illius dogma Principium adjecit, ut omninò tria ſint, quorum unum eſt ſupremum, quod neque nomine comprehendi, neque viſu percipi poſſit. Quem & bonum Deum appellat, à quo nihil eorum, quæ ſunt in mundo, ſit conditum. Alterum verò Deum eſſe dicit adſpectabilem & Creatorem. Tertium denique Diabolum, inter ambos illos, adſpectabilem ſcilicet, & eum qui adſpici nequit, interjectum. Ex iis, qui Creator eſt & opifex, ac videri poteſt, Judæorum eſſe Deum, eumdemque Judicem.* Attamen apud Euſebii Cæſaræenſis Eccleſiaſticam hiſtoriam antiquus Eccleſiæ Scriptor Rhodon affirmat tria Principia non à Marcione fuiſſe inducta, ſed à Synero. Ex his vides, cur Marcionis Deus ap- Lib. 5. cap. 13. pelletur *melior de tranquillitate*. Quia nempè eſt ſemper tranquillæ ac benignæ mentis, numquam iraſcitur, nunquam exercet vindicativam juſtitiam. Palmare blaſphemi erroris fundamentum fuit pravus intellectus ſacrarum litterarum, quæ Domino Deo adſcribunt iram, pœnitentiam, zelum, aliaſque noſtri infirmi animi paſſiones.

A Stoicis venerat.

Marcionem fuiſſe Stoicum Philoſophum Doctor etiam infrà affirmat: *Marcion Stoicæ ſtudioſus.* Cap. 30. Porrò Stoicorum de Divina Majeſtate opinionem exponit in libro de teſtimonio animæ: *Sunt* Philoſophi, *qui etſi Deum non negent, diſpectorem planè, & arbitrum, & judicem non putant, in quo utique nos maximè rejiciunt, qui ad iſtam Chriſtianitatis diſciplinam metu prædicati judicii tranſvolamus, ſic Deum honorantes, dum curis obſervationis, & moleſtiis animadverſionis abſolvunt, cui ne iram quidem adſcribunt. Nam ſi Deus, inquiunt, iraſcitur, corruptibilis & paſſionalis eſt. Porrò quod patitur, quodque corrumpitur, etiam interitum poteſt capere, quem Deus non capit.* Et in ſecundo ad Autolicum libro Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus; *Stoici Deum eſſe in univerſum abnegant; aut ſi ſit, aſſerunt eum nullius, quàm ſui, curam gerere.* Antiquus & venerabilis eſt ille Theophilus. Eſt ipſe, cui Sanctus Lucas inſcripſit ſuum Evangelium, & Acta Apoſtolorum. Stoici ergò Dominum Deum cenſuerunt eſſe hominis ſapientis, cui Apatheiam adſcripſerunt, exemplar ſupremum ac ideam. Hinc eum, ne in peccatores iraſci, & vindicare cogeretur, garriverunt nec diſpectorem eſſe, nec arbitrum aut judicem, ſed ſibi ſoli attendere, ac in propria ſui ſolius pace ſemper gaudere. Hoc dogma dilexit, ſed quoniam Chriſtianum nomen prætendebat, ex integro probare non potuit Marcion. Nequiit negare Divinam Providentiam, quæ & juſtis & injuſtis diſtribuat juſta ſtipendia. Hinc ne aut Stoicos deſereret aut Chriſtianos, finxit duos Deos: Alium ſolummodò clementem & bonum, alium ſolummodò juſtum ac ſeverum. Quintinus elucidat: *Cùm Marcion didiciſſet homines à Stoicis in duo genera diſtingui, quorum dicerentur alii ſapientes, & inſipientes alii, ſapientes autem nemini unquam nocere, vel inferre malum, ſed qui ſumma vivant in Euthymia, id eſt, animi tranquillitate, quiete, pace, & utiles omnibus, inſipientes verò ſævos eſſe, nihil quam noxia cogitantes, ille protinus ſe ulciſci volens adversùs Eccleſiam, cujus Communione privatus fuerat ob ſtupratam virginem quamdam, commentus eſt etiam duos eſſe Deos, alterum bonum & ſapientem Deum, tranquillum, quietum, ſedatum, qui nemini per indecibilem naturæ ſuæ bonitatem nocere velit, ſed neque poſſit. Is eſt Chriſti Pater. Alterum verò Deum finxit eſſe malum, qui mundum creaverit & omnium ſit auctor malorum, quæ fiunt & perpetrantur in mundo.*

Et ut anima interire dicatur.

Quidam hæc verba exiſtimant dirigi in Valentinum, aut neſcio quem Valentinianum. Errant. Diriguntur illa in Marcionis diſcipulum Lucanum, de quo Doctor in libro de Carnis Reſurrectione: Cap. 2. *Animæ ſalutem omnes ferè hæretici, quoquo modo volunt, tamen non negant. Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem ſubſtantiæ parcens, quàm ſecundùm Ariſtotelem diſſolvens, aliud quid pro ea ſubjicit, tertium quiddam reſurrecturus, neque anima, neque caro, id eſt, non homo, ſed urſus forſitan, qua Lucanus.* Ejuſdem Lucani meminit præſentis libri appendix: *Extitit Lucanus quidam nomine, Marcionis ſectator atque diſcipulus, per eadem vadens blaſphemiæ genera, quæ Marcion & Cerdon docuerant.* Sanctus Philaſtrius ac Sanctus Epiphanius appellant Lucianum. Eandem inſaniam reſpicere videtur Sanctus Irenæus: *Quidam Gnoſtici neque animam,* Lib. 5. cap. 19. *neque corpus recipere poſſe dicunt æternam vitam, ſed tantùm hominem interiorem. Eſſe autem hunc eum, qui in eis ſit ſenſus, volunt, quem & ſolum adſcendere ad perfectum decernant.* Dico, *videtur*. Quia etiam videtur hæc eſſe alia inſania. Lucanus enim neque corpus, neque animam, ſed ex ambobus aliquid tertium, hæc verò ſtultitia ſolam hominis tertiam partem admiſit ad ſalutem. Nempè Gnoſticum Dogma habuit tot collegia, quot hominum capita. Similem hæreſim Origenis tempore reſumpſerunt quidam Arabes, de quibus Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebii Cæſaræenſis: Lib. 6. cap. 30. *Per idem tempus quidam in Arabia dogmatis cujuſdam à veritate prorsùs alieni auctores naſcuntur, aſſerentes hominum animos unà cum corporibus, uno eodemque temporis articulo, morte occumbere, & penitus extingui, ac demum tempore Reſurrectionis univerſæ carnis cum eiſdem vitam denuò recuperaturos.* Addit errorem ab Origene, quem iſtius Provinciæ Epiſcopi ad iſtum finem invitaverant, fuiſſe revictum, & ab eorumdem Epiſcoporum Synodo damnatum. Attamen inter Lucanum & Arabes fuit aliquid differentiæ. Hi eandem animam cum eodem corpore, ille neque idem cor-

pus,

Digitized by Google

pus, neque eandem animam, ſed aliquid ex
ambobus tertium garrivit reſurrecturum.

Ab Epicureis obſervatur.

Non ſolus Epicurus deliravit animam noſtram
eſſe mortalem, ſed & neſcio qui alii gentilium
philoſophaſtri, de quibus Doctor in libro de Ani-
Cap. 51. ma: *Sed nec modicum quid animæ ſubſidere in mor-
tuo corpore eſt, deceſſuram quandoque & ipſum,
cum totam corporis ſcœnam tempus aboleverit. Et
hoc enim in opinione quorundam eſt. Propterea nec
ignibus funerandum ajunt, parcentes ſuperfluo ani-
mæ.* Quam ſtultitiam ſectatus fuiſſe videtur non
dumtaxat Democritus, ſed & ipſe immorta-
lium animarum defenſor Plato. Pergit enim Do-
ctor: *Ita argumentationes emendicant, ut velint
credi etiam poſt mortem quaſdam animas adhærere
corporibus. Ad hoc enim & Plato, etſi quas vult
animas ad cœlum ſtatim expediat, in Politica ta-
men cujuſdam inſepulti cadaver opponit, longo tem-
pore ſine ulla labe, præ anima ſcilicet individuitate,
ſervatum. Ad hoc & Democritus incrementa un-
guium & comarum inſepultaris aliquanti temporis de-
notat.* Garriunt animas non tantummodò morta-
les, ſed & diviſibiles, ideoque pedetentim ſol-
vi cum cadavere. Et in ipſo comas adhuc & un-
gues produci ab ejus reliquiis. Nec mireris iſtam
Platonis vanitatem. Etenim duplex animarum
genus ab ipſo didicerunt Gnoſtici. Hinc pergit
Cap. 54. Septimius: *Omnes fermè Philoſophi, qui immorta-
litatem animæ, qualiter volunt, tamen vindicant,
ut Pythagoras, ut Empedocles, ut Plato; quique
aliquod illi tempus indulgent, ab exceſſu uſque ad
conflagrationem univerſitatis, ut Stoici, ſuas ſolas,
id eſt, Sapientum animas in supernis manſionibus
collocant. Plato quidem non temerè Philoſophorum
animabus hoc præſtat, ſed eorum, qui Philoſophiam
ſcilicet ornaverint amore puerorum. Adeò etiam in-
ter Philoſophos magnum habet privilegium impuritas.
Itaque apud illum in ætherem ſublimantur animæ ſa-
pientes. Apud Arium in aerem; apud Stoicos ſub
Lunam. Imprudentes animas ſub terram proſternunt.*
Illic cum corporibus pedetentim diſſolvendas,
aut certè in generali conflagratione abſumendas.
Ita & Gnoſtici ſuas ſolas, licèt omni flagitiorum
luto ſcabioſiſſimas, ſapientum ac ſpiritalium
animas expediunt in cœlum, animalium animas
in medietate ponunt, Choicorum verò infelices
mentes dixerunt redire in terram, ac perire.
Marcionita Lucanus videtur omnium animas cen-
ſuiſſe mortales. Nec mireris iſtam Stoicorum
ſtultitiam. Stultiora enim de ipſis ſcribit in ſe-
cunda Apologia Sanctus Martyr Juſtinus: *Qui
Fol. 66. appellantur Stoici Philoſophi, ipſum etiam Deum in
ignem diſſolutum iri opinantur, ac novum per muta-
tionem mundum fore dicunt.* Divinam Majeſtatem
garriverunt eſſe mundi animam, ideoque etiam
novum ex vetere Deum, quaſi è Phœnice Phœ-
nicem, eſſe conflagratione generandum. Ita de-
ſipuit iſta ſapientia.

De una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur.

Quod omnes Philoſophi carnis reſurrectionem
non ſolummodò abnegaverint, ſed etiam abo-
minati ſint, inſigniter lucet ex Areopagitarum
Judicum circa Sancti Pauli prædicationem judi-
cio: *Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum,* Actor. 17.
*quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt,
Audiemus te de hoc iterum.* Quòd Apoſtolum dum-
taxat riſerint, erat grandis iſtorum Heroum mo-
deratio. Etenim Pythagoræ de animarum no-
ſtrarum etiam in beſtias revolutione ſententiam
exponit in libro Apologetico Tertullianus, &
adjungit: *At enim Chriſtianus, ſi de homine homi-* Cap. 48.
*nem, ipſumque de Cajo Cajum, reducem repromit-
tat, lapidibus magis, ne ſaltem cæſtibus, à populo
exigetur.* Cuncti tunc gentiles reſurrectionem
ſunt adeo averſati. Hinc in libro de Reſurrectio-
ne dicit ipſam eſſe Dei veritatem, & Chriſtiano-
rum fiduciam, atque adjungit: *Sed vulgus irri-* Cap. 1.
*det, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem. Planè
enim vulgo interdum & Sapientes ſententiam ſuam
jungunt. Nihil eſſe poſt mortem, Epicuri ſchola eſt.
Ait & Seneca omnia poſt mortem finiri, etiam ip-
ſam. Satis eſt autem, ſi non minor Philoſophia Py-
thagoræ & Empedocli. Sed Platonici immortalem
animam è contrario reclamant: Imò adhuc proximè
etiam in corpora remeabilem affirmant.* Affirmat
apud quoſdam & corpora & animas, apud Pla-
tonicos ſola perire corpora; at corporum reſur-
rectionem ab omnibus concorditer abnegari. In
ſecunda ſuper octogeſimum octavum Pſalmum
Concione Sanctus etiam Auguſtinus noſtræ reſur-
rectionis fidem amplè exponit, & proſequitur:
*In nulla re ſic contradicitur fidei Chriſtianæ, quàm
in reſurrectione carnis. Denique ille qui natus eſt in
ſignum, cui contradicitur, & ipſe carnem ſuam re-
ſuſcitavit, ut obviam iret contradictori. Et qui poſ-
ſet membra ſua ſic ſanare, ut ea vulnerata fuiſſe non
appareret, cicatrices ſervavit in corpore, ut dubi-
tationis vulnus ſanaret in corde. In nulla ergo re tam
vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & con-
tentiosè contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de car-
nis reſurrectione. Nam de animi immortalitate mul-
ti etiam gentium Philoſophi multa diſputaverunt, &
immortalem eſſe animum humanum, pluribus & mul-
tiplicibus libris conſcriptum memoriæ reliquerunt.
Cùm ventum fuerit ad reſurrectionem carnis, non
titubant, ſed apertiſſimè contradicunt. Et contra-
dictio eorum talis eſt, ut dicant fieri non poſſe, ut
caro iſta terrena poſſit in cœlum adſcendere.* Quot-
quot docuerunt immortalitatem animæ, etiam
docuerunt ſapientes animas ſuo tempore liberan-
das ab hujus vitæ miſeriis, levandas in cœlum,
& iſtic beatificandas. Originale peccatum non
intellexerunt. Hinc ſordes & infirmitates corpo-
ris crediderunt illi naturales, ac ab ipſo inſepa-
rabiles, ideoque & cenſuerunt animam in cor-
pore nec poſſe beatam eſſe, nec quietam. Cor-

pus

pus non poſſe liberari à ſuo pondere, ideoque nec levari in cœlum. Eò quòd naturæ lex non patiatur graviora ac denſiora corpora ſuperponi rarioribus ac levioribus: Cuncta iſtius cœcæ ſapientiæ argumenta adducit ac largiſſimè ſolvit Sanctus Auguſtinus in libris de Dei Civitate.

Porrò Simon Magus, uti omnium hæreticorum primus eſt ac Primas, ita & primus, licèt animarum in varia corpora revolutionem docuerit, negavit Carnis Reſurrectionem. Etenim Chriſtum Dominum, quem ſemetipſum eſſe garrivit, garrivit non verè, ſed imaginariè crucifixum, ideoque nec reſurrexiſſe. Reſurrectionem negarunt etiam Hymenæus, & Philetus. Rationem dat in commentario ſecundæ ad Timotheum epiſtolæ Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus:
Cap. 2. *Hymenæus & Philetus erant ex radice Saducæorum.* Ejuſdem erroris magnam portionem prædicavit tunc Cerinthus, de quo Sanctus Epiphanius:
Hæreſi 28. cap. 6. *Cerinthus homo ſtolidus, ac ſtolidorum Magiſter, dicere nihil eſt veritus paſſum quidem ac crucifixum eſſe Chriſtum, nondum tamen à mortuis excitatum, ac tum demum, cùm mortui reſurgent omnes, excitandum.* Blateravit eſſe communem ex carnis & viri voluntate natum hominem, ideoque etiam nonniſi communiter reſurrecturum. Et hunc Errorem atque errorem in prima ad Corinthios epiſtola impugnari à Sancto Paulo Apoſtolo, rectè ibidem affirmat Epiphanius. Impugnari & alios Gnoſticos, rectè affirmat Hilarus Diaconus. Attamen in prima ſuper iſtam epiſtolam Homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus nullam Cerinthi aut cujuſvis hæretici mentionem facit: Affirmat iſtius illic erroris fontem fuiſſe gentilem Philoſophiam. Quidquid ſit, generatim omnes hi errarunt cum gentilibus Philoſophis. Verùm ex alio, ac longè fœdiori principio. Etenim Philoſophi humanam carnem, licèt animæ incommodam ac refractariam, profeſſi tamen ſunt natura bonam, ac boni Dei bonum opus; at verò iſta ſcelerata falſi nominis ſcientia garrivit carnem ſubſtantia malam, & pravi principii pravum opus, ideoque bonas animas ab ipſa oportere liberatas. Legi oportet noſtri Doctoris libros de Carne Chriſti, de Reſurrectione Carnis, contra Valentinianos, & contra Marcionem.

Circa Carnis Reſurrectionem poſtmodò errarunt etiam Origenes, in Photii Bibliotheca memoratus
Lib. 253. Theodorus Ægeorum Epiſcopus, Sanctus Eutychius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Almericus, & quidam alii. Quin & de Sancto Auguſtino ſcribit in illuſtrium virorum catalogo Gennadius Maſſilienſis: *Auguſtinus de reſurrectione mortuorum ſimili cucurrit ſinceritate, licèt minùs capacibus dubitationem de abortivis fecerit. Error tamen illius, ſermone multo contractus, lucta hoſtium exaggeratus necdum hæreſis quæſtionem dedit.* Affirmat Auguſtino eveniſſe quod ſcribit Sapiens: *Ex multiloquio non effugies peccatum.* Fuit homo Semipelagianus, ideoque ſtuduit Auguſtinum ex omni latere ſugillare. Hinc & Tichonium Donatiſtam laudat, quòd docuerit etiam deformatos abortus fore reſurrecturos. Eſt antiqua apud Eccleſias quæſtio, ad quam ſibi propoſitam affirmativè reſpondit etiam antiquus Scriptor, à quibuſdam putatus Sanctus Martyr Juſtinus. Et quòd Quæſt. 13.
Sanctus Auguſtinus iſtud ipſum ſenſerit, ideoque à Gennadio morderi non meruerit, poſſit facilè demonſtrari. Attamen Gennadii verba, *Error illius, &c.* videntur non hunc articulum reſpicere, ſed doctrinam de Dei gratia. Hanc enim Gennadius ſingulariter odit. Ex iiſdem verbis lucet nullam unquam fuiſſe hæreſim prædeſtinatianam.

Zenonis diſciplina eſt.

Hermogenes, dum Divinam Omnipotentiam non capit, poſuit coæternam Deo materiam, ex qua infecta ille fecerit omnia, impotens creare ex nihilo: Quia ex nihilo nihil fit. Quòd ille error materiam Deo æquet, ac ſecundum Deum ſibi fingat, multis demonſtrat Septimius in ſingulari libro contra Hermogenem. Addit hunc Hermogenem ab illo, quem in ſuis epiſtolis notat Apoſtolus, eſſe diverſum, utrumque fuiſſe vario errore ſcabioſum Apoſtatam, ac proſequitur de hoc poſteriori: *Hermogenes Chriſtum Dominum non alium videtur aliter cognoſcere, alium tamen facit, quem aliter cognoſcit. Imò totum quod* Cap. 1.
Deus eſt aufert, nolens eum ex nihilo omnia feciſſe. A Chriſtianis enim converſus ad Philoſophos, de Eccleſia ad Academiam & Porticum; inde ſumpſit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, neque initium habens omninò nec finem, ex qua Dominus omnia poſteà fecerit. Ejus ſequaces appellat hæreticos *Materiarios*. Etiam hanc hæreſim eſſe à Philoſophis Cap. 25.
Stoicis, quorum Princeps fuit Zeno, item in ſecundo ad Nationes libro affirmat Septimius. Etenim apud Stobæum in Phyſicis Zeno dicit *eſſentiam omnium rerum primam eſſe materiam, atque eam totam æternam.* Et in Præfatione ad primum naturalium quæſtionum librum præfixa Stoicus Seneca proponit hanc quæſtionem: *Quantum Deus poſſit? Materiam ipſe ſibi formet, an data utatur?* Et in octavo epiſtolarum libro reſolvit: *Dicunt, ut ſcis, Stoici noſtri duo eſſe in rerum natura, ex quibus omnia fiunt, cauſam & materiam.* Epiſt. 65.
Materia jacet iners, res ad omnia parata, ceſſatura, ſi nemo moverit. Cauſa autem, id eſt, ratio materiam format, & quocumque vult, verſat, ex illa varia opera producit. Eſſe ergo debet, unde aliquid fiat, deinde à quo fiat. Hoc cauſa eſt, illud materia. Conſonat in libro de natura Deorum Marcus Tullius Cicero: *Non eſt probabile eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe Divina providentia effectam, ſed habere & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Ut igitur faber, cùm quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed utitur ea, quæ ſit parata, fictorque item cera; ſic iſti providentiæ Divinæ materiam præſto eſſe oportuit, non quam ipſe faceret, ſed quam haberet paratam.* Cicero fuit homo Academicus. Hinc dicit: *Non eſt probabile.*

Eundem

Digitized by Google

Eundem errorem Sanctus Antiochiæ Patriarcha Theophilus adſcribit Platoni: Lib. 2. *Plato cum ſuis aſſeclis Deum quidem confitetur ingenitum, Patrem præterea & Conditorem omnium, at deinde ſubjicit ſive ſupponit Deo materiam quoque ingenitam, quæ ſimul cum Deo prodierit, ſive exſtiterit.* Et in libro ad Gentes Sanctus Martyr Juſtinus: *Plato modò tria principia dicit omnium, Deum, materiam, ſpeciem; modò quatuor, addendo univerſalem animam. Rursùs cùm priùs materiam dixiſſet ingenitam, poſteà genitam ipſam aſſerit.* Elucidat in Panario Sanctus Epiphanius: *Plato de materia non omninò cum Zenone & Stoicis ſentit. Etenim Deum ille cognovit, ab eoque cuncta producta, tum mentes quaſdam agendi facultate præditas, à vero Deo propagatas aſſeruit. Præterea primum eſſe principium, ac ſecundum, & tertium. Quorum primum Deum eſſe pronuntiat, alterum procreatas à Deo mentes: Ab utriſque demùm materiam productam. Sic enim definit cœlum cum tempore factum eſſe, unaque cum eo diſſolutum iri. Quibus verbis priorem ſuam ſententiam evertit. Aliàs enim materiam Deo eſſe tempore æqualem ſtatuerat.* Quam opinandi inconſtantiam in ipſo notat etiam Sanctus Patriarcha Theophilus: *Verùm ſi Deus cenſetur ingenitus, & materia perhibetur ingenita, jam nec ampliùs Deus Conditor & Creator eſt omnium etiam ſecundùm Platonicos. Nec quod unus & ſolus ſit, ab eis verè demonſtrabitur.* Quia nempè materia, ſi ingenita ſit, non poteſt non eſſe Deus. Hoc Theophilus inſigniter demonſtrat. Hinc Septimius affirmat Hermogenem non tantummodò ad Stoam, ſed & ad Academiam apoſtataſſe. Ob duas cauſas. Primò, quia Plato fuit Princeps Academiæ veteris, quæ deſiit in Crantore & Cratete. Deinde, quia Stoa eſt iſtius Academiæ ſurculus. Etenim Zeno fuit Cratetis diſcipulus, ad Stoam ſucceſſit novæ Sectæ Princeps, ac interim Academicus manſit, atque ita quis ad Stoam declinans declinat etiam ad Academiam. Habes hæc apud Clementem Alexandrinum in primo libro Stromatum. Idem error placuit Ariſtoteli, & aliis paſſim Philoſophis. Eorum fundamentum fuit hoc Democriti principium: Ex nihilo nihil gigni, nihil in nihilum reverti.

Porrò Septimius frequenter meminit Zenonis. In libro de anima: *Platonis honor, Zenonis vigor, Ariſtotelis tenor, Epicuri ſtupor.* Quidam legunt: *Zenonis rigor.* Vigor ingenii acrimoniam commendat, rigor ſeveros mores. Et in libro apolo-
Cap. 56. getico: *Zeno Eleates, conſultus à Dionyſio, quidnam Philoſophia præſtaret, cum reſpondiſſet, Contemptum mortis, flagellis Tyranni ſubjectus ſententiam ſuam ad mortem uſque ſignabat.* Quod ipſum
Cap. 58. ſcribit in libro de anima. Elea eſt Peloponneſi regio, inter Arcadium & mare Jonium ad occaſum. Eſt & Lucaniæ apud Italos urbs. Et hæc fuit patria Zenonis. Verùm hic eſt alius Zeno, de quo ad Olympium ſcribit etim Magnus Baſi-
Epiſt. 169. lius: *Zeno, cùm in naufragio omnia abjiceret, nihil non virile loquebatur, ſed dicebat, Euge, ò fortuna, conjicis nos in veſtem veterem & laceram.* Quod ipſum in tertia oratione ſcribit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Ejuſdem conſtantiam laudat Sanctus Clemens Alexandrinus. Stoici Zenonis conſtantiam laudat Ammianus Marcellinus:
Zenon ille vetus Stoicus, ut mentiretur quædam, Lib. 14.
laceratus diutiùs, avulſam ſedibus linguam ſuam cap. 29.
cum cruento ſputamine in oculos interrogantis Cypri Regis impegit. Fuit enim Stoicus. De eodem ſcribit Sanctus Epiphanius: *Porticus Princeps, ſeu Stoicæ Sectæ Zeno fuit, de quo varius eſt ſermo. Nam alii Cleanthis cujuſdam Tyrii filium fuiſſe putant, alii Cittienſem faciunt ex inſula Cypro, quem & Romæ aliquamdiu vixiſſe narrant, ac inde Athenas profectum in Stoa, hoc eſt, Porticu dogmata illa publicè propoſuiſſe. Non deſunt qui duos Zenones diſtinguunt: Eleatem, & illum de quo proximè dictum eſt. Utcumque ſit, eadem ab utriſque dogmata profluxerunt.* Laertius & Svidas affirmant fuiſſe Cittienſem, Mnaſeæ ſeu Demææ filium. Elucidat in primo Stromatum libro Sanctus Clemens
Alexandrinus: *Cratetis diſcipulus fuit Citticus* Fol. 301.
Stoicorum Sectæ Princeps. Huic ſucceſſit Cleanthes, poſt quem Chryſippus, & alii deinceps. Eleaticæ autem diſciplinæ Princeps Xenophanes Colophonius. Et inter ejus ſucceſſores ponit Zenonem. Videtur hunc non à nativitatis, ſed à diſciplinæ loco appellare Eleatem. Quidquid ſit, Svidas adjungit de Stoa ſeu Piſianactea Porticu: *Quamvis ſub triginta tyrannis eo in loco mille quadringenti cives interfecti eſſent, tamen ad Zenonem audiendum homines ibi conveniebant, propertereaque Stoici dicti ſunt ejus ſectatores, cùm Zenonii anteà dicerentur.* Iſtorum Zenonum fuiſſe diverſa dogmata affirmant Diogenes, & Plutarchus in opere de Placitis Philoſophorum. Quod ipſum affirmat Sanctus Clemens. Et addit Cleantem Stoici Zenonis non patrem fuiſſe, ſed diſcipulum & ſucceſſorem. Quod ſine cauſa appelletur rigidus, demonſtrat in Sancti Babylæ Antiocheni Patriarchæ adverſùm gentiles encomio Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quale commodum cum matribus & ſororibus miſceri? Quod quidam Philoſophus Stoæ Præfectus lege ſanxit.*

De igneo Deo.

Doctor notat Apellem, de quo & infrà ſcri-
bit: *Si & Apellis ſtemma retractandum eſt, tam* Cap. 30.
non vetus & ipſe quam Marcion inſtitutor & preformator ejus. Et iterùm: *Apelles creatorem Angelum, neſcio quem glorioſum ſuperioris Dei, facit Deum legis & prophetarum, illum igneum affirmans.* Quod nempè in igne apparuerit in monte Sinai.
Et in libro de anima: *Apelles ſollicitatas refert* Cap. 23.
animas terrenis eſcis de ſuper cœleſtibus ſedibus ab igneo Angelo, Deo Iſrael & noſtro, qui deinde illis peccatricem circumfinxerit carnem. Et in libro de
carne Chriſti: *Apelliciani carnis ignominiam præ-* Cap. 8.
tendunt maximè, quam volunt ab igneo illo Præſide mali ſollicitatis animabus admixtam, & ideò indignam Chriſto, & idcircò de ſideribus illi ſubſtantiam competiſſe. Angelum quemdam inclytum nominant,

qui

qui mundum hunc inſtitatrit, & inſtituta ea pœnitentiam ndmiſcrarit. Pœnitentiæ cauſam edicit in libro de hæreſibus Sanctus Anguſtinus: *Cum malignus eſſet Angelus, ſeu Deus ille, inventus eſt in ſua malignitate mandum feciſſe*. Hinc illum eſſe ovem errantem, cujus quærendæ cauſa Salvaror advenerit, Apellitæ interpretantur. Singulas ejus fabulas eruditio, qui magno Eccleſiaſticæ eruditionis damno periit aut later; libro reſutavit Tertullianus. Item à Juſtino Martyre, Theophilo Patriarcha Antiocheno, Philippo Gortynenſium Epiſcopo, Irenæo Lugdunenſi, Modeſto, Origene, Rhodone, Adamantio, Hyppolito, ac Euſebio Emiſeno Epiſcopo optimè & Cap. 25. doctiſſimè reſutari affirmat Theodoretus in primo libro hæreticarum fabularum. Sanctus Epiphanius affirmat Apellem ſub Marcione fuiſſe Lucani ſeu Luciani condiſcipulum, ab utroque conditam novam hæreſim, atque adjungit: *Apelles ac omnis ejus factio ita ſentit. Non eſſe Principia tria, neque duo, ut Luciano ac Marcioni videtur, ſed unum eſſe bonum Deum, unumque Principium, ac Potentiam unam nominis expertem. Qui quidem Deus unus, unumve Principium, nullam earum, quæ in hac mundo geruntur, curam ſuſcipit. Ceterum idem ille ſanctus bonuſque Deus, qui à principio Deus eſt ac bonus, alium produxit Deum. Ab hoc univerſa condita ſunt, cælum videlicet ac terra, cæteraque, quæ in hoc mundo cernimus. Sed hic minimè bonus evaſit, ejuſque opera omnia non bene facta, ac pro mala illius mente ſunt ab illo fabricata*. Videatur & Sanctus Philaſtrius.

Heraclitus intervenit.

De Heraclito ſcribit Doctor in libro de Anima: Cap. 2. *Heraclitus ille tenebroſus*. Et infrà: *Platonis honor, Zenonis vigor, Heracliti mœror*. Et in libro Apologetico refert varias gentilium Philoſophorum de Divina natura ſententias, & harum una eſt: Cap. 47 *Alii ex igne aſſeverant eſſe, qua Heraclita viſum eſt*. Fuiſſe appellatum tenebroſum ſeu obſcurum, teFol. 571. ſtatur etiam Sanctus Clemens Alexandrinus, & in quinto Stromatum libro adducit rationem, affirmans ac demonſtrans & Philoſophos & Poetas ſua dogmata occultaſſe ſub ænigmatibus, atque adjungens: *Innumerabilia invenias, tum apud Philoſophos, quàm apud Poetas, dicta ænigmaticè, cùm etiam toti libri indicent abditam ſcriptoris voluntatem, cujuſmodi eſt liber Heracliti de natura, qui etiam propterea appellatus eſt obſcurus & tenebroſus*. Ei mœſtitiam adſcribit in tertia oratione etiam Sanctus Gregorius Nazianzenus. Quod nempè humani generis in hac pœnali vita calamitates, uti Democritus ſemper riſit, ita ille ſemper fleverit. Quòd tamen eodem tempore non vixerint, ad iſtum Gregorii locum rectè advertit Elias Cretenſis. Quod Deum eſſe igneum, aut potiùs ignem eſſe primum Principium ac Deum docuerit, tradit in cohortatione ad gentes etiam Sanctus Martyr Juſtinus: *Heraclitus, ſicut Hippaſus Metapontinus, cauſam omnium rerum eſſe ignem aſſeverat*. Quod ipſum affirmat laudatus Clemens in admonitione ad gentes: *Parmenides Eleates induxit Deos, ignem & terram. Ex his autem alterum ſolum Deum exiſtimarunt ignem Hippaſus Metapontinus, & Epheſius Heraclitus*. Et infrà: Fol. 42. *Hoc etiam uſu venit Heraclito, & ejus ſectatoribus, qui ignem tamquam ortus rerum principium colunt*. Ex eodem errore propagatam dicit Perſicam idololatriam, nec non & cultum Vulcani. Heraclitum fuiſſe Epheſium ſcribit etiam Svidas. At verò Elias Cretenſis Democritum affirmat Epheſium, Heraclitum fuiſſe Abderitem. Quod ipſum affirmat antiquus Eccleſiæ Scriptor Athenagoras: *Democritus ab Epheſiis pulſus eſt, Heraclitum Abderitæ tanquam inſanum exilio, Socratem Athenienſes morte affecerunt*. Cives concivem. Ejus natales & ævum exponit laudatus Clemens in primo Stromatum libro: *Heraclitus Bauſonis filius perſuaſit Melancomæ tyranno, ut deponeret tyrannidem. Hic deſpexit Regem Darium, adhortantem ut veniret ad Perſas*. Evocationis radix fuiſſe poteſt Heracliti dogma de igneo Deo: Nam & Perſæ ignem adorabant. Iſtum Darium fuiſſe Hyſtapſis filium, adeoque Heraclitum ſexageſima nona Olympiade viguiſſe affirmat Svidas. Et adjungit de ejus morte: *Heraclitus aqua intercute laborans, Medicorum curationem aſpernatus, ſe totum fimo bubulo perunxit, quem ad ſolem ſiccari ſivit. Sic ergo jacentem canes lacerarunt. Alii arena obrutum periiſſe dicunt*. Conſonat & diſſonat Tertullianus in libro ad Martyres: *Heraclitus ſe bubulo* Cap. 4. *ſtercore oblitum exuſſit*. Svidas addit nullius Philoſophi fuiſſe diſcipulum, ſed ſolo ingenii ac diligentiæ uſum magiſterio, & pergit: *Quidam tamen auctores ſunt eum Xenophanis & Hippaſi Pythagorici fuiſſe aſſiduum auditorem*. Quod etiam inſinuant Sanctus Clemens & Sanctus Juſtinus, aſſerentes de igneo Deo dogma fuiſſe illi commune cum Hippaſo. Sanctus Juſtinus addit in prima Apologia: *Quicumque cum ratione ac verbo vixerunt, Chriſtiani ſunt, quamvis Athei & nullius Numinis cultores habiti ſint. Quales inter Græcas fuerunt Socrates, Heraclitus, atque iis ſimiles*. Hæc ſunt cum multo moderamine intelligenda. In cohortatione ad gentes ſcribit etiam de Platone: *Plato Summum Deum in ignea eſſentia eſſe dicit*. Non eſſe ignem, ſed in ipſo, uti throno, habitare.

Unde malum? Et Quare?

Doctor agit in Gnoſticos, de quibus & Sanctus Irenæus: *Abſcedentes à veritate, digni in omni* Lib 3. c. 40. *volutantur errore, fluctuati ab ea, aliter atque aliter per tempora de iiſdem ſentientes, & nunquam ſententiam ſtabilem habentes, Sophiſtæ verborum magis eſſe volentes, quàm diſcipuli veritatis. Non enim ſunt fundati ſupra vivam petram, ſed ſupra arenam, habentem in ſemetipſa lapides multos. Propter hoc & multos Deos fingunt. Et quærere quidem* ſem-

ſemper in excuſatione habent. Cæcutiunt enim. Invenire autem nunquam poſſunt. Affirmat ipſos eſſe ex numero illorum, de quibus ſcripſit Apoſtolus: *Semper diſcentes*, ſive quærentes, *& ad veritatis agnitionem nunquam pervenientes*. Hinc quod non dumtaxat ſemetipſos, ſed & noſtros, dum in ſeductionem circumſcribere ſtudent, vexaverint aſſiduis quæſtionibus, affirmat idem Irenæus in alio ejuſdem libri capite, & adjun-
Cap. 15. git: *Et ſi aliquis ex his, qui audium eos, quærat ſolutiones, vel contradicat eis, hanc quaſi non capientem veritatem, & non habentem de ſuperioribus à matre ſua ſemen affirmant*.

Porrò apud gentiles Philoſophos famoſiſſima fuit quæſtio: *Unde, & quare malum?* Originalis ignorantia & carnalis concupiſcentia, per quas genus humanum in flendas ac horrendas pravitates & calamitates quotidie præcipitatur, omnibus patent ad oculum, at earum origo eſt ſecretiſſima. Hinc alii animas peccaſſe ante corpora, & iſtorum peccatorum hic luere pœnas, alii dixerunt ipſas editas à natura noverca. Alii alia cœcutierunt. Cerdon & Marcion finxerunt duo Principia, duos Deos, bonum & malum: Et Deum malum eſſe omnium malorum auctorem & conditorem. Hinc Platonem, licèt gentilem, iſtis fuiſſe meliorem ac ſapientiorem rectè affirmat laudatus Irenæus. Sceleratum Valenti-
Lib. 3. c. 45. ni collegium fuit longè ſtultius. Etenim Demiurgum, ſeu Deum creatorem blaſphemavit eſſe erroris & labis fructum, atque ita ex ipſo mala omnia proceſſiſſe. Hinc item apud illos quæſtio, *Unde Deus?* uti Heſiodus ac alii gentiles Poetæ Deorum, ita Valentiniani Æonum originem quærunt, & ſtultiſſima fabulantur. Ejus blaſphemas fabulas amplè exponit laudatus Ire-
Lib. 2. cap. 20. 21. 22. næus. Omnes ignorarunt veram malorum originem, liberum rationalis creaturæ arbitrium, & ex ipſo nobis natum originale peccatum. Hinc enim à primis naſcentium vagitibus uſque ad extremos morientium gemitus eſt grave jugum ſuper filios Adæ. Etiam rectum docendi & diſcendi ordinem ignorarunt. Nec enim mentem primò ad mala deflectere, & ex ipſis duos Deos inferre oportuit, ſed unum Dominum Deum ante omnia agnoſcere, & tunc malorum origi-
Cap. 1. nem inveſtigare. Ita rectè advertit Septimius in libro de Reſurrectione.

De Enthymeſi & Ectromate.

Tertia Valentinianorum Æonum claſſis eſt duodenaria, & ejus poſtremus Æon eſt Sophia. Hæc dum inviſibilem Patrem illicita curioſitate quærit intueri & noſcere, cecidit extra Pleroma, facta eſt ovis errans, incurrit multas calamitates, ac tandem ejus Enthymeſis abortivit Demiurgum, Deum creatorem. Audiamus fabulam
Lib. 1. cap. 1. à Sancto Irenæo: *Ea quæ extra Pleroma dicuntur à Valentinianis, ſunt talia. Enthymeſin illius ſuperioris Sophiæ, quam & Achamot vocant, ſeparatam à ſuperiori Pleromate cum paſſione dicunt in umbratæ vanitatis locis deferbuiſſe per neceſſitatem. Extra enim lumen facta eſt, & extra Pleroma, informis & ſine ſpecie, quaſi abortus, ideò quia nihil apprehendit*. Extra Pleroma errans & ob errorem conſternata Sophia abortivit Enthymeſin, Enthymeſis Demiurgum, Demiurgus mundum. Notanda ſunt verba: *Extra lumen & extra Pleroma*. Quiſque enim Valentini Æon eſt lumen & quaſi accenſa fax: Et quomodo plures faces, dum conjunguntur, uniuntur in unam flammam; ita & triginta Æones, dum unus procedit ab altero, ſunt lumen de lumine, & omnes ſunt unum magnum lumen. Hoc eſt ipſorum Pleroma. Non expendamus tempus in inutiles & ſceleratas fabulas. Eas eſſe riſu, quam refutatu digniores, rectè affirmat laudatus Irenæus. Interim hinc lucet, quod Valentinus non primi & ſupremi Protopatoris, ſed aliorum dumtaxat Æonum, ac præſertim Demiurgi, originem inquiſivit. Protopatorem eſt profeſſus eſſe à ſemetipſo.

Qui illis Dialecticam inſtituit.

Quòd Ariſtotelis Dialectica Gnoſticorum blaſphemias adjuverit, teſtatur etiam Sanctus Irenæus: *Minutiloquium & ſublimitatem circa quæſtiones, cùm ſit Ariſtotelicum, inferre fidei conantur*. Quidam codices legunt: *Multiloquium & ſubtilitatem*. Noſtra lectio eſt melior. Etenim Dia- Lib. 2. cap. 19.
lecticarum ſubtilitatum venatores conſueverunt non dumtaxat in voce aut ſyllaba, ſed etiam in uno apice vim facere & emphaſim, atque ita ſectari minutiloquium. Quod Ariſtotelis Dialectica cunctis hæreſibus adjutoria & fomenta ſubminiſtrare ſoleat, affirmat etiam in Sancti Amos Prophetæ commentariis, hæc ejus verba, *Conteram vectes Damaſci*, exponens beatus Hieronymus: *Vectes Damaſci, quaſi ſeræ robuſtiſſimæ atque fortiſſimæ, hi intelligantur, qui inſtructi ſunt arte dialectica, & argumentis Philoſophorum. Verbi gratia oſtium vocatur, qui falſum dogma concepit & peperit, ut Arius in Alexandria. Vectes ejus & ſeræ fortiſſimæ, Euthychius & Eunomius, qui ſyllogiſmis & enthymematis, & ſophiſmatibus, quæ ab aliis malè inventa ſunt, roborare conantur*. De Ario ſcribit etiam Socra-
tes: *Arius erat dialecticarum argutiarum minimè* Lib. 1.
ignarus. Et Hermias Zozomenus: *Arius diſſe-* cap. 3.
rendi ſubtilitate erat cum primis excellens. Et de cunctis generatim Arianis ſcribit ad Imperatorem Gratianum in libris de fide Sanctus Am-
broſius: *Omnem vim venenorum ſuorum in dialecti-* Lib. 1.
ca diſputatione conſtituunt, quæ Philoſophorum cap. 3.
ſententia definitur, non adſtruendi vim habere, ſed ſtudium deſtruendi. Eoſdem Arianos Sanctus Epiphanius appellat novos Ariſtotelicos, & ad-
jungit cauſam: *Nam hujus Philoſophi virus omne* Hæreſi 69.
in ſeipſis expreſſerunt, & innocentem Spiritus San- cap. 69.
cti ſimplicitatem ac benignitatem reliquerunt. Evan-

gelica

Digitized by Google

gelica manſuetudine relicta, *calliditatem potiùs amplexi ſunt, ac ſe ad Ariſtotelem & cæteros hujus mundi Dialecticos accommodaverunt*. Et ad-
Hæreſi 76. c. 1. verſùs Arii reſuſcitatorem Ætium ſcribit: *Tua illa, ex Dialecticorum & diſputandi artificum officina profecta, vana & inſolens oratio*. Addit ipſum hujus *faſtu & arrogantia fuiſſe diſtentum*.
Lib. 2. cap. 28. Et Socrates: *Ætius eos, qui fortè in ejus venere colloquium, ſuis obſtupefecit argutiis. Iſtud autem effecit fretus elenchis ſophiſticis Ariſtotelis. Quarum ſubſidio cùm diſſereret, captioſas ratiocinationes, quas ipſe non poterat diſſolvere, impru-*
Lib. 3. cap. 14. *dens contexuit*. Et Hermias Zozomenus: *Ætius magnoperè ab illis, qui fidei Catholicæ adverſabantur, laudatus eſt. Vir Dialecticæ peritus, valdeque ad ratiocinandum idoneus. In pugnis verborum ſatis exercitatus, iſtique uni rei operam reverà navans*. Et de ejus ſectatore Eunomio ſcribit:
Lib. 6 cap. 26. *Eunomius erat magnus verborum artifex, certandique & ratiocinandi ſtudio vehementer delectabatur. Quales eſſe complures iſtius hæreſis ſectatores licet animadvertere. Nam neque piam alicujus vitam, neque mores, neque benignitatem in egentes tantum laudant, niſi ipſorum faveat opinioni, quantum ſi litigioſus in diſputando, atque adeò ratiocinationibus videatur ſuperiores ferre*. Socrates affirmat Eunomium fuiſſe Ætii ſcribam & contu-
Lib. 4. cap. 7. bernalem, atque adjungit: *Eunomius cum Ætio vitam degens fallaces ratiocinandi & concludendi modos, qui ſunt Sophiſtarum proprii, ab illo didicit, eoſque ſedulò eſt imitatus. Quin etiam inanibus & ineptis vocibus operam dare, atque ſophiſmata, quibus irretiretur, contexere imprudens aggreſſus eſt, illiſque arroganter inflatus ad blaſphemiam præceps ivit*. Et de cunctis generatim Ætianis ſeu Eunomianis ſcribit in homilia ſuper exordium Evangelii ſecundùm Joannem Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Unde ignominioſa Eunomii*
Tom. 6. fol. 242. *appellatio? Unde heretica illa ſemina? Veritatis doctrina apud impios illos tota ſubverſa eſt, invaluitque & recepta eſt doctrina Ariſtotelica*. Quod ipſum ſcribunt Sanctus Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, & in dialogo contra Luciferianos Sanctus Hieronymus: *Ariana hæreſis magis cum ſapientia ſæculi facit, & argumentationum rivos de fontibus Ariſtotelis mutuatur*.

Eadem Dialectica inflavit & armavit Pelagianos. Hinc in primo adverſùm ipſos libro ſcribit idem Hieronymus: *Hæc argumentatio tortuoſa eſt, Eccleſiaſticam ſimplicitatem inter Philoſophorum ſpineta concludens. Quid Ariſtoteli & Paulo? Quid Platoni & Petro?* Et in tertio libro: *Diſputatio tua non ex fontibus veritatis & Chriſtiana ſimplicitate, ſed ex Philoſophorum minutiis & arte deſcendit*. Loquitur ex Sancto Irenæo, qui nobis jam dixit: *Ariſtotelis minutiloquium*. Et ad iſtius hæreſeos Principem, ac Sanctorum Patrum contemptorem Julianum declamat Sanctus Auguſtinus: *Rogo, fili Juliane, quid reſponde-*
Lib. 1. cap. 4. *bis? Quibus eos*, utique Sanctos Patres, *oculis intueberis? Quæ tibi argumenta ſuccurrent? Quæ Ariſtotelis categoriæ, quibus ut in nos velut artifex diſputator inſilias, videri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conſpectu exeri audebunt?* Quod etiam Pelagius & Cæleſtius fuerint iſtius artis peritiſſimi, ideoque & tumidiſſimi adverſùs Catholicam ſimplicitatem, lucet ex plurimis locis ejuſdem Auguſtini. Hauſerunt id ex ſuis magiſtris Origeniſtis, ad quorum acrem patronum Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum ſcri-
bit Sanctus Hieronymus: *Fides pura & aperta* Epiſt. 62.
confeſſio non quærit ſtrophas & argumenta verborum. Quod ſimpliciter creditur, ſimpliciter confitendum eſt. Licet Hæreſiarcha Eutyches fuerit ſenex imperitus & delirus, Dialectica tamen verſutia potenter promovit ejus deliria. Etenim adverſùs Severum Pſeudo-Patriarcham Antiochenum ſcribit ejuſdem Eccleſiæ orthodoxus Presbyter Theodorus: *Quando Severus nudis vocibus acquieſcit, utique pietatem ſupponit conſiſtere in ſolis verbis & ſonis, reclamante Apoſtolo, qui dicit*, Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute, & veritate. *E regione is demùm ab ipſo Severo præſtantiſſimus agnoſcitur Theologus, qui ſcitè ſe exercuit in Ariſtotelicis categoriis, & reliqua ſupellectile externorum à Chriſto Philoſophorum*. Adverſùs eundem Sanctus, per Jacobum Gretſerum vulgatus, Anaſtaſius Sinaita profitetur ſe cum ſacris Litteris loqui, *non juxta Ariſtotelis aut Homeri diſci-*
plinam. Et adjungit: *Catholica Dei Eccleſia do-* Cap. 8.
ctrinam de Chriſto non Ariſtotelis aut Græcorum more tradit, ſed Evangelicè & Apoſtolicè. Loquitur cum Evippio Neo-Cæſaræenſi Epiſcopo, Polemoniaci Ponti Metropolita, qui poſt expoſitam ſuæ Provincialis & œcumenicæ Chalcedonenſis Synodi adverſùm Eutychianiſtas fidem ſubdit in Synodalibus ad Imperatorem Leonem
litteris: *Hæc breviter Piſcatoriè, non Ariſtotelicè* Epiſt. 52.
ſuggeſſimus. Etiam adverſùm Monothelitas ſcripſit ad Imperatorem Conſtantinum quartum Manſuetus Archi-Epiſcopus Mediolanenſis: *Non cum Dialecticis, ſed cum ruricolis & piſcatoribus Dominus poſuit rationem, & his tradidit ſui ſecreta conſilii*. Exſtat epiſtola in ſexto Concilio. In ejuſdem undecima Actione magnus iſtius doloſæ factionis patronus Macarius Antiochiæ Patriarcha arguitur, quòd in ſcriptis ad Lucam Africæ Monachum litteris docuerit non cum Sanctis Eccleſiæ Synodis & Patribus, ſed *ſecundùm Ariſtotelis ſyllogiſmos*.

Quòd etiam Berengarius, Roſcelinus, Petrus Abaelardus, Gilbertus Porretanus, Almaricus, aliique magni viri fuerint ab Ariſtotelis Dialectica circumſcripti in hæreſes aut errores, demonſtrari poſſit authenticis teſtimoniis. Almerici lapſus occaſionem præbuit, ex qua Pariſienſis Univerſitas Ariſtotelis Philoſophiam doceri vetuit in ſuis ſcholis, & damnavit ad ignem. Rei ſeriem exponit Rigordus in vita Philippi Auguſti. Et profectò Ariſtotelicæ Dialecticæ in Pariſienſi ſchola traditio non eſt admodum antiqua. Quòd Sancti Auguſtini Dialectica fuerit olim iſtic prælecta, docet vita Sancti Odonis Abbatis Cluniacenſis: *Odo bis*

die-

diebus adiit Pariſium, *ibique Dialecticam Sancti Auguſtini*, *Deodato filio ſuo miſſam*, *perlegit*. *Præceptorem habuit Remigium*. Odo floruit ſæculo decimo. Et iſtam Dialecticam reſumi in ſcholas, ſanè expediret. Licèt enim ipſa ſit deſumpta ex Ariſtotele, correcta tamen eſt, & facta Chriſtiana. Præſertim per librum de Magiſtro. Et certè correctione fuit opus. Nam & ipſe Ariſtoteles dixit *Sophiſticam eſſe furem ſapientiæ*. Ita in primo Srromatum libro teſtatur Sanctus Clemens Alexandrinus. Ex eodem principio graves Scriptores notant non dumtaxat Petrum Pictavienſem ac ejus diſcipulum Petrum Lombardum, ſed & Doctorem Angelicum, quòd Ariſtotelis Dialecticæ nimiùm tribuerit. Adverſùm illos, *qui multas Philoſophicas quæſtiones proponunt in materia Euchariſtiæ*, rectè ſcripſit Robertus Corczon: *Stultus quilibet poteſt in his ſecretis & occultis myſteriis plura inquirere, quàm totus mundus poſſit ſolvere*. Adverſùs iſtam Dialecticam plura ſunt Sanctorum Patrum teſtimonia.

Rationem hic edicit Septimius: *Quia nempe iſta Dialectica eſt artifex ſtruendi & deſtruendi. Eſt verſipellis in ſententiis, coacta in conjecturis, dura in argumentis, operaria contentionum, moleſta etiam ſibi ipſi, omnia retractat*. Atque ita & ſemetipſam evertit. Hinc ſuprà dixit & Sanctus Ambroſius, quod habeat non vim adſtruendi, ſed ſtudium deſtruendi. Et Sanctus Epiphanius ipſam dixit Hæreſ. 69. *virus Ariſtotelis*. Quod per ipſam ſceleratus Ætius Sophiſmata, quæ ipſemet enodare non noverat, invenerit, atque ita ſemetipſum in atheam impietatem concluſerit, ſuprà affirmavit Cap. 69. Socrates. Et dat rationem: *Ariſtoteles propter* Lib. 2. *Sophiſtas, qui tum Philoſophiam irriſerunt, hanc* Cap. 28 *differendi rationem, pro adoleſcentibus conſcripſit, & ita Sophiſticis & fallacibus quibuſdam Sophiſtarum argutiis reſtitit*. Loquitur de libris Elenchorum. Hi docent duo. Primò quempiam per rationum fucos in errorem circumvolvere. Deinde, iſtos nodoſos dolos evolvere. Et hanc artem ipſe Ariſtoteles dixit furem ſapientiæ. Eam in prima ad Timotheum Epiſtola videtur notaſſe Sanctus Cap. 6. Paulus: *Superbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum*. Et hinc Sanctus Cantuarienſium Antiſtes, ac Elenchorum peritiſſimus artifex Lanfrancus, dum adhuc Monachus cum ejuſdem artis perito hæreſiarcha Berengario dialecticè diſputare cogeretur, ſub Divini nominis invocatione proteſtatus eſt ſe invitum in iſtas tricas deſcendere & addidit cauſam: *Ne videretur magis arte, quàm veritate, ſanctorumque Patrum auctoritate confidere*. Quæ ratio eſt bene notanda.

Interim Tertullianus non ſine cauſa ſcribit: *Miſerum Ariſtotelem, qui illis dialecticam inſtituit*. Utique Gnoſticis, adeoque & cunctis hæreticis. Dicit iſtum inſtitutæ ab illo artis ſceleratiſſimum abuſum ab ipſo non fuiſſe præcogitatum aut præviſum. Eſt reverà abuſus. Ipſa ars non eſt mala, ſed virtus & Dei donum. Etenim Dialecticam in demonſtrationibus, oppoſitionibus, & concertationibus conſiſtere affirmat Sanctus Gregorius Nazianzenus, & adjungit de Sancto Baſilio: *Baſilius in ea adeò excelluit, ut iis, qui cum ipſo diſputabant, faciliùs eſſet è labyrinthis ſe extricare, quàm argumentorum ejus laqueos effugere, ſi* Orat. 20. *quando res ita poſtulaſſet*. Quare alio in loco, dum Pyrrhonicas aſſenſus ac retentiones, Chryſippi ſyllogiſmos, & Ariſtotelicæ artis pravum artificium lamentatur, tamquam Ægyptiacas plagas irrepſiſſe in Eccleſiam, loquitur de abuſu. Etiam in quarto Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro Orat. 26. Theodoretus laudat Didimum Alexandrinum, quòd Ariſtotelis Syllogiſmos calluerit, & addit laudis cauſam: *Non quaſi veritatem iſta doceant*, Cap. 26. *ſed quòd arma ſint veritatis contra mendacium*. Et adverſùs Berengarium ſcribit laudatus Lanfrancus: *Beatus Auguſtinus in quibuſdam ſuis Scriptis, & maximè in libro de doctrina Chriſtiana, hanc diſciplinam ampliſſimè laudat, & ad omnia, quæ in Sacris Litteris veſtigantur, plurimum valere confirmat. Denique contra Felicianum hæreticum Arianum contendens, ita hac arte eum concluſit, ut ipſe hæreticus non valens ferre locorum & ſyllogiſmorum implicitas & implicantes connexiones, publica voce exclamaret, Ariſtotelica mecum ſubtilitate contendis*. Eandem peritiam Sancto Auguſtino etiam Donatiſtæ adeò improperarunt, ut ipſorum Grammaticus Creſconius ſuos laudarit Epiſcopos, *quòd* Lib. 1. cap. 14. *cum illo, uti cum Dialectico, nollent habere ſermonem*. At verò Auguſtinus affirmat, ac nervosè demonſtrat Dialecticam eſſe veram animæ virtutem, & non dumtaxat Sanctum Paulum, ſed & ipſum Chriſtum Dominum fuiſſe ipſa uſum. Addit non ſolum apud gentiles Ariſtotelem, ſed & Stoicos ejus fuiſſe peritiſſimos: *Stoici non ſolùm* Lib. 1. cap. 19. *Dialectici fuerunt, ſed etiam cæteras Philoſophorum Sectas in hac vel arte, vel facultate vicerunt. Stoicus quippe ut mecum recolis, fuit ille Chryſippus, de quo Academicus Carneades hanc habebat ſententiam, ut quando cum illo ſibi eſſet diſputandum, helleboro purgandum cor eſſe cenſeret, cæteros autem vel pranſus facilè ſuperaret*. De quo exemplo vide Scholia noſtrorum in hac ſchola Anteceſſorum. Dialectica eſt inſtar gladii, quo quis & malè poſſit uti, & benè.

Genealogiæ interminabiles.

Adverſùm Marcionitas, qui duos ſibi finxerunt Deos, rectè ſcribit Sanctus Irenæus: *Si autem hoc eſt proficere*, Lib. 4. cap. 22. *alterum adinvenire Patrem præter eum, qui ab initio annuntiatus eſt, & rurſùs præter eum, qui putatur ſecundò inventus eſſe, alterum tertium adinvenire, & ejuſdem erit profectus & à tertio in quartum, & ab hoc rurſùs alterum & alterum, & ſic ſemper putans proficere talis ſenſus nunquam in uno ſtabit Deo*. Procedet in infinitum. Quod ipſum in carmine adverſùm Marcionitas ſcribit Prudentius: *Si duo ſunt igitur, cur non ſunt multa Deorum millia? Cur numero Deitas contenta gemello eſt? An non in populos diſperſa*

numina Dîvum fundere erat melius, mundumque implere capacem Semi-Deis paſſim nullo diſcrimine monſtris? Gentilem errorem, qui cunctis elementis, & cunctis mundi portionibus proprium finxit numen, affirmat eſſe Marcionitica fabula mitiorem. Et hinc de glorioſo Martyre Juſtino Cap. 14. ſcribit idem Irenæus: *Bene Juſtinus in eo libro, qui eſt ad Marcionem, ait, Quoniam ipſi quoque Domino non credidiſſem alterum Deum annuntianti præter fabricatorem, & factorem, & nutritorem noſtrum.* Divinæ Majeſtatis unitas eſt adeò manifeſta. Quæ omnia firmiori pede ambulant adverſùm Valentinianos Æones. Rursùs enim Lib. 1. cap. 4. Sanctus Irenæus: *Aliquando quidem triginta, aliquando verò innumerabiles multitudines Æonum mentiuntur.* Saturninus juxta dierum in anno nu-Cap. 23. merum ponit Æones trecentos ſexaginta quinque, & unicuique in dominatum dat proprium cœlum. Hujus mundi, & præſertim per Dominum Deum in Hebraico populo inſtituta, Reſpublica eſt quædam imago ac figura cœleſtis Hierarchiæ: Ita Valentinus dixit inferiores Æonum Lib. 4. cap. 35. ordines eſſe typos ſuperiorum. Hinc ipſum Irenæus appellat hebetem & ſtultum, & adjungit: *Coguntur enim hi tales, quemadmodùm ſæpenumerò oſtendimus, ſemper typos typorum, & imagines imaginum adinvenire, & nunquam figere animum ſuum in uno & vero Deo. Suprà enim Deum factæ ſunt cogitationes ipſorum.* Hinc Valentinianas Æonum generationes etiam Septimius rectè appellat *Genealogias interminabiles*.

Per Philoſophiam.

Hodierna Apoſtoli translatio ſic habet: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum.* Per inanem fallaciam aut ſeductionem Apoſtolus videtur intelligere artem ſophiſticam Ariſtotelis. Per Philoſophiam intelligit Phyſicam. Non quamlibet, ſed illam quæ eſt juxta hominum traditionem, & elementa hujus mundi. Hanc exponit in libro de moribus Eccleſiæ Catholicæ Cap. 21. Sanctus Auguſtinus: *Etiam curioſi eſſe prohibemur, quod magnum temperantiæ munus eſt. Hinc illud eſt:* Cavete ne quis vos ſeducat per Philoſophiam: *Et quia ipſum nomen Philoſophiæ ſi conſideretur, rem magnam, totoque animo appetendam ſignificat. Siquidem Philoſophia eſt amor ſtudiumque ſapientiæ. Cautiſſimè Apoſtolus, ne ab amore ſapientiæ deterrere videretur, ſubjecit:* Et elementa hujus mundi. *Sunt enim qui deſertis virtutibus, & neſcientes quid ſit Deus, & quanta Majeſtas ſemper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid ſe agere putant, ſi univerſam iſtam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſimè intentiſſimeque perquirant. Unde etiam tanta ſuperbia gignitur, ut in ipſo cœlo, de quo ſæpè diſputant, ſibimet habitare videantur. Reprimat igitur ſe anima ab hujuſmodi vanæ cognitionis cupiditate, ſi ſe caſtam Deo ſervare diſpoſuit. Tali enim amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet eſſe niſi corpus, aut etiamſi auctoritate commota fateatur aliquid eſſe incorporeum, de illo tamen niſi per imagines corporeas cogitare non poſſit, & tale aliquid eſſe credere, quale fallax corporis ſenſus infligit.* Sancti Primaſii Uticenſis Epiſcopi commentarius eſt amplior: *Contra Philoſophos agit Apoſtolus, quorum omnis diſputatio de elementis eſt, de viſibilibus creaturis, & qui ex naturalibus æſtimant virtutem Dei, dicentes ex nihilo nihil fieri poſſe, & animam aut initium non habere, aut eſſe mortalem, aut virginem parere non poſſe, & Deum ex homine naſci, mori atque reſurgere, ſtultum eſſe credere.* Et adverſum ſimiles opiniones dixit in libris de Dei Civitate Sanctus Auguſtinus Dominum Deum eſſe omnipotentem, non ſolummodò quouſque Platonici volunt, ſed quouſque Chriſtiani credunt.

Apoſtolus addidit: *Et non ſecundùm Chriſtum.* Exponit in magni Baſilii encomio Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Illud autem inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere. Non de hac noſtra ſolùm ac nobiliori loquor, quæ contempto omni ſermonis lepore atque ornatu, uni ſaluti, atque earum rerum, quæ ratione atque animo intelliguntur, pulchritudini arctiſſimè inhæret, ſed etiam de externa, quam plerique Chriſtiani, pravo quodam judicio, ut faſtidioſam & periculoſam, ac procul à Deo avertentem, adſpernantur. Quemadmodùm enim cœlum, terram, aerem, quæque eorum complexu coercentur, non ideò contemnere debemus, quia nonnulli ſceleratè accipiunt, pro Deo ea quæ Dei ſunt venerantes; eodem nos quoque modo ex litteris illis & diſciplinis id ſanè, quod in inquirenda rerum natura & contemplatione verſatur, ſuſcipimus, quidquid autem ad Dæmones, & errorem, & exitii voraginem ducit, reſpuimus. Imò etiam ab eo ad Dei cultum adjuti ſumus, nimirùm ex deteriori id quod præſtantius eſt cognoſcentes, atque illorum imbecillitate doctrinam noſtram fulcientes. Quamobrem non idcircò eruditio contemnenda eſt, quòd ita quibuſdam videatur, quia potiùs ſtulti atque imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant. Qui omnes eſſe ſui ſimiles cupiunt, ut privata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec quiſquam ipſorum imperitiam prodat & coarguat.* Affirmat gentilem Phyſicam non damnandam eſſe, ſed purgandam ab erroribus, & formandam ad Evangelicam veritatem. Sic erit ſecundùm Chriſtum. Quod ipſum ſcribit in libro Apologetico Septimius: *Philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant. Chriſtiani & neceſſariò appetunt, & integrè præſtant, ut qui ſaluti ſuæ curant.* Interpolatam à gentili Philoſophia veritatem affirmat à Chriſtianis integrari. Cap. 49. Quod præſertim verum eſt de Philoſophia Platonica. Hanc eſſe è ſacris noſtris litteris hauſtam, & paucis correctis fieri Chriſtianam, Sancti Patres paſſim affirmant. Hinc & ipſam conſtanter laudant, ſequuntur in ſuis Scriptis, & commendant. Præſertim Sanctus Auguſtinus, oſtendens

Digitized by Google

rens ipſam à Divina providentia proximè ante Evangelium fuiſſe miſſam gentilibus, tamquam ejus præcurſoriam præparationem. Et hinc Origenes, noſtræ apud Alexandriam ſcholæ Doctor, Sanctum Gregorium Thaumaturgum & alios plures, à noſtra fide contumaciter averſos, primùm Platonicos fecit, ac deindè paucis mutatis ac emendatis optimos Chriſtianos. At verò quidam è Philoſophis Chriſtiani neſcierunt ſuæ Philoſophiæ iſtam medelam impendere, atque ita hæſerunt in elementis, & facti ſunt hæretici. Quod maximè verum eſt de Gnoſticis.

CAPUT OCTAVUM.

Quid curioſitas prætendat aut ſcrupuloſitas.

NObis curioſitate opus non eſt poſt CHRISTUM JESUM, nec inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quòd ultrà credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem & noſtri prætendunt ad ineundam curioſitatem, & hæretici inculcant ad importandam ſcrupuloſitatem. Scriptum eſt, inquiunt; *Quærite, & invenietis*. Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in primitiis ipſis doctrinæ ſuæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an Chriſtus eſſet: Et cùm adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronunciaſſet. Cùm etiam Joannes de illo certus eſſe deſiſſet. Meritò ergo tunc dictum eſt, *Quærite & invenietis*, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat. Et hoc quantum ad Judæos. Ad illos enim pertinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant ubi quærerent Chriſtum. Habent, inquit, Moyſen & Heliam, id eſt, Legem & Prophetas Chriſtum prædicantes. Secundùm quod & alibi apertè: *Scrutamini*, inquit, *Scripturas, in quibus ſalutem ſperatis. Illæ enim de me loquuntur*. Hoc erit: *Quærite & invenietis*. Nam & ſequentia in Judæos competere manifeſtum eſt: *Pulſate & aperietur vobis*. Judæi retrò penes Deum fuerant, dehinc ejecti ob delicta extra Deum eſſe cœperunt. Nationes verò nunquam penes Deum, niſi ſtillicidium de ſitula, & pulvis ex area, & foris ſemper. Itaque qui foris ſemper, quomodo pulſabit eò ubi nunquam fuit? Quam januam novit in quam nec receptus, nec ejectus aliquando? An qui ſcit ſe intus fuiſſe, & foras actum, is potius pulſabit, & oſtium novit? Etiam, *Petite & accipietis*, ei competit, qui ſciebat à quo eſſet petendum, à quo & erat aliquid repromiſſum: à Deo ſcilicet Abraham, Iſaac & Jacob, quem nationes non magis noverant quàm ullam repromiſſionem ejus. Et ideò ad Iſraël loquebatur: *Non ſum*, inquit, *miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſrael*. Nondum canibus jactabat panem filiorum, nondum in viam nationum ire mandabat. Si quidem in fine præcepit, ut vaderent ad docendas & tingendas nationes, conſecuturi mox Spiritum Sanctum Paracletum, qui illos deducturus eſſet in

omnem veritatem. Et hoc erga illos facit. Quid ſi nationibus deſtinati Doctores Apoſtoli, ipſi quoque Doctorem conſecuturi erant Paracletum; multò magis vacat erga nos, *Quærite & invenietis*, quibus ultrò erat obventura doctrina per Apoſtolos, & ipſis Apoſtolis per Spiritum Sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus poſita ſunt, quæ per aures Judæorum ad nos tranſierunt; ſed pleraque in perſonas directa, non proprietatem admonitionis nobis conſtituerunt, ſed exemplum.

Scholion.

Nobis curioſitate opus non eſt, &c.

EOdem modo pro Synodi Chalcedonenſis auctoritate loquitur in ejus executorio Edicto Imperator Marcianus: *Ceſſet prophana contentio. Nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot* Chalcedone congregatorum *Sacerdotum ſententiam aliquid ſuæ opinioni tractandum relinquit. Extremæ quippè dementiæ eſt in medio & perſpicuo die commentitium lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, mendacium quærit.* Extat Edictum poſt Chalcedonen-
Cap. 3. ſem Synodum, ipſumque meritò prædicat Fa-
Lib. 12. cundus Epiſcopus Hermianenſis. Porrò iſta om-
cap. 3. nia Septimius dirigit in Gnoſticos. Hi poſt CHRISTUM JESUM fuerunt curioſi, & poſt Evangelium inquiſierunt. Etenim quòd CHRISTUS JESUS in Evangelio unum, cœli & terræ Creatorem, clementem ſimul & juſtum, anteà à Patriarchis & Prophetis annuntiatum, ac àb univerſo humano genere cultum & adoratum Deum prædicaverit, eſt adeò manifeſtum, ut ſuprà dixerit nobis Sanctus Juſtinus ſe Chriſto Domino, ſi plures prædicaſſet Deos, nec fuiſſe nec fore crediturum. At verò de Valentinianis
Lib. 3. ſcribie Sanctus Irenæus: *Valentiniani ſe non ſolùm*
cap. 2. *Presbyteris*, hoc eſt, primitivis Eccleſiarum Epiſcopis, *ſed etiam Apoſtolis dicunt ſapientiores. Et non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam ipſum Dominum modò quidem à Demiurgo, modò à Medietate, interdum à Summitate feciſſe ſermones; ſe verò indubitatè, & incontaminatè, & ſincerè abſconditum ſcire myſterium.* Demiurgum blaterant Pſychicum & animalem, ideoque alium ſupra ipſum quærunt ſupremum Deum; qui uſque ad Evangelium fuerit ignotus, nihil crearit aut adminiſtret in hoc mundo, ideoque quem laudatus Irenæus rectè affirmat eſſe Deum Epicuri. Quod quam maximè
Lib. 3. quadrat etiam bono Deo Cerdonis & Marcionis.
cap. 41. Hinc ſemper quærunt, & nunquam inveniunt. Nos acquieſcimus Chriſto Domino, & ejus Evangelio. Nam prima Religionis regula mandat ipſi per omnia obedire. Ex hoc loco Centuriatores Magdeburgenſes malè concludunt ſolum ſcriptum, non verò traditum Dei verbum eſſe authenticum. Etenim plenum Evangelium conſtat utroque iſto Chriſti verbo. Et quod utrumque apud Septimium ac omnem Eccleſiam ſit ac ſemper fuerit ejuſdem auctoritatis, ſuo loco demonſtrabitur.

Quærite, & invenietis.

Iſto Evangelii loco peſſimè abuſos fuiſſe Gnoſticos teſtatur etiam Sanctus Irenæus: *Alta & à* Lib. 2.
nullo alio cogitata dicunt ſe docere, de quibus & di- cap. 18.
xerit Dominus, Quærite, & invenietis, *ut quærant ſcilicet, qui Bytho & Sige proceſſerint.* Et in Cap. 33.
alio ejuſdem libri capite: *Illud quod ſcriptum eſt*, Quærite & invenietis, *ad hoc dictum eſſe interpretantur, ut ſuper Demiurgum ſemetipſos inveniant majores.* Et in vigeſimo ſexto capite demonſtrat iſtas blaſphemiæ fabulas eſſe inſtabiles, laudato Domini verbo palàm adverſas. Supra omnibus naturaliter notum Creatorem iſti fabulantur alium Deum incognitum, ideoque arcano ſtudio quærendum. Iſtam peſſimam curioſitatem etiam noſtris hinc indè infirmis perſuaſerant, atque ita fecerant pendere præcipites in ruinam. Septimius reſpondet adductum Evangelii locum nequaquam ad Eccleſiam dirigi à Chriſto Domino, ſed ad ſolos ſibi coævos Judæos, partim recuſantes, partim dubitantes credere, quòd JESUS Nazarenus eſſet Chriſtus Dei Electus. Eſſe vult Synonimum huic: *Scrutamini* antiquas legis & Prophetarum *ſcripturas, in quibus ſalutem ſperatis*, ſeu vitam æternam. Et huic: *Si Moyſi crederetis, crederetis & mihi, quia ille de me ſcripſit.* Verùm alii paſſim Patres locum, uti palàm omni noſtræ ad Deum legitimæ orationi promittentem, dirigunt ad omnem Eccleſiam, dirigitque etiam ipſe Septimius & in ſequenti capite, & in libro de oratione.

Et in hoc ipſo contextu affirmat locum etiam à noſtris prætendi ad ineundam curioſitatem. Laudabilem. Hinc & infra ſcribit: *Age jam qui voles* Cap. 36.
curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas. Etenim Evangelici dogmatis articulos, quorum notitia eſt ad ſalutem neceſſaria, pauciſſimos, at verò Chriſtianas circa ipſum quæſtiones eſſe plurimas, rectè affirmat Sanctus Auguſtinus. Et ipſarum curioſa inquiſitio, & provida deciſio ſunt officium

Chri-

Chriſtiani Doctoris. Hanc curioſitatem etiam laudat, & ipſi limites figit Ssnctus Irenæus, Lib. 2. cap. 47. affirmans plures quæſtiones eſſe nobis impenetrabiles, ideoque Divinæ ſapientiæ reſervandas. Et Gnoſticos, dum reſervare nolunt, lapſos in ſtultiſſimas blaſphemias. Proindè alium Gnoſtica, alium ſcopum babet orthodoxa curioſitas. Hæc Evsngeliei dogmatis fidelem intelligentiam, iſta ejus ſcrupuloſitatem, ſeu per quærentium & audientium ſcrupulos inquietationem. Non penitus malè ſcribit in libro de Pudicitia etiam Montaniſta Septimius; Cap. 9. *Hujuſmodi curioſitates & ſuſpecta faciant quædam, & coactaram expoſitionum ſubtilitate plerumqae deducunt à veritate.* Notat curioſas nimiùm, coactas, & ſubtiles Dominicarom parabolarum expoſitionès. Eas quas ibi verſat, utpotè orthodoxas, ſceleratè invadit, certum tamen eſt, quaſdam frequenter deviare. Gnoſticorum expoſitiooes fuiſſe ſceleratiſſimè devias, variis in locis demonſtrst Sanctus Irenæus. Eadem in re quandoque excedunt bodierni Concionatores. Proindè noſtra curioſitas, ut laudabilis ſit, eſſe debet moderata: ligata ad Sanctorum Patrum terminos.

Certus eſſe deſiiſſet.

Cap. 10. Hunc locum exponit Doctor in libro de Baptiſmo: *Ipſam quod cæleſte in Joanne fuerat, Spiritus Prophetiæ poſt totius Spiritus in Dominum tranſlationem uſque adeò defecit, at quem prædicaverat, quem advenientem deſignaverat, poſtmodò an ipſe eſſet, miſerit ſciſcitatam.* De Joannis Baptiſmate ſcribit io libris de Baptiſmo adverſùm L. 5. c. 9. Donatiſtas Sanctus Auguſtinus: *Accepit hoc Joannes certæ diſpenſationis gratia non diu manſuram, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domini, cajus eam eſſe Præcurſorem oportebat.* Tertullianus non tantummodò Baptiſma, ſed etiam Prophetiæ donum vult io Sancto Joanne fuiſſe temporale, ideoque præcurſoriæ prædicationis expleto officio exſtinctum. Quod ipſum ſcribit io quarto libro sdverſùs Marcionem: Cap. 18. *Ipſo jam Domino, virtutum ſermone & Patris Spiritu, operante in terris & prædicante, neceſſe erat portionem Sancti Spiritus jam abſcedere à Joanne.* Nicolaus Rigaltius præſentem locum commentatur: *Etiam poſt exceſſum Joannis.* Non eſt aſſecutus mentem Septimii. Verùm alii paſſim Patres huic adverſantur. Affirmant ab incarcerato per Herodem Joanne diſcipulos non pro ſuo, ſed pro ipſorum dumtaxat levando dubio fuiſſe ad Dominum ablegstos.

Stillicidium de ſitula.

Alluditur ad quadrageſimum caput Sancti Prophetæ Iſaiæ. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſlateræ reputatæ ſunt. Ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus.* Videtur Propheta gentes à Dei gratia in perpetuum proſcribere, atque ita non ſolùm Judæis duri & pertinacis in nos odii fomenta præbere, ſed & hæſitandi cauſam quibuſdam fidelibus, de quibus in primi Pſalmi enarratione Sanctus Ambroſius: *Nunc illud ſupereſſe arbitramur, quod in multorum ore verſatur, qua ratione Deus dixerit per Iſajam,* Sic omnes gentes ut ſtillicidium de urceo, & ſicut momentum ſtateræ æſtimatæ ſunt, & ut ſputum æſtimabuntur. *Ita ergò peribant omnes gentes ſicut ſtillicidium de urceo, & ut ſputum perit, & ad nullos uſus proſicit?* Gentes ad Dei Evangelium & gratiam omninò ſpectare oſtendit eleganter, ac pergit: *Debes hoc loco vim Divinæ ſententiæ conſiderare. Contemplatione etenim Creaturarum cæleſtium, quæ multæ ſunt, nempè Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Thronorum, Dominationum, millium & decem millium, & innumerabilium millium, gentes ut ſtillicidium de urceo æſtimatæ ſunt. Nam ſicut cælum adeò majus eſt quàm terra, ut à pleriſque comparatione cæli terra ut punctum æſtimata ſit, ita & ejus plenitudo. Ex illa igitur plenitudine cæleſti tamquam gutta cadens æſtimatæ ſunt gentes.* Eodem modo Sanctus Hieronymus Prophetam exponit, atque adjungit: *Si omnes gentes ſic ſunt in conſpectu Dei quaſi non ſint, & quaſi nihil & inane reputantur, in omnibus autem gentibus & Iſrael eſt, ergò & ipſe ſic eſt, quaſi non ſit, & in nihil atque inane reputatur. Hoc dicimus, ut frangatur ejus ſuperbia, & cæterarum gentium ſimiles eſſe ſe noverint.*

Sancti Irenæi interpretatio, licèt diverſa, eſt Lib. 5. cap. 29. elegantiſſima ac veriſſima. Demonſtrat omnia hujus mundi à Divina providentia dirigi ad Electos, & propter ipſos fieri, atque proſequitur: *Gentes autem, quæ & ipſæ non allevaverant oculos in cælum, neque gratias egerunt factori ſuo, neque lumen veritatis videre voluerunt, ſed ſicut mures cæci, abſconditi in profundo inſipientiæ, juſtè Sermo ut ſtillicidium de cado, & ſicut momentum ſtateræ, & ſicut nihil deputavit, in tantùm utiles & aptabiles juſtis, quantùm utilitatis præſtat ſtipula ad tritici augmentum, & palea ejus in uſtionem ad operationem auri.* Quam doctrioam adverſùs Pelagianum errorem ampliſſimè elucidavit & confirmavit Sanctus Auguſtinus. Intelligi id docet de omnibus reprobis. Et rectè. Ante Dei Verbi in carne adventum omnes gentes erant reprobæ, alienæ à Deo: Solus Iſrael, & quidem ob pauciſſimos ſpectabat ad Dominum. Exceptis ergò bis omnes bomines apud illum erant ut ſtilla aquæ. Merum miniſterium Electorum. Et hic etiam ſenſus eſt noſtri hic Doctoris. Porrò quòd Chriſtus Dominus quædam ſua dicta in ſolas Diſcipulorum perſonas, non in ipſorum ſucceſſores aut omnem Eccleſiam direxerit, eſt omoinò verum. Attamen diſcretione hìc opus eſt. Ex iſto enim priocipio fœdas concluſiones elicuit lapſus ad Montanum Tertullianus in libro de fuga io perſecutione, ac io libro de Pudicitia Lutheranis & Calviniſtis præbuit fomenta.

Deducturus in omnem veritatem,

Omnem Evangeliei dogmatis veritatem, de qua in Actis adversùs Felicem Maniehæum, omnia per ſui Manetis Paracletum revelata blaterantem, Sanctus Auguſtinus: *Non dixit Dominus,* Lib 1. cap. 10. *Mitto vobis Paracletum, qui doceat vos de curſu Solis & Lunæ. Chriſtianos enim volebat facere, non Mathematicos. Sufficit autem, ut homines de illis rebus, quantum in ſchola didicerunt, noverint propter humanos uſus. Aut ſi putas hanc doctrinam ad illam veritatem pertinere, quam per Spiritum Sanctum Chriſtus promiſit, interrogo te, Quot ſunt ſtellæ?* Quare de ſolis ad laudatum dogma ſpectantibus quæſtionibus Eccleſia eſt docta à Spiritu Sancto, adeoque & de ipſis ſolis poteſt definire.

CAPUT NONUM.

Præfigendi ſunt inquiſitionis termini.

CEdo nunc ſpontè de gradu iſto. Omnibus dictum ſit, *Quærite & invenietis*, tamen & hic expetit ſenſus certæ interpretationis gubernaculum. Nulla vox Divina ita diſſoluta eſt & diffuſa, ut verba tantùm defendantur, & ratio verborum non conſtituatur. Sed in primis hoc propono: Unum utique & certum aliquid inſtitutum eſſe à Chriſto, quòd credere omninò debeant nationes, & idcircò quærere, ut poſſint, cùm invenerint, credere. Unius porrò & certi Inſtituti infinita inquiſitio non poteſt eſſe. Quærendum eſt donec invenias, & credendum ubi inveneris: Nihil amplius, niſi cuſtodiendum quod credidiſti. Dum hoc inſuper credas, aliud non eſſe credendum, ideoque nec requirendum, cùm id inveneris & credideris quod ab eo inſtitutum eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit. De hoc quidem ſi quis dubitat, conſtabit penes nos eſſe id quod à Chriſto inſtitutum eſt. Interim ex fiducia probationis prævenio, admonens quoſdam nihil eſſe quærendum ultrà quod crediderunt, id eſſe quod quærere debuerunt; Ne, *Quærite & invenietis*, ſine diſciplina rationis interpretentur.

SCHOLION.

Certæ interpretationis gubernaculum.

A Valentinianis dilectum, & peſſimè exceptum Evangelii locum, *Quærite & invenietis*, Doctor gratis admittit poſſe ſic accipi, ut à Domino ſit dictus ad omnem Eccleſiam. Adjungit eſſe rectè intelligendum. Generatim enim omnia ſacrarum litterarum ſenſus ſeu expoſitio requirit certæ interpretationis gobernaculum. Eſt ipſa Divinæ Majeſtatis ad homanum genus vox, quæ eſſe nequit adeò diffuſa & diſſoluta, ut à quovis detorqueri poſſit ad proprii phantaſmatis beneplacitum. Non ſatis eſt ipſas voces honorare, ſed Divinæ veritatis, quæ eſt iſtarum rectrix ratio, mens eſt inveſtiganda, & conſtanter tenenda. Hæc eſt per Patriarchas ac Prophetas prædieata, & per ipſum Chriſtum Dominum injuncta rectæ interpretationis regula: *Scrutamini Scripturas*. Hoc eſt, quærite rectum ejus intellectum. Per ipſas à Domino intentam veritatem. Et hinc diſcipulis ſuis ille aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas. Et quod hujus rectæ interpretationis donum fuerit primitivæ Eccleſiæ chariſma, palàm docet in priori ad Corinthios epiſtola Sanctus Paulus Apoſtolus, & variis in locis inſigniter demonſtrat Sanctus Joannes Chryſoſto-

ſoſtomus. Et licet iſtud chariſma jam pridem ceſſet in Eccleſiis, facta tamen per ipſum interpretatio permanet in iſtarum theſauro. Eſt iſtud pretioſiſſimum Depoſitum, quod Timotheo tradidit idem Paulus, & adjunxit: *Cuſtodi*. Hoc ipſum mandatum dedit & aliis à ſe conſecratis Epiſcopis. Etiam Sanctus Petrus, aliique omnes Apoſtoli. Sic venit ad horum Epiſcoporum ſucceſſores, & ab his tandem ad nos. Proindè & hæc interpretatio eſt unum iſtorum, quæ Epiſcoporum legitima ſucceſſio accepit ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo. Et hinc ritum, qui conſecrandis Epiſcopis Divini verbi codicem ponit ſuper caput, eſſe Apoſtolicum Inſtitutum, rectè affirmat antiquus ille ac eruditus Scriptor, qui paſſim creditur eſſe Sanctus Dionyſius Areopagita. Edicit per Epiſcopalem conſecrationem in ipſos traduci legitimum rectæ interpretationis donum. Quod ad iſtud etiam per ſacro-ſanctum Regenerationis Sacramentum paremur ac imbuamur, affirmat apud Sanctum Joannem Chryſoſtomum auctor operis imperfecti in
Fol. 30. Sanctum Matthæum. Baptiſma enim eſt unctio, à qua nos doceri ſcribit Sanctus Joannes Apoſtolus. Et ex hoc fonte venit perpetua Eccleſiæ regula, rigidiſſimè mandans ſacras litteras ab omnibus intelligi atque exponi juxta traditionem Patrum.

Lib. 4. cap. 64. Hinc Sanctus Irenæus inter varias veræ fidei notas ac Eccleſiæ fundamenta ponit & hoc: *Secundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens*. Et quidem expoſitio, quæ ſit Apoſtolica doctrina, bene cuſtodita ab Eccleſiis, & ad nos traducta per legitimam ſucceſſionem Epiſcoporum. Et in libro de pudicitia Tertullianus: *Malumus in ſcripturis minùs, ſi fortè, ſapere, quàm contra. Proindè ſenſum Domini cuſtodire debemus, atque præceptum. Non eſt levior tranſgreſſio in interpretatione, quam in converſatione*. Et in Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ commentariis Sanctus Hieronymus:
Cap. 9. *Quicumque aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus Sancti flagitat, quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt, & de carnis operibus eſt, eligens quæ pejora ſunt*. Hincmarus Metropolita Remenſis in epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum exponit: *Qui ſacræ legis verba non rectè intelligunt,*
Ep. 33. cap. 38. *ſaluberrimum vitæ potum in veneni ſibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere ſe mortali feriunt, dum per hoc in ſe ſana perimunt, per quod ſalubriter abſcindere ſauciata debuerunt*. Affirmat id procedere ex petulanti ſuperbia ac proprii ſenſùs philantia, & concludit: *Nam Catholici Doctores, & Eccleſiæ ſanctæ Patres, qui de hæreſibus ſcripſerunt, eos qui verba Divini eloquii non rectè intelligunt, vel non rectè interpretantur, ſed ad ſuos ſenſus illa allegorizant, in catalogo pravè ſentientium, hæreticis connumerantes, adſcribunt*.
Lib. 1. Non dicit eſſe hæreticos, ſed ipſis adnumerari.
quæſt. 6. Eis eſſe vicinos. Et in libris de Lotharii Regis divortio affirmat ſacras litteras eſſe margaritum ex omni parte lucere aptum, ideoque illos, qui eas ad fidelium inſtructionem exponunt in orthodoxum, licet à Spiritu Sancto non intentum ſenſum, non eſſe mendacii fabricatores, ideoque multò minùs hæreticos. Rigidum Sancti Hieronymi dictum interpretatur ac moderatur.

Conſonat in ſecundo libro de Sacro-Sancta Trinitate Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus: *Extiterunt plures, qui cœleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes, quàm Dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt. Et ſenſus, non ſermo fit crimen*. Affirmat omnes paſſim hæreſes ex prava ſacrarum litterarum interpretatione fuiſſe enatas, ac iſtam eſſe etiam fontem Arianæ perfidiæ. Non ipſas litteras, ſed pravi ſenſùs licentiam. Hinc de Arianis ſcribit & in quarto libro: *Videntur ſibi de ſingulis, quæ aſſerunt, præſtare rationem, quia ſingulis aſſertionibus ſuis quædam ex Divinis voluminibus teſtimonia ſubdiderunt, quæ corrupta intelligentiæ ſenſu ſolis tantùm ignorantibus blandiantur, ſpeciem veritatis ſecundùm pravitatem interpretantium præſtiterunt*. Et in libro ad Imperatorem Conſtantium: *Memento neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundùm ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei, cùm legit, neſcit. Hinc Photinus, hominem* JESUM CHRISTUM *cum loquitur, ignorat. Hinc & Sabellius, dum quod* Ego & Pater unum ſumus, *non intelligit, ſine Deo Patre & ſine Deo Filio eſt. Hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas Paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia littera occidit, & princeps mundi diabolus eſt. Omnes Scripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo. Neque in prævaricatione ſunt, ſed in charitate*. Plurimis Patrum teſtimoniis hæc poſſunt confirmari. Et hinc Martinus Lutherus, licet blaſphemo animo, tamen non penitus ſine fundamento dixit ſacras litteras eſſe librum hæreticorum. Nempè quòd ex ipſo omnes hæretici hauriant ſuum venenum. Non ex ipſo, ſed ex ſua audaci, temeraria, & diſtorta interpretatione. Quia non manent in Apoſtolico rectæ interpretationis gubernaculo. Quia ſola Spiritus Sancti verba ſibi defendunt, non verborum rationem. Septimius hic præſertim agit in Gnoſticos, à quibus ſacras litteras fuiſſe perverſiſſimè interpretatas, variis in locis demonſtrat Sanctus Irenæus.

Vox Divina.

Doctor affirmat ſacras litteras eſſe authenticam, propriam, ac irrefragabilem Divinæ Majeſtatis vocem. Loquitur adverſùm Gnoſticos, de quibus Sanctus Irenæus: *Cùm ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex* Lib. 3. cap. 2.
auctoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non

poſſit

poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam, ſed per vivam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam autem non hujus mundi. *Et hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſo adinvenit, fictionem videlicet, ut dignè ſecundùm eos ſit veritas aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deindè in Baſilide. Fuit autem & in illo, qui contra diſputat, qui nihil ſalutare potuit loqui.* Irenæus non adversùs ſolum Marcionem, qui ex cunctis utriuſque teſtamenti paginis nihil admiſit, niſi ſolum Sancti Lucæ, & quidem horrendè acciſum & mutilatum, cùm Sancti Pauli eadem audacia truncatis epiſtolis Evangelium, ſed agit adversùm omnes generatim Gnoſticos, etiam Valentinianos, ſacrum textum, dum per ipſum convicti confunderentur, auſos contemnere, arguere de vario vitio & authenticum Dei verbum pernegare. Garrientes authenticum Dei verbum fuiſſe non ſcriptum, ſed ſolis Apoſtolis clandeſtinè traditum à Domino, & ab iſtis ad ſeſe ſolos per clandeſtinum iſtum tradncem perveniſſe. Lutherani & Calviniſtæ ſolum ſcriptum, Valentiniani ſolum traditum verbum volunt eſſe authenticum: Ita diabolus Catholicam Matrem non ceſſat in omne latus arietare. Et uti Calviniſtæ ac Lutherani etiam ſcriptum, ita Valentiniani etiam traditum Dei verbum, dum ex ipſo convincuntur, excutiunt & ſpernunt. Ita de his in hoc laudato loco demonſtrat Sanctus Irenæus. Nempè ambo ſunt vulpes odientes & mordentes invicem, ac in diverſa trahentes, ſed à Diabolo colligatæ per caudas. Unius per quatuor Diſcipulos ſcripti Evangelii auctoritatem inſigniter demonſtrat alio in loco idem Doctor atque adjungit:

Lib. 3. cap. 15. *Tanta eſt autem circa hæc Evangelia firmitas, ut ipſi hæretici teſtimonium reddant ei, & ex ipſis egrediens unuſquiſque eorum conatur ſuam confirmare doctrinam.* Ebionitæ ſolo Matthæi, Marcionitæ ſolo Lucæ, alii ſolo Marci utuntur Evangelio, Valentinus diligit Evangelium S. Joannis. Et omnes ex illis ſua figmenta conantur ſtabilire. Admittunt ac rejiciunt, prout illis eſt placitum. Quod ipſum hodie agunt Calviniſtæ & Lutherani. Proinde de omnibus iſtis verum eſt, quod adversùm Manichæos ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Manichæi, qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, non Evangelio, ſed vobis creditis.* Nam & Manichæi cùm Marcionitis ſacras litteras & circumcidebant & proſcribebant. Et adversùm omnes hos verum eſt Septimii dictum: *Vox Divina.*

Circa hujus vocis qualitatem multa olim fuit quæſtio inter Fredegiſum Turonenſis ad Sanctum Martinum cœnobii Abbatem & Sanctum Agobardum Archi-Epiſcopum Lugdunenſem. Et ſeſe invicem ſcriptis arietarunt. Quæſtio erat, An non ſoli ſenſus, ſed & ipſa verba, omnia & ſingula, eſſent dictata à Spiritu Sancto? Ratio dubitandi naſcebatur ex quibuſdam hinc indè in ſacro textu occurrentibus ſolœciſmis, barbariſmis, aut aliis Grammaticæ vitiis. Occurrentibus etiam in quorundam librorum textu originali. Etenim Sanctus Paulus ſuas epiſtolas ſcripſit Græcè: Et tamen quod in Græco etiam textu hinc indè occurrant ſimilia vitia, eſt omnibus notum. Hinc enim & ipſe Apoſtolus profitetur ſe imperitum ſermone. Agobardus hæc vitia credidit eſſe ab ipſo Apoſtolo, ideoque cenſuit ſola Sacra Senſa, non autem verba eſſe Dictatum Spiritus Sancti. Interim ambiguè, & cæſpitando loquitur. Audiamus ejus verba in libro ad Fredegiſum: *Exiguitati noſtræ videtur, quod neque vos, neque nos de hac re aliquid ſentire aut dicere debemus, niſi ea quæ orthodoxos Magiſtros ſenſiſſe aut dixiſſe legimus. Iſta tamen inconcuſſa & firma illorum auctoritas eſt, per quos Spiritus Sanctus novi & veteris teſtamenti volumina confecit, de quibus nulli unquam homini licuit aut licet cogitare, vel unam litteram aliter eos dicere debuiſſe, quàm dixerant, quoniam eorum auctoritas firmior eſt cælo & terra.* Cap. 9. Videtur non ſola Senſa, ſed & ſingula verba Spiritui Sancto adſcribere. Et in alio ejuſdem libri capite ſcribit: *Quis de nobis calumniatus eſt unquam Editorum aut Interpretum aliquem Divinarum Scripturarum? Dicitis reprehendiſſe nos Apoſtolos & Interpretem, quos tantùm putabamus nunquam reprehendendos, quamàm nunc putamus veritatis vituperatores laudandos. Diximus namque, quia Interpretes Divinorum voluminum vel Expoſitores non curarunt omninò tenere indeclinabiliter regulam Grammaticæ artis. Quod utique neque imperitia, neque malitia fecerant, ſed ratione condeſcenſionis: Ut ſicut uſus Sanctæ Scripturæ eſt verbis condeſcendere humanis, quatenùs vim ineffabilis rei humano more loquens, ad notitiam hominum deduceret, & myſteria inſolita ſolitis oſtenderet rebus; ita & Interpretes ejus, eam ſequendo, illud ſtuduerint ſummoperè transferre, undè manifeſtiorem ſenſum legentibus præberent, etiamſi contra Grammaticam eſſet eatenùs, ut Sacramento rei concordaret. Et ita hoc ad noſtram ſcripſimus defenſionem, ut ſicut illos, qui potuerant, ſi voluiſſent, omnia ſecundùm diſciplinam Grammaticam proferre, ſed ut nobis condeſcenderent, & ſimplicitatem veritatis non deſererent, non ſunt veriti aliqua contra eandem diſciplinam loqui, reprehendere nullus debet, ita nobis omninò debet parcere, qui etiamſi velimus, omnia ſecundùm Grammaticam loqui, non poſſumus, ſi tamen fidem rectam & ſenſum Catholicum tenemus.* Cap. 7. Aſſerere videtur plura. Primò, quòd Grammaticalia vitia non ſint à ſacro Auctore, ſed dumtaxat ab ejus Interprete. Et præſertim agere quibuſdam videtur de ſeptnaginta Interpretibus. Secundò dicit, quòd iſta vitia neque per imperitiam, neque per malitiam obvenerint, ſed per prudentem diſpenſationem. Videtur aſſerere, quòd ſingula ipſius ſacri Scriptoris verba ſint à Spiritu Sancto; ideoque & vitiis carere.

Et iſtam ſententiam conſtantiſſimè ſuſtinuit Abbas Fredegiſus: *Ita igitur hoc uno modo Apoſtoli & Evangeliſtæ, & totius Divinæ Scripturæ Interpretes, cum Catholicis ejus Expoſitoribus, ab imperitiæ calumnia rationabiliter defendi queunt. Nihil*

Digitized by Google

bil enim omninò contra rεgulam Grammaticæ dixeruat, quod non ita aut ratio aliqua, aut rauſa myſterii dici rxigeret. Profitetur ſacros etiam Scriptorea quandoque in Grammaticam impegiſſe, verùm non per imperitiam, ſed deliberato conſilio, & ob cauſas, & adjungit ſuæ aſſertionis fundamentum: *Turpe eſt rnim credere Spiritum Sanctum, qui omnium gentium linguas mentibus Apoſtolorum infudit, ruſticitatem potiùs per eos, quàm nobilitatem uniuſcujuſque linguæ locutum eſſe.* Et Agobardua ad hæc reſpondit: *Hæc qua intentione dixeritis, nullus eorum, qui otioſa loqui timent, intelliget, niſi fortè hoc etiam nobis crimen ſuperadditis, quaſi ruſticitatis arguamus Spiritum Sanctum.* Acriter proteſtatur contra hanc calumniam, & proſequitur: *Quod tale ſacrilegium nobis impingere videmini, apparet etiam in his verbis veſtris, quòd ita ſentiatis de Prophetis & Apoſtolis, ut non ſolum ſenſam prædicationis, & modos vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus eis inſpiraverit, ſed etiam ipſa corporalia verba in ore illorum ipſe formaverit. Quod ſi ita ſentitis, quanta abſurditas ſequatur, quis dinumerare poterit? Et in primis quidem, ut rautè loquamur Scientiæ veſtræ, recordamini quid Moyſes Domino dicat, cum ſe excuſaret, ut ad Pharaonem mitteretur, aſſereas ſe gracilis eſſe vocis, & impeditioris linguæ. Cui Dominus nequaquam reſpondit, Mentiris, ſed annuens obſecranti ait: Ecce Aaron frater tuus, ſcio quòd eloquens ſit. Ipſe erit Propheta tuus. Tu loqueris ad eum, & ille loquetur ad Pharaonem. Attendite quia ſi ſecundùm vos ipſa verba corporalia, in ore Moyſis ſonantia, ejus erant, & vox quæ ſonabat, quare ergò gracilis vox? Quare impeditior ſermo? Aaron erat Propheta Moyſis, Moyſes Propheta Dei. Numquid & hoc vitium, gracilitatem ſcilicet vocis & linguæ impeditionem, Spiritui Sancto tribuetis? Reſtat ergò, ut ſicut miniſterio Angelico vox articulata eſt formata in ore aſinæ, ita dicatis formari in ore Prophetarum. Et tunc talis etiam abſurditas ſequetur, ut ſi tali modo verba & voces acceperint, ſenſum ignoraverint. Sed abſit talia deliramenta cogitare.*

Agobardus clariſſimè ſemetipſum exponit. Palàm edicit per Divini verbi Interpretea ac Expoſitores à ſe intelligi non tranalatores, ſed ipſos ſacros Auctores. Nam reverà hi ſunt Interpretes Divinæ ſententiæ. Profitetur his Scriptoribus ſola Senſa, non autem ſingula verba fuiſſe Divinitùs inſpirata. Verba ſuiſſe permiſſa ipſorum arti ac induſtriæ. Hinc Prophetam Propheta, & Apoſtolum Apoſtolo eſſe elegantiorem. Immò & quoſdam eſſe eloquio ac ſermone imperitos. Et hanc non Spiritus Sancti, ſed eſſe imperitiam hominum, quam ille duxit non ſanandam. Uti enim vocis gracilitatem ac impeditionem duxit non ſanandam in Moyſe, ita nec Græcæ linguæ imperitiam in Sancto Apoſtolo Paulo. Neque refert linguarum chariſma fuiſſe ei Divinitùs infuſum. Reponit enim Agobardus: *Vos Divinam ſapientiam ſic laudatis, ut laude veſtra magis minoretur, quàm augeatur. Quoniam in his, quæ extrinſecùs ſunt, dicitis nobilitatem linguarum miniſtraſſe Apoſtolis Spiritum Sanctum, ut confusè & indifferenter omnes cum Apoſtolis Interpretes & quoſcumque Expoſitores laudetis & defendatis. Nam ſi ſecundùm vos, omnibus Auctoribus Divinorum librorum exteriorem nobilitatem æqualiter miniſtraverit Spiritus Sanctus, quare unus Apoſtolus, id eſt, Paulus diſertior invenitur in Hebraica lingua, quàm in Græca?* Divina interioris noſtræ juſtitiæ beneficia in omnibus nec perfecta ſunt, nec æqualia. Aliis perfectam, aliis robuſtam, aliis adultam, aliis nutritam, aliis dumtaxat natam juſtitiam ac charitatem diſtribuit Divina providentia. Eodem modo linguarum donum & alia primitivæ Eccleſiæ chariſmata fuiſſe diſtributa affirmat Agobardus, ideoque Apoſtolos & alios ſacræ paginæ Scriptores fuiſſe in ſtylo inæquales. Et eundem ſacrum Scriptorem fuiſſe peritiorem unius linguæ, quàm alterius. Et hoc de Sancto Paulo Apoſtolo probat ex præfatione Sancti Hieronymi in epiſtolam ad Hebræos. *Non eſt ſanè mirum, ſi Paulus eloquentior videatur in proprio, id eſt Hebræo, quàm in peregrino, id eſt, Græco ſermone, quo ceteræ epiſtolæ ſunt ſcriptæ.* Verùm Sanctus Hieronymus epiſtolam ad Hebræos non eſt ſcripto commentatus. Interim iſtorum verborum ſubſtantiam habes etiam in catalogo Virorum illuſtrium.

Sanctus Agobardus Fredegiſo Abbati opponit & alia duo. Primò, quòd ex ejus ſententia ſequatur error Montani, de quo in præfatione commentariorum ſuper Iſaiam Prophetam Sanctus Hieronymus: *Neque verò, ut Montanus cum inſanis fœminis ſomniat, Prophetæ in extaſi ſunt locuti, ut neſcirent quid loquerentur; & cum alios erudirent, ipſi ignorarent quid dicerent.* Secundò, quòd ſequatur Spiritum Sanctum fuiſſe locutum per Prophetas & Apoſtolos, quomodo locutus fuit per aſinam Balaam. Nam & hoc inſanivit Montanus. Ex his Agobardus concludit ſingula ſacrarum litterarum verba non eſſe à Spiritu Sancto, ſed ex humana ſacri Scriptoris induſtria. Et ab ejus imperitia eſſe vitia conſtructionis.

Et quidem Sanctum Paulum fuiſſe Græci ſermonis imperitum probat ex aliis inſuper locis Sancti Hieronymi: *Qui putant Paulum juxta humilitatem, & non verè dixiſſe*: Etſi imperitus ſum ſermone, non tamen ſcientia, *defendant hujus loci conſequentiam.* Et iterùm: *Si verò qui poteſt etiam juxta ſermonis eloquio contextum docere Apoſtolum fuiſſe perfectum, & in artis Grammaticæ vitia non incurriſſe, ille potiùs auſcultandus eſt. Nos quotieſcumque ſolœciſmos aut tale aliquid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malevoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, quòd Hebræus ex Hebræis abſque Rhetorici ſermonis nitore, verborum compoſitione & eloquii venuſtate numquam ad Chriſtianorum fidem transducere mundum valuiſſet, niſi evangelizaſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei.* Quod ipſum Sanctus Hieronymus tradit & in aliis locis. In commentario epiſtolæ ad Epheſios notat quamdam ejus inconcinnam locutionem, ipſam purgare ſtudet, & adjungit: *Niſi fortè ignoſcentes ei, quod & ipſe confeſſus eſt dicens*, Etſi imperitus ſermone, non Cap. 3.

tamen

Digitized by Google

tamen ſcientia, *ſenſuum magis in ea locutione quæramus ordinem, quàm verborum*. Et in epiſtola ad Ep. 151. quæſt. 10. Algaſiam ſcribit: *Illud quod crebrò diximus, Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat. Et cùm ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone. Quem cùm in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippè Hebræus ex Hebræis, eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctiſſimi, ſe ipſum interpretari cupiens involvitur. Si autem in Græca lingua hoc ei accidit, quid de Latinis dicendum eſt, qui verbum de verbo exprimere conantes, obſcuriores faciant ejus ſententias?* Et de variis ejus in epiſtola ad Coloſſenſes loquendi formulis adjungit: *Quibus & aliis multis verbis uſque hodie utuntur Cilices. Nec hoc miremur in Apoſtolo, ſi utatur ejus linguæ conſuetudine, in qua natus eſt & nutritus, cùm Virgilius, alter Homerus apud nos, Patriæ ſequens conſuetudinem, ſceleratum frigus appellat.* Græcum ipſius Apoſtoli textum comparat cum Latina Interpretum tranſlatione. Uti hanc, ita & iſtam affirmat hinc indè eſſe improprii ſermonis. Quòd nempè ambo ex humana induſtria proceſſerint, adeoque neuter contextus ipſi videatur eſſe à Spiritu Sancto.

Quod ipſum Hieronymus repetit, & alio inſuper principio confirmat in litteris ad Hedibiam: Ep. 150. quæſt. 11. *Aliquoties diximus Apoſtolum Paulum virum fuiſſe doctiſſimum, & eruditum ad pedes Gamalielis. Cumque haberet ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & ſermonis, diverſarumque linguarum gratiam poſſideret, undè ipſe gloriatur in Domino, & dicit,* Gratias ago Deo quod omnium veſtrum linguis magis loquor, *Divinorum ſenſuum Majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone. Habebat ergò Titum Interpretem, ſicut & Beatus Petrus Marcum, cujus Evangelium Petro narrante, & illo ſcribente compoſitum eſt. Denique & duæ epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum, diverſis eum uſum Interpretibus.* Quòd enim Sanctus Petrus alios præter Marcum Scribas ſeu Interpretes habuerit, diſertè aſfirmat in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Baſilides Glauciam ſibi adſcribit Magiſtrum, qui fuit Petri Interpres. Similiter autem Valentinum quoque dicunt Gnoſtici audiviſſe Theodadem. Is autem fuit Pauli familiaris.* An etiam Interpres fuerit, ignoro. Item ignoro, an reverà fuerit ſcelerati Valentini Magiſter. Etiam an Glaucias ſceleratum Baſilidem docuerit. Etenim Clemens addit de Gnoſticis: *Ut ipſi gloriantur*. Quidquid ſit, Tertius qui epiſtolam ad Romanos ſcripſit, fuit è Sancti Pauli Interpretibus. Et hinc intellige epiſtolam Cap. 5. ad Galatas: *Videte qualibus litteris ſcripſi vobis, mea manu*. Paulus affirmat hanc epiſtolam à ſe non dictatam, ſed propria manu ſcriptam. Quòd tunc fortè ad manum non haberet Interpretem. Et ex iſtis verbis Sanctus Joannes Chryſoſtomus opinatur Sancti Pauli etiam characteres fuiſſe inelegantes: *Hic nihil aliud Paulus innuit, niſi quod ipſe totam ſcripſerit epiſtolam. In cæteris epiſtolis ſubſcribebat quidem ipſe, cæterum alius ſcribebat. Hic verò totum ipſe ſcripſerat. Quod autem dixit,* Qualibus, *mihi videtur non magnitudinem, ſed deformitatem litterarum ſignificans hoc dicere. Nam propemodum illud dicit, quòd cum non noſſet optimè ſcribere, tamen compulſus ſit per ſeipſum ſcribere.* Et laudatus Chryſoſtomus adducit inſignem hujus compulſionis rationem. Quòd alias epiſtolas alienæ manui dictaverit Sanctus Paulus, demonſtrat conſueta ſubnotatio: *Salutatio mea Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola. Ita ſcribo: Gratia Domini noſtri* JESU CHRISTI *cùm omnibus vobis. Amen.*

Sanctus Hieronymus aſſerit hic varia. Primò, Sanctum Paulum fuiſſe virum eruditiſſimum. Utique rerum, non ſignorum ſcientia. Secundò, illi fuiſſe linguarum chariſma. Attamen non omnium, ſed dumtaxat diverſarum. Quia nempè Hebræam & Græcam linguas, quas à prima ætate per humanam artem noverat, non habuit ex chariſmate. Et hæc eſt ratio, cur Cilicum natalis in Græca lingua dialectus illi permanſerit. Tertiò Hieronymus dicit Paulum in Hebraico ſermone fuiſſe diſertiſſimum. Quartò, Græci ſermonis fuiſſe adeò modicè peritum, ut Divinorum, utique ipſi ut Apoſtolo à Divina gratia inſpiratorum, ſenſuum majeſtatem dignè nequiverit exprimere. Quintò, quòd iſta de cauſa fuerit uſus peritis Interpretibus, præſertim Sancto Tito. Tito ipſum adeò indiguiſſe ſcribit idem Hieronymus, ut hæc ejus verba: *Non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum,* commentetur: *Paulus Apoſtolus contriſtatur, quia prædicationis ſuæ in præſentiarum fiſtulam, organumque, per quod Chriſto caneret, non invenerit*. Sextò dicit eandem eſſe rationem Sancti Petri Apoſtoli, etiam uſi diverſis Interpretibus. Septimò, horum Interpretum Primatem fuiſſe Sanctum Marcum. Octavò, hujus Evangelium eſſe à Petro narratum, à Marco compoſitum. Nonò, Petri epiſtolas eſſe ſtyli adeò diverſi, ut quidam cenſuerit ipſas non eſſe ejuſdem Apoſtoli. Decimò, diverſitatis cauſam eſſe diverſos Interpretes. Quia nempè ſola ſententia ſit Apoſtoli, ſtylum dederint Interpretes. Erant Interpretes, qualem ſe Sancto Damaſo Pontifici fuiſſe ſcribit laudatus Hieronymus: *Cùm in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* Epiſt. 11. Apoſtolicis Reſcriptis ſenſum Pontifex, Hieronymus dabat ſtylum. Quod ipſum officium Sanctus Proſper Sancto Leoni, Pelagio ſecundo Magnus Gregorius, Honorio Pontifici exhibuit ille, qui poſtmodò fuit Joannes quintus. Et hinc ſola ſacrarum Scripturarum Senſa, non ſingula verba videntur dictata à Spiritu Sancto. Etenim licet Marcus & Titus poſſint in concinnandis Apoſtolorum litteris habuiſſe Divinum afflatum, certè Tertius, Glaucias, aliique nobis ignoti videntur

tur

tur non habuiſſe. Quo firmo teſtimooio id demonſtrabimus.

Quod ipſum confirmari poteſt ex aliis ejuſdem Hieronymi teſtimoniis. Etenim ſeribit de Sancto
Ep. 117. Iſaia Peopheta: *De Iſaia ſciendum quod in ſermone ſuo diſertus ſit. Quippè vir nobilis, & urbanæ eloquentiæ, nec habens quidquam in eloquio ruſticitatis admixtum. Unde accidit, ut præ cæteris florem ſermonis ejus translatio non potuerit conſervare*. Et de
Ep. 118. Sancto Hieremia: *Hieremias Propheta ſermone quidem apud Hebræos Iſaiæ & Oſeæ, & quibuſdam aliis Prophetis videtur eſſe ruſticior, ſed ſenſibus par eſt. Quippè qui eodem ſpiritu prophetaverit. Porrò ſimplicitas eloquii et à loco, in quo natus eſt, accidit. Fuit enim Anathotites*, id eſt, pagenſis &
Ep. 119. ruſticus. Et de Sancto Propheta Ezechiele: *Sermo Ezechielis nec ſatis diſertus, nec admodùm ruſticus eſt, ſed ex utroque mediè temperatus*. Affirmat ipſos ſeoſibus pares, eloquio eſſe impares. Et dat oteiuſque cauſam. Prioris: *Eodem Spiritu prophetavit*. Poſterioris: Quòd hic eſſet nobilis & urbanus, ille ruſticus ac pagenſis. Quòd ſola Senſa, non antem verba eſſent dictata à Sancto Spiritu. Et iſta Sancti Hieronymi loca urſit etiam Sanctus Agobardus. Et ſanè ſacri Scriptores ſunt Divinæ Majeſtatis ad nos Legati ac Oratores: At verò humana majeſtas ſuis Oratoribus ſola Senſa præſcribit, non verba. Et tamen omnis eorum oratio eſt oratio ipſius Principis.

Obiter notanda ſunt Sancti Hieronymi in epiſtola ad Alguſiam verba de Sancto Paulo: *Nec hoc miramur in Apoſtolo, ſi utatur ejus linguæ conſuetudine, in qua natus eſt & nutritus*. Affirmat Sanctum Paulum fuiſſe Cilicem & Tarſenſem. Aliud habet in catalogo Virorum illuſtrium: *Paulus Apoſtolus de tribu Beniamin, & oppido Judææ Giſchalis fuit, quo à Romanis capto, cum Parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigravit*. Peior opinio eſt omninò vera. Etenim Sanctus Paulus uno anno fuit Chriſto Domino junior, ideoque natus eſt ſub Caji Auguſti imperio, quod apud Judæos nulla vidit bella, nullas civitatum expugnationes. Et ſacer Textus Sanctum Paolom conſtanter appellat Tarſenſem. Etiam de Paulini ſermonis imperitia Sanctus Hieronymus ſibi ipſi non plenè conſtat. Etenim in litteris ad Pammachium & Marcellinum refert Sancti Pauli locum, *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia*, atque proſequitor: *Paulus Hebræis litteris
Ep. 67 cap. 4. eruditus Græcam facundiam contemnebat, vel certè, quod erat humilitatis, diſſimulabat, ut prædicatio ejus non in perſuaſione verborum, ſed in ſignorum virtute conſiſteret, ſpernens alienas opes, qui in ſuis dives erat. Quamquam ad imperitum, & per ſingulas ſententias corruentem, nunquam pro tribunali ſedens Feſtus diceret: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt*. Prior ejus ſententia eſt verior.

Et ipſam confirmat, qui Sancto Paulo qoaſi à Secretis fuit, Sanctus Joannes Chryſoſtomus in tertia homilia ſuper primam epiſtolam ad Corinthios: *Tu autem illud mihi oſtende, an doctus & eloquens eſſet Petrus & Paulus. Sed non potes. Erant enim Idiotæ, & rudes, & illitterati. Quomodo igitur Chriſtus, quando in orbem terrarum mittebat Diſcipulos, cùm eis ſuam poteſtatem oſtendiſſet primùm in Palæſtina, & dixiſſet*, Quando miſi vos ſine crumena, & pera, & calceis, nunquid vobis aliquid defuit, *tunc de cætero permiſit, ut haberent & peram & crumenam; ita quoque hic fecit. Quod quærebatur enim erat, ut ſuſpiceretur Chriſti virtus, non ut per externam ſapientiam à fide ejicerentur, qui accedebant. Quando ergo Græci accuſarint Diſcipulos, tamquam litterarum ignaros & imperitos, nos plus quàm illi ipſos accuſamus. Neque quiſpiam dicat, quod ſapiens & doctus erat Paulus, ſed eos, qui apud illos ſunt magni & in admiratione habiti, extollentes propter Sapientiam, eos qui ſunt apud nos, dicamus fuiſſe rudes & imperitos. Non parum enim in hac quoque parte eos dejiciemus. Ita enim erit præclara de eis victoria. Hæc autem dixi, quoniam audivi quemdam Chriſtianum cum Græco ridiculè diſſerentem. Et utrumque in ea, quæ inter ipſos extitit, concertatione infirmantem ſua & convellentem. Quæ enim oportebat dicere Chriſtianum, ea dicebat Græcus; quæ Græcum dicere erat conſentaneum, ea aſſerebat Chriſtianus. Nam cùm eſſet quæſtio de Paulò & Platone, Græcus quidem conabatur oſtendere Paulum eſſe rudem ac imperitum, Chriſtianus autem ob ſimplicitatem ſtudebat probare Paulum eſſe Platone doctiorem ac diſertiorem. Ita autem Græcus eſſet victoriam conſecutus, ſi hæc vinceret ratio. Nam ſi Platone doctior & eloquentior eſſet Paulus, conſentaneum eſſet multos contradicere, quod non gratia ſuperaſſet, ſed eloquentia. Quam ob rem faciebat pro Græco quod dicebatur à Chriſtiano; faciebat autem pro Chriſtiano quod dicebatur à Græco. Nam ſi imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara fuit victoria. Acceptis enim omnibus ejus diſcipulis perſuaſit, & eos ad ſe adduxit. Undè fuit perſpicuum, quòd non humana ſapientia, fuerit prædicatio, ſed Dei gratia. Ne hæc ergo nobis accidant, & irrideamur cum Græcis diſputantes, quando nobis fuerit cum illis certandum, tanquam indoctos accuſemus Apoſtolos. Ipſa enim accuſatio eſt encomium. Et quando dixerint agreſtes fuiſſe Apoſtolos, nos addamus & dicamus eos fuiſſe imperitos, illitteratos, pauperes, viles, abjectos, inſipientes, & obſcuros. Non ſunt hæc in Apoſtolos maledicta, ſed eorum gloria. Quod cùm eſſent hujuſmodi, toto orbe terrarum fuerint clariores. Iſti enim rudes, & agreſtes, & imperiti expugnaverunt ſapientes, & potentes, & tyrannos, & qui gloriabantur divitiis, & gloria, & omnibus externis. Undè eſt perſpicuum, quòd ſit magna crucis potentia, & quòd humanis viribus hæc non fierent. Non enim habent humanam naturam quæ fiunt, ſed erant ſupra naturam, quæ gerebantur*. Hanc Dominicæ crucis per imperitos & agreſtes Apoſtolos virtutem ampliſſimè prædicat. Plura dicit in quarta homilia ſuper ſecundam epiſtolam ad Timotheum: *Paulus erat homo Cilix, Coriarius, inops, imperitus externa peritia. Hebræam tantum noverat linguam, quæ tum cæteris, tum Romanis maximè erat deſpectui*. Loquitur de eleganti peritia.

ritia. Quòd Græcam linguam ex humana diſciplina haberet, non ex Divino chariſmate. Proindè ſemper agit de ſignorum, non de rerum imperitia. Et ex his ſuadetur, quòd ſola Senſa, non autem ſingula verba fuerint Sancto Paulo, & aliis ſacris Scriptoribus Divinitùs inſpirata.

Quæ omnia non tantùm ſtabiliuntur, ſed etiam ampliantur per ejuſdem Doctoris commentaria in epiſtolam ſecundam ad Corinthios. Scri-
Cap. 1. bit illic Sanctus Paulus: *Volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſire in Macedoniam, & iterùm à Macedonia venire ad vos, & a vobis deduci in Judæam. Cùm ergò hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me Eſt & Non? Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt & Non. Dei enim Filius* JESUS *Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, non fuit Eſt & Non, ſed Eſt in illo fuit*. Et Sanctus Joannes Chryſoſtomus in tertia homilia commentatur: *Quid igitur dicet aliquis, An non ex Spiritu pollicitus fuerat? Minime verò. Etenim jam etiam à me dictum eſt, non omnia ea Paulo cognita fuiſſe, quæ futura erant, & conducebant. Ea de cauſa in ſuperiori epiſtola his utitur verbis:* Ut vos me deducatis, quocumque proficiſcar. *Hoc videlicet metuens, ne cum,* In Judæam dixiſſet, *alio quopiam abire cogeretur. Hic autem, quoniam hac ſpe deluſus fuerat, iſtud ait:* Et à vobis deduci in Judæam. *Nam quod charitatis erat, hoc ponit, id eſt, ad eos venire, quod autem eorum nihil intererat, nempè ut in Judæam abiret, hoc non expreſsè & disertè jam addit. Poſtquam autem convictus eſt, hic jam fidenter dicit:* In Judæam. *Atque hoc utiliter contingebat. Ne quis ipſorum majorem, quàm par eſſet, opinionem de eo haberet.* Adducit Apoſtolica ad Romanos verba: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Ex ipſis affirmat orandi chariſma non ſemper adfuiſſe Apoſtolo. Et confirmat ex ſecunda ad Corinthios epiſtola, quæ ejus etiam tertiò repetitam orationem affirmat non fuiſſe exauditam. Hinc pergit ad jam adducta verba ex eadem epiſtola: *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non fuit Eſt & Non.* Et commentatur: *Paulus exorientem objectionem præclare diſcutit. Dicere enim potuiſſent: Si cùm ipſe te ad nos venturum receperis, id tamen facere diſtuliſti, atque ita non eſt apud te Eſt eſt, Non non, verum quæ nunc dicis, poſteà ſubvertis, quemadmodum in tua ad nos profectione feciſti, ò nos miſeros, ſi hoc quoque in Evangelii prædicatione contingit. Quo circa ne hæc illi cum animis ſuis cogitarent, atque in perturbatione verſarentur, ait:* Fidelis Deus, &c. *Hoc enim, inquit, in prædicatione non contigit, ſed in viis ac peregrinationibus dumtaxat. Nam in prædicatione manent firma, atque immota, quæ dixi. Per ſermonem enim hoc loco prædicationem ſignificat.* Sanctus Joannes diſtinguit glorioſi Pauli prædicationem ab ejus epiſtolis. Singula, quoniam dogma aut vitæ diſciplinam continebant, ejus prædicationis verba affirmat fuiſſe ex Divino chariſmate, non ita autem ſingula verba epiſtolarum. Hæ enim non ſolùm dogma & diſciplinam præſcribebant, ſed interſerebant quædam de itineribus, peregrinationibus, veſtimentis, aliiſque terrenis neceſſitatibus. Et hæc interſerta Sanctus Joannes videtur affirmare non ſemper fuiſſe ex lumine chariſmatis.

Quam ſententiam etiam aliis placuiſſe teſtatur in Commentariorum epiſtolæ ad Philemonem præfatione Sanctus Hieronymus: *Qui nolunt inter epiſtolas Pauli eam recipere, quæ ad Philemonem ſcribitur, ajunt non ſemper Apoſtolum, nec omnia Chriſto in ſe loquente dixiſſe. Quia nec humana imbecillitas unum tenorem Sancti Spiritus ferre potuiſſet, nec hujus corpuſculi neceſſitates ſub præſentia Domini ſemper complerentur: Velut diſponere prandium, cibum capere, eſurire, ſaturari, ingeſta digerere, exhauſta complere. Taceo de cæteris, quæ exquiſitè & coactè replicant, ut affirment fuiſſe aliquod tempus, in quo Paulus dicere non auderet:* Vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *Et illud:* An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? *Quale, inquiunt, experimentum Chriſti eſt audire:* Penulam, quam reliqui Troadæ apud Carpum, veniens tecum affer? *Et illud ad Galathas:* Utinam & exſcindantur, qui vos conturbant. *Et in hac ipſa epiſtola:* Simul autem & præpara mihi hoſpitium. *Hoc autem non ſolis Apoſtolis, ſed & Prophetis quoque ſimiliter accidiſſe. Undè ſæpiùs ſcriptum feratur:* Factum eſt verbum Domini ad Ezechiel, *ſive ad quemlibet alium Prophetarum. Quia poſt expletum vaticinium rurſus in ſemetipſum revertens, homo communis fieret Propheta. Et excepto Domino noſtro* JESU CHRISTO, *in nullo Sanctum Spiritum permanſiſſe. Quod ſignum & Joannes Baptiſta acceperat, ut ſuper quem vidiſſet Spiritum Sanctum deſcendentem, & manentem in eo, ipſum eſſe cognoſceret. Ex quo oſtendit ſuper multos deſcendere Spiritum Sanctum, ſed proprium hoc eſſe Salvatoris inſigne, quia permanet in eo. His & cæteris ejuſmodi volunt aut epiſtolam non eſſe Pauli, quæ ad Philemonem ſcribitur, aut etiamſi Pauli ſit, nihil habere, quod ædificare nos poſſit. Et à pleriſque veteribus repudiatam: Dum commendandi tantum ſcribatur officio, non docendi.* Iſti neſcio qui Doctores dixerunt eſſe non dogmaticam, ſed dumtaxat familiarem epiſtolam, ideoque non canonicæ authoritatis. Quod non proceſſiſſet ex chariſmate. Et addiderunt quædam ſimilia etiam aliis epiſtolis eſſe intertexta. Hæc nec quoad Senſa: nec quoad verba dixerunt inſpirata Divinitùs, ſed fuiſſe partum humanæ mentis, directæ per communem Dei gratiam. Hinc inferri poſſit cunctis ſacris Scriptoribus inſpiratam fuiſſe ſolam ſententiam.

Et hinc quæritur, An hæc ſint vera? An Sanctus Joannes Chryſoſtomus iſta docuerit? Reſpondeo non docuiſſe. Etenim in tertia ſuper ſecundam ad Theſſalonicenſes epiſtolam homilia ſcribit de cunctis generatim Canonicis Scripturis: *Nos, dum ſacras Litteras legimus ad populum, non noſtra dicimus, ſed quæ Dei ſunt.*

E cælo

E cœlo quotidie venientes leguntur epiſtolæ. Dic autem, quæſo, ſi quiſpiam, dum omnes nos adſumus, ingreſſus eſſet, Zonam habens auream erecta cervice ac ſuperbè incedens, & *ſe efferens, diceret ſe eſſe miſſum à Rege terreno, & ad totam civitatem adferre epiſtolam de rebus neceſſariis, an non omnes converteremini? Ego ſanè arbitror. Nam hic etiam audivi legi epiſtolas Regis. Deindè ſi quiſpiam quidem veniat à Rege, omnes acceditis. A Deo autem venit, & de cœlis loquitur Propheta, & nemo eſt qui attendat. An non creditis quod hæc, quæ dicuntur, ſunt à Deo? Et ipſæ epiſtolæ à Deo miſſæ ſunt.* Quod ipſum ſcribit in tertia homilia ſuper Geneſim. Affirmat Dominum Deum cum primitivis juſtis fuiſſe familiariter verſatum ac locutum, poſtmodò autem propter peccata eſſe averſum ab omni noſtro genere, ac pergit: *Sed Deus iterùm ſuam erga illos familiaritatem innovare volens, quaſi longè abſentibus litteras mittit, conciliaturas ſibi univerſam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moyſes. Quid dicunt hæ litteræ? In principio fecit Deus cœlum & terram.* Et in primo ſuper Geneſim ſermone: *Ubi humanum genus proclivius in malitiam declinavit, & à Parente ac à Conditore ſuo quaſi longa quadam peregrinatione diſceſſit, confabulatione ceſſante, litteris ad eos, tamquam longè à ſe poſitos, & epiſtolis agitur, quibus eos veteris cujuſdam amicitiæ & familiaritatis admoneat. Primam quidem epiſtolam ad homines per Moyſen direxit. Quid ergò hæc epiſtola contineat, videamus. In principio fecit cœlum & terram.* Non loquitur de ſolo Decalogo, quem Angelico digito conſtat eſſe à Domino Deo ſcriptum, ſed de tota Geneſi, ac omni Pentateucho. Et de ipſis dicit in vigeſima prima ſuper Geneſim homilia: *Attende, obſecro, Prophetæ Moyſis admirabilem ſapientiam, immò Sancti Spiritus doctrinam. Ab illo enim, ut ſæpè dictum eſt, afflatus hæc omnia nobis loquitur. Et linguam quidem Propheta commodavit, gratia autem Spiritus Sancti per illam omnia humanum genus manifeſtè docet.* Palàm aſſeverat omnia & ſingula non dumtaxat Senſa, ſed & verba nobis eſſe ex beneficio chariſmatis. Propheta enim linguam ſuam Spiritui Sancto dumtaxat commodavit.

Audiamus & alia ejuſdem homiliæ verba: *Dicit nequit, quam multiplex theſaurus in verbis modò*, ex ſecundo Geneſeos capite, *lectis reconditus ſit. Et ſcio quidem, quod opinantur aliqui nihil amplius dici, quàm illorum nominum enumerationem & appellationem. Spectant enim tales ad ſolam ſuperficiem. Ego autem omnes vos obſecro, ne ſimpliciter ea, quæ in Scripturis ſacris contenta ſunt, tranſeatis. Nihil enim hic ſcriptum eſt, quòd non habeat multas ſenſuum divitias. Quandoquidem Divino Spiritu afflati Prophetæ locuti ſunt, ideò uti à Spiritu ſcriptæ ingentem in ſe continent theſaurum. Et ne mireris, quòd in hac nominum enumeratione multas & latentes ſententiarum divitias vobis me oſtenſurum pollicear. Neque enim vel ſyllaba, vel apiculus eſt in ſacris Litteris, in cujus profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus. Proindè nobis opùs eſt Divina gratia ducamur, & Spiritu Sancto illuſtrati eloquia Divina adeamus. Neque Divina Scriptura opus habet hominum ſapientia, ut intelligatur, ſed revelatione ſpiritus, ut hauſto indè vero ſenſu, magnum nobis hinc lucrum accreſcat. Nam ſi in Scriptis, quæ de ſæcularibus negotiis conficiuntur ab hominibus, & tempore frequenter corrumpuntur, vel unam proximi ſyllabam deeſſe, multum momenti habet, multò magis hoc, in Scripturis Divinis, à Spiritu Sancto compoſitis, invenitur, modò ſobrii ſimus, & non temerè progrediamur.* Quædam ſacrarum litterarum capita vix aliud continent quàm ſeriem generationum, varias ſalutationes, & varia hominum nomina. Hæc capita quidam ducebant parvi ponderis. Adversùm illos agit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: Affirmat in iſtis etiam capitibus nullum eſſe vocabulum, immò nec jota aut apicem, qui non ſit à Spiritu Sancto, ideoque & plenus Sacramentis.

Iſtud ipſum ſcribit in homilia trigeſima prima ſuper epiſtolam ad Romanos. Etenim ad ultimum epiſtolæ caput, quod ferè conſtat ſolis nominibus ac ſalutationibus, hæc habet: *Multos putamus etiam eorum, qui de vehementer diligentibus eſſe videntur, hanc epiſtolæ partem uti ſuperfluam, nihilque magni momenti habentem, prætercurrere. Atque hoc ipſum in Genealogia, quæ in Evangelio continetur, ipſis evenire arbitror. Quoniam enim nominum quorumdam eſt catalogus, nihil arbitrantur ſe magni ex hoc loco lucrifacturos. Et aurifuſorum quidem pueri minuta etiam fragmenta curioſè conquirunt; iſti verò tantas auri maſſas negligunt.* Et poſt quædam pergit: *Tentabimus hunc locum*, utique poſtremum ad Romanos caput, *diligenter ſcrutando rimari. Eſt enim & in nudis his nominibus magnum invenire theſaurum.* Demonſtrat nomina ex fundatis rationibus imponi, quibuſdam fuiſſe per ipſam Divinam Majeſtatem impoſita aut mutata, atque concludit: *Oſtendamus nihil in ſcripturis ſuperfluum eſſe, nihil fruſtrà prolatum. Si quis Philoſophiæ amator, & ſpiritualis auſcultationis amicus ſit, audiat quam non ſint fruſtrà & inaniter poſita, quæ in Scripturis videntur eſſe minuta.* In ſextum Iſaiæ Prophetæ caput, præſertim ad hæc ejus verba, *Vidi Dominum ſedentem in throno excelſo*, quinque homilias ſcripſit idem Sanctus Joannes, in ipſarum ſecunda affirmat ſacras litteras eſſe theſaurum myſteriis pleniſſimum, ac proſequitur: *Hæc mihi non temerè dicta ſunt, neque fortuitò produxi ſermonem, ſed ob id quòd ſint homines quidam opifices, qui poſtquam ſacras litteras in manus ſumpſerint, deindè repererint vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſionem, illicò prætermittunt, & monefacientibus reſpondent; Nomina tantùm ſunt, neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere, Nulla eſt Dictorum utilitas? Etenim ſi ad nudam inſcriptionem adſpexeris tantum, dic mihi, nonnè repertas cum omni ſtudio, repoſitaſque ſcrutaberis opes? Sed quid loquor de temporibus, & nominibus, & titulis? Diſce quantum valeat unius tantum litterulæ adjectio, & deſine tota contemnere nomina. Patriarcha noſter*

Abraham primo dictus eſt Abram, quod interpretatum ſonat tranſitorem. Poſt hæc nomine commutato dictus Abraham, Pater factus eſt omnium gentium. Unicum elementum adjectum vindicavit juſta tantum principatum. Quemadmodum enim Reges Præfectis ſuis aureas porrigunt tabellas, Magiſtratus ſignum, ſic Deus juſta illi honoris ſignum dedit litteram. Verùm de nominibus alio tempore diſſeram. Affirmat non ſolummodò dogmaticis ſacræ ſcripturæ contextibus, ſed etiam nominibus, imò & nominum litteris ineſſe magnos theſauros. Et dat cauſam: *Quia Deus loquitur*. Hoc eſt, non ſola Senſa inſpirat, ſed & ſingula verba.

Et in tertia ſuper Apoſtolicos Actus homilia hoc confirmat ex verbis Sancti Petri Apoſtoli: *Oportet impleri ſcripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda.* Audi Sancti Joannis commentarium. *Petrus non ait, David dixit, ſed Spiritus Sanctus per eum.* Et adjungit de ipſo Actorum libro: *Non abs re dicebam hunc librum arbitrio Spiritus Sancti eſſe conſcriptum.* Quod ipſum de omnibus generatim ſcripturis confirmat Sanctus Epiphanius, Hæreſiarcham Ærium duriſſimè increpans, quod effreni ore blaterare non
Hæreſ 76. cap. 6. erubeſceret: *Iſta Apoſtolus tamquam homo dixit.* Et in ſecundo de Divina Trinitate libro Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus laudat *Cœleſtium verborum ſimplicitatem*. Simplicem ſacrarum litterarum ſtylum affirmat eſſe cœleſtia verba. Inter antiquas & varias Gentilium contra Evangelium calumnias erat quod ejus author Chriſtus Dominus nihil ſcripſiſſet. Hinc illis hic viſus ſuo Platoni ne vel comparandus. Reſpondet verò in primo libro de Evangeliſtarum conſenſu Sanctus Auguſtinus: *Itaque cum illi*, utique Chriſti Domini Apoſtoli ac diſcipuli, *ſcripſerunt quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt, quòd ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de ſuis Factis & Dictis nos legere voluit, hoc illis ſcribendum tamquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium, & in diverſis officiis concordium membrorum ſub uno capite miniſterium quiſquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus Chriſti Diſcipulis in Evangelio legerit, quam ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.* Lucidiſſima verba non poſſunt elucidari. Etiam in Admonitione ad Gentes Sanctus Clemens Alexandrinus adducit quædam Sancti Hieremiæ verba, & ad-
Fol. 51. jungit: *Hieremias Propheta ſapientiſſimus, vel potiùs in Hieremia Spiritus Sanctus.* Et infrà: *Os*
Fol. 58. *Domini, & Spiritus Sanctus ea eſt elocutus.* Et rur-
Fol. 56. ſùm: *Ex quibus litteris & ſacris Syllabis compoſitas Scripturas Apoſtolus appellat Divinitùs inſpiratas.* Reſpicit Apoſtolica ad Timotheum verba: *Om-*
Epiſt. 2. cap. 3. *nis ſcriptura Divinitùs inſpirata.* Omnem inſpiratam dicit etiam quoad ſyllabas ac litteras. Plurima ſunt ſimilia Patrum teſtimonia. Et ex ipſis Conſtantinopolitana Synodus ſuo ſymbolo impoſuit hunc articulum: *Locutus eſt per Prophetas.* Ejus ſubſtantiam frequentiſſimè laudat Sanctus Irenæus.

Et in contrarium adductæ authoritates ac rationes ſunt faciles. Etenim Apoſtolos omnes, etiam ipſorum Principes Petrum ac Paulum, nec non & varios Prophetas fateor fuiſſe imperitos ſermone, & in ipſorum litteris reperiri barbariſmos ac ſolœciſmos. Factum id fuit ex alta diſpenſatione Divinæ Providentiæ: Ex variis & magnis cauſis. Ex iiſdem cauſis, ob quas Divina Omnipotentia apoſtatam mundum domare, ac ſuæ obedientiæ voluit reddere, non ferro, ſed ligno: Non per armatum Regem, ſed per humilem crucifixum. Sic etiam per mundi infirma ac ignobilia voluit confundere ejus fortia ac ſublimia: Per imperitum Piſcatorem, Schenopegum, aut Telonarium capere non dumtaxat inflatum Philoſophum ac Oratorem, ſed & ipſum Romanorum Imperatorem. Et hoc ut non evacuaretur crux Chriſti. Hoc eſt, ut totius mundi converſio non humanæ eloquentiæ adſcriberetur, ſed Divinæ potentiæ. Præterea ſacræ litteræ eſſe debuerunt omni Chriſtiano communis liber: Communis fons vitæ æternæ. Ad ipſum non ſoli Doctores, ſed & infima ac ruſtica plebs debuit familiariter accedere, familiariter legere. Hinc habere debuit ſtylum omnibus communem, humilem & obvium. Quæ omnia amplè tradunt Sancti Patres, præſertim Sanctus Auguſtinus, ac Sanctus Iſidorus Peluſiotes. Vide libri quarti epiſtolam vigeſimam octavam & ſexageſimam ſeptimam, ac quinti libri epiſtolam ducenteſimam octogeſimam primam.

Et ex hac Patrum ſententia non ſequitur, quòd ſacri Scriptores tamquam aſina Balaam ſint locuti. Impiiſſimè id blaſphemavit Hæreſiarcha Montanus. Et Sanctus Agobardus perperàm conjecit in Fredegiſum Abbatem. Etenim dum ex efficaci Divinæ gratiæ impulſu operamur bona, non agimus ut belluæ aut ſaxa: Ita & dum ex Divini chariſmatis beneficio vera loquimur aut ſcribimus, omninò agimus opera libera & humana. Et noſtri tunc ſermonis barbaries non eſt à Domino Deo. Divina Majeſtas tunc utitur noſtra imperita anima, ut claudicante tibia: Rectum eſt à Domino Deo, claudum ex nobis. Et quid ſi quis dixerit etiam ſacri Scriptoris ſolœciſmos ac barbariſmos eſſe à Domino Deo? Profectò ille non adſtringitur legibus ac elegantiis Grammaticorum? Ex cauſis poſſit iſtas phraſes inſpirare. Interim de Sanctorum Prophetarum litteris rectè ſcribit ad Pammachium Sanctus Hieronymus: *Interpretum vitio, quæ apud ſuos puriſſimo curſu ora-* Epiſt. 52.
tionis labuntur, apud nos ſcatent vitiis. Hinc addit eas eſſe intellectu difficiles. Originalis textus eſt paſſim humilis, non vitioſus.

Quare longè verius eſt, quod omnia & ſingula Senſa ac verba ſint à Spiritu Sancto. Adverſam quorundam opinionem meritò damnat, & damnari dignam demonſtrat laudatus Hieronymus in præfatione ſuorum commentariorum ſuper epiſtolam ad Philemonem. Nec ipſam in commentariis ſecundæ ad Corinthios epiſtolæ probat aut ſequitur Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Solummodò affirmat in Sancti Pauli litte-

ris

ris contineri duo: Quædam ad Evangelicam doctrinam, quædam ſpectantia ad ejus actiones. Et in his quandoque eſſe *Eſt & Non*, non in iſtis. Hæc eſſe immobilia, illa licèt Divinitùs inſtillata, poſſe moveri. Quia nempè Divina Providentia facit nos multa velle quæ non donat poſſe aut facere. Sic dedit Apoſtolo velle venire Corinthum, ac indè tranſire in Macedoniam, & non dedit ire. Secreta eſt Divinæ Majeſtatis de nobis diſpoſitio. Hic eſt ſenſus Sancti Joannis Chryſoſtomi, ac ipſius etiam Apoſtoli Pauli.

Quæſtio eſt, Quomodo Sanctus Paulus ac Sanctus Petrus ſint uſi Interpretibus ſeu Scribis? Quodnam horum fuerit Miniſterium? An & ipſi habuerint chariſma Divinæ inſpirationis? Reſpondeo illa, quæ ad Hedibiam ſcribit Sanctus Hieronymus, eſſe obnoxia difficultatibus. Etenim ſi Apoſtolorum Principes ſuis epiſtolis dederint ſola Senſa, & verba ſint ab Interpretibus, palàm ſequitur, quòd Interpretes debuerint eſſe pariter afflati, aut quód iſtæ epiſtolæ non ſint Divinum Verbum primæ claſſis. Res eſt obſcura. Et nobis deſunt antiqua ad quid affirmandum teſtimonia. Et quidem ipſi etiam Interpretes poſſint fuiſſe donari chariſmate. Etenim Sancti Matthæi Evangelium fuiſſe Hebraicè ſcriptum affirmat in ſua ad ipſum præfatione Theophylactus, atque adjungit: *Porrò Joannes Evangeliſta hoc ex Hebraica lingua in Græcam, ut ferunt, tranſtulit*. Cur dicat *ut ferunt*, edicit in Illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Matthæus Evangelium Hebraicis litteris, verbiſque compoſuit. Quòd quis poſteà in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt*. Eſſe à Sancto Joanne tranſlatum, conſtanter affirmat in ſuo Chronico Eutychius Patriarcha Alexandrinus. Robertus Abbas Montenſis in ſuo Chronico laudat Lateranenſem Alexandri tertii Pontificis Synodum,
Anno 1182. atque adjungit: *Ad Synodum venit quidam Civis Piſanus, nomine Burgundio, peritus tam Græcæ quàm Latinæ eloquentiæ. Hic attulit Evangelium Sancti Joannis, tranſlatum ab ipſo de Græco in Latinum, quod Joannes Chryſoſtomus ſermone homiliatico expoſuerat*. Et quòd aut Sanctus Lucas, aut Sanctus Barnabas, aut certè Sanctus Clemens Romanus Apoſtolicam ad Hebræos epiſtolam ex Hebræa fecerit Græcam, eſt conſtans antiquorum traditio. Et certè Sanctum Barnabam fuiſſe virum Spiritu Sancto plenum teſtatur Lucas in Apoſtolorum Actis. Quare tales Interpretes omninò ſunt interpretati ex chariſmate. Quòd etiam ſeptuaginta Interpretes habuerint eandem gratiam, affirmant plures è Sanctis Patribus. Cur igitur ipſam negemus aut Glauciæ, aut Tertio? Certè illi per Apoſtolorum manus fuerunt baptizati & confirmati, ideoque etiam acceperunt chariſmata. An Glaucias poſtmodò apoſtataverit, iterum fateor me ignorare. Si apoſtatavit, amiſit chariſmata. Nam & Sanctus Martinus ex Ithaciana communione ad tempus amiſit gratiam miraculorum. Et iſtorum Confeſſorum, qui poſt excifas à Wandalis linguas perrexerunt perfectè loqui, unus in fornicationem lapſus ſtatim obmutuit. Deindè an Sanctus Petrus Marco & Glauciæ ſola ſuarum epiſtolarum Senſa dictarit, illi autem ſtylum dederint, eſt ignotum. Petrus poſſit, uti Paulus epiſtolam ad Hebræos, ſcripſiſſe Hebraicè, & illi tranſtuliſſe in Græcum. Et hinc vides noſtrum Latinum textum, niſi tranſlator etiam habuerit chariſma, non eſſe Divinum primæ claſſis verbum. Sunt tamen authentica Divini verbi Senſa. Et quòd iſte tranſlator non habuerit chariſma, eſt communis omnium ſenſus. An omnes & ſinguli in noſtro Canone libri ſint quoad litteras etiam ac ſyllabas Divini, item an id ad verum Dei verbum ſit penitùs neceſſarium, ſunt alibi diſcutiendæ quæſtiones.

Sed in primis hoc propono: Unum utique & certum aliquid inſtitutum eſſe à Chriſto, &c.

Quidam exiſtimant aliud hic non agi à Septimio, quàm inculcari verbum Apoſtoli: *Una fides*. Simpliciter prædicari Chriſtianæ fidei unitatem. Falluntur. Illius ſcopus eſt amplior. Agit adversùm ſceleratos Gnoſticos, de quibus Sanctus Irenæus: *Quia de cogitatione eorum, qui con-* Lib. 2. cap. 46. *traria opinantur de Patre, nihil apertè, neque in ipſa dictione, neque ſine controverſia in ulla omninò dictum ſit Scriptura, & ipſi teſtantur, dicentes in abſconſo hæc eadem Salvatorem docuiſſe, non omnes, ſed aliquos Diſcipulorum, qui poſſint capere, & per argumenta, & ænigmata, & parabolas ab eo ſignificata intelligentibus*. In alio ſui operis libro affirmat, quod Gnoſtici ſcriptum Dei verbum ſpernerent, ac Evangelicam veritatem garrirent viva dumtaxat voce traditam, atque adjungit: *Ob* Lib. 3. cap. 2. *quam cauſam & Paulus dixit, Sapientiam loquimur inter perfectos*. Et in alio hujus libri capite: *Si* Cap. 3. *recondita Myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter à reliquis perfectos docebant, &c.* Alio in Cap. 13. loco affirmat quoſdam garriviſſe, quòd ſolus ex Apoſtolis Sanctus Paulus agnoviſſet, utique in ſecreto paradiſo traditam ai, authenticam veritatem. Et ipſos inſigniter refutat. Affirmat quòd Sanctus Paulus ſuam aliis etiam Apoſtolis communem ſcientiam ſuis in Epiſcopatu Succeſſoribus plenè ac fideliter tradiderit, & probat ex ejus apud Sanctum Lucam verbis: *Nihil ſubtraxi* Act. 20. *utilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos*. Et pergit: *Sic Apoſtoli ſimpliciter, & nemini invidentes, quæ didicerant ipſi à Domino, hæc omnibus tradebant*. Et Cap. 14. iterùm: *Doctrina Apoſtolorum fuit manifeſta & firma, nihil ſubſtrahens, neque alia quidem in abſcondito, alia verò in manifeſto docentium. Hoc enim fictorum, & prave ſeducentium, & hypocritarum eſt molimen, quemadmodum faciunt hi, qui ſunt à Valentino*. Sceleratum Gnoſticorum Dogma in ſacris utriuſque Teſtamenti litteris nullum habebat fundamentum: Ab ambabus lucidiſſimè deſtruebatur. Hinc illi iſtas litteras blaterarunt

non eſſe ſinceras, ſed diſpenſatorias Dei voces: Chriſtum Dominum, dum ad pupulum concionabatur, ſermones ſuos diſpenſaſſe in judicio ad ejus captum, veritatem autem in ſecrero tradidiſſe ſolis fidis Apoſtolis, ſapienriam inter perfectos. Et Apoſtolos fuiſſe uſos eadem œconomia, ideoque authenticam vetitatem per ſecretum traducem deveniſſe ad ſolos ſpirirales Gnoſticos.

De his ſceleratis nebulonibus pergit Sanctus [Lib. 3. cap. 3.] Irenæus: *Cùm* à ſctipto Dei verbo *ad eam traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur traditioni, dicentes ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſynceram inveniſſe veritatem, Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea, quæ ſunt legalia, Salvatoris verbis, & non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam ipſum Dominum modò quidem à Demiurgo, modò autem à Medietate, interdum autem à Summitate feciſſe ſermones, ſe verò indubitatè, & incontaminatè, & ſyncerè ab-* [Cap. 5.] *ſconditam ſcire myſteriam*. Et rurſùm: *Vaniſſimi Sophiſtæ dicant, quoniam Apoſtoli cum hypocriſi fecerint doctrinam, ſecundùm audientium capacitatem, & reſponſiones ſecandùm interrogantiam ſuſpiciones, cæcis cæca confabulantes, ſecandùm cæcitatem ipſorum, languentibus autem ſecundùm languores ipſorum, & errantibus ſecundùm errorem ipſoram, & putantibus Demiurgam ſolum eſſe Deum, hunc annuntiaſſe. His verò qui innominabilem Patrem capiunt, per parabolas & ænigmata inenarrabile feciſſe myſterium, uti non quemadmodum habet ipſa veritas, ſed & in hypocriſi, & quemadmodum capiebat unuſquiſque, Dominum & Apoſtolos edidiſ-* [Cap. 12.] *ſe magiſterium*. Et iterùm: *Quidam impudentes eorum dicunt, apud Judæos præconantes Apoſtoli non poterant alteram eis Deum annuntiare præter eum, qui creditus fuerat ab eis*. Scelerata Secta garrivit & Dominum & Apoſtolos docuiſſe adverſa & vatia variè; Alia apud plebem & animales, alia apud ſpiritales ac dilectos. Docuiſſe in hypocriſi & mendacio. Horrendam ac nefandam blaſphemiam laudatus Irenæus frequenter ac potenter expugnat. Adversùs eandem hic dicit Tertullianus: *Sed imprimis hoc propono, &c.* Affirmat hoc eſſe, ac eſſe debete primum ac palmare fidei Chriſtianæ fundamentum, quòd Chriſtus Dominus ac ejus Apoſtoli tradiderint unam omnibus fidem, unicam doctrinæ regulam, unicam æternæ vitæ viam, de qua ille dixerit: *Quærite & invenietis*. Et rectè dicit Septimius. Etenim hanc fidem, regulam, & viam debemus ab ipſa Divina Majeſtate, quam videte & alloqui non poſſumus, addiſcere: Addiſcera debemus ab Incarnato, atque ita viſibili Verbo, quod illa à Patre accepta debuit tradere Apoſtolis, atque ita per continuatam Epiſcoporum & Doctorum ſucceſſionem traducere ad finem uſque mundi. Sic explebit ſuum promiſſum: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Si ergo aut ipſe Apoſtolos, aut Apoſtoli nos in hypocriſi & diſpenſatorio mendacio docuerint, fruſtra dictum eſt: *Quærite & invenietis*.

Notanda ſunt verba: *Quod credere omninò debeant nationes*. Affirmant authenticam Evangelii veritarem non huic aut iſti homini, vico, oppido, Civitati, Provinciæ, aut Diœceſi, ſed cunctis totius mundi nationibus eſſe à Deo miſſam, ac eatum ſaluti neceſſariam, ideoque à Domino aut Apoſtolis non potuiſſe tradi variè apud varios, ſed unicam originem ac unicum traducem fuiſſe illi neceſſaria. Quomodo iſte theſaurus poſſit aliter quæri, aut inveniri? Chriſti Domini Dogma non fuiſſet Eſt eſt, Non non, ſed Eſt & Non, atque ita verum fuiſſet ſceleratum Gnoſticorum Dogma, quod garrit omnem hæreſim aut veritatem eſſe, aut certè Domino Deo non diſplicere. Vera fuiſſet & quorundam hodiè Calviniſtarum inſania, quæ garrit unumquemque juſtificari & ſalvari in qualibet fide, ſeu opinione. Hæc verba, *Unius porrò & certi Inſtituti infinita inquiſitio non poteſt eſſe*. Diriguntur etiam in Gnoſticos, qui Chriſti Domini Evangelio, & per ipſum prædicato Demiurgo non contenti, ſemper novos & altiores quæſierunt Æones ac Deos, atque ita ſimplicem ſupremæ Divinitaris Majeſtatem infiniris circumvolvere mendaciis ſunt machinati. Et omnibus ipſam reddere inacceſſibilem. Hinc pergit Septimius: *Quærendum eſt donec invenias*. Utique primum Principium. *Et credendum, ubi inveneris. Et nihil ampliùs, niſi cuſtodiendum quod credidiſti. Dum hoc inſuper credas aliud non eſſe credendum, ideoque nec requirendum, cùm id inveneris & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit*. Ejus porrò fundamentale Inſtitutum eſt primus Symboli articulus: *Credo in unum Deum*. Eſt adeò fundamentale, ut glorioſus Martyr Juſtinus rectè dixerit ſe Chriſto Domino, ſi plures Deos prædicaſſet, non fuiſſe crediturum. Proindè unica in Verbo Incarnato Divinitas eſt abſconditus in hujus mundi agro theſaurus, de quo poſſit accipi Dominicum Dictum: *Quærite & invenietis*.

De hoc quidem ſi qui dubitat, &c.

Hujus mundi ager eſt admodum vaſtus. Hinc quæſtio eſt, in qua ejus parte theſaurus iſte lateat? Quam in regionem ſit ad ipſum inveniendum inſtituenda profectio? An in abyſſum, an in cœlum? Et Doctor reſpondet: *Conſtabit penes nos eſſe id quod à Chriſto eſt inſtitutum*. Reſpondet eſſe in toto terrarum orbe: Verùm non apud Marcionitas, nec apud Valentinianos, nec apud Gnoſticos alios, nec apud ullos hæreticos, ſed apud Catholicam Eccleſiam, quæ inſtitutam à Chriſto Domino veritatem fida & immobili ſucceſſione cuſtodit, prædicat ſine mutatione, & omnibus ſine invidia palàm communicat. Hunc theſaurum ipſa per ſuos Epiſcopos & Doctores accepit à ſuis Majoribus, hi à ſuis Anteceſſoribus, hi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo. Et Tertullianus adjungit: *Interim*

ex

ex fiducia probationis prævenio. Hoc eſt, iſtud jam ſuppono, ſuo loco demonſtraturus. Et hujus meæ promiſſionis habeo firmam fiduciam. Et pergit: *Admonens quoſdam, nihil eſſe quærendum ultra quod crediderunt. Id eſſe quod quærere debuerunt. Ne*, Quærite & invenietis, *ſine diſciplina rationis interpretentur*. Admonet à ſceleratis Gnoſticis in ceſpitationem circumſcriptos Catholicos. Affirmat ſupra Deum cœli & terræ Creatorem, quem illis in Baptiſmo tradidit orthodoxa Mater, non eſſe alium Deum. Huoc eſſe non quærendum ampliùs & inveniendum, ſed jam quæſitum ac inventum theſaurum, ideoque & firmè contra ſceleratos iſtius blaſphemiæ muſſitatores cuſtodiendum. Eos qui altius, aut quodvis aliud quærunt Principium, Dominica verba ſine rationis diſciplina interpretari. Ita ceſpitantes revocat ac firmat.

CAPUT DECIMUM.

Forma etiam quærentibus præſtruenda.

RAtio autem Dicti hujus in his tribus articulis conſiſtit. In re, in tempore, in modo. In re, quid ſit quærendum conſideres. In tempore, ut quando. In modo, ut quouſque. Igitur quærendum eſt quod Chriſtus inſtituit. Utique quando non inveneris. Utique donec invenias. Inveniſti autem, cùm credidiſti. Nam non crediſſes ſi non inveniſſes; ſicut nec quæſiſſes, niſi ut invenires. Ad hoc ergo quæris ut invenias, & ad hoc invenis ut credas. Omnem prolationem quærendi & inveniendi credendo fixiſti. Hunc tibi modum ſtatuit fructus ipſe quærendi. Hanc tibi foſſam determinavit ipſe qui te non vult aliud credere, quàm quod inſtituit, ideoque nec quærere. Cæterùm, ſi quia & alia tanta ab aliis ſunt inſtituta, propterea in tantùm quærere debemus, in quantum poſſumus invenire, ſemper quæremus, & nunquam omninò credemus. Ubi enim erit finis quærendi? Ubi ſtatio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit, *Quærite & invenietis*. Apud Valentinum? Sed & Apelles hac me pronuntiatione pulſabit, & Hebion, & Simon, & omnes ordine non habent aliud, quo ſe mihi inſinuantes, me ſibi addicant. Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior, *Quærite & invenietis*; & velint me ſic eſſe nuſquam, quaſi nunquam apprehenderim illud quod Chriſtus inſtituit, quod quæri oportet, quod credi neceſſe eſt.

SCHOLION.

Ratio autem Dicti hujus, &c.

QUòd Domini verbum, *Quærite & invenietis*, poſſit de Domino Deo ac noſtra in ipſum religione intelligi, admittere pergit Septimius, ac ipſum in hac acceptione exponit. Affirmat ejus rationem in tribus conſiſtere: In re quærenda, in quærendi modo, ac in tempore. *Igitur quærendum eſt quod Chriſtus inſtituit*. Hoc eſt, res quærenda eſt illa religio, quam Chriſtus Dominus, Deus Verbum, ab æterno cum Patre & Spiritu Sancto nobis præfinivit, & quam in tempore factus homo prædicavit. Eſt ea religio & fides, quam Apoſtoli acceperunt à Chriſto, Chriſtus à Deo. At verò quærendi tempus eſt, *quando non inveneris*. Quando necdum es Eccleſia. Quando adhuc es in paganiſmo aut Judaiſmo: Quando adhuc vagaris & erras inter hæreſes aut ſchiſmata. *Inveniſti dum credidiſti*. Utique in Eccleſia Catholica, quæ Divinum theſaurum ab Apoſtolis per Chriſtum accepit à Deo. Hic eſt quærendi limes. *Hanc tibi foſ-*

ſam determinavit ipſe, qui te non vult aliud credere, quàm quod inſtituit, ideoque nec quærere. Certaminis locus olim erat foſſa circumſcriptus, quam pugil non poterat excedere. Excedere erat fugere & vinci. Chriſtiani certaminis foſſam Doctor affirmat eſſe Matrem Catholicam, extra cujus fidem quiſquis vel dumtaxat quæſiverit, tranſilivit & cecidit.

Cæterum ſi quia & alia nunta, &c.

Doctor affirmat ac demonſtrat authenticam Chriſti Domini veritatem apud hæreſes non eſſe, ideoque nec poſſe inveniri, ac proindè nec quærendam. Quia nempè hæreticorum Inſtituta ſunt varia: Nec tantùm diverſa, ſed & adverſa. Aliud enim Simon, aliud Ebion, aliud Valentinus, aliud Marcion, aliud Apelles inſtituit, & apud ſe jubet quærendum. Iſtud ipſum promittunt & mandant omnes alii hæretici. Etiam Martinus Lutherus, Joannes Calvinus, Andreas Serveitus, Martinus Bucerus. Omnes clamant: *Quærite apud me & invenietis*. Eſt res ſtulta. Etenim aut omnes audiendi ſunt, aut nullus. Aut quærendum eſt apud omnes, aut apud nullum. Et ſi apud omnes quæſieris, *ubi erit quærendi finis? Ubi credendi ſtatio? Ubi inveniendi expunctio?* Expunctio Doctori eſt idem quod expletio. Familiare illi vocabulum. Emphaſim habent hæc verba: *Et velim me ſic eſſe nuſquam, quaſi nunquam apprehenderim illud quod Chriſtus inſtituit*. Edicunt & damnant avitam omnium hæreticorum impudentiam, quam etiam in Donatiſtis notat Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus:
Lib. 3. *Jam illud quale eſt, quod hominibus Chriſtianis, etiam Clericis, dicitis, Eſtote Chriſtiani? Et cum admiraculo quodam unicuique dicere: Cai, Sei, Caja, Seja, adhuc paganus es, aut pagana? Eum qui ad Deum ſe converſum eſſe profeſſus eſt, paganum vocas? Eum qui à nobis vel à vobis, non in nomine noſtro vel veſtro, ſed in nomine Chriſti tinctus eſt, paganum vocas?* Quod ipſum in eiſdem Donatiſtis frequenter notat ac damnat Sanctus Auguſtinus. Ita ſemper garriverunt, garriunt, ac garrient omnes hæretici. Nam & minutiſſima Luciferi Calaritani Epiſcopi factio garrivit Chriſti Domini hæreditatem, raſam de toto terrarum orbe, eſſe contractam ad ſolam maſtrucam Sardorum. Hinc rectè concludit noſter Doctor: *Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior*. Hoc eſt, nulla, cui me addicam, erit ſtabilis fides, ſed aſſiduè erit de Secta in Sectam vagandum atque errandum. Quare ſtabiliter permanendum eſt in Catholica Eccleſia, ac in ejus per Chriſtum Dominum inſtituto ac prædicato Dogmate.

Beatus Rhenanus, *Ero itaque nuſquam, dum ubique convenior*, legendum exiſtimat: *Et erit ubique nuſquam, dum ubique convenio*, Quærite & invenietis, *& velint ſic nuſquam, quaſi qui nuſquam apprehenderint illud, quod Chriſtus inſtituit*. Et iſtam lectionem probandam ac reſtituendam cenſet eruditus Aurelianenſium Epiſcopus Gabriel Albaſpineos. Et dicit eſſe hunc ſenſum: *Dum tot ac tantis aſſentior quærendum eſſe, quærendi finem non faciam. Quod maximè optant hæretici, uti ſemper quæram cum eis, quaſi nondum repererim quod Chriſtus inſtituit, quod quæri, quod credi neceſſe eſt*. Verùm quomodo dicat de Chriſti Inſtituto Septimius, *Erit ſic nuſquam?* Et quomodo hæretici affirment ipſum eſſe nuſquam? Omnes enim clamant eſſe apud ſe. Sic clamaſſe præſertim Gnoſticos, frequenter affirmat Sanctus Irenæus. Quapropter noſtra lectio eſt legitima, ac retinenda.

CAPUT UNDECIMUM.

Nemo quærit, niſi qui non habuit, aut perdidit.

IMpunè erratur, niſi delinquatur; quamvis errare delinquere eſt. Impunè, inquam, vagatur, qui nihil deſerit. At enim ſi quod debui credere, credidi, & aliud denuò puto requirendum, ſpero utique & aliud eſſe inveniendum, nullo modo ſperaturus iſtud, niſi quia aut non credideram qui videbar credidiſſe, aut deſii credidiſſe. Ita fidem meam deſerens, negator invenior. Semel dixerim. Nemo quærit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat unam ex decem drachmis anus illa, & ideò quærebat: Ubi tamen invenit, quærere deſiit. Panem vicinus non habebat, & ideò pulſabat: Ubi tamen

apertum

Digitized by Google

apertum eſt ei, & accepit, pulſare ceſſavit. Vidua à judice petebat audiri, quia non admittebatur: Sed ubi audita eſt, hactenùs inſtitit. Adeò finis eſt & quærendi, & pulſandi, & petendi. Petenti enim dabitur, inquit, & pulſanti aperietur, & quærenti invenietur. Viderit qui quærit ſemper, quia non invenit. Illic enim quærit ubi non invenietur. Viderit qui ſemper pulſat, quia nunquam aperietur. Illic enim pulſat, ubi nemo eſt. Viderit qui ſemper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit.

SCHOLION.

Impunè erratur, niſi delinquatur.

EST Gnoſticorum, aut potiùs ab ipſis in ceſpitationem circumſcriptorum fidelium objectio, ajens ex reperiendæ, quam ſedulò quis quærit, veritatis ſtudio ac difficultate incurſum errorem eſſe innoxium, ideoque illum, qui ita per omnium hæreſeon Sectas vagatur, apud Divinam miſericordiam eſſe impunem. Reſpondet Septimius iſtud utcumque verum eſſe, *niſi delinquatur*. Et exponit: *Impunè vagatur, qui nihil deſerit*. Reſpondet iſtam ex inquirendæ Religionis ſtudio per varias Sectas vagationem eſſe coram Divina Juſtitia utcumque impunem in homine Pagann, Judæo, Apoſtata, aut Hæretico, qui veritatem aut numquam habuit, aut perdidit, ideoque ipſam quærendo nnn deſerit. At verò in fideli Chriſtiano eſſe manifeſtam prævaricationem. Quia ita fidem meam *deſerens, negator invenior*. Hoc eſt; Deſerens per ceſpitationem. Quia nempè omnis in Fide dubius eſt hæreticus, ideoque & deſertor ac negator. Ita de his dubitantibus etiam ſuprà dixit Septimius: *Ero itaque nuſquam, dum ubique conventor*. Sic & de ſeductis per Marcum Gnoſticum Rhodanenſibus mulieribus ſcripſit Sanctus Irenæus: *Quæ-*
Lib. 1. cap. 9. *dam in totum abſceſſerunt, quædam autem inter utrumque dubitantes, & quod eſt proverbii, paſſæ ſunt, neque intùs neque foris exiſtentes*. Dixi: *Septimius reſpondet utcumque verum eſſe*. Hinc enim adjungit: *Quamvis errare delinquere eſt*. Affirmat quemvis in Religinne errorem eſſa dalictum. Non dumtaxat in Orthodoxo Chriſtiano, ſed etiam in Pagano. Etenim Paganus qui per ignorantiam in hæreſim incidit, ab ipſa accipit leproſam fidem ac leproſum Baptiſma, ideoque licèt non prævaricetur, omninò delinquit. Hinc illi, dum ad Catholicam Matrem venit, pœnitentiæ manus imponitur, & cogitur degere inter Subſtratos.

Perdiderat unam de decem drachmis, &c.

Quòd orthodoxus fidelis de ſua fide nec ceſpitare, nec quærere poſſit, ideoque omnis ceſpitans ſit perfidus ac deſertor, Tertullianus demonſtrat inſignibus ex Evangelio deſumptis exemplis, parabolis, ac teſtimoniis. Et certè perdita per mulierem drachma ſignificat originalem, quæ per Chriſtianam Fidem reperiri ac reparari debet, ab humano genere amiſſam pietatem ac veritatem. Panis, quem nocturnus pulſator ambiebat, quid aliud ſignificat, attamen & docet rem habitam non eſſe de cætero quærendam. Hoc ipſum docet Judici importuna vidua. Quare qui Evangelicam veritatem ſemper quærit, numquam invenit, nec poteſt invenire. Quia qui ipſam ſemper quærit, ſemper de ipſa hæret & dubitat, ideoque non habet, nec niſi firmata mente eſt habiturus, aut inventurus. Audi cauſam: *Illic enim quærit ubi non invenitur*. Quia quærit apud devias Sectas. Iſte enim theſaurus eſt apud ſolam Catholicam Eccleſiam, quæ ipſum fideliter cuſtodiendum accepit ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo. Sanctus JESU Chriſti Spiritus habitat in ſola iſta Eccleſia, ideoque extra ipſam pulſans pulſat ubi nemo eſt, & petit ab eo qui non audit. Quia nempè non audit in iſto loco.

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Si quærendum, à noſtris quærendum eſt, non ab extraneis.

NObis etſi quærendum eſſet, adhuc eſt ſemper, ubi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? Ubi omnia extranea & adverſaria noſtræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis ſervus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus Regibus, donativum & ſtipendium captat? Niſi planè deſertor, & transfuga, & rebellis. Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat; etiam pulſator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa non inimicum illum, licèt durum, judicem interpellabat. Nemo inde inſtrui poteſt, unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro: Idque dumtaxat quod ſalva Regula fidei poteſt in quæſtionem devenire.

SCHOLION.

Nobis etſi quærendum eſſet, &c.

EST locus difficilis: Ob variam ejus lectionem. Etenim Frater Georgius Cappucinus Ambianenſis legit: *Nobis etſi quærendum eſſet, adhuc eſt ſemper, ubi tamen quæri oportet?* At verò Jacobus Pamelius, Nicolans Rigaltius, & alii paſſim legunt: *Nobis etſi quærendum eſſet adhuc & ſemper, ubi tamen quæri oportet?* Landati Georgii lectio videtur melior. Senſus eſt: Nobis pet jam inventam ac profeſſam veritatem Catholicis licèt quærendum adhuc eſſet, eſt autem ſemper, ubi tamen quæri oportet? Verba, *Adhuc eſt ſemper*, eſt parentheſis. Affirmat etiam Catbolicis ſemper quærendum. Quia nempè neceſſatii Evangelicæ veritatis articuli ſunt pauciſſimi, at Theologicæ circa illas quæſtiones ſunt innumeræ, & ex una ſemper generatur alia, ideoque ſemper reſtant plures quærendæ, quàm ſint inventæ. Verùm earum inveſtigatio habere debet tres conditiones. Primò, fieri nequit apud hæreticos. Et hoc multis ratinnibus ac teſtimoniis rectè confirmat Septimius. Et exemplo demonſtravit Sanctus Cyprianus. Etenim ſua circa Baptiſmum dubia non extra Catholicam Matrem venatus eſt, ſed retulit ad plenas ſuæ Diœceſis Synodos, ad Alexandriæ & Antinchiæ Patriarchas, ad Primatem Ponticæ Diœceſeos, ad majores Chriſtianitatis Epiſcnpos & Doctores, & præſertim ad Eccleſiam Romanam. Quæſivit *in noſtro, à noſtris, & de noſtro*. Verba, *Et de noſtro*, continent ſecundam conditinnem. Quia nempè non adversùs noſtrum Dogma poſſumns quærere, ſed de ipſo, utique ad ipſum non evertendum aut circumſcribendum, ſed elucidandum ac roborandum. Hinc ſequitur tertia conditio: *Idque dumtaxat, quod ſalva regula fidei poteſt in quæſtionem devenire*. Per fidei regulam Doctor palàm intelligit Symbolum Apoſtolicum. Lucet ex ſequenti capite. Et ex capite tertio: *Si Martyr lapſus à regula fuerit*. Eundem titnlum Symbolo attribuit in libro de velandis virginibus: Cap. 1. *Regula Fidei una omninò eſt*. Utique regula, quæ credit in nnum Deum Patrem omnipotentem. Et in primo libro adversùs Marcionem affirmat duos Deos à nnbis non poſſe credi, quòd obſtet *regula unum Deum ſiſtens*. Cap. 5. Eodem in libro appellat *Dei regulam*. Cap. 21. Circa quam veritas non poſſit pati adulterium. Et in libro de Monogamia: *Regulam* Cap. 2. *adulterans fidei*. Et in libro de Jejuniis: *Aliquam* Cap. 1. *fidei aut ſpei regulam evertunt*. Hoc eſt, aliquem ſymboli articulum. Eodem modo loquitur Sanctus Irenæus: *Qui regulam veritatis immobilem* Lib. 1. *apud ſe habet, quam per Baptiſmum accepit*. Cap. 1. Et infrà in eodem libro: *Cùm teneamus nos regulam ve-* Cap. 19. *ritatis, id eſt, qua ſit unus Deus omnipotens*. In ſecundo ejuſdem libri capite enumerat omnes & ſingulos iſtius regulæ articulos. Et in quinto Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Quæ à Fidei regula permiſſum eſt facere*. Et in epiſtola ad Diognetum Sanctus Martyr Juſtinus: *Omnia quæ Fidei ſunt, recta & certa agamus regula*. Et infrà: *Extra rectam regulam conſiſtens eſt ſuo ipſius judicio condemnatus*. Utique à Symbo-

lo

lo Apoſtolico lapſus in hæreſim. Plura aliorum Patrum teſtimonia adduxi in præviis Diſſertationibus ad Nicænum Symbolum. Apoſtolicum Symbolum, utpotè veritatis ac Dei regulam, in libro de Velandis Virginibus Doctor affirmat eſſe *immobile ac irreformabile*. Et ad ſuos Montaniſtas ab hæreſi purgandos neſcivit aliud, quàm quòd illi non læderent regulam. Hinc & in præſenti loco rectè ſcribit nihil nobis poſſe in quæſtionem devenire, niſi ſalva regula Fidei.

CAPUT XIII.

Regula Fidei à nullo movenda.

Regula eſt autem Fidei, ut jam hinc quid defendamus, profiteamur; illa ſcilicet qua creditur, Unum omninò Deum eſſe; nec alium præter mundi Conditorem; Qui univerſa de nihilo produxerit, per Verbum ſuum primò omnium emiſſum. Id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè viſum à Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremò delatum ex Spiritu Patris Dei & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum egiſſe JESUM Chriſtum. Exindè prædicaſſe novam legem, & novam promiſſionem Regni Cœlorum, virtutes feciſſe. Fixum cruci, Tertia die reſurrexiſſe. In cœlos ereptum ſediſſe ad dextram Patris. Miſiſſe Vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat. Venturum cum claritate, ad ſumendos Sanctos in vitæ æternæ & promiſſorum cœleſtium fructum, & ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriuſque partis reſuſcitatione, cum carnis reſtitutione.

SCHOLION.

Regula eſt autem Fidei, &c.

Doctor exponit, quid intelligat per Fidei regulam. Affirmat eſſe illam, quæ credit unum omninò Deum eſſe, nec alium præter mundi Conditorem, qui univerſa de nihilo produxerit per Verbum ſuum. Eſſe Apoſtolicum Symbolum, cujus primus articulus eſt: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ*. Eundem articulum eodem modo format Doctor in libro de Velandis Virginibus: *Regula credendi*
Cap. 1. *in unicum Deum omnipotentem, mundi Conditorem*. Et in primo adversùs Marcionem libro: *Regula*
Cap. 5. *unum Deum ſiſtens*. Originale Apoſtolorum Symbolum habet: *Credo in Deum*. Apoſtoli non poſuerunt: *In unum*. Quòd nempè ſcelerata duplicis Divinitatis fabula necdum erupiſſet. Adversùs illam Orientalis Eccleſia adjecit: *In unum*. Ita in Symboli expoſitionem teſtatur Presbyter Ruffinus. Et pluribus teſtimoniis iſtud ipſum oſtendi in Scholiis ad Nicænum Symbolum. Iſtud ipſum fecerunt etiam quędam Latinę Eccleſiæ. Et inter has fuiſſe omnem Africanam, docent adducta loca Tertulliani. Iſtud ipſum feciſſe Lugdunenſem ac omnem Rhodanenſem in Gallia Eccleſiam, perſuadent plura loca Sancti Irenæi. Etenim habet in primi libri primo capite: *Firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem*. Et in ſecundo capite: *Eccleſia ab Apoſtolis accepit eam Fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem*. Et in capite decimonono: *Teneamus regulam veritatis, id eſt, quia ſit unus Deus omnipotens*. Et in ſecundi libri capite quadrageſimo tertio: *Fides quæ eſt in unum Deum, qui fecit omnia*. Et in tertii libri tertio capite: *Traditio annuntians unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ*. Et in quarti libri capite quadrageſimo quinto: *Fides quæ eſt in unum Deum, qui fecit omnia*. Et in capite ſexageſimo ſecundo: *Fides integra quæ eſt in unum Deum omnipotentem, ex quo omnia*. Hæc omnia loca manifeſtè laudant formulam Lugdunenſis Symboli. Et ſanè Rhodanenſis Eccleſia fuit admodum corrupta per Gnoſticos. Hinc ad ipſam corrigendam, & peſtem penitùs eliminandam, aut ipſe Irenæus, aut ejus Anteceſſor Sanctus Photinus appoſuit vocem, *Unum*. Inſigniter id confirmatur ex Vaurenſi Synodo, quam quartidecimi ſæculi anno ſexageſimo octavo celebrarunt ex Urbani quinti Pontificis juſſu Petrus Narbonenſis Archi-

Epiſcopns, Gaffredus Tholoſanns, & Pbilippus Soricinii Abbas, Legstus & Vicarius Arnsldi Archi-Epiſcopi Auxitani. Primus Canon adducit ac exponit Apoſtolicum Symbolum, & ipſi aſſignat bnne primum arriculum: *Credo in aunm Deum*. Nempè à Sancto Photino indnctum additamentnm ad iſta uſqne rempora permanſit apud Rhodanenſes ac vicinas Eccleſias. Res digna admirarione.

Additamenti primum authorem ac radicem videtur edicere laudatus Irenæus: *Sub boc igitur* Lib. 3. cap. 3. *Romanorum Epiſcopo Clemente, diſſenſione non modica inter eos, qui Corintbi eſſent, fratres facta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corintbiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quàm in recenti ab Apoſtolis acceperant traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ*. Scelerata Gnoſticorum factio fœdarat ac lacerarat Corinthiorum Eccleſiam. Hanc enim ad contentiones, ſchiſmsra, & hæreſes fuiſſe proclivem, demonſtranr ad ipſsm litteræ Sancti Pauli Apoſtoli. Quæ hic in priori epiſtola diſputat pro carnis reſurrectione, omninò diſputat adversùm Gnoſticos. Reſuſcitatam ſub Clemente quæſtionem fuiſſe duram ac fœdam, demonſtrat laudata Ssncti Clementis ac Romanæ Eccleſiæ epiſtola. Er hæc illic repsravit Fidem, quæ *recenter ab Apoſtolis accepta annuntiabat unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ*. Palàm reparavit adversùm Gnoſticos, duplicis Divinitatis fabulatores, blaſphemantes mundum hunc non à Deo ſummo & vero creatum, ſed ab alio Principio. Adversùm eos non ſolummodò reparavit traditum ab Apoſtolis Symbolum, ſed & munivit addendo vocem, *Unum*. Sic omninò videtur. Er quia ſcelerata Gnoſticorum factio per omnem Orientem præſertim ebulliit, cuncta ejus etiam Eccleſia admiſit iſtud addiramentum. Eadem de cauſa apud nos Latinos admiſerunt Eccleſia Africana se Rbodsnenſis. Forſitan & quædsm aliæ. Et hinc diſcimus dno alia. Primò, quód Achajæ Eccleſia ex iſto tempore ſpectaverit ad Rnmanum Pstriarcbarum. Secundò, quòd moræ circs fidem quæſtiones, ac definitivum de ipſis judicium ſemper ſpectarint ad Carhedram Sancti Petri. Ex Apoſtolico Canone.

Non ſine fundamento addidi: *Forſitan & quædam aliæ*. Etenim in librn de vitanda bæreticorum communione Lucifer Calariranus Epiſcopus, Sardorum Metrnpolita, ſcribit ad Imperatorem Conſtantium: *Quomodo tibi Arii diſcipulo acquieſceremus Chriſtiani, deſerentes Apoſtolicam traditionem, cùm te inveniamus dicere Patrem non eſſe verum Patrem, ſed appellari Patrem? Cùm dicas illum non babere verum Filium, ſed factum eſſe ex nibilo? Sanctum Paracletum Spiritum cùm dicas totidem conſtare ex nibilo? E contrà videamus Apoſtolos crediſſe in unum Deum Patrem omnipotentem, & unicum Filium ejus* JESUM CHRISTUM, *& in ſanctum Paracletum Spiritum*. Arianam Conſtantii hæreſim msnifeſtè revincit ex Apoſtolico Symbolo, & primum ei aſſignat articulum: *Credo in anam Deum*. Exiſtimo additamentum ex Africa deveniſſe in vicinam Sardiniam. Hujus Eccleſia, licèt ad Italicam ſpectaret Diœceſim, ſemper plurimum communicavir Africæ. Attamen vox, *Unum*, poſſit à Lucifero adduci non ex ipſa Symboli formula, ſed gratia explicationis.

Er hinc lucet Apoſtolicum Symbolum apud omnes Eccleſias non eſſe ex integro Apoſtolicum, ſed quædam hinc inde verba, imò & quoſdam articulos eſſe ipſi poſtmodo adjectos. Rationem dat in iſtius Symboli expoſitione Ruffinus Presbyter Eccleſiæ Aquilejenſis: *Priuſquam incipiam de ipſis ſermonum virtutibus diſputare, illud non importunè commonendum puto, quod in diverſis Eccleſiis aliquain bis verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen urbis Romæ boc non deprebenditur factum. Quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque bæreſis ulla illic ſumpſit exordium: Et mos ibi ſervatur antiquus, eos qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publicè, id eſt, fidelium populo audiente, Symbolum reddere. Et utique additionem unius ſaltem ſermonis, eorum qui præceſſerune in fide, non admittit auditus. In cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos bæreticos addita quædam videntur, per quæ novellę doctrinæ ſenſus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem ſequemur, quem in Aquilejenſi Eccleſia per Lavacri gratiam ſuſcepimus*. Profitetur Aquilejenſis Eccleſiæ Symbolum quoad quædam differre à Symbolo aliarum Eccleſisrum. Etiam in Catholicæ Fidei epiſtola qua tria Chalcedonenſis Concilii famoſa Capitula ſtudet firmare, Facundus Hermianenſis Epiſcopus affirmat quaſdam Apoſtolici Symboli voces, ac etiam srticulos eſſe originales ac fundamentales, utique rraditos ab ipſis Apoſtolis; alios eſſe adjectirios. Et inrer fundamentales ponit hunc; *Venturus eſt judicare vivos & mortuos*.

Quæſtio eſt, An & hæ verba, *Creatorem cœli & terrę*, ſint ab Apoſtolis, an poſterius additamenrum? Eſſe additamentum affirmat in libello de tribus Symbolis Gersrdus Joannes Voſſius, licèt hæreticus, aut certè inter hæreticos victitans, eruditus tamen ac modeſtus. Differt. 1. cap. 31.
Er fundat ſe in dnobus. Primò, quòd Presbyter Ruffinus iſta verba in Aquilejenſi Symbolo nec habeat, nec explicet, nec moneat ipſa addi in Romano. Secundò, quia Novatisnus, Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ſuum de ſsncta Trinitate librum inchoet bis verbis: *Regula exigit veritatis, ut primò omnium credamus in Deum Patrem, & Dominum omnipotentem, id eſt, rerum omnium perfectiſſimum Conditorem*. Per veritatis regulam msnifeſtè intelligitur Apoſtolicum Symbolum. Liber iſte prodiit ad ipſum elucidandum. Et iſta regula jubet *non in unum Deum*, ſed credi *in Deum*. Quòd nempè Romana Eccleſia, utporè puriſſima ab erroribus, nullum olim admiſerit Symboli addiramentum. Porrò dictus Gerardus pergit: *Non eam* Omnipotentis *interpretationem addidiſſet Novatianus, ſi in regula fidei, ſive Symbolo tum omninò ſubjici hæc verba ſolerent*. Utique verba: *Creatorem cœli & terrę*. Addit & tertium fundamen-

Digitized by Google

mentum: *Nan habentur etiam in Symbolo Nicęno*. Proindè Voſſius affirmat dun. Primò, quod iſta verba non ſint ab Apoſtnlis. Deindè, quòd Romana Eccleſiæ olim ipſa non habuerit in ſuo Symbolo. Et ſanè poſterior aſſertio, ſi vera ſit, valdè rnborat primam. Er iſtam tradere videtur in dogmatica, qna Chalcedonenſem Synodum inſtruxir, epiſtnlam etiam Sanctus Papa Leo Magnus: Epiſt. 10 cap. 2. *Eutyches illam ſaltem communem & indiſcretam confeſſionem ſollicita apprehendiſſet auditu, qua Fidelium univerſitas profitetur ſe credere in Deum Patrem omnipotentem, & in* JESUM *Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu Sancta ex Virgine Maria*. Hæc omninò videntur eſſe formalia verba Romani Symboli. Divina iſta epiſtola fuit paſſa borrendas contradictiones & calumnias: Ab Eutychianis rietata in ſingulis verbis. Prima calumnia fuit in jam adducta verba: *Huic Capitulo ob id iſte*, utique neſcio quis Eutychianus, *calumniatur, cur non dixerit*, In unum Deum Patrem, & In unum JESUM Chriſtum Filium, *juxta Nicæni Decreta Concilii*. Er erudisus & antiquus, quem aliqui fuiſſe Tridentinum Epiſcopum malè cenſent, Lib. 4. Scriptor Vigilius reſpondet: *Sed Romæ, & antequam Nicæna Synodus conveniret, à temporibus Apoſtolorum uſque nunc ita Fidelibus Symbolum traditur. Nec præjudicant verba, ubi ſenſus incolumis permanet*. Affirmat tria. Primò, qnod Romanæ Eccleſiæ Symbolum ſit verè Apoſtolicum. Secundò, quòd iſta Eccleſia ad iſta uſque tempora nullum ſuſtinuerit admittere additamentum. Nec uniusvnculæ. Licèt Nicænæ. Ob rationem adductam à Ruffino. Tertiò dicit, qnòd iſta Leonis verba ſint ipſiſſima Romani Symboli formula. Quæ ejus aſſertio magis lucet ex his verbis: *Cur non ſimili dementia reprebendit quod Leo ait*, Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, *quomodo hoc verbum Nicęna Synodus non poſuit, & ut illi placet, hoc verbum profiteri debemus, quòd ibi ſcriptam invenerimus?* Iſte calumniator fuit homo Græcus. Porrò Græca Eccleſia poſt Nicænam Synodum deſeruit Apoſtolicum Symbolum, & introduxit Nicænum, aut certè per ejus additamenta auxit Apoſtolicum. Iſte loquax hoc factum voluit etiam in Romana Eccleſia: Hinc Magnum Leonem arguit de prævaricatu Nicæni Concilii. Et Vigilius reſpondit Romanam Eccleſiam permanere in Apoſtolicis verbis, ac inter ipſa eſſe non tantùm hæc, *Natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, ſed & omnia adducta per laudatam Leonis epiſtolam. Accedit & aliud fortiſſimum argumentum. Marcellus Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita, dum ab Arianis damnatus appellavit Sedem Apoſtolicam, coram Sancto Papa Julio fecit ex more profeſſionem Fidei. Profeſſus eſt Apoſtolicum Symbolum. Et ipſum de verbo ad verbum ſuo Panario inſeruit Sanctus Epiphanius. Et hic eſt Hæreſ. 72. cap. 3. primus articulus: *Credo in Deum omnipotentem*. De cœli & terræ Creatore nulla fit mentio.

Reſpondeo hæc eſſe intricata. Et ſanè adducta argumenta potenter ſuadent iſta verba olim non fuiſſe in Romano Symbolo, ideoque non eſſe Apoſtolica. At verò eſſe Apoſtolica, & ſemper fuiſſe in iſto Symbolo, fortiſſimè ſuadet Sanctus Irenæus. Etenim disertè affirmat, quòd Sanctus Clemens apud Corinthios reparavit Apoſtolicam traditionem, ſeu ab Apoſtolis traditam regulam, quæ annunciat unum Deum omnipotentem, *Factorem Cœli & terræ*. Etiam in alio loco ſcribit: *Veritatis prædicatores, & Apoſtoli libertatis nominaverunt ſolum Deum Patrem, Factorem Cœli & terræ*. Lib. 3. cap. 16. Et iterùm: *Gentes catechizabat Apoſtolus Paulus diſcedere ab idolorum ſuperſtitione, & unum Deum colere, factorem Cœli & terræ*. Lib. 4. cap. 41. Catechizabat tradendo Symbolum. Et hæc verba nos docent rationem, ex qua Apoſtoli iſta verba ſymbolo indiderunt. Nempè ut gentes docerent non ampliùs in idolis, defunctis hominibus, Dæmoniis, aut ulla creatura hærere per ſervitutem, ſed credere & ſperare in Deum vivum ac verum, Creatorem Cœli & terræ. Vocem, *Omnipotentem*, direxerunt in gentium Philoſophos, etiam Platonicos. Nam & hi, licèt veram Dei Majeſtatem agnoverint, affirmant tamen operari non poſſe niſi ex infecta & coæterna materia, nec aliquid poſſe ultra terminos & vires naturæ. Adversùm hos errores voluerunt Apoſtoli à gentibus fieri profeſſionem Divinæ omnipotentiæ. Quòd verba, *Creatorem Cœli & terræ*, ſint verè Apoſtolica valdè confirmat Conſtantinopolitana Synodus, quæ illa à Nicæno Concilio prætermiſſa repoſuit in ſuum ſymbolum. Haud dubiè ex Apoſtolico. Eadem verba habet Eccleſia Mediolanenſis, quam fundavit & docuit Sanctus Barnabas Apoſtolus. Omne enim ejus ſymbolum ita recitat ac explanat Sanctus Ambroſius. Et Barnabas omninò docuit ad ritum Sancti Petri. Et quòd omnes Italicæ Eccleſiæ olim habuerint eundem ritum, adeoque & idem ſymbolum, disertè affirmat Sanctus Innocentius primus Pontifex in litteris ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Et certè in ſuis litteris Sanctus Leo potuit compendii ergo iſta verba prætermiſiſſe. Et hoc ſtrenuè inſinuat adductus Novatiani locus. Certum eſt, quòd Novatianus per veritatis regulam intelligat Apoſtolicum Symbolum. Nam & ipſà ſcribit: *Eadem regula veritatis docet nos credere poſt Patrem etiam in Filium Dei* CHRISTUM JESUM, *Dominum Deum noſtrum*. Et iterùm: *Ordo rationis & fidei authoritas admonet nos credere etiam in Spiritum Sanctum*. Cap. 9. Apoſtolicum Symbolum, quod dixit veritatis regulam, jam dicit fidei authoritatem. Grandes tituli. Porrò ejus formalia verba non recitat, ſed & addit & variat. Proindè hæc verba, id eſt, *Rerum omnium perfectiſſimum conditorem*, videntur non commentarius eſſe, ſed textus paraphraſis. Quod ipſum ſuadent & hæc verba: *Credere in Dei Filium, hujus Dei, qui & unus & ſolus eſt, Conditor ſcilicet omnium rerum*. Videntur textum reſpicere. Eſt res uſque nunc mihi incerta. Quidquid ſit, iſta verba non habuit Aquilejenſe ſymbolum. Etenim integrum de verbo ad verbum Ruffinus ſuo libro indidit.

Digitized by Google

dit. Et illic non apparent iſta verba. Hinc & ipſa ille non expoſuit.

Altera quæſtio eſt, An iſta verba babuerit Africanum ſymbolum? Er videtur non habuiſſe. Etenim Eccleſia hæc non ab ipſis Apoſtolis fidem accepit, ſed à Romana Carhedra. Ita variis in locis affirmat Sanctus Auguſtinua. Proindè hæc Cathedra illi ſymbolum tradidit ſine iſtis veibis. Et certè Sanctus Auguſtinus quinque libris expoſuit Apoſtolicum Symbolum, & nullibi habet iſta verba. Habet hæc ſola: *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Eadem ſola babet ſermo ſeptuageſimus quintus de Diverſis, qui verè ac manifeſtè eſt Auguſtinianus. Et adjungit pro commentario: *Inviſibilem, immortalem, Regem Sanctorum, viſibilium & inviſibilium Creatorem*. Etiam ſymbolum, quod in ſuperiùs memorata fidei Catholicæ apiſtola adducit Facundus Hermianenſis Epiſcopus, babet hæc ſola verba: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem*. Reſpondeo tamen illa verba omninò fuiſſe in Africano olim ſymbolo. Lucet ex Sancto Cypriano, qui ad Jubajanum Epiſcopum ſcribit apud Marcionitas non eſſe verum Baptiſma, & addit cauſam: *Numquid Marcion eundem aſſerit, quem & nos,*
Epiſt. 73. *Patrem Creatorem?* Et infrà: *Qua poteſtate conſequi in Baptiſmo remiſſionem peccatorum poteſt, negant Deum Creatorem Patrem Chriſti?* Palàm alludit ad ſymbolum, quod ſuis Competentibus tunc tradebat Africana Eccleſia. Et in præſenti loco Tertullianus diſertè affirmat à regula prædicari unum Deum, nec alium *præter mundi Conditorem*. Et in libro de velandis virginibus ſcribit ex regula credi in unum Deum omnipotentem, *mundi Conditorem*. At verò & hujus rei authoritas Africanis omninò fuit à Romana Eccleſia. Atque ita hæc teſtimonia fortiter ſuadent iſta verba olim non defuiſſe Romano ſymbolo. Accedit & Sancti Auguſtini authoritas. Etenim in Enchiridio affirmat Fidei ſymbolum, quia cunctis neceſſarium ad ſalutem, eſſe ac debere eſſe breviſſimum, ac ſtatim adjungit: *Quæritur*
Cap. 7. *quid credendum ſit, quod ad religionem pertineat?* Hoc eſt, qui ſint articuli contenti in ſymbolo? Et reſpondet: *Satis eſt Chriſtiano rerum creatarum cauſam, ſive cæleſtium, ſive terreſtrium, ſive viſibilium, ſive inviſibilium, nonniſi bonitatem credere Creatoris, qui unus & verus eſt Deus*. Videtur aſſerere, quòd hæc omnia ſint expreſſa in primo articulo. Et in tertio libro de ſymbolo ad Catechumenos ſic format primum articulum: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, &c.* Quæ vox non reſpicit ſequentem articulum, ſed primi articuli ſupplementum. Lucet ex alia ejuſdem articuli relatione: *Credamus in Deum Patrem omnipotentem, univerſorum Creatorem*. Quæ poſteriora verba non eſſe commentarium, ſed textum, cenſuerunt olim noſtri Majores Lovanienſes. Quare ea verba videtur Auguſtinus compendii gratia alibi prætermiſiſſe. Et an iſta, non autem hæc verba, *Creatorem Cæli & terræ*, fuerint in Africano ſymbolo, ignoro. Quidquid ſit, aliæ etiam præter Aquilejenſem Eccleſiæ iſta verba non habuerunt. Etenim apud Sanctum Auguſtinum centeſimus decimus nonus de tempore Sermo recitat totum Symbolum, & illa verba omninò prætermittit. At iſtum Sermonem, licèt eruditum & antiquum, non eſſe verè Auguſtinianum, ſtatim patebit. Quædam iſtum articulum habentes Eccleſiæ, *Creatorem Cæli & terræ*, quædam olim legerunt, *Factorem Cæli & terræ*. Eum aſſumpſerunt contra blaſphemias Gnoſticorum.

Hic articulus accepit & aliod additamentum, de quo Presbyrer Ruffinus: *His additur*, Inviſibilem & impaſſibilem. *Sciendum quod duo iſti ſermones in Eccleſiæ Romanæ Symbolo non habentur. Conſtat autem apud nos additos hæreſeos cauſa Sabellii, illius profectò quæ & Patris Paſſiana appellatur, id eſt, quæ Patrem ipſum vel ex Virgine natum dicit, & viſibilem factum, vel paſſum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas à Patre, videntur hæc addidiſſe Majores, & inviſibilem Patrem atque impaſſibilem dixiſſe*. Ejuſdem additionis meminit Eraſmus in Reſponſione ad cenſuram Theologorum Pariſienſium: *In priori articulo Orientales Eccleſiæ non ſolùm legunt, In Deo Patre omnipotente, ſed addunt, Inviſibili & impaſſibili*. Aquilejenſis Eccleſiæ additamentum adſcribit Eccleſiæ Orientali. Nullo nixus fundamento. Ita ſolet iſte Litterio circa Eccleſiaſticam Antiquitatem deviare. Alter ejus error eſt, quòd dicat Eccleſiam Orientalem etiam dicere: *Credo in Deo Patre omnipotente*. Etenim & Nicænum & Conſtantinopolitanum, & varia Arianarum factionum ſymbola conſtantiſſimè habent: *In Deum*. Et quis neſciat primum omnium iſtorum fontem eſſe Apoſtolicum ſymbolum? Quidam Ruffini Presbyteri Codices olim omninò habuerunt, *In Deo Patre omnipotente*. Et hinc ſcribit Gerardus Joannes Voſſius: *Quod non gravi ſatis cauſa Pamelius in accuſandi caſum immutavit*. Verùm quòd meliores antiqui Codices conſtanter habeant, *Credo in Deum*, demonſtrant idem Jacobus Pamelius, ac Nicolaus Rigaltius.

Secundus Symboli articulus eſt: *Et in* JESUM CHRISTUM, *Filium ejus unicum, Dominum noſtrum*. Præfatus Voſſius ſcribit: *Alterum Symboli caput vulgò ſic habet, Et in* JESUM CHRISTUM *Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum. Et eadem mente Aquilejenſe. Et in* CHRISTUM JESUM *unicum Filium ejus, Dominum noſtrum*. Verùm quæ editio ita vulgò legat, ignoro. Nam & Mediolanenſis Eccleſia legit eodem modo, quo Romana. Lucet ex Symbolo, quod commentatus fuit Sanctus Ambroſius. Ruffinus Presbyter adjungit: *Orientalis Eccleſiæ omnes ita tradunt*; Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem. *Et rurſum in ſequenti ſermone, ubi nos dicimus*. Et in JESUM CHRISTUM, unicum Filium ejus, Dominum noſtrum, *illi tradunt*: Et in unum Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, Filium ejus. *Unum ſcilicet Deum, & unum Dominum, ſecundùm authoritatem Pauli Apoſtoli, profitentes*. Quod additamentum multis in locis laudat etiam Sanctus Irenæus. In primi

libri

libri primo capite : *Qui firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem , & in unum* JESUM CHRISTUM *Filium Dei conſervant*. Et in ſecundo capite : *Eccleſia ab Apoſtolis accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem , qui fecit Cœlum & terram , & in unum* JESUM CRISTUM *Filium Dei*. Et in tertii libri decimo octavo capite affirmat à Sancto Paulo Apoſtolo prædicari *Unum* JESUM CHRISTUM , *Dominum noſtrum*. Quare & Rhodanenſis Eccleſia videtur iſtud additamentum habuiſſe. Neque miteris. Etenim & Sanctus Irenæus, & ejus Anteceſſor Sanctus Photinus fuerunt viri Græci , & ex Orientali Eccleſia venerunt in Galliam. Et Irenæum Sancto Polycarpo, qui Smyrnenſis Epiſcopus luxit toti Aſianæ Eccleſiæ, fuiſſe familia- Lib. 5. cap. 19. rem affirmat in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſaræenſis. Et hinc inter Rhodanenſem ac Aſiaticam Eccleſiam ſumma olim fuit amicitia, & per litteras ac relationes communicatio. Poſſit Photinus iſtud ſymboli additamentum ex Aſia ſecum detuliſſe in Galliam.

Additamenti originem edicit in prima ſua epiſtola Sanctus Joannes Apoſtolus, ſcribens illos, qui ſolvunt JESUM, eſſe Anti-Chriſtos. Anti-Chriſtianæ ſolutionis anthores fuerunt Cerio- Lib. 5. cap. 25 thus ac Ebion, de quibus laudatus Irenæus : *Cerinthus quidam ex Aſia docuit* JESUM *fuiſſe Joſeph & Mariæ Filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines, & plus potuiſſe juſtitia, & prudentia, & ſapientia præ omnibus, & poſt Baptiſmum in eum deſcendiſſe Chriſtum ab ea Principalitate, quæ eſt ſuper omnia, figura columbæ, & tunc annuntiaſſe incognitum Patrem, & virtutes perfeciſſe, in fine autem revolaſſe iterum Chriſtum de Jeſu, & Jeſum paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritalem*. Eandem blaſphemiam placuiſſe Gnoſticis, & ab ipſorum variis fuiſſe variè variatam, idem Irenæus frequenter demonſtrat. Porrò adversùs graſſantem in Aſia Cerinthum Sanctus Joannes Apoſtolus, qui cunctas Aſiæ fundavit & rexit Eccleſias, ſcripſit ſuum Evangelium, eundemque manifeſtè invadit in prima ſua epiſtola. Quod primum Evangelii caput in Cerinthum tendat, ac ejus de Divini Verbi & æterna & temporali generatione blaſphemias excidat, demonſtrat Lib. 3. c. 8 & l. 5. c. 18. idem Irenæus. Et adjungit quòd Apoſtolus cum illo nec lavari, aut eodem uti balneo ſuſtinuerit. Et adversùs illum ac ejus ſectatores omninò Lib. 3. cap. 3. ſcripſit etiam in ſecunda epiſtola : *Nec Ave ei dixeritis*. Quare adversùs eundem poſſit appoſuiſſe ſymbolo : *Et in unum Jeſum Chriſtum*. Omnem Fidelem quotidiè profiteri voluit, quòd Jeſus & Chriſtus ſint unus & idem. Et quia ſceleratum Dogma per numeroſos Gnoſticos ſerpſit per omnem Orientem, cuncta hujus Eccleſia probavit additamentum, atque admiſit. Etiam per eoſdem ſcorpiones infecta fuit Rhodanenſis Eccleſia. Eundem errorem notat & damnat in prima ſua epiſtola Sanctus Petrus Apoſtolus : *Chri-* Cap. 4. *ſto igitur paſſo in carne*. Affirmat non ſolùm Jeſum fuiſſe paſſum, ſed & Chriſtum, ideoque hunc à paſſuro Jeſu non avolaſſe. Per Chriſtum intelligitur Deus Verbum, qui aſſumpto homini Jeſu fuit Chriſma, ſeu Divina Unctio. Et hinc Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in libris adversùm hæreticos, quos in ſua Bibliotheca Photius redegit in compendium, inter has propoſitiones, *Deus eſt paſſus, Chriſtus eſt paſſus*, diſtinguens, Lib. 46. & ſolam poſteriorem admittens ut veram, fuit inſigniter hallucinatus. Sanctus namque Petrus Apoſtolus per Chriſtum omninò intellexit Deum Verbum. Adversùs iſtam Cerinthi, Ebionis, ac Gnoſticorum blaſphemiam ſcribit de Deo Verbo hic etiam Tertullianus : *Carnem factam in utero ejus*. Affirmat ac profitetur Chriſtum ſeu Deum Verbum non dumtaxat in Baptiſmo, ſed in ipſo Virginis utero deſcendiſſe in Jeſum, ac ſemper manſiſſe. Hinc adjungit : *Fixum Cruci, tertia die reſurrexiſſe*. Utique verbum, per quod Deus Pater *universa de nihilo produxit*, quod appellatum fuit ejus Filius, quod in ejus nomine fuit variè viſum à Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum. Quæ profeſſio palàm evertit etiam errorem Theodoreti.

Tertium hujus ſymboli additamentum laudat iterùm Ruffinus Presbyter, veram veræ Carnis reſurrectionem multis prædicans, atque adjungens : *Et ideò ſatis cauta & provida adjectione fidem ſymboli Eccleſia noſtra docet, quæ in eo, quod à cæteris traditur*, Carnis reſurrectionem, *uno addito pronomine tradit*, Hujus carnis reſurrectionem. *Hujus ſine dubio, quam is, qui profitetur, ſignaculo Crucis fronti impoſito contingit, quò ſciat unuſquiſque Fidelium carnem ſuam, ſi mundam ſervaverit à peccato, futuram eſſe vas honoris, utile Domino ad omne opus bonum paratum, ſi verò contaminata fuerit in peccatis, futuram eſſe vas iræ ad interitum*. An Aquilejenſis Eccleſiæ iſtud additamentum ipſa fecerit, an verò acceperit ab Orientali Eccleſia, ignoro. Etiam ignoro additamenti cauſam. Poſſit fuiſſe factum & contra Gnoſticos, & contra Origeniſtas.

Notanda ſunt Ruffini verba : *Quam is, qui profitetur, ſignaculo Crucis fronti impoſito contingit*. Elucidat in ſua adversùs Sanctum Hieronymum Invectiva ipſe Ruffinus, Carnis reſurrectionem operosè prædicans, ſeſe expurgans ab Origenis erroribus, atque adjungens : *Ad majorem rei fidem addo aliquid amplius, & calumnioſorum neceſſitate compulſus ſingulare & præcipuum Eccleſiæ noſtræ myſterium pando. Etenim cùm omnes Eccleſiæ Sacramentum Symboli tradant, ut poſtquam dixerint*, Peccatorum remiſſionem, *addant*, Carnis reſurrectionem, *ſancta Aquilejenſis Eccleſia, Dei Spiritu futuras adversùm nos calumnias prævidente, ubi tradit Carnis reſurrectionem, addit unius pronominis ſyllabam, & pro eo quod cæteri dicunt*, Carnis reſurrectionem, *nos dicimus* : Hujus carnis reſurrectionem. *Quò ſcilicet frontem, ut mos eſt, in fine Symboli ſignaculo contingentes, & ore carnis hujus, ſcilicet quam contingimus, reſurrectionem fatentes, omnem venenatæ adversùm nos linguæ calumniandi aditum præſtruamus*. Diſcimus hinc tria. Primò, quòd iſtud additamen-

tum videatur fuiſſe proptium ſoli Aquilejenſi Eccleſiæ. Ita ſuadent advetſativæ voces: *Singulare & præcipuum Eccleſiæ noſtræ myſterium. Cum omnes Eccleſiæ.* An tamen per omnes Eccleſias iutelligantur etiam Orientales, non eſt manifeſtum. Secundò diſcimus, quòd ad recitati Symboli finem fideles tunc ſolerent ſe cruce ſignare. Tertiò, quòd iſtud fieret ad articulum de carnis reſurrectione, adeoque quod is eſſet poſtremus ſymboli articulus. Proindè articulus de vita æterna eſt poſtmodò adjectus. Nam & in præſenti loco, ac etiam in libro de velandis virginibus Tertullianus lucidè affirmat carnis reſurrectionem eſſe ultimum articulum. Et apud Aquilejenſes ita adhuc permanebat tempore Ruffini. Sic et jam fuiſſe in Hieroſolymitana Eccleſia affirmare videtur iu litteris ad Pammachium Sanctus Hieronymus: *In ſymbolo Fidei, & ſpei noſtræ, quod*
Ep. 61. cap. 9. *ab Apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus, poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ omne Chriſtiani Dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur.* Etiam apud Sanctum Auguſtinum ſermo centeſimus decimus nonus de tempore manifeſtè affirmat ultimum Apoſtolici ſymboli articulum fuiſſe de reſurrectione Carnis. Et hinc in Ruffini opuſculo, ubi hodie legimus, *Sed & ulterius iſte ſermo, qui reſurrectionem prænuntiat, Summam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit*, olim legebatur, *Ultimus ſermo*. Quæ lectio videtur fuiſſe anthentica.

Quæſtio eſt, Quis articulum de vita æterna appoſuerit? Et ex qua occaſione? Reſpondeo additamentum eſſe antiquiſſimum. Etenim ipſum in ſymbolo, quod Catechumenis expoſuerunt ac tradiderunt; palàm habent Sanctus Ambroſius ac Sanctus Auguſtinus. Etiam ſymbolum, quod coram Sancto Papa Julio profeſſus fuit Marcellus Ancyræ Epiſcopus. Et in epiſtola ad Ma-
Ep. 76. gnum ſcribit Sanctus Cyprianus: *Quid ſi aliquis illud opponat, ut dicat Novatianum eandem legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem ſymbolo, quo & nos baptizare. Eundem noſſe Deum Patrem, eundem Filium Chriſtum, eundem Spiritum Sanctum, ac propter hoc eum uſurpare poteſtatem baptizandi poſſe, quòd videatur in interrogatione Baptiſmi à nobis non diſcrepare. Sciat quiſquis hoc opponendum putat, primùm non eſſe unum nobis & Schiſmaticis ſymboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt*, Credis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam, *mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Eccleſiam.* Clariùs loquitur iu Synodali
Ep. 70 epiſtola ad Numidiæ Epiſcopos: *Sed & ipſa interrogatio, quæ fit in Baptiſmo, teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus*, Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam, *intelligimus remiſſionem peccatorum nonniſi in Eccleſia dari.* Manifeſtè laudat Apoſtolicum ſymbolum. Manifeſtè affirmat in ipſo contineri articulum de vita æterna. Proindè hic articulus apud Afros adjectus fuit medio tempore inter Tertullianum ac Sanctum Cyprianum. Adjectionis occaſionem ignoro. Forſitan fuerit Platonicorum graſſatus error, garriens etiam juſtorum animas ex cœleſti vita in terrenam, ex terrena in cœleſtem ſemper redire ac eſſe redituras, ideoque verſati in ſempiterna miſeria. Hujuſmodi nugas medio iſto tempore Origenes ſtuduit intrudere in Eccleſiam, blaterans omnium damnatorum, & Angelorum & hominum, pœnas ſuo tempore finiendas, ac iſtos omnes iu Domini Dei gratiam ac Regnum admittendos. Adversùs hanc tanti Doctoris, ne ſimplicem plebem circumſcriberet, pravam prædicationem poſſit iſte articulus fuiſſe adjectus. Hoc non obſcurè indicat in primo libro de ſymbolo ad Catechumenos Sanctus Augu-
ſtinus: *Credimus etiam reſurrectionem Carnis. Quomodò? Ne fortè putes aliquis, quomodò Lazari, ut ſcias non ſic eſſe, additum eſt: In vitam æternam.* Non dicit, *Et vitam æternam*, ſed, *In vitam æternam.* Hoc eſt: *Credo carnis reſurrectionem in vitam æternam.* Manifeſtè contra Platonicos ac Origeniſtas. Alibi tamen legit: *Et vitam æternam.* Et ſic eſt omnino legendum. Deindè, per carnis reſurrectionem, non ſola glorioſa, ſed quævis, etiam pœnalis, reſurrectio intelligitur. Diſertè id docet in libris ſymbolum exponentibus Sanctus Auguſtinus. Et in præſenti capite Septimius dat articulo hanc Paraphraſin: *Facta utriuſque partis reſuſcitatione, cum carnis reſtitutione.* Utriuſque partis, id eſt, juſtorum ac iniquorum. Hinc Coustantinopolitanum ſymbolum, & alii Patres addiderunt: *Vitam æternam.* Quo juſtorum Chriſtianorum ſpem ſingulatiter exprimerent, & ab omnibus facerent diſertè agnoſci & credi. Cap. 9.

Tertullianus nullam hic facit memoriam articuli de deſcenſu ad Inferos. Et Nicolaus Rigaltius commentatur: *Notandum, mentionem non fieri ſepulturæ, neque deſcenſus ad inferos, uti nec in regula, quam Septimius edidit in initio libri de velandis Virginibus. Neque item apud Irenæum. Quaſi mentio Crucis, hoc eſt, mortis, & ſepulturam & deſcenſum ad inferos includat. Cæterùm in libro adversùs Praxeam inter ejuſdem regulæ articulos legitur: Hunc paſſum, hunc mortuum, hunc ſepultum.* Integer hic Tertulliani locus eſt audiendus: *Nos unicum quidem Deum credimus, ſub hac* Cap. 2.
tamen diſpenſatione, quam œconomiam dicimus, ut unici Dei ſit & Filius Sermo ipſius. Hunc miſſum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum, Filium hominis & Filium Dei, & cognominatum JESUM *Chriſtum. Hunc paſſum, hunc mortuum, hunc ſepultum ſecundùm Scripturas, & reſuſcitatum à Patre, & in Cælos reſumptum, ſedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui exindè miſerit à Patre Spiritum Sanctum Paracletum. Hanc regulam ab initio Evangelii decucurriſſe, etiam ante priores quoſque hæreticos, nedum ante Praxeam heſternum.* Hinc diſcimus varia. Primò, quòd iſta credendi regula ſtatim ab ipſo Evangelii exordio decucurrerit. Deindè, quòd ſit prior omnibus hæreticis, ideoque & Simone Mago. Ex hac enim prava radice omnes alii Errones, uti fungi è terra, proruperunt. At

verò

verò Simon ante Apoſtolorum diviſionem fuit à
Philippo Diacono baptizatus, & à Sancto Petro
damnatus, ideoque Presbyter Ruffinus rectè ſcri-
bit iſtud Symbolum ante diviſionem fuiſſe ab
Apoſtolis compoſitum. Tertiò videmus, quòd
Tertullianus denuò hic dicat: *Credimus in unum
Deum*. Ita confirmat ſupra laudatum Africanæ
Eccleſiæ additamentum. Attamen Sanctus Au-
guſtinus conſtanter & ſemper profitetur: *Credo
in Deum Patrem omnipotentem*. Additamentum
videtur poſtmodò ab Afris expunctum. Tertul-
lianus item poſſit vocem *Unum* non quaſi ipſius
ſymboli, ſed explicationis gratia, ſuis Scriptis
appoſuiſſe. Verùm conſtans adeò inſertio ſuadet
aliud.

Quartò diſcimus, quòd Africanum Symbo-
lum omninò habuerit articulum: *Et ſepultus eſt*.
Attamen non habuit articulum: *Deſcendit ad infe-
ros.* Licèt hoc ex adductis Tertulliani locis non
firmetur, firmatur tamen ac lucet ex S. Auguſtini
libro de Fide & Operibus, ubi quibuſdam aſſeren-
tibus Candacis Reginæ Eunuchum dumtaxat di-
xiſſe, *Credo Filium Dei eſſe* JESUM *Chriſtum*, &
ſtatim à Philippo Diacono fuiſſe baptizatum,
Cap. 9. reſpondet: *Num ergò placet, ut hoc ſolùm homines
reſpondeant, & continuò baptizentur, nihil de Spi-
ritu Sancto, nihil de ſancta Eccleſia, nihil de remiſ-
ſione peccatorum, nihil de reſurrectione mortuorum,
poſtremò de ipſo* JESU *Chriſto nihil, niſi quia Fi-
lius Dei eſt, non de incarnatione ejus ex Virgine, de
paſſione, de morte Crucis, de ſepultura, de tertii
diei reſurrectione, de aſcenſione ac ſede ad dexteram
Patris aliquid dicendum eſt catechizanti, ac profi-
tendum credenti*. Affirmat Eunuchum fuiſſe iſta
omnia interrogatum à Philippo, ac ad ſingula
reſpondiſſe. Enumerat ſingulos Apoſtolici Sym-
boli articulos, & omittit articulum: *Deſcendit
ad inferos*. Eundem omittit in ſermonibus duo-
bus de tempore, & in ſermone de Diverſis, ubi
tamen edicit atque exponit plenum Symbolum,
Serm. 119. 123. ſingulos ejus articulos, ſingula verba. Fateor
ſerm. 75. duos priores ſermones non eſſe Sancti Auguſtini.
Quare ex ipſis lucet iſtum articulum etiam apud
alias Eccleſias fuiſſe prætermiſſum. Sanctus Au-
guſtinus etiam in quatuor ad Catechumenos de
Symbolo libris poſt articulum, *Sepultus eſt*, pro-
ximè ſemper ponit: *Tertia die reſurrexit*. Et in
ſecundo libro habet: *Quòd natus ſit de Virgine
Maria, Crucifixus ſub Pontio Pilato, & ſepultus,
Tertia die à mortuis reſurrexit*. Hos dumtaxat ar-
ticulos laudat etiam in libro, quo adhuc Presby-
ter exponit Symbolum. Articulum, *Deſcendit
ad inferos*, nullibi exponit, nullibi memorat.
Nempè Africana Eccleſia fidem & ſymbolum ac-
cepit à Romana, in cujus ſymbolo Ruffinus affir-
mat olim expreſſum non fuiſſe iſtum articulum.
Et adjungit: *Sed neque in Orientis Eccleſiis habetur
hic ſermo. Vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo,
quod ſepultus dicitur.*

Attamen circa adducta ex Sancto Auguſtino te-
ſtimonia oportet quædam animadverti. Primò,
quòd in libro de Fide & operibus affirmet ſingulos
ſymboli articulos Eunuchum fuiſſe interrogatum
à Philippo, & ad ſingulos reſpondiſſe. Et hanc
eſſe traditionem Apoſtolicam. Affirmat ſymbo-
lum eſſe iſto Baptiſmo antiquius. Secundò no-
tanda eſt ratio, ex qua iſti de tempore ſermones
non ſint Auguſtini. Poſterior & quoad ſententiam
& quoad ſtylum eſt ab ipſo alienus. Prior pro ex-
tremo articulo habet *Carnis reſurrectionem*. Lucet
ex ejus ad hunc articulum commentario: *Iſte jam
finis eſt.* At verò Africanum Sancti Auguſtini tem-
pore ſymbolum manifeſtè habuit adjectitium arti-
culum: *Et vitam æternam*. Interim iſtius ſermo-
nis author eſt antiquus ac eruditus. Et hinc non
mireris, quod Aquilejenſis Eccleſia iſto item
tempore necdum haberet hunc articulum. Hinc
item vides, cur & Nicæna & Conſtantinopolita-
na Synodus articulum de deſcenſu ad inferos præ-
termiſerint. Et cur tam primo, quàm ſecundo ar-
ticulo adjecerint vocem, *Unum*. Quia nempè ſe
accomodarunt moribus Orientalis Eccleſiæ, apud
quas & damnandæ tunc hæreſes præſertim graſſa-
bantur.

Interim articulus, *Deſcendit ad Inferos*, eſt
admodùm antiquus, immò eſſe poſſit Apoſtoli-
cus. Eum enim ſemper in ſuo ſymbolo habuit
Aquilejenſis Eccleſia fundata per Sanctum Evan-
geliſtam Marcum. Illa ab hoc haud dubiè acce-
pit iſtum articulum. Inter Sancti Auguſtini ſer-
mones de tempore ſermo centeſimus trigeſimus
primus refert integrum Apoſtolicum ſymbolum,
& omninò habet iſtum articulum. Et hinc claret
ſermonem iſtum non eſſe Sancti Auguſtini. Cer-
tè decimus Sancti Auguſtini tomus indiget magna
reviſione atque correctione. Iſte interim ſermo
eſt antiquus ac eruditus. Et nota quòd iſtum ar-
ticulum, *Deſcendit ad inferos*, in ſuo ſymbolo
habeat & tamen non exponat. Hinc fieri poteſt,
ut & aliæ Eccleſiæ ipſum habuerint, & tamen
earum Epiſcopi illum non expoſuerint: Eundem
articulum habent in Sancti Auguſtini appendice
ſermo quadrageſimus ſecundus & quinquageſimus
nonus. Sunt antiqui & docti. Et ſapiunt Galli-
canam Eccleſiam. Eundem articulum in ſymbo-
lo, quod Sanctus Ambroſius expoſuit, olim ha-
buit, ac etiamnum habet Eccleſia Mediolanen-
ſis.

Prætermittere nolim Apoſtolicum Africanæ
Eccleſiæ ſymbolum, quod in ſua Catholicæ Fi-
dei epiſtola, tria Chalcedonenſis Concilii famo-
ſa Capitula conatus ſtabilire, adducit Facundus
Epiſcopus Hermianenſis: *Credimus in unum
Deum, Patrem omnipotentem. Et in unum Domi-
num* JESUM *Chriſtum, Filium ejus. Natum ex
Spiritu Sancto, & Maria. Qui ſub Pontio Pilato
crucifixus eſt. Et ſepultus. Tertia die reſurrexit à
mortuis. Adſcendit ad cœlum. Sedet ad dexteram
Patris. Undè venturus eſt judicare vivos & mortuos.
Et reliqua*. Etiam hinc diſcimus varia. Primò,
quòd uſque tunc Africana Eccleſia non habuerit
articulum, *Deſcendit ad Inferos*. Nam & diu
poſt illum non habuit etiam Romana Eccleſia.
Etenim dogmatica, qua ſextam Synodum in-
ſtruxit & direxit Sanctus Papa Agathon, epiſto-
la ſic habet: *Confitemur eundem Deum verum,*

eundemque hominem verum, crucifixum pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſum, ſepultum, & reſurgentem, adſcendentem in cælos, ſedentem ad dexteram Patris, iterumque venturum judicare vivos & mortuos. Hæc palàm deſumpte ſunt ex ſymbolo Apoſtolico. Et altè clemant iſtum articulum tunc illic non fuiſſe. Secundò diſcimus à Facundo, quòd Africana Eccleſia non ſoli primo, ſed etiam ſecundo articulo adjecerit vocem, *Unum*. Tertiò, quòd utrumque hoc additamentum iſtic permanſerit uſque ad tempore dicti Facundi. Et quòd in adductis ſuprà locis Tertullienus omninò agat de additemento ſymboli. At cur Sanctus Auguſtinus utrumque iſtud additamentum conſtanter expungit? Hæreo, neſciens quid certi effirmere. Sanctus Auguſtinus fuit Numidiæ Epiſcopus: Et Numidia expunxiſſe poſſit additementum, Byzacium retinuiſſe. Item Mediolenenſis Eccleſiæ, quæ iſtud additamentum nunquam habuit, ſymbolum in Catechiſmo ac Baptiſmo accepit & reddidit Sanctus Auguſtinus: Et poſſit ipſum retinuiſſe etiam Epiſcopus, ac ſuis tredidiſſe. Firma iſtius varietatis radix ignoratur.

Adversùm hæc zelosè intercedit in opuſculo de JESU Chriſti deſcenſu ad inferos Nobilis Vir Henricus Vicus Ooſthovii Toparcha: *Quod*
Cap. 5. *Ruffinus memoriæ prodidit eam de Domini ad inferos deſcenſu particulam non fuiſſe habitam in ſymbolo Romanæ Eccleſiæ, neque verò etiam in Eccleſiis Orientis, in eo magnoperè hallucinatus eſt. Neque ipſi fides habenda eſt ſcribenti adversùs manifeſtè contraria documenta*. Et edducit documenta. Epiſtolam Sancti Leōnis Magni ad Sanctum Thu-
Ep. 93. ribium Aſturicenſem Epiſcopum: *Miror cujuſ-*
cap. 17. *dam Catholici intelligentiam laborare, tamquam incertum ſit, an deſcendente ad inferna Chriſto, caro ejus requieverit in ſepulchro, quæ ſicut verè & mortua & ſepulta, ita & verè eſt die tertio reſuſcitata*. Errorem Pontifex refutat è ſecris litteris, atque concludit: *Nulla ratione tolerandum eſt, ut qui prædicandæ Fidei ſuſcepit officium, is contra Evangelium Chriſti, contra Apoſtolicam doctrinam, contra univerſalis Eccleſiæ ſymbolum audeat diſputare*. Hinc præfatus Henricus concludit iſtum articulum fuiſſe in Romano ſymbolo. Allud documentum eſt Sancti Martyris Ignatii authoritas, qui in epiſtola ad Trallenſes ſcribit Chriſtum Dominum fuiſſe verè crucifixum, verè mortuum, deſcendiſſe ad inferna, fuiſſe veraciter ſuſcitatum. Videtur alludere ad ſymbolum. Tertium documentum eſt authoritas Sancti Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani, qui in quarta Catecheſi hunc articulum adjungit Dominicæ ſepulturæ: Dominicum deſcenſum exponit in articulo de ſepultura. Quartum documentum eſt authoritas Sancti Epiphanii, qui in ſeptuageſima ſeptima hæreſi enumerat ac exponit omnes de Chriſto Domino articulos, ac inter ipſos etiam Dominicum deſcenſum. Quintum documentum eſt authoritas Sancti Joannis Chryſoſtomi, qui in ſecundo ſermone de Apoſtolico ſymbolo habet atque exponit hunc articulum. Sextum tandem documentum eſt Sancti Athanaſii ſymbolum, quod omninò habet iſtum articulum. Ex his dictus Ooſthovii Toparcha concludit: *Oportuerat Ruffinum, qui eam particulam exiſtimavit adjectitiam, & hæreticis petra offenſionis fuit, exponere, à quo, vel quibus, & quo tempore addita fuiſſet ſymbolo Apoſtolorum, ſaltem in Aquilejenſi, id eſt, ſua Eccleſia*.

Reſpondeo hìc tangi & confundi duas quæſtiones. Prima eſt, An Domini ad inferna deſcenſus ſit articulus Fidei? Secunda eſt, An iſtum articulum Apoſtoli inſeruerint ſuo ſymbolo? Ad primam quæſtionem omnes orthodoxi ſemper reſponderunt affirmativè. Et hodierni hæretici, qui ipſum negent, aut vocent in dubium, Evangelicam veritatem horrendè prævaricantur. Nempè ſtudent ſibi viam ſternere ad expugnandum Purgatorium. Ooſthovii Dominus iſtas quæſtiones confudit, ideoque eſt lapſus. Ad ſecundam enim quæſtionem eſt omninò negativè reſpondendum. Et huic reſponſioni non ſolus Ruffinus ſuffragatur, ſed & plures jam adducti Patres Eccleſiæ. Et quomodò Ruffinus præſumpſiſſet ſcribere tantum mendacium? Et hoc de Romana Eccleſia. Certè Sanctus Hieronymus in ipſo increpando non dormitaſſet. Et edducta Patrum teſtimonia ad rem non faciunt. Etenim Magnus Leo ſcribit adversùs neſcio quem Catholicum, qui non de Domini ad inferos deſcenſu dubitabat, ſed de ejus ſepultura. Erroris intima ignoramus: Videtur voluiſſe, quòd Dominus etiem cum corpore deſcendiſſet ad inferos. Aut certè negaſſe veritatem Dominicæ carnis. Et utrumque hunc errorem Pontifex rectè edixit impegiſſe in Apoſtolicum ſymbolum. Quòd Sanctus Cyrillus hunc erticulum comprehenderit ſub verbis, *Et ſepultus eſt*, eſt omnino verum. Quòd omnes Orientales Eccleſiæ iſtud fecerint, etiam Ruffinus affirmat. Adducti in Apoſtolicum ſymbolum ſermones non ſunt Sancti Joannis Chryſoſtomi, ſed neſcio cujus Latini. Olent Gallicanum ſtylum ac ritum. Etenim Antiochena, quam Sanctus Joannes adhuc Presbyter docuit, Eccleſia ſuis Catechumenis tradidit non Apoſtolicum ſymbolum, ſed Conſtantinopolitanum. Statim id demonſtrabitur. Quod & Regia, quam Joannes Epiſcopus docuit, civitas iſtud tradiderit ſymbolum, eſt longè certiſſimum. Nam & hoc fuit ibi conditum. Quin & iſti ſermones non ſunt ejuſdem authoris. Etenim primus non habet, ſecundus habet articulum: *Deſcendit ad inferos*. Interim embo omittunt voces: *Creatorem Cæli & terræ*. Et vocem: *Catholicam*. Et ambo habent: *Natus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*. Etiam voces: *Et vitam æternam*. Ex quo lucet ipſos eſſe ſatis antiquos. Eos ex Sancti Joannis operibus meritò expunxit Fronto-Ducæus. Alia Patrum teſtimonia non agunt de verbis aut formula ſymboli, ſed de Evangelica veritate: Affirmant inter hujus erticulos eſſe & hunc deſcenſum. Quod etiam Ruffinus fuit profeſſus. Quo autem tempore, quo Pontifice, & qua occaſio-

ne

ne Romana aut Africana Eccleſia iſtum articulum inſeruerit ſuo ſymbolo, utinam Ruffinus aperuiſſet. Aquilejenſis Eccleſia videtur illum ſemper habuiſſe.

Apoſtolicum ſymbolum olim habuit inſuper quaſdam alias varietates. Etenim hodie habemus, *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*; at verò Aquilejenſis olim Eccleſia habuit: *Qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Etiam Romana Eccleſia. Lucet ex ſupra adductis teſtimoniis Leonis Magni ac Sancti Vigilii. Etiam ex Apoſtolico ſymbolo, quod coram Sancto Papa Julio profeſſus fuit Marcellus Ancyræ Epiſcopus, primæ Galatiæ Metropolita. Ita habet: *Natum de Spiritu Sancto & Maria Virgine*. Quod ipſum tunc habuit & Africana Eccleſia. Nam & Facundus Hermianenſis Epiſcopus legit: *Natus de Spiritu Sancto & Maria Virgine*. Sanctus Auguſtinus utramque lectionem uſitavit: Quandoque dixit, *Ex*, quandoque, *Et Maria Virgine*. Lucet ex libris de ſymbolo. Et poſteriorem lectionem conſtanter tenet in Enchiridio. Et hinc ibi movet hanc quæſtionem:

Cap. 38 *Numquid tamen ideò dicturi ſumus Patrem hominis Chriſti eſſe Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem, ex qua utraque ſubſtantia Chriſtus unus eſſet, & Dei Patris Filius ſecundùm Verbum, & Spiritus Sancti Filius ſecundùm hominem, quod quaſi eum Spiritus Sanctus, tamquam Pater ejus, de Matre Virgine genuiſſet? Quis hoc dicere audebit? Nec opus eſt oſtendere diſputandò, quanta alia ſequantur abſurda, cùm hoc ipſum tam ſit abſurdum, ut nullæ fideles aures id valeant ſuſtinere.* Profectò iſte loquendi modus imperitis & carnalibus, ac præſertim Fidei noſtræ inimicis hominibus præbebat quamdam anſam ſimilis abſurdæ quæſtionis: Etiam Tertullianus in præſenti loco, ac etiam in libro de velandis virginibus, ac in libro contra Praxeam, habet ſolummodò, *Natum*, nullibi *Conceptum*. Attamen ſemper habet: *Ex Maria Virgine*. Africana Eccleſia ad abſurdæ quæſtioni præcludendam omnem rimam videtur addidiſſe: *Et conceptus eſt de Spiritu Sancto*. Etiam aliæ Eccleſiæ. Et iſtud additamentum apud Sanctum Auguſtinum habet ſermo centeſimus decimus nonus de tempore. Ex quo lucet ipſum non eſſe Sancti Auguſtini. Eſt interim admodùm antiquus. Etenim ejus author necdum admiſerat articulum: *Et vitam æternam*. Hinc item vides præſens additamentum eſſe ſatis antiquum. Ipſum habent & alii jam adducti apud Sanctum Auguſtinum ſermones. Quin & ipſum in ſuæ Eccleſiæ ſymbolo habet Sanctus Ambroſius. At verò Sancti Auguſtini ſeptuageſimus quintus de Diverſis ſermo habet: *Natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*. Et hic eſt verus fœtus Sancti Auguſtini. Gerardus Joannes Voſſius vult hocce additamentum apud Gallicanam Eccleſiam necdum fuiſſe temporibus Caroli Magni. Et probat ex Beati Alcuini Flacci libris de Sanctiſſima Tri-

Lib. 1. cap. 1. nitate: *Dicitur in ſymbolo Catholicæ Fidei, quod Chriſtus de Spiritu Sancto, & ex Maria Virgine ſit natus*: Fallitur. Etenim hæc ſunt Alcuini verba: *Dicitur in ſymbolo Catholicæ Fidei, quòd Chriſtus de Spiritu Sancto conceptus, & ex Virgine Maria ſit natus.*

Chriſt. Lupi Opera T. IX.

Articulum; *Venturus eſt judicare vivos & mortuos*, in præfata epiſtola Facundus Hermianenſis rectè affirmat non ab aliqua Synodo contra aliquam hæreſim eſſe adjectum, ſed originalem ac fundamentalem. Palàm ſupponit non omnes & ſingulos Apoſtolici ſymboli articulos eſſe iſtiuſmodi? Attamen quædam Eccleſiæ olim legerunt, *Indè*, quædam, *Undè Venturus eſt*. Et ita legit etiam Facundus. Etiam quædam olim dixerunt, *Et in Spiritum Sanctum*; quædam, *Credo in Spiritum Sanctum*: Quidam Ruffini Codices olim habebant: *Et in Spiritu Sancto*. Nempè qui legèbant: *Credo in Deo Patre*. Erant vitioſi, ideoque meritò ſunt correcti. Sequentem articulum Ruffinus legit: *Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Omittit *Communionem Sanctorum*. Etiam Orientalis Eccleſia videtur iſta verba non habuiſſe. Etenim Conſtantinopolitana Synodus, quæ Nicænum ſymbolum non dumtaxat per nova contra Macedonianos & Apollinariſtas additamenta, ſed etiam ex Apoſtolico ſymbolo ſupplevit, iſta verba prætermiſit. Eadem ſemper prætermittit Sanctus Auguſtinus. Etiam ſymbolum, quod Romæ profeſſus fuit Marcellus Ancyræ Epiſcopus.

Quin & antiqua Ruffini exemplaria non habent vocem, *Catholicam*. Hinc ipſam eſſe nimia liberaliter adjectam à Jacobo Pamelio affirmat præfatus Voſſius. Et quidem Pamelius fatetur à ſe adjectam, atque adjungit: *Miror non explicari eam vocem ab authore*. Utique à Ruffino. Quod ipſum miratur Nicolaus Rigaltius. Sanè iſtud Ruffini ſilentium altè clamat iſtam vocem non fuiſſe in ſymbolo Aquilejenſi. Etiam non fuit in Africano. Lucet ex libro, quem de ſymbolo Sanctus Auguſtinus adhuc Presbyter ſcripſit: *Credimus & Sanctam Eccleſiam. Utique Catholicam.* Cap. 10.
Hic commentarius affirmat vocem non fuiſſe in textu. Quòd olim nec in Romano ſymbolo fuerit, fortiter ſuadet ſymbolum, quod Romæ coram Sancto Julio Pontifice profeſſus fuit Marcellus Ancyræ Epiſcopus. Attamen & hanc vocem, & voces *Communionem Sanctorum*, habet in ſuæ Eccleſiæ ſymbolo Sanctus Ambroſius.

Iſtam vocem cuncti ſemper oderunt hæretici. Audiamus præfatum Voſſium: *Apoſtolorum ætate necdum obtinebat conſuetudo, ut Chriſtiani dicerentur Catholici, quemadmodum in prima epiſtola ad Symphorianum ſcribit Pacianus, qui tempore vixit beati Hieronymi. Undè Witakerus in opere de Eccleſia colligebat nec Eccleſiæ Catholicæ nomen obtinuiſſe temporibus Apoſtolicis. Immò & Franciſcus Picus credidit ſententiam de Eccleſia Catholica poſt Synodum Nicænam acceſſiſſe. Nempè contra hæreticos & ſchiſmaticos. Nec ignarum mihi putare multos Catholicam dictam, ut diſtingueretur à Judæorum Synagogis, terræ Chanaan limitibus circumſcriptam. Sed parùm id veriſimile ſit, cum Apoſtolorum ætate non in Palæſtina modò, ſed etiam extra illam reli-*

gione fuerint Judæi. Quin plures quàm in Palæſtina. Eoque magis ſit veriſimile, Catholicæ nomen apponi cœpiſſe, ut Eccleſia, quæ toto orbe obtineret, diſtingueretur à conventiculis hæreticorum & ſchiſmaticorum: Quales Novatianorum, & poſteà Donatiſtarum. Hinc ille concludit vocem, *Catholicam*, non eſſe ab Apoſtolis inditam Symbolo.

Hæc ſunt Sancti Paciani Barcbinonenſis Epiſcopi ad Symphorianum Novatianenſem verba: *Sed ſub Apoſtolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur. Eſto, ſic fuerit. Vel illud indulge, cùm poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, diverſiſque nominibus Columbam Dei atque Reginam lacerare per partes & ſcindere niterentur, nonne cognomen ſuum plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret unitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale ſignari?* Iſtud nomen fuiſſe nobis neceſſarium demonſtrat multis, atque proſequitur: *Multa nos Spiritus Sanctus edocuit, quem Paracletum Apoſtolis & Magiſtrum Deus miſit è cœlis. Multa ratio, & honeſtas, & ipſa natura. Quid? Parva nobis de Apoſtolicis viris, parva de primis Sacerdotibus, parva de beatiſſimo Cypriano Martyre atque Doctore curris authoritas? An volumus docere Doctorem? An ſapientiores illo ſumus? Et Spiritu carnis inflamur adversùs eum, quem æterni Dei teſtem nobilis cruor & clariſſimæ paſſionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax una ſolidavit? Quid tot annoſi Epiſcopi, tot Martyres, tot Confeſſores? Age, ſi illi uſurpando nomini huic authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et noſtram authoritatem potiùs Patres ſequentur, & emendanda Sanctorum cedet antiquitas, & jam putreſcentia vitiis tempora Canones Apoſtolicæ antiquitatis eradent?* Videtur legendum, *Canos*, non *Canones*. Affirmat varia. Primò, quòd epitheton, *Catholica*, non ſit Apoſtolicum Inſtitutum, permittit tranſire. Secundò affirmat eſſe tamen vocem Apoſtolicæ antiquitatis. Quòd nempè inſtituta ſit vel ab Apoſtolis, vel à proximis ipſorum ſucceſſoribus. Tertiò affirmat inter hos antiquos Patres eſſe Sanctum Martyrem Cyprianum. Quartò affirmat vocem hanc fuiſſe probatam ab omnibus illi coævis Epiſcopis. Quintò, fuiſſe neceſſariam ad univerſalem Eccleſiam à localibus hæreſibus ac ſchiſmatibus diſtinguendam. Ideoque rectè inſtitutam, & à nemine contemnendam, longè minùs proſcribendam aut abolendam.

Quod ipſum in libro de Unitate Eccleſiæ ſcri-
Cap. 2. bit Sanctus Auguſtinus: *Eccleſiam Majores noſtri Catholicam nominarunt, ut ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt.* Etiam ipſe in libris contra Gaudentium Thamugadenſem Donatiſtarum Epiſcopum affirmat inter iſtos Majores fuiſſe Sanctum Cyprianum: *Quoniam vos potiùs eſſe*
Lib. 2. cap. 2. *Catholicos, teſtimonio beati Cypriani affirmare conatus es, attende paululùm, quam Eccleſiam dixerit eſſe Catholicam.* Adducit verba ex libro de Unitate Eccleſiæ, quibus Sanctus Cyprianus demonſtrat Eccleſiam diffundi toto terrarum orbe, adeoque eſſe Catholicam. Attamen ipſum vocabulum, *Catholica*, iſtic non habetur. Habetur in litteris ad Polycarpum Adrumeti Epiſcopum: *Hortati ſumus, ut Eccleſiæ Catholicæ radicem &* Ep. 45.
matricem agnoſcerent ac tenerent. Et in litteris ad Sanctum Papam Cornelium: *Eccleſia Catholi-* Ep. 47.
ca una eſt, nec ſcindi nec dividi poteſt. Et in litteris Sancti Cornelii ad Sanctum Cyprianum reverſi è Novatiani ſchiſmate Confeſſores profitentur *Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ.* Ep. 46.
Et addunt *unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Profitentur Romanum Pontificem eſſe *Epiſcopum Catholicæ Eccleſiæ*, ſeu Epiſcopum univerſalem. Adeò antiquus eſt iſte titulus. Nec tantùm apud Latinos, ſed & apud Græcos tunc viguit iſtud nomen. Eſt Græcum, & à Græcis ad nos venit. In Actis Sancti Pionii Smyrnenſis Presbyteri, qui cum ſociis paſſus eſt ſub Decii Imperio, Linus appellatur *Presbyter Catholicæ Eccleſiæ.* Et Polemoni Æditno roganti Pionium, cujus Eccleſiæ eſſet Chriſtianus, ille reſpondit: *Catholicæ. Nulla eſt enim alia apud Chriſtum.* Acta extant in Annalibus Domini Cardinalis Baronii. Ex ipſis lucet diſtinctionem Catholicæ Eccleſiæ ab hæreticorum conventiculis fuiſſe tunc adeò vulgarem, ut ipſam noſſent & Pagani. Hinc iſta vox eſt longè antiquior. Eſt enim etiam apud noſtrum Septimium frequentiſſima. In præſenti libro ſcribit: *Marcion*
in Catholicæ doctrinam credidit apud Romanenſem Cap. 30.
Eccleſiam. Et iterùm: *Regula Fidei quam Catho-* Cap. 26.
licæ in medium proferebant. Utique Eccleſiæ. Et in quarto contra Marcionem libro Chriſtum Dominum appellat *Catholicum Patris Sacerdotem*, id eſt, *Univerſalem Epiſcopum.* Nec iſtam vocem Tertullianus induxit in Eccleſias, ſed invenit inductam à Majoribus. Ita & in quarto Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus Synodales Apoſtolici de legalibus concilii litteras appellat *Catholicam epiſtolam.* Non quod eſſet ſcripta ad Fol. 512.
omnes, ſed ab omnibus. Et quaſdam Apoſtolorum litteras, quòd ſint ſcriptæ ad omnes fideles, omnis Chriſtianitas ſemper appellavit *Catholicas.* Ignoramus tituli originem. Proindè iſta vox omninò videtur eſſe ab ipſis Apoſtolis. Nam & ipſorum tempora cœperunt fœdari per hæreſes. Hinc ad veram Chriſtianitatem à fucis & fungis diſtinguendam videntur illi ipſi induxiſſe titulum: *Eccleſia Catholica.* Poſſint & Symbolo inſeruiſſe. Eſt res incerta. Interim iſta inſertio eſt antiquiſſima.

Expediuntur aliquot quæſtiones.

Prima quæſtio eſt, An hoc Symbolum ſit reverà Apoſtolicum, conditum ab ipſis Apoſtolis? Hodierni Sectarii paſſim negant. Joannes Rudolphus Lavaterus in primo libro de Deſcenſu Chriſti ad inferos cenſet ipſum extractum ex Conſtantinopolitano: *Hanc*, Conſtantinopoli- Part. 3.
tanæ Synodi, *confeſſionem ego poſtmodùm, paucis* cap. 15.

immu-

immutatis, pro Symbolo Apoſtolico venditatam firmiſſimè credo. Joannes Calvinus in ſecundo Inſtitutionum libro eſt mitior: *Apoſtolicum Symbolum nuncupo, de authore minimè ſollicitus.* Et ruſsùm: *Neque verò mihi dubium eſt, quin à prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſæculo, inſtar publicæ & omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerit, undecumque tandem initio fuerit profectum. Quo intellecto, de authore vel anxiè laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet.* Conſonat in opere de Religionis Controverſiis Daniel Chamierus: *Eſſe ab Apoſtolis Symbolum ſic compoſitum, ſi non eſt falſum, certè, quod falsò proximum eſſe nemo negat, incertum eſt.* Et in præfatione ad Sancti Matthæi paraphraſim Eraſmus: *Librum hunc concinnare cupio, non ex humanis lacunis, ſed ex fontibus Evangelicis, & Apoſtolicis literis, & ex Symbolo, quod an ab Apoſtolis ſit proditum, neſcio.* Gerardus Joannes Voſſius eſt durior: *Abundè igitur ex tam multis dilucet Symbolum, quod Apoſtolorum vocatur, non eſſe ab Apoſtolis conflatum.* Et in alio loco: *Deinceps oſtendam, qui ſint veri authores. Eos ſtatuimus non alios, quàm Epiſcopum & Clerum Romanum. Atque ita ut credamus, hoc compellimur argumento. Quod Symbolum nec ab Apoſtolis, nec à Synodo ulla generali factum eſt. Adhæc nec in Græcis, nec in Orientis ullis Eccleſiis obtinuit. Sed in Eccleſia Romana. Inque ea tam diu anno jam quadringenteſimo perſonuerat, ut tunc traditio haberetur Apoſtolica. Quod item ab Eccleſia Romana ad alias Occidentis Eccleſias derivatum conſtat, Orientis Eccleſiis alia interim Symbola uſurpantibus. Id Symbolum ii compoſuerunt, qui Romanæ Eccleſiæ præeſſent. Atque nihil non horum convenit Symbolo, quo Apoſtolicum vocatur. Romanæ igitur Eccleſiæ Epiſcopus, aut Presbyteri illud condiderunt.*

Cap. 16. n. 18.

Lib. 9. cap. 10.

Cap. 44.

Cap. 24.

Reſpondeo iſtud Symbolum omninò eſſe ab Apoſtolis. Abundè id demonſtratum eſt in præviis diſſertationibus ad Nicænum Concilium. Per numeroſa atque authentica ſanctorum Patrum teſtimonia. Et in hiſce ſcholiis adduxi varia lucidiſſima Tertulliani, Sancti Irenæi, Novatiani, ac Sancti Cypriani. Poſt illa dubitare eſt maligni animi. Et quia iſti omnes non dumtaxat Conſtantinopolitanum, ſed & Nicænum Concilium multis annis anteceſſerunt, Joannes Rudolphus Lavaterus venùm exponit nugas adeò ridiculas, ut ejus Symmiſtæ de ipſis erubeſcant. Certè Romanam Apoſtolici Symboli formulam, quam Marcellus Ancyræ Epiſcopus eſt dudum ante Conſtantinopolitanam Synodum profeſſus apud Sanctum Julium Pontificem, integram ſuo Panario impoſuit Sanctus Epiphanius. Et hinc ipſe Joannes Calvinus meritò non dubitat, quin illa publica & omnium calculis accepta confeſſio obtinuerit à prima ſtatim origine Eccleſiæ, ab ipſo Apoſtolorum ſæculo. Et Gerardus Joannes Voſſius profitetur eſſe adeò antiquam, ut à nulla ſit Generali Synodo: Et quod quadringenteſimo Domini anno tamdiu perſonuiſſet apud omnes Latinas Eccleſias, ut tunc haberetur traditio Apoſtolica. Ambo ſemetipſos confodiunt. Etenim in ſemetipſos intorquent hanc Sancti Auguſtini irrefragabilem regulam: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis commendata atque ſtatuta retineri.* Et hanc in libris de Baptiſmo adverſùm Donatiſtas: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica authoritate traditum, rectiſſimè creditur.*

Hæreſi 72. cap. 3.

Ep. 118. cap. 1.

Lib. 4. cap. 23.

Verùm Gerardus Joannes Voſſius affirmat Apoſtolicum ab omni ubique Eccleſia non ſemper fuiſſe cuſtoditum. Diſtinguit varia ſymbola: Vetus, Nicænum, Athanaſianum, & Conſtantinopolitanum. Affirmat vetus apud varias olim Eccleſias fuiſſe varium: Apud Latinos Apoſtolicum, aliud viguiſſe apud Græcos. Et probat ex ſymbolo Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Etenim hujus exordium fuit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.* Secundus articulus fuit hic: *Et in unum Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum, Deum verum ante omnia ſæcula, per quem omnia facta ſunt.* Ejus alii articuli ſunt *de incarnato & inhumanato Chriſto. De crucifixo & ſepulto. De reſurgente à mortuis tertia die. De adſcendente in cœlus & ſedente ad dexteram Patris.* Erat & hic articulus: *Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis.* Hæc fuerunt formalia verba: *Et adſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris. Et venturus eſt in gloria judicare vivos & mortuos. Cujus Regni non erit finis.* Sequebatur: *Et in Spiritum Sanctum Paracletum, qui locutus eſt per Prophetas.* Extremi articuli erant hi: *Et in unum Baptiſmum pœnitentiæ. In remiſſionem peccatorum. Et in unam, ſanctam, Catholicam Eccleſiam. Et in Carnis reſurrectionem. Et in vitam æternam.* Lucent hæc omnia ex Sancto Eccleſiæ iſtius Epiſcopo Cyrillo, qui in ſuis Catecheſibus refert omnia hæc verba, affirmat contineri in ſuæ Eccleſiæ ſymbolo, ac amplè exponit. Incipit à ſexta Catecheſi, ac finit in decima octava. At verò iſtud ſymbolum neque fuit Apoſtolicum, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum. Quoad Apoſtolicum & Nicænum eſt res clariſſima. Æquè clara eſt quoad Conſtantinopolitanum. Etenim licèt Cyrillus Conſtantinopolitanæ Synodo adfuerit, de ipſo tamen ſcribit in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Exſtant ejus Catecheſes, quas in adoleſcentia compoſuit.* Nempè nondum iſtius Eccleſiæ Epiſcopus, ſed Clericus & Catechiſta. Et ipſe de ſemetipſo ſcribit in quarta Catecheſi: *Ante ſeptuaginta annos Manetis error inchoavit.* At verò Magnus Leo in ſermone ſecundo de Pentecoſte affirmat errorem Romano Imperio apparuiſſe ſub Conſulatu Probi ac Paulini, qui fuit Chriſti Domini annus ducenteſimus ſeptuageſimus nonus. Quarè Cyrillus iſtam Catecheſim ſcripſit & dixit quarti ſæculi anno quadrageſimo nono. Dudum ante Synodum Conſtantinopolitanam. Hinc ergo Gerardus Joan-

Joannes Voſſius concludit Hieroſolymæ Eccleſiam nec Apoſtolico, nec Nicæno, nec Conſtantinopolitano ſymbolo tunc fuiſſe uſam, ſed alio ſibi proprio. Eo fuiſſe ſemper uſam, à temporibus Apoſtolorum.

Quod ipſum de Antiochena Eccleſia docere videtur in libris contra Neſtorium Joannes Caſſianus. Affirmat ex ſacris litteris Neſtorium jam abundè eſſe à ſe revictum, ex Antiocheno etiam ſymbolo revinci poſſe, & adjungit cauſam: Quod ipſe in illa Eccleſia baptizatus fuerit ac renatus, ideoque profeſſiones, quas in Baptiſmo fecit, non poſſit negare. Et adducit ſymboli contextum: *Credo in unum & ſolum verum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem omnium viſibilium & inviſibilium Creaturarum. Et in Dominum noſtrum* JESUM *Chriſtum, Filium ejus unigenitum, & primogenitum totius Creaturæ. Ex eo natum ante omnia ſæcula, & non factum. Deum verum ex Deo vero. Homouſion Patri. Per quem & ſæcula compaginata ſunt: Et omnia facta. Qui propter nos venit. Et natus eſt ex Maria Virgine. Et crucifixus ſub Pontio Pilato. Et ſepultus. Et tertia die reſurrexit, ſecundùm Scripturas. Et in Cœlos adſcendit. Et iterùm veniet judicare vivos & mortuos. Et reliqua.* Etiam hoc ſymbolum neque eſt Apoſtolicum, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum, atque ita Antiochena etiam Eccleſia videtur ſemper habuiſſe aliud ſibi ſingulare ac proprium. Forſitan & aliæ Eccleſiæ ſuum habuerint.

Reſpondeo certum eſſe, quòd Orientales Eccleſiæ olim fuerint uſæ Apoſtolico ſymbolo. Etenim diſertè id affirmat Ruffinus, & addit quòd quaſdam illæ voces ipſi adjecerint. Et videtur omninò aſſerere, quòd ſuo adhuc tempore ipſum uſitaviſſent. Forſan quædam adhuc tradebant in Baptiſmo. Forſan in ſolis privatis precibus utebantur. Quòd Montaniſtæ, quos conſtat in Aſiatica Diœceſi fuiſſe exortos & graſſatos, Apoſtolico ſymbolo fuerint uſi, & ante & poſt hæreſim, Tertullianus palàm affirmat in libro de
Cap. 3. Velandis Virginibus. Affirmat enim, quòd Regulam, cujus ibi enumerat ſingulos articulos, non alteraverint: Manifeſtè autem eſt Regula Apoſtolici ſymboli. Etiam Sanctus Irenæus non adversùm ſolos Occidentales, ſed etiam, & quidem principaliter, adversùm Orientales Gnoſticos ſcripſit ſuos libros. Latinus eorum textus eſt durus, & laborat multis barbariſmis. Nempè putatur ipſe ſcripſiſſe Græcos, & poſtmodò fecisſe Latinos: Vir Græcus, Latinæ linguæ non ſatis peritus. Et tamen adversùm iſtos fabulones aſſiduè urget ſymbolum Apoſtolicum. Et quidem auctum in primo ac ſecundo articulo. Nempè iſtud augmentum aut ipſe, aut ejus in Epiſcopatu Anteceſſor Sanctus Photinus, ex Aſia
Cap. 10. detulerat in Galliam. Et in præſenti libro Septimius inter varias totius ſub Cœlo Chriſtianitatis communiones ponit *hoſpitalitatis conteſſerationem*. Utique per teſſeram, de qua Sanctus Joannes Apoſtolus: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite accipere eum in domum.* Iſta toti Chriſtianitati communis teſſera fuit ſymbolum Apoſtolicum.

Porrò ſymbolum, quo ſub Sancti Cyrilli Epiſcopatu uſa fuit Hieroſolymitana Eccleſia, fateor nec Apoſtolicum fuiſſe, nec Conſtantinopolitanum, nec purum Nicænum. Fuit Nicænum auctum ac ſuppletum. Additamentorum, quæ ad Nicænum ſymbolum fecit, Conſtantinopolitana Synodus non fuit auctrix, ſed dumtaxat diſcretrix & confirmatrix. Nicænum ſymbolum continet ſola ſanctiſſimæ Trinitatis ac ſacratiſſimæ Incarnationis myſteria: Nihil habet de ſancta Eccleſia, de remiſſione peccatorum, de carnis reſurrectione. Hinc Orientalis, quæ ipſum in Baptiſmo tradere ſtatim cœpit, Eccleſiæ variis & magnis Epiſcopis viſum fuit non complecti plenum Catechiſmum, ideoque eſſe ſupplendum. Inſuper poſt Arium ſurrexerunt Apollinarius, Marcellus, Macedonius: Etiam adversùm hos convenit fidelem populum quibuſdam ſymboli additamentis muniri. Hinc varii Epiſcopi addiderunt varia. Et ipſa duràrunt uſque ad Conſtantinopolitanam Synodum. Hæc diſcuſſit omnia, elegit meliora, & ſanxit toti Orienti eſſe communia. Sancto Cyrillo ſummas debemus gratias, qui nobis tranſmiſit additamenta ſuæ Eccleſiæ. Ea ipſe nequaquam inſtituit. Dum enim ipſa expoſuit, erat juvenis Clericus. Quæ omnia latè demonſtrare ſpero in augmentis Scholiorum ad Synodum Conſtantinopolitanam.

Adductum à Joanne Caſſiano Antiochenum ſymbolum eſt omninò ſymbolum Conſtantinopolitanum. Nam quòd omnis Antiochena Diœceſis in ipſo tunc baptizaret, clarè lucet ex Actis Chalcedonenſis Concilii. Etiam ex litteris Sancti Papæ Felicis tertii ad Petrum Fullonem Pſeu- Epiſt. 3.
do-Patriarcham Antiochenum. Admiſit tamen aliquam varietàtem. Lucet ex conteſtatorio libello, quem adversùs ſuum Epiſcopum ac Hæreſiarcham Neſtorium publicè expoſuit Clerus Conſtantinopolitanus. Cum Joanne Caſſiano Epiſcopum impugnat ex Antiocheno ſymbolo, & affirmat ipſum inter cætera ita concionari: *Deum verum de Deo vero, conſubſtantialem Patri, per quem ſæcula conſtituta, & omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & natus eſt ex Maria Virgine. Et ſub Pontio Pilato crucifixus eſt. Et reliqua.* Exſtat hæc conteſtatio in Actis Epheſini Concilii. Eſt iſtud ipſum ſymbolum, quod adduxit Joannes Caſſianus. Et eſt Conſtantinopolitanum. Ita in Florentino Concilio affirmat in datis Marco Epheſio Reſponſis Julianus Cardinalis Cæſarinus: *Nos* Seſſ. 7.
differentiam quamdam habemus inter libros noſtros & veſtros. Nam in Conſtantinopolitano ſymbolo, quod poſteà Epheſi & Chalcedone recitatum eſt, non habetur vox illa, De cœlis. *Nec illa*, Deum de Deo. *Prætereà in Conſtantinopolitano ſunt nonnulla, quæ adjecta ſunt in eo ſymbolo, quod & vos canitis.* In alia Florentina ſeſſione idem doctiſſimus Cardinalis protulit tres antiquiſſimos Conſtantinopolitani ſymboli Codices, qui omnes ad vocem, *Deſcendit*, non addebant, *De cœlis*. Nec

ad

ad vocem, *Reſurrexit*, addebant, *Secundùm Scripturas*. Proindè Antiochena Eccleſia Conſtantinopolitano, quod nos hodiè habemus, ſymbolo quædam addidit, quædam detraxit. Detraxit voces: *Cæli & terræ. Deum de Deo. De cælis*. Addidit voces: *Et ſolum verum. Primogenitum omnis Creaturæ. Per quem ſæcula compaginata*, ſeu *conſtituta ſunt*. Et Joannas Caſſianus non legit, *Propter nos deſcendit*, ſed *Venit*. Et nunc legit, *In unum & ſolum verum Deum*; nunc, *In unum verum ſolum Deum*. Suo tempore exponam rationes iſtarum varietatum. Ex his interim lucet, quòd omnes Orientales Eccleſiæ in Baptiſmo tradiderint primò Apoſtolicum ſymbolum, exindè Nicænum, ac tandem Conſtantinopolitanum.

Secunda quæſtio eſt, Undè ſymbolo Apoſtolico fuerint tot variatates, tot additamenta? Ex ipſis Gerardus Joannes Voſſius concludit iſtud non eſſe Apoſtolicum. Et videtur non carere fundamento. Etenim ſi ſymbolum ſit ab Apoſtolis, omninò eſt ex chariſmate, ex Divino afflatu, eſt verum Dei verbum, ideoqua in ipſo locum habet regula, quam ſuæ Apocalypſi ſubjunxit Sanctus Joannes Apoſtolus: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ*. Reſpondeo ſymbolum aſſe Dei verbum: At traditum, non ſcriptum. Eſt unum ex illis, quæ nec ſcripto mandari, nec extraneis anuntiari permiſis antiqua diſciplina, ideoque de ipſo etiam ſancti tunc Patres in ſuis ad populum ſermonibus dicebant: *Norunt Fideles*. Etiam à Catechumenis aut Fidelibus deſcribi non poterat ad juvandam memoriam, ſed debebat ex auditu addiſci. Etiam ſtupidiſſimis ac tardiſſimis non potuit tradi in charta. Hic Canon fuit olim rigidiſſimus. Proindè non ejus verba, ſed ſolæ ſententiæ ſunt à chariſmate. Hinc verba per Eccleſiæ authoritatem potuerunt ax cauſis variari, minui, ampliari. Hæc eſt natura verbi traditi. Inſigniter hæc firmat Facundus Hermianenſis Epi-

Lib. 8. cap. 7. ſcopus: *Nec generali ſymbolo Fidei Chriſtianæ, quo initiamur, quidquam eſt fortius, quamvis ſcripto non tradatur. Verumtamen adversùm corruptores intelligentiæ & virtutis ejus utimur etiam privatis teſtimoniis Patrum, quæ continentur in ſcripto, cùm & omnia illa uni generali ſymbolo ſerviant, nec præfixos terminos ejus excedant*. Affirmat plura. Primò, quòd ſymbolum ſit generale. Quia nempè datum ſit toti Eccleſiæ. Secundò dicit, quòd ipſo inter ſacras etiam litteras nihil ſit fortius. Quin immò quòd illi omnes ſcripturæ ſerviant. Eſt ergo verum Dei verbum. Tertiò dicit, quòd ſit traditum, non ſcriptum. Quartò, quòd hæretici ejus dumtaxat virtutem & intelligentiam conentur depravare. Quia nempè verba ſunt ex arbitrio Eccleſiæ. Apoſtoli fuerunt ſecuri regulam, quam & à Domino fuiſſe ſervatam ſcribit in primo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandri-

Fol. 275. nus: *Arcana verbo creduntur, non ſcripto*.

Et quidem omnia & ſingula Apoſtolici ſymboli verba jam pridem ſunt ſacroſancta ac immobilia. Quiſquis illi vel unum jota addiderit, detraxerit, aut variaverit, anathema ſit. Hanc reverentiam Nicæno ſeu Conſtantinopolitano ſymbolo rigidiſſimè ſanxit Epheſina Synodus. Et ipſam adeò obſervavit Chalcedonenſe Concilium, ut vocem, *Deipara*, licèt graviſſimæ rationes ſuaderent, noluerit ipſi inſerere. Et hoc in cardine pendet pertinacia Photiani ſchiſmatis. Hujus Sectatores contumaciſſimè aſſerunt voculam, *Filioque*, non potuiſſe addi per Latinam Eccleſiam, ideoque hanc eſſe manifeſtam Epheſini Canonis prævaricatricem, & ſe non ab hac, ſed hanc à ſeſe exiiſſe & apoſtataſſe. Cardinalis Beſſarion in Florentina Synodo rectè dixit iſtud ſymbolum aſſe ſcripto Dei verbo proximum, ideoque nec ampliari poſſe aitra legitimam authoritatem, nec truncari, nec quovis modo alterari. Eandem reverentiam jam dudum apud nos habet hodierna formula Apoſtolici ſymboli. Et hinc inter errores Joannis de Weſalia rectè damnatus fuit & hic articulus: *In ſymbolo Fidei circa illum articulum*, Sanctam Eccleſiam, *ego non pono*, Catholicam. *Neque Hieronymus ponit. Quia Catholica, id eſt univerſalis. Sed univerſalis congregatio omnium Baptizatorum non eſt ſancta, ſed major pars eſt reprobata. Sed fortè quidam appoſuit, & poſteà venit in conſuetudinem totius multitudinis*. Articulus aſt juſtiſſimè damnatus. Ob duo. Primò, quòd dicat univerſalem Eccleſiam, licèt multos ſceleratos ac reprobos contineat, non rectè dici ſanctam. Deindè, quòd dicat iſtam vocem, quoniam adjecta fuit poſt Sancti Hieronymi tempora, aſſe è ſymbolo expungendam. Hæc noſtra in hodiernam Apoſtolici ſymboli formulam reverentia eſt admodùm antiqua.

Quæſtio tertia eſt, Quiſnam ſymbolum compoſuerit? An ſolus Sanctus Petrus, an omnes Apoſtoli, an omnes primitivi Chriſtiani? Antonius Nabriſſenſis in Quinquagena ad titulum de Symbolo cenſet compoſitum ab omnibus Apoſtolis, aut certè à centum viginti Diſcipulis, qui in die Pentecoſtes acceperunt Spiritum Sanctum. Presbyter Ruffinus conſtanter affirmat compoſitum à ſolis Apoſtolis. Et adjungit: *Tradunt Majores noſtri*. Quæ verba Eraſmus in Reſponſo ad cenſuram Pariſienſium rapit pro ſe. Et præſertim hæc verba ejuſdem Ruffini: *Qui Symbolum tradiderunt*. Ex ipſis concludit Ruffinum de authore non fuiſſe certum. Reſpondeo Ruffino adſtipulari plurimos Patres, quorum teſtimonia adduco in præviis Diſſertationibus ad Nicænum Concilium. Hic addo authoritatem Photini Sirmienſis in Illyrico Metropolitæ, apud quem tanta fuit hujus ſymboli authoritas, ut ipſum primus commentario illuſtraverit, conatus ex ipſo ſtabilire ſuos errores. Ità diſertè teſtatur idem Ruffinus. Ex quo conſtat neminem tunc de Apoſtolicis hujus ſymboli natalibus dubitaſſe. Addo & authoritatem Beati & Etherii, ſcribentium contra errores Elipandi Archi-Epiſcopi Toletani: *Qualiter crederet Eccleſia, non unus Apoſtolus compoſuit ſymbolum Fidei, ſed omnes ſingula* Lib. 1.

verba

verba poſuerunt. Et iterùm: *Ut Fidei firma daretur Eccleſiæ, duodecim Apoſtoli ſunt à Chriſto electi; quorum Petrus, cùm eſſet eorum primus, ſolus non eſt auſus componere ſymbolum, ſed à duodenario numero Apoſtolorum cum magna eſt cautela collectum, & credentibus aſſignatum. Duodecim fuerunt Chriſti Diſcipuli, Prædicatores Fidei & Doctores gentium. Qui cùm omnes unum eſſent, unum etiam communiter expoſuerunt ſymbolum: Qui ſinguli ſingula verba dixerunt unius Fidei, invicem concordantia ſibi, quæ tantùm duodecim ſunt verba*. Eam, quæ in Baptiſmo traditur, ac in Deum Patrem omnipotentem ac alios ſolemnes articulos credit, Regulam eſſe ab Apoſtolis, utique omnibus ac ſolis, ſcribit (Lib. 1, cap. 2.) etiam Sanctus Irenæus. Apoſtolicum ſymbolum eſt Synodale Decretum. At verò ſoli Apoſtoli erant Eccleſiæ Rectores ac Epiſcopi: Hinc illis ſolis erat jus ſuffragii.

Quæſtio quarta eſt. Quot ſint ſymbolo articuli? Communis hodiè ſenſus adſcribit duodecim. Reſpondeo rem eſſe incertam. Etenim in quarta Catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus adſcribit ſolos decem: *De Deo, de Chriſto, de Generatione ex Virgine, de Cruce, de Sepulcbro, de Reſurrectione, de Adſcenſione, de futuro Judicio, de Spiritu Sancto, de Reſurrectione*. Utique noſtra in extremo die. Omittit articulum de Deſcenſu ad inferos, & de Vita æterna. Quòd hunc articulum omninò tunc expreſſerit, eſt ſuprà oſtenſum. Verùm uti articulum de Chriſti deſcenſu ſub articulo ſepulturæ, ita hunc comprehendit ſub reſurrectionis articulo, & habuit pro uno. Ita ſemper fecit Orientalis Eccleſia. Et etiam hunc dudum non expreſſit. Quod ipſum fecerunt & quædam Latinorum Eccleſiæ. Superiùs laudata Vaurenſis Synodus ita ſcribit: *Apoſtoli ſymbolum diſtinxerunt in quatuordecim articulos Fidei, quorum ſeptem ſunt pertinentes ad Divinitatem, alii ſeptem ad Chriſti Humanitatem*. Eandem ſententiam laudat in ſuis ſermonibus Albertus Patavinus, Ægidii Romani diſcipulus, qui floruit circa tempora iſtius Synodi: *Per duodecim cophinos duodecim regulas, ſeu ſententias Catholicæ Fidei intelligimus, qui cophini contexuntur ex duodecim vel quatuordecim articulis Fidei, qui continentur in ſymbolo Apoſtolorum*. Alii alio modo diſtinxerunt articulos, & computarunt. Verùm duodenarius numerus eſt omninò probandus ac retinendus. Eundem ibi comprobat Sanctus Cyrillus. Prætermittit enim articulos de Eccleſia, & de Remiſſione peccatorum.

Quæſtio quinta eſt, An quiſque Apoſtolus dixerit, & contulerit ſuum articulum? Ita ſtatim nobis aſſeruerunt Beatus ac Etherius. Iſtud ipſum affirmat in litteris ad Imperatricem Pulcheriam (Ep. 13.) Magnus Papa Leo: *Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis*. Ex quo inſuper vides, quòd Romana Eccleſia etiam tunc nec decem nec quatuordecim numeraret articulos, ſed duodecim. Et authoritas iſtius Pontificis eſt ſumma, ac irrefragabilis. Quarè non auſim de iſta collatione dubitare. Et conſentit in præfatione ad Exegeſim Apoſtolici ſymboli Venantius Fortunatus, Pictavienſis Epiſcopus, Scriptor antiquus ac eruditus: *Collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in uno poſiti ſymbolum, unuſquiſque quod ſenſit dicenda, condiderunt*. Plura ſanctorum Patrum teſtimonia adduco in prævis diſſertationibus ad Nicænum Concilium. Quem tamen articulum quiſque Apoſtolus contulerit, non conſtat. Alium collationis modum & ordinem Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Occidentalis Eccleſiæ Hiſtoria, alium habet in Sancti Auguſtini appendice ſermo quadrageſimus ſecundus. Qui quatuordecim articulos numerant, huic Apoſtolicæ Synodo affirmant adfuiſſe etiam Sanctum Paulum, & Sanctum Barnabam. Sine fundamento.

Quæſtio ſexta eſt, Quo tempore, aut quo Chriſti Domini anno ſit conditum ſymbolum? Presbyter Ruffinus ſcribit: *Diſceſſuri ab invicem Apoſtoli normam priùs futuræ prædicationis in commune conſtituunt*. Affirmat ita traditum à Majoribus. Porrò de ſancto & antiquo Eccleſiæ ſcriptore Apollonio ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſarænſis: *Apollonius ait ſe traditione* (Lib. 5. cap. 17.) *accepiſſe, Servatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ante duodecim annos Hieroſolymis diſcederent*. Proindè intra hos annos eſt omninò conditum ſymbolum. Et ad Sanctum Cyrillum Alexandriæ Patriarcham ſcripſit Sixtus tertius Pontifex: *Congregati in unum Apoſtoli de Fide ſæpè tractarunt*. Exſtat epiſtula inter epiſtolas laudati Cyrilli. Quot & quales Synodos Apoſtoli fecerint, non eſt præſentis loci. Et in qua Synodo condiderint ſymbolum, fateor me ignorare. In libro adversùs Praxeam Tertullianus dat aliquid luminis, affirmans *hanc Regulam ab initio* (Cap. 2.) *Evangelii decucurriſſe, etiam ante priores quoſque hæreticos, nedum ante Praxeam heſternum*. Affirmat ſymbolum eſſe prius etiam Simone Mago, primo fonte omnium hæreticorum. Porrò Simon primo poſt Chriſti Domini Paſſionem anno & baptizatus eſt, & conatus Spiritum Sanctum emere, atque ita etiam lapſus in hæreſim. Nec videtur dubitandum, quin in noſtrum ſymbolum fuerit baptizatus. Quòd Simonis Baptizator Philippus Diaconus etiam Reginæ Candacis Eunuchum baptizaverit in iſtud ſymbolum; immò quod cuncti Apoſtoli ac Diſcipuli cunctos à ſe baptizatos baptizarint in ipſum, affirmat in libro de Fide & operibus Sanctus Auguſtinus. Et certè ut in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti (Cap. 9.) nomen baptizarent, disertè imperavit Dominus. Utique in nomen Filii nati de Virgine, crucifixi, mortui, ſepulti, reſuſcitati. Addidit enim ut docerent eos ſervare omnia, quæ prædicaverat. Quarè Apoſtoli videntur in ipſo Pentecoſtes die, antequam prædicaturi ac baptizaturi prodirent, ſymbolum condidiſſe. Ejus natales Ruffinus, quem & Dominus Cardinalis Baronius ſequitur, videtur perperam differre in articulum Apoſtolicæ diviſionis.

Et iſta quidem dubia ſunt fundamenta, ex quibus Gerardus Joannes Voſſius glorioſè concludit iſtud ſymbolum non eſſe ab Apoſtolis,

ſed

ſed ab aliquo Romano Pontifice. Item urget Ruffini verba: *Tradunt Majores noſtri*. Verbum, *Tradunt*, cenſet eſſe dubitativum. Et cum Eraſmo id firmat ex aliis Ruffini verbis: *Sed qui ſymbolum tradiderunt*. Et inſuper quærit: Si ſit ab Apoſtolis, quarè nullus ſacrarum litterarum, aut certè nemo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ antiquus Scriptor iſtius inſtitutionis meminit? Reſpondeo meminiſſe Sanctum Irenæum, Tertullianum, Novatianum, & plurimos Patres. Sanctus Irenæus, quem Sancti Joannis Apoſtoli diſcipulus Sanctus Polycarpus docuit, diſertè af- (Lib. 1. cap. 2.) firmat ipſum Eccleſiis eſſe traditum ab Apoſtolis. Quarè licèt de quibuſdam circumſtantiis hæreamus, certi ſumus de ſubſtantia. Porrò cur nullus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptor, cur nullus Sanctus Pater, cur nullus Orthodoxus unquam ſcripſit aut dixit iſtud ſymbolum eſſe conflatum ab aliquo Romano Epiſcopo aut ejus Clero? Cur iſtud heſterno die dixit ſolus Gerardus Joannes Voſſius? Quia eſt heſternum, non Calvini, qui ita nugari non fuit auſus, ſed quorundam Calviniſtarum ſomnium. Quia adducta Voſſii argumenta ſunt frivola.

CAPUT XIV.

Melius eſt ſimpliciter credere, quàm ſemper quærere.

HÆc regula à Chriſto, ut probabitur inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterùm manente forma ejus in ordine ſuo, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt utique frater aliquis doctor gratia ſcientiæ donatus: Eſt aliquis inter exercitatos converſatus; aliquis tecum curioſus, tecum tamen quærens. Noviſſimè ignorare melius eſt, ne quòd non debeas noris, quia quòd debeas noſti. *Fides*, inquit, *tua te ſalvum fecit*: Non exercitatio Scripturarum. Fides in regula poſita eſt: Habes legem, & ſalutem de obſervatione legis; exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant adversùs regulam: Nihil ultrà ſcire, omnia ſcire eſt. Ut non inimici eſſent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non præmoneremur; quale eſt conferre cum hominibus, qui & ipſi adhuc ſe quærere profiteantur? Si enim adhuc verè quærunt, nihil adhuc certi repererunt: Et ideò quæcumque videntur interim tenere, dubitationem ſuam oſtendunt quamdiu quærunt. Itaque tu perindè quæris, ſpectans ad eos qui & ipſi quærunt, dubius à dubiis, incertus ab incertis, cœcus à cœcis in foveam deducaris neceſſe eſt. Sed quum decipiendi gratia prætendunt ſe adhuc quærere, ut nobis per ſollicitudinis injectionem Tractatus ſuos inſinuent, denique ubi adierint ad nos, ſtatim, quæ dicebant quærenda eſſe, defendunt: Jam illos ſic debemus refutare, ut ſciant nos non Chriſto, ſed ſibi negatores eſſe. Cùm enim quærunt adhuc, nondum tenent: Cùm autem non tenent, nondum crediderunt. Cùm autem

nondum

nondum crediderunt, non ſunt Chriſtiani. At cùm tenent quidem & credunt, quærendum tamen dicunt ut defendant, antequam defendant, negant quod credunt; confitentes ſe nondum credidiſſe, dum quærunt. Qui ergò nec ſibi ſunt Chriſtiani, quantò magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt?

SCHOLION.

Hæc Regula à Chriſto inſtituta.

DOctor affirmat Apoſtolicum ſymbolum eſſe non tantummodò inſtitutum ab Apoſtolis, ſed & ab ipſo Chriſto Domino. Perſiſtit affirmare, quod iſtam regulam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus acceperit à Deo. Omnes enim ejus articuli ſunt à Chriſto Domino prædicati, ac prædicari juſſi, ſed per Apoſtolos redacti in formulam. Haud dubiè ex Domini mandato: Et ex Charisinate Quod Dominus aliter orationem noſtram, aliter ſymbolum inſtituerit, alte clamant & teſtantur eorum perpetui tituli: *Oratio Dominica, ſymbolum Apoſtolicum.* Dominus utrique materiam præfixit, ac ſoli orationi & formam. Doctor agit adversùm Gnoſticos garrientes alia Dominum docuiſſe, alia Apoſtolos. Ab his Deum Creatorem, aliaque Judaica eſſe regulę intruſa. Hinc ille aſſeverat omnem regulam eſſe inſtitutam à Chriſto. Et ſpondet probare. Et adjungit: *Nullas habet quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt & quæ hæreticos faciunt.* Confirmat ſuum in libro de velandis virginibus aſſertum: *Regula Fidei una omninò eſt, ſola immobilis, & irreformabilis.* Hinc omnis circa ipſam dubitatio eſt hæreſis, & facit hæreticos.

Hinc item hæreticos ex ſymbolo revincere eſt perpetua Orthodoxæ Eccleſiæ conſuetudo. Ita noſter Doctor in adducto de velandis virginibus libro conatur demonſtrare, quod loquens in Montano Paracletus non regulam alteraret, ſed ſolam melioraret diſciplinam, ideoque foret Sanctus, non Pythonicus. Ex ipſo revincit Praxeam in ſingulari adversùs ipſum libro, & in præſenti libro omnes generatim hæreticos, præſertim Gnoſticos Quod ipſum in variis locis præſtat Sanctus Irenæus. Ex eodem Novatianum revincit in litteris ad Numidiæ Synodum, ac in litteris ad Magnum Sanctus Cyprianus. Ipſe Novatianus ex eadem veritatis regula, ac Dei authoritate evertit Sabellium. Et adversùs hæreſiarcham Jovinianum ſcripſit ad Siricium Pontificem Mediolanenſis Provinciæ Synodus: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Romana Eccleſia intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Rectè dicit: *Intemeratum.* Quia nempè iſtud uſque tempus Romana Eccleſia nullum iſtius ſymboli additamentum admiſit, nullam avitæ formulæ varietatem. Iſtam epiſtolam aliqui non Ambroſianæ Synodi ad Siricium exiſtimant, ſed hujus ad illam. Eſt digna quæſtio. Non facit ad rem præſentem. Hæreſiarcham item Neſtorium ad Nicænum, ſeu Conſtantinopolitanum ſymbolum provocarunt Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Joannes Caſſianus, & Eccleſiæ Conſtantioopolitanæ Clerici. Horum conteſtatorius libellus exſtat in prima parte Epheſini Concilii. Hæreſiarcham Eutychetem in Apoſtolicum impingere ſymbolum, urſit in variis locis Sanctus Leo Pontifex, nominatim in dogmatica epiſtola ad Synodum Chalcedonenſem. Et hac ipſa Synodo ipſum, quod ad ſolum Nicænum provocaret, atque ita Conſtantinopolitani ſymboli additamenta ſperneret, convicit, ac ideò ad damnationem poſtulavit Diogenes Cyzicenus Epiſcopus, Helleſponti Metropolita. Beatus ac Etherius etiam Elipandum Toleti Archi-Epiſcopum provocarunt ad ſymbolum Apoſtolicum. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Porrò & Nicænum & Conſtantinopolitanum habent radicem, ac vigorem ex ſymbolo Apoſtolico. Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus in ſexta Catecheſi affirmat ſymbolum eſſe totius ſacri textus compendium, atque adjungit: *Habete hanc doctrinam tamquam viaticum omni tempore vitę. Et preter hanc ſuſcipi aliam non decet. Nec ſi nos ipſi mutati contrarium his, quæ docemus nunc adſtruamus. Neque ſi Angelus contrarius in lucis Angelum transſmutatus, ſeducere te voluerit.* Erat tunc non dumtaxat futuræ, ſed & præſentis vitæ viaticum. Nam ſine ipſo nullus, cum ipſo quivis peregrinus fidelis apud quemvis ubicumque fidelem inveniebat fraternum hoſpitium. Ipſo nihil eſſe fortiùs, & omnium Patrum, ſeu ſacrorum Authorum ſcripta illi ſervire, ſuprà audivimus à Facundo Epiſcopo Hermianenſi. Et hoc altiſſimè clamat ipſum Regulæ nomen. Etenim ex regula omnes agere, ac judicare debent, nemo poſſit extra ſalire, aut de ipſa judicare. Hinc ipſam noſter Doctor optimè opponit Gnoſticæ blaſphemiæ, atque ſuperbiæ. Nam quiſquis extra, aut ſupra Demiurgum quærit alium Deum, manifeſtè ſalit ultra foſſam, ultra regulam.

Cæterùm manente forma ejus, &c.

Doctor denuò fatetur Theologicas curioſitates ſeu quæſtiones non eſſe damnandas, dummodò fiant manente forma regulæ. Dummodò fiant ad regulæ elucidationem. Hinc adjungit: *Si quid*

tibi

tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari. Utique circa intellectum regulæ. Et denuò adjungit: *Et omnem libidinem curioſitatis effundas*. Affirmat in bis etiam quæſtionibus ſervandam parœmiam: *Ne quid nimis. Modus optimus*. Omnem exceſſum eſſe curioſitatis libidinem. Quod ipſum ſcribit Sanctus Irenæus. Et
L. 2. c. 47. 48. & 49. addit iſtiuſmodi quæſtiones eſſe has: *Quid Dominus Deus egerit ante creationem mundi? Quo modo Deus Pater genuerit ſuum Filium?* Eas eſſe affirmat aurium pruritum, ex quo de Gnoſticis & cunctis hæreticis ſcribit Sanctus Paulus: *Ad fabulas autem convertentur*. Et de Paulino Edeſſenæ Eccleſiæ Presbytero, ac Sancti Ephrem Syri diſcipulo ſcribit in illuſtrium virorum catalogo Gennadius Maſſilienſis: *Paulinus Presbyter, diſcipulus beati Ephrem Diaconi, homo acris valdè ingenii, & in Divinis doctus ſcripturis, ſed vivente Magiſtro clarus in Doctoribus Eccleſiaſticis fuit. Et maximè ex tempore declamator. Poſt illius autem obitum amore Primatus & nominis ſeparans ſe ab Eccleſia ſcripſit contraria Fidei multa. Huic obiturus Beatus Ephrem adſtanti ſibi dixiſſe fertur: Vide Pauline, ne te ſubmittas cogitationibus tuis, & eleveris. Sed cum te ad purum comprehendiſſe putaveris Deum, crede nec intellexiſſe. Præſenſerat enim illum ex ſtudiis vel ſermonibus nova inveſtigare, & in immenſum intellectum hæreſeon tendere. Unde eum frequenter Bardeſanem novellum vocabat.* Eadem forma adſtantem diſcipulum Berengarium admonuit moriens Sanctus Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis. Ex ſimili aurium, imò intellectus libidinoſo prurito in fabulas fuiſſe lapſos Sabellium, Origenem, Arium, Apollinarium, Ætium, Eunomium, Pelagium, Neſtorium, alioſque plurimos, eſt ſuo loco demonſtratum. Neſcio quem Simonem, Pariſienſis Scholæ Magiſtrum, ob nimiam circa iſtiuſmodi quæſtiones libidinem ac fiduciam fuiſſe ſubita fatuitate, ac dementia percuſſum à Divina Juſtitia, refert Matthæus Pariſienſis.

Eſt aliquis frater Doctor, &c.

Septimius diſtinguit duplicem Doctoratum, duplices Eccleſiæ Doctores. Alium gratia ſcientiæ donatum, ſeu creatum ex Chariſmate; alium factum ex converſatione inter exercitatos, ex humano labore, ac ſtudio. Quod Doctoratus fuerit inter primitivæ Eccleſiæ Chariſmata, diſertè affirmat Sanctus Paulus in epiſtola ad Epheſios. Inter eadem in prima ad Corinthios epiſtola numerat donum ſcientiæ. Et Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis aperuit ſenſum, ut Scripturas intelligerent. Nempè Apoſtolatus requirit, ac includit Paſtoratum, prophetiam, curationum gratiam, donum linguarum, Chariſmata omnia, ideoque & Doctoratum. Ita affirmant in
Fol. 679. 680. quinto ſuorum operum tomo Sanctus Joannes Chryſoſtomus, in libro de Pelagii apud Dioſpolitanam Synodum Geſtis Sanctus Auguſtinus, ac
Cap. 14. in commentariis ſuper primam ad Corinthios epiſtolam Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. In iſta epiſtola ſcribit Sanctus Paulus: *Scientia deſtruetur*. Cap. 14. Affirmat etiam ſcientiæ, ſeu Doctoratus Chariſma non fore in Eccleſia perpetuum, ideoque ipſam ſola fide, Spe & Charitate contentam fore ſuo tempore redigendam ad ſolos ex ſtudioſa inter exercitatos converſatione Doctores Et iſtam formam Eccleſia paſſim habebat Tertulliani tempore. Paſſim, non ubique. Etenim Tertullianus lucidè hìc affirmat tunc adhuc ſuperfuiſſe Doctores *donatos gratia ſcientiæ*. Quod ipſum de ſuo tempore teſtatur Sanctus Irenæus. Sanctus Paulus ſcribit: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Et Sanctus Irenæus commentatur: L. 5. c. 6.
Perfectos dicit eos, qui perceperunt Spiritum Dei, & omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum & ipſe loquebatur. Quemadmodum & multos audivimus in Eccleſia fratres prophetica habentes Chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes, & abſconſa hominum in manifeſtum producentes ad utilitatem, & myſteria Dei enarrantes, quos & ſpiritales Apoſtolus vocat. Laudat Chariſma linguarum, prophetiæ, ac diſcernendorum ſpirituum. Quod etiam precum, curationum, & ſuſcitandorum mortuorum Chariſmata ſuo adhuc tempore perſiſterent, teſtatur in alio loco. Haud dubiè perſiſtebant etiam ſcientia, & Do- Lib. 2. c. 56. 59.
ctoratus. Proindè iſta Chariſmata non unico ictu, ſed paulatim deſeruerunt Eccleſiam. Et hinc Tertullianus in præſenti loco mandat dubias fidelium circa regulam, aut aliud quodvis Dogma quæſtiones & curioſitates non ad Gnoſticos, aut alios quoſvis hæreticos, ſed ad Eccleſiæ orthodoxos Doctores eſſe referendas. Præſertim ad Doctores *donatos gratia ſcientiæ*.

Rationem dat in priori ad Corinthios epiſtola Sanctus Paulus: *Tentatio vos non apprehendat, Cap. 10.
niſi humana*. Et inter humanas tentationes in epiſtola ad Philippenſes numerat etiam hanc: *Quicumque perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit*. Utique per Chariſma intellectus, aperti ſenſus, & ſcientiæ. Et quia iſtud Chariſma ad quoſdam hinc indè Doctores erat contractum, cunctas quæſtiones & curioſitates ad ipſos præſertim referri mandat Septimius. Et confirmat in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus: *Qui- L. 2. c. 5.
bus autem Deus revelat, niſi ambulantibus in via pacis, & in nullam præciſionem deviantibus?* Diſertè affirmat omnes fidelium ambiguitates, quæſtiones, & curioſitates, quas & ipſe numerat inter humanas tentationes, non ad hæreticos, aut ſchiſmaticos, ſed referendas eſſe ad pacificos & probatos in Eccleſia Doctores.

Noviſſimè ignorare melius eſt, &c.

Doctor pergit aſſerere, ac demonſtrare, quòd præfatæ, licèt ſalva regula fiant, quæſtiones ſunt quandoque curioſitatis libidines, paſſim inuti-

les, aliquando etiam pernicioſæ. Quia nempè *qui quod debeas noſti per fidem*, per eas *quod non debeas noris*. Hoc eſt, accipias occaſionem ſcandali, & à Divina juſtitia labi permittaris in errorem. Rationem dat in libris de Baptiſmo Sanctus Auguſtinus: *Ideò plerumque doctioribus minùs aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem, cum in rebus obſcurioribus diverſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id, quod ſentiebant, declaratum eſſe cognoſcant.* Non tantummodò prophanus Donatus, ſed etiam Sanctus Cyprianus per Theologicæ *curioſitatis libidinem* novit quod non debuit. Etiam Sanctus Firmilianus Cappadocum Metropolita, ac Primas Ponticorum. Et licèt hi nec Firmilianiſtas, nec Cyprianiſtos fecerint, infeliciter tamen ceſpitarunt. Quin & Firmilianus Catholicæ Communionis foſſam aliquanto tempore tranſiliit. Expertus eſt, ac demonſtravit iſtas curioſitates eſſe periculoſas & noxias. Satiùs illa ignoraſſet.

Fides tua te ſalvum fecit, non exercitatio Scripturarum.

Doctor exponit ſua ſuperiora verba: *Inter exercitatos converſatur.* Affirmat per ea intelligi exercitationem, inquiſitionem, & curioſitatem in intelligendis ſacris litteris. Harum intellectus eſt unicum Chriſtiani Doctoris officium, ideoque ſacræ Theologiæ alias intrudere quæſtiones eſt vino aquam admiſcere. Et Doctor adjungit iſtam exercitationem, licèt ſobriam & ſuis limitibus contentam, tamen non eſſe neceſſariam ad ſalutem ſolam, ſimplicem fidem ſufficere. Quod ipſum clamat omne Evangelium. Et omnes Patres. Inſignis in carmine de ſua vita eſt locus Sancti Gregorii Nazianzeni: *Nam ſermo fidei ſimplicis tibi ſufficit, cum qua ſalutem magna pars hominum capit. In eruditos nam fides ſolùm viros ſi caderet, eſſet nil Deo dives minùs.* Et in libro contra Manichæam fundamenti epiſtolam Sanctus Auguſtinus affirmat ſinceriſſimæ ſapientiæ cognitionem eſſe rariſſimum paucis in Eccleſia ſpiritualibus impertiri à Domino Deo conſuetum donum, atque adjungit: Cap. 4. *Cæteram turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Et in decimo de Sanctiſſima Trinitate libro Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis: Col. 231. *In ſimplicitate fides eſt, in fide juſtitia, in confeſſione pietas. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere ſollicitat. In abſoluto nobis, & facili eſt æternitas. JESUM ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum confiteri.* Per iſtud abſolutum & facile palàm intelligit Apoſtolicum ſymbolum.

Quæſtio eſt, An Septimius iſtam veritatem rectè probet ex adductis Domini apud Sanctum Cap. 9. Matthæum verbis? An iſtic Dominus laudet, ac præcipiat fidem Theologicam? Reſpondeo negativè. Etenim & iſta, & alia ſimilia verba Dominus ad ſanatos à ſe infirmos dixit, ac de ipſis ſcribit in libro contra Luciferianos Sanctus Hieronymus: Cap. 6. *Neque enim Centurio, aut illa mulercula, quæ per duodecim annos fluxu ſanguinis tabeſcebat, in Trinitatis Sacramenta crediderant, quæ poſt Reſurrectionem Chriſti Apoſtolis manifeſtata ſunt, ut meritò fides horum, quæ in myſterio eſt, laudaretur, ſed ſimplicitas mentis, & devota Deo ſuo anima approbata eſt. Dicebat enim illa mulier in corde ſuo.* Si tetigero veſtimentum ejus tantùm, ſalva fiam. *Hæc eſt fides, quam rarò inveniri Dominus pronuntiavit. Hæc eſt fides, quæ etiam apud eos, qui benè credunt, difficilè perfecta invenitur.* Fiat tibi, *inquit Deus*, ſecundùm fidem tuam. *Hanc ego vocem audire nolo. Si enim ſecundùm fidem meam fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, credo in Deum Spiritum Sanctum, credo in unum Deum, & tamen ſecundùm meam fidem nolo mihi fieri. Sæpè quippe venit inimicus homo, & inter Dominicam meſſem Zizania interſerit. Neque hoc dico, quod majus quidam ſit, quàm Sacramenti fides, quàm puritas animæ, ſed indubitata ad Deum fides arduè reperitur. Verbi gratia dictum ſit, ut quod volumus perſpicuum fiat, ad orationem aſſiſto: Non orarem, ſi non crederem. Sed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eoſque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco Crucis, nec priùs omitterem quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero. Ubi eſt fides? Siccine putamus oraſſe Jonam? Si tres pueros? Sic Danielem inter leones? Sic certè latronem in Cruce? Et hæc ego exempli cauſa ad intelligentiam ſenſus protuli. Cæterùm conveniat unuſquiſque cor ſuum, & in omni vita inveniet, quàm rarum ſit fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat.* Eadem de re ſcribit in præfatione ad ſecundum librum commentariorum ſuper epiſtolam ad Galatas: *Romanæ plebis laudatur fides. Non quòd aliam habeant Romani fidem, niſi hanc quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod devotio in eis major ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Et Evangelium, & Sanctus Paulus, & omnes ſacri Scriptores prædicant duplicem fidem. Aliam qua credimus in Dominum Deum, & revelatas ab ipſo veritates. Ex hac fide juſtus vivit; ipſa in nobis per charitatem operatur ſeu efficitur, per ipſam facimus bona opera & juſtificamur, ipſa manet cum ſpe & charitate, nunquam deſtruetur in hoc mundo, invenietur etiam dum Filius hominis venerit judicare vivos & mortuos. Alia eſt fides, de qua prior ad Corinthios epiſtola: Cap. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Apoſtolus reſpicit ad Domini verba, quæ firmæ fidei promiſerunt translationem montium.

tium. Et ex qua Sanctus Gregorius Thaumatur-
gus, & alii quidam Sancti ipſos tranſtulerunt.
Prior fides eſt gratum faciens Theologica virtus;
poſterior eſt gratis datum Chariſma. Diſertè id
docet in iiſdem litteris Apoſtolus: *Alii datur fi-
des in eodem Spiritu*. Ita Sanctus Barnabas, San-
ctus Stephanus, & quidam alii dicuntur fuiſſe
pleni fide & Spiritu Sancto. Notanda ſunt Apo-
ſtoli verba: *Omnem fidem*. Eſt locutio ſimilis
Cap. 1. huic in epiſtola Sancti Jacobi: *Omne gaudium exi-
ſtimate*. Hoc eſt, plenum gaudium, plenam fi-
dem. Proindè hæc fides eſt potiùs in voluntate,
quàm in intellectu: Eſt firma, ac plena in Do-
minum Deum fiducia, qua cuncta noſtra ab ipſo
poſtulata non hæſitamus adimplenda. De ea di-
Cap. 9 xit Dominus apud Sanctum Marcum: *Si potes
credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*. Et infimi
juvenis parens rectè reſpondit: *Credo Domine, ad-
juva incredulitatem meam*. Sentiebat enim ſibi
necdum eſſe iſtam plenam fiduciam, de qua Do-
Cap. 11. minus apud eundem Evangeliſtam: *Qui non hæ-
ſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcum-
que dixerit fiat, fiet ei*. Et iterum: *Omnia, quæ-
cumque orantes petitis, credite quia accipietis, &
evenient vobis*. Et nequaquam hæc fiducialis, &
gratis data, ſed ſola Theologica, & gratum fa-
ciens fides eſt ad juſtitiam, ac ſalutem neceſſa-
ria. Quare Dominicis verbis Tertullianus non
eſt uſus ad litteram. Eſt mos Africanus. Porrò
in laudatis locis Sanctus Hieronymus quædam
admiſcet ſpectantia potiùs ad Theologicæ fidei
perfectionem, quàm ad gratis datum Chariſma.
Eſt cum diſcretionis ſale legendus. Iſtud Cha-
riſma ſuo loco elucidabitur.

Fides in Regula poſita eſt.

Hodierna multorum quæſtio eſt, Quorum
articulorum expreſſa fides ſit neceſſaria ad juſti-
tiam, ac ſalutem? Doctor nervoſo compendio
reſpondet eſſe neceſſariam fidem in regula poſi-
tam: Omnes, & ſingulos articulos Symboli A-
Cap. 13. poſtolici. Hos enim omnes, tamquam ſubſtan-
Cap. 1. tiales regulæ partes, enumerat in hoc libro, in
libro de velandis virginibus, ac in libro contra
Cap. 2. Praxeam. Et in libro de Spectaculis ſcribit: *A-
quam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba
Cap. 4. profitemur*. Hoc eſt, memoriter reddimus for-
mulam Apoſtolici Symboli, ſingulos ejus arti-
culos, ſingula verba. Affirmat neminem poſſe
aliter baptizari. Eſt perpetua, & conſtantiſſima
totius ſub cœlo Eccleſiæ conſuetudo atque do-
ctrina. Patentiſſimè lucet ex Apoſtolico Cano-
ne, qui neminem baptizari permiſit, niſi poſt
fide ac memoria perceptum iſtud ſymbolum: Et
omne ſine illo datum Baptiſma habuit pro ſim-
plici ac informi. Ipſum cum ſuis additamentis
tradi poſtmodò juſſit Nicæna Synodus. Verùm
uti quædam addiderat, ita & quædam detraxe-
rat: Nempè articulos de Sancta Eccleſia, de re-
miſſione peccatorum, ac de carnis Reſurrectio-
ne. Hinc omnes, quæ ſolæ ſuis Catechumenis
illud tradere fuerant juſſæ, Orientales Eccleſiæ
ipſos mox ſuppleverunt: Et iſta ſupplementa
poſtmodò diſcuſſit Conſtantinopolitana Syno-
dus, ex ipſis meliora elegit, ac inſeruit ſuo ſym-
bolo. Et ipſum integrum tradi juſſit cunctis ba-
ptizandis. Quod baptizandi non dumtaxat de
Divinæ Majeſtatis Eſſentia, nec dumtaxat de
Dominica Incarnatione, ſed etiam articulos de
Sancta Eccleſia, de remiſſione peccatorum, ac
de vita æterna interrogarentur olim, ac reſpon-
derent, affirmat etiam in litteris ad Numidiæ Ep. 70.
Synodum, ac in litteris ad Magnum Sanctus Cy-
prianus. Et iſta erant neceſſaria ad Sacramen- Ep. 76.
ti effectum diſpoſitio. Neceſſarium ſalutis me-
dium.

Inſigniter hoc docet in ſuarum Catecheſeon
præfatione Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſo-
lymitanus: *Accipe hanc admonitionem, ut ea quæ
in Catecheſibus traduntur, ſic diſcas, quò poſſis ea
in perpetuum cuſtodire. Non exiſtimes inſtitutiones
iſtas eſſe ſimiles homeliis. Quamvis & illæ bonæ
ſint, & fide dignæ. Si quid in illis hodie neglexe-
rimus, cras diſcere poterimus. Hæc verò, quæ de
Lavacro Regenerationis per ordinem tradimus docu-
menta, ſi hodiè neglexeris, quando tandem corri-
gentur? Exiſtima tempus id eſſe plantationis arbo-
rum: Quo niſi fodiamus & inſeramus, quando
tandem poterit rectiùs plantari, quod ſemel & malè
plantatum eſt? Ædificium quoddam eſſe intelligas
Catecheſim: Ac niſi ordine vinculis conſtringamus
ſtructuram, debile fiet ædificium. Sed & operæ pre-
tium eſt, lapidem lapidi apponi, & angulum angu-
lo conjungi, atque ſuperfluis abſciſſis perfectas ædes
efficere. Ad eundem modum afferimus tibi tamquam
lapides cognitionis. Audire oportet de Deo vivente,
audire opus eſt de Chriſto, audire neceſſè eſt de Re-
ſurrectione, & alia permulta ex ordine dicenda
ſunt, quæ nunc tantùm ſummatim recenſentur,
deinceps verò ſatis ſuo ordine explicabuntur. Si vel
unum ex his non perceperis, etiamſi primorum, aut
ſecundorum memineris, ædificator quidem benè
ædificat, tu verò fluxum & debile habebis ædifi-
cium*. Palàm affirmat omnes & ſingulos Symbo-
li articulos eſſe ſcitu neceſſarios, & ſine vel unius
peritia eſſe caducum Baptiſmi ædificium. Ædifi-
cium, in quo lapis non cohæret lapidi, ideoque
non poſſit non eſſe ruinoſum. Affirmat eſſe ſim-
plex ac informe Sacramentum.

Magno teſtimonio atque exemplo hæc confir-
mat in ſpirituali Prato Sanctus Sophronius Pa-
triarcha Hieroſolymitanus: *Interrogatus eſt ali- Cap. 193.
quando Sanctus Athanaſius, poſtquam Alexandriæ
Epiſcopus conſtitutus fuit, an poſſet quiſpiam ſine
Fide baptizari ſecundùm ritum & prædicationem
Chriſtianorum? Quid de illo ſentiendum ſit? Aut
quomodo ſuſcipiat illum Deus? Et reſpondit di-
cens: Audivi aliquando à ſenioribus noſtris, quòd
Beato Petro Epiſcopo & Martyri, cùm facta eſſet
mortalitas, & plerique ad Baptiſma mortis timore
confugerent, apparuerit Angelus humana ſpecie,
dicens: Quamdiu huc mittitis marſupia iſta, ſigna-
ta quidem, inania autem prorſùs, & vacua, &*

nihil intùs habentia? Imminens mors multos non permiſerat plenè catechizari: nec doceri omne Symbolum. Et Sanctus Patriarcha Petrus ex paterna commiſeratione permiſerat baptizari. Et hos omnes eſſe ſignata quidem, verùm vacua marſupia, ſeu datum illis Lavacrum, licèt validum, eſſe tamen informe, edixit cœleſtis Angelus. Quod ipſum confirmat in libro de Fide & operibus Sanctus Auguſtinus. Etenim quibuſdam dicentibus, *Priùs baptizetur, deindè doceatur quid ad bonam vitam moreſque pertineat*, reſpondet: Cap. 6. *Fit hoc ubi quemquam fortè dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, Sacramentumque percipiat, ut ſi ex hac vita migraverit, liberatus exeat à reatu omnium peccatorum.* Pauciſſima iſta verba ſunt omninò Apoſtolicum Symbolum. Et extremis etiam Clinicis debent hic tradi ut comprehendant omnia: Omnes articulos. Nullus hic locus eſt diſpenſationi aut moderationi. Eſt neceſſitas medii. Sancto Auguſtino conſonat in epiſtola ad Magnum Sanctus Cyprianus, affirmans Clinicos, licèt dumtaxat adſpergantur aut perfundantur, & veraciter & fructuosè baptizari, dummodò tamen *tota & plena Fide* ſumatur Sacramentum. Reperitis aliquoties verbis iſtius Baptiſmi fructum fundat in plena Fide. Utique omnium articulorum. Etiam neſcio quem medicum Dioſcorum: *qui Symbolum non tenuerat, aut fortaſſe temere recuſaverat, & ſe non potuiſſe excuſaverat*, atque ita fuerat baptizatus, fuiſſe repentina cœcitate & omnium membrorum paralyſi percuſſum ab irato Domino Deo, teſtatur Sanctus Auguſtinus. Etenim hic non ſufficit: Ep. 67. *Numeros memini, ſi verba tenerem.* Omnem Symboli formulam & conſequentiam oportet à nobis teneri memoria tenaciſſima ac promptiſſima. Nec aliter quis unquam potuit aut poterit baptizari. *Hæc verba, quæ pauca numero, ſed magna ſunt pondere, ex more omnium Eccleſiarum baptizandis intimantur.* Ita Auguſtinus in libro de Geſtis Cap. 11. Pelagii in Synodo Dioſpolitana. Quòd ipſum affirmat in pluribus aliis locis.

Quam doctrinam conſtanter tenuerunt etiam media Chriſti Domini ſæcula. Etenim ad Sancti Apoſtoli noſtri Bonifacii, quoſdam à ſacrilegis Francorum Epiſcopis eſſe ſine Symboli interrogatione baptizatos referentis, ac circa iſtius Baptiſmatis valorem hæſitantis, quæſtionem reſpon- Epiſt. 9 dit Sanctus Papa Gregorius ſecundus: *In his tua* cap. 8. *Dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ. Quia quiſquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minimè licet. Doctrinam verò ſpiritualem talibus ut ſtudioſiùs impertias, demandamus.* Iſtorum Epiſcoporum ſacri- Ep. 11. legum facinus elucidat in ſuis ad eundem Apoſtolum litteris Sanctus Papa Zacharias: *Sed nec ipſa verba ſolemnia, quæ debet unuſquiſque Catechumenus, ſi talis ætatis eſt, ut jam intellectum habeat, ſenſu cordis ſui percipere ac intelligere, nec doceat, nec quærunt ab eis, quos baptizare debent.* Bonifacius iſtud Baptiſma fuit adeò averſatus, ut hæſitaret de ipſo exſufflando. At eſſe firmum, ſimplex tamen, reſpondit uterque Pontifex. Et hinc lapſam apud nos Chriſtianitatem reparans Carolus Magnus, per ſua Capitularia ſeriò injunxit omnibus Epiſcopis ac Presbyteris, ut omnes & ſingulos Apoſtolici Symboli articulos ubique prædicarent ac docerent. Et Francofordienſis Synodus ſtatuit: *Symbolum Fidei omnibus prædicetur ac tradatur.* Lib. 1. cap. 82. Et Forojulienſis, ſub Adriani primi Papatu celebrata, Synodus habet: *Symbolum & Orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat. Omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, maſculi, fœminæ, juvenes, ſenes, ſervi, liberi, pueri, conjugati, innuptæ puellæ. Quia ſine hac benedictione nullus poterit in Cœlorum Regno percipere portionem.* Cap. 33. Et in ſuo Capitulari ſtatuit Sanctus Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis: *Commonendi ſunt Fideles, ut generaliter omnes, à* Cap. 22. *minimo uſque ad maximum, Orationem Dominicam & Symbolum diſcant. Et dicendum eis, quòd in his duabus ſententiis omne Fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit. Et niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentarit, Catholicus eſſe non poterit.* Addit ſine his neminem, qui quidem per ætatem poſſit loqui, poſſe baptizari aut confirmari.

Regino Abbas Prumienſis ſuo Capitulari inſeruit hunc Canonem Rhemenſis Concilii: *Ut omnis Presbyter omnibus Parochianis ſuis Symbolum &* Lib. 1. cap. 272. *orationem Dominicam inſinuet. Et cum ad Confeſſionem tempore Quadrageſimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter ſibi decantari faciat, nec ante ſanctam Communionem alicui tradat, niſi hæc ex corde pronuntiare noverit. Siquidem ſine horum ſcientia nullus ſalvus eſſe poterit. Nullus autem de ſoliditate ſenſus, vel tenuitate ingenii cauſetur. Quia hæc tam parva ſunt, ut nemo tam hebes & barbarus ſit, qui hoc diſcere, & verbis communibus pronuntiare non poſſit.* Et Anglicanæ Eccleſiæ ſub Edgaro Rege Canones ſtatuunt: *Quiſque diſcat,* Pater noſter & Credo, *priuſquam in conſecrato* Cap. 22. *ſepeliatur cœmiterio, vel idoneus cenſeatur Eucharistiæ percipiendæ. Propterea non eſt Chriſtiano dignus nomine, qui hæc noluerit ediſcere.* Adjungit eum, qui hæc ignoraverit, non admitti ad Patrini officium. Iſtud ipſum habet lex Canuti Regis: *Et quidem qui hæc condiſcere noluerit, nec* Cap. 22. *ullam morte deletus cum Chriſtianis capiet tranquillæ quietis partem, nec vivus & ſuperſtes ad Eucharistiam admittetur, nec ipſo denique viri Chriſtiani nomine dignus putabitur.* Et Symboli & Dominicæ Orationis neceſſitatem exaggerat etiam in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis, atque adjongit: *Quæ duo omnes Chriſtiani ſcire debent, aut Patria aut Latina lingua. Quia qui hoc ignorat, adhuc Chriſtianus non eſſe convincitur.* Quod ob ignoratos Fidei articulos plurimi pereant, edixit in ſua Albigenſi Synodo etiam Zoenus Avenionenſis Epiſcopus, ac Innocentii quarti per Galliam Legatus, atque adjungit: *Pueri à ſeptennio & ſuprà ad Eccleſiam à Parentibus adducantur diebus Dominicis & Feſtivis, ut in Fide Catholica inſtruantur, atque addiſcant,* Credo in Cap. 6. Deum,

Digitized by Google

Deum, & Pater noſter, & *ſalutationem Beatæ Virginis*. Exſtat Synodus in Spicilegio Domini Lucæ Dacherii.

Notanda ſunt Honorii Auguſtodunenſis verba: *Aut Patria, aut Latina lingua*. Qui mos etiamnum permanet in quibuſdam Galliæ Regionibus. Plures Ruſticani Symbolum & orationem Dominicam norunt Latinè, non Gallicè. Eſt peſſimus mos, & obnoxius æternæ ruinæ. Et hinc in ſuo Capitulari rectè ſanxit venerabilis Cap. 2. Ayibo Epiſcopus Baſileenſis: *Jubendum, ut Oratio Dominica, in qua omnia neceſſaria humanæ vitæ comprehenduntur, & Symbolum Apoſtolorum, in quo Fides Catholica ex integro comprehenditur, ab omnibus diſcatur tam Latinè quàm Barbaricè. Ut quod ore profitentur, corde credant & intelligant*. Dominus Lucas Dacherius voci, *Barbaricè*, dedit hoc marginale Scholion: *Germanicè ſeu Franciſcè*. Nativa enim Francorum lingua eſt Theotiſca, ſeu Germanica. Et Sanctus Cudbertus, qui ſub Sancti Zachariæ Papatu rexit Cantuarienſem Eccleſiam, ſtatuit in ſua primus Angliæ Synodo: *Dominicam Orationem & Symbolum Presbyteri Anglicè diſcant & doceant*. Exſtat Synodus apud Guilielmum Malmeaberienſis Monaſterii Bibliothecarium in primo libro de Geſtis Pontifi- Fol. 197 cum Anglorum. Requiſivit ſolam Anglicanam linguam, non Latinam. Et rectè. Eſt Decretum omnibus Gentibus neceſſarium.

Quædam videntur obſiſtere. Etenim quod Reginæ Candacis Eunucho Philippus Diaconus, & pluribus millibus à ſe in die Pentecoſtes baptizatis Sanctus Petrus Apoſtolus non plenum Symbolum, ſed unicum Dominicæ œconomiæ articulum tradiderint, diſertè affirmat Sanctus Ire- Lib. 4. cap. 40. næus. Quod ipſum de Philippo Diacono aſſerverunt & alii apud Sanctum Auguſtinum de Fide & operibus. Et iſtud ipſum docet in decima nona homilia ſuper Apoſtolicos Actus Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et de Clinicis ſanxit Synodus Laodicenſis: *Oportet eos, qui in morbo Ba-* Can. 47 *ptiſmum accipiunt, deindè reſurgunt, Fidem ediſcere, & noſſe quod Divino munere digni habiti ſunt*. Gentianus Hervetus tranſtulit: *Fidei Symbolum edoceantur*. Synodus omninò agit de fructuoſo Baptiſmate, atque ita ſupponit ipſum in iſto caſu poſſe obtineri ſine Symboli notitia. Præterea, naturaliter mutos & ſurdos Eccleſia ſemper baptizavit: & credidit fructuosè baptizari. Eiſdem enim impartit Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, ac Eccleſiaſticam ſepulturam. At verò iſti non poſſunt noſſe aut doceri Symbolum.

Ad primum reſponſurus in laudato libro Sanctus Auguſtinus præmittit etiam varios, quos Apoſtoli omninò ſervandos ſanxerunt, adeoque & à Philippo Diacono fuiſſe ſervatos non eſt dubitandum, ritus non eſſe memoratos à Sancto Cap. 9. Luca, atque adjungit: *Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda admiſit cætera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atque in eo quod ait*, Baptizavit eum Philippus, *intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis* *Ceiſſ. Lupi Opera Tom. IX.* *gratia brevitatis, tamen ſerie traditionis ſcimus implenda; pari modo etiam in eo, quod ſcriptum eſt Philippum evangelizaſſe Spadoni Dominum, nullo modo dubitandum eſt, & illa in Catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam moreſque pertinent. Hoc eſt enim evangelizare Chriſtum: Non tantùm dicere quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſervanda ei, qui accedit ad compagem Corporis Chriſti. Imò verò cuncta dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto: Non ſolùm cujus ſit Filius, undè ſecundùm Divinitatem, undè ſecundum Carnem genitus, quæ perpeſſus, & quare, quæ ſit virtus Reſurrectionis ejus, quod donum Spiritus promiſerit, dederitque Fidelibus; ſed etiam qualia membra, quibus ſit caput, quærat, inſtituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honoremque perducat*. Palàm aſſeverat, quòd Philippus Eunucho tradiderit, ac ſibi reddi juſſerit plenum Symbolum: Omnes & ſingulos ejus articulos. Imò non ſolum Symbolum, ſed & cunctos Canones Chriſtianæ vitæ ac diſciplinæ. Nec ſine fundamento. Etenim iſtorum omnium traditio comprehenditur in Dominico Præcepto: *Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*.

Sanctus Irænæus ingreditur aliam viam. Affirmat Eunuchum à lecto Iſaia Propheta didiciſſe omnia venturi Mediatoris myſteria & adjungit: Lib. 4. cap. 40. *Philippus facilè ſuaſit ei credere eum eſſe Chriſtum* JESUM, *qui ſub Pontio Pilato crucifixus, & paſſus quæcumque prædixit Propheta, eumque eſſe Filium Dei, qui æternam vitam hominibus dat. Et ſtatim ut baptizavit eum, diſceſſit ab eo. Nihil enim aliud deerat ei, qui à Prophetis fuerat præcatechizatus. Non Deum Patrem, non converſationis diſpoſitionem, ſed ſolum adventum ignorabat Filii Dei. Quem cùm breviter cognoviſſet, agebat iter gaudens, præco futurus in Æthiopia Chriſti Adventus. Quapropter non multum laboravit circa eum Philippus, qui erat in timore Dei præaptatus à Prophetis. Propter hoc autem & Apoſtoli oves colligentes, quæ perierant domus Iſrael, de Scripturis alloquentes eos, oſtendebant* JESUM *crucifixum hunc eſſe Chriſtum Filium Dei vivi & magnam multitudinem ſuadebant, quæ tamen habebat timorem ad Deum. Et una die baptizati ſunt hominum tria millia, & quatuor, & quinque*. Plenam Apoſtolici Symboli fidem ac notitiam eſſe juſtitiæ ac ſalutis neceſſarium medium docet conſtantiſſimè Sanctus Irenæus. Verùm addit ejus expoſitionem Eunucho non fuiſſe neceſſariam. Eunuchus enim erat Judæorum proſelytus, ideoque omnes circa Divinæ Majeſtatis Eſſentiam, mundi creationem, ac promiſſi Mediatoris œconomiam articulos, necnon & rectæ vitæ regulas ex Lege & Prophetis noverat: Ei nihil deerat, niſi credere & noſſe quòd JESUS MARIÆ Filius, nuperrimè à Judæis crucifixus, & à Deo Patre reſuſcitatus à mortuis, eſſet promiſſus Mediator. Hoc ipſi perſuaſit Philippus: Et ita profitentem, *Credo* JESUM *eſſe Filium Dei*, ſtatim baptizavit.

Eadem eſt ratio Judæorum, quorum aliquot millia uno die Sanctus Petrus baptizavit. Ipſos aut ſpiritales, aut certè ſpiritalibus proximos

 fuiſſe,

fuiſſe, adeoque etiam jam dicta omnia ex Lege & Prophetis noviſſe, affirmat in libris de Doctrina Chriſtiana Sanctus Auguſtinus. Et rectè affirmat. Quare illis nihil deerat, niſi credere, quod JESUS nuperrimè crucifixus eſſet promiſſus Meſſias. Hoc eis Petrus impreſſit, & ita ſtatim baptizavit. Hinc in epiſtola ad Hebræos etiam Sanctus Paulus Apoſtolus aliud non ſtudet, quam iſtam Fidem perſuadere. Quod ipſum & ipſe & cuncti Apoſtoli in cunctis ſuis ad Judæos & Scriptis & ſermonibus ſtuduerunt. Et etiamnum nos hodie omnes aliud non curamus apud reliquias iſtius populi. Et hic eſt unicus articulus, per quem in fine ſalvi fient. Iſtud ipſum docet Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Eadem de cauſa Philippus baptizatum Eunuchum ſtatim dereliquit. Sine cauſa id nec ille fecit, nec Sanctus Lucas ſcribendum cenſuit. Nempè Neophytos non ſtatim dimittit, ſed per aliquod tempus detinuit ſemper apud ſe Eccleſia. Uti nunc diſciplinata Cœnobia ſuos recenter Profeſſos per aliquod tempus cuſtodiunt in Profeſſario. Eſt Canon Apoſtolicus. At verò per Legem & Prophetas præcatechizatus Eunuchus non indigebat iſta cuſtodia. Hinc à Philippo fuit ſtatim ſibi permiſſus ac dimiſſus: Et quidem futurus Chriſti Domini Præco apud ſuos Æthiopes.

Eadem de cauſa ſcribit de ſemetipſo Sanctus Paulus Apoſtolus in priori ad Corinthios epiſto-
Cap. 15. la: *Plus omnibus laboravi.* Quod nempe non Circumciſionis, ſed Gentium eſſet Apoſtolus, ideoque ſuis baptizandis non iſtud unicum punctum, ſed omnes & ſingulos totius Symboli articulos debuiſſet perſuadere atque imprimere. Ita iſtud ejus
Lib. 4. cap. 41. verbum exponit Sanctus Irenæus. Et rectè. Iſtud tamen habet & alia fundamenta. Porrò an Eunucho Philippus, ac Judæorum millibus Sanctus Petrus non tradiderit, nec ſibi reddi juſſerit Symboli formulam, eſt digna quæſtio. Ego exiſtimo affirmandum. Et ita ſuadeor ex Apoſtolica ad Hæbreos epiſtola:
Cap. 5. *Cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rursùm indigetis, ut vos doceamini, quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei.* Et iterùm:
Cap. 6. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectionem feramur, non rursùs jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum Baptiſmum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac Reſurrectionis mortuorum, & Judicii æterni.* Hæc epiſtola ſcripta eſt ad Fideles Judæos, quorum Primitivi ac Primores erant baptizati à Sancto Petro. Et ab aliis Apoſtolis. Et *elementa exordii ſermonum Dei* omninò ſunt Apoſtolicum Symbolum. Hoc item eſt ſermo inchoationis Chriſti. Et Baptiſmatum doctrina. Et fundamentum pœnitentiæ. Nam in ipſo credimus in Deum, profitemur futurum Chriſti Domini æternum Judicium, & generalem Carnis reſurrectionem. Et notanda ſunt verba: *Rursùm indigetis ut vos doceamini.* Edicunt fideles Judæos iſtud Symbolum fuiſſe edoctos: Quod nempe ipſum ſuis baptizandis Sanctus Petrus, ideoque & Philippus, tradidiſſent, ac ſibi juſſiſſent reddi. Et ita in laudato libro de Fide & operibus omninò affirmat Sanctus Auguſtinus. Nec Sanctus Irenæus inficiatur. Interim ex his habemus duo. Primò, quòd Sanctus etiam Irenæus doceat omnes & ſingulos Symboli articulos eſſe neceſſarium juſtitiæ ac ſalutis medium. Deinde, quòd Sanctus Paulus in epiſtola ad Hebræos palam laudet Apoſtolicum Symbolum, ac affirmet ipſum debere tradi in Baptiſmo.

Ad ſecundum reſpondeo, Laodicenſem Canonem non velle aliud, quàm quòd de vita periclitantes Clinici non ſint cogendi ad Symboli formulam diſcendam memoriter, & ipſam verbotenùs reddendam. Differri hoc poſſe in tempus redditæ ſanitatis. Loquitur de Clinicis, qualem apud Comanenſes fuiſſe nobilem, ac in bello à barbaris lethaliter læſum juvenem Archiam refert in oratione adversùm illos, qui Baptiſma differunt, Sanctus Gregorius Nyſſenus. Quòd illis, licèt non memorialis, tamen plena totius Symboli notitia ſit neceſſarium medium, jam dixi ex Sancto Cypriano ac Sancto Auguſtino. Audiamus hujus alia verba: *Cur non id ſequimur,* Cap. 9.
atque auferimus cætera, quæ neceſſe habemus, etiam cùm ad baptizandum temporis urget anguſtia, exprimere interroganda, ut baptizatus ad cuncta reſpondeat, etiamſi ea memoriæ mandare non valuit? Disertè affirmat Clinicum eſſe interrogandum ſingulos articulos, & oportere ut ipſe ad ſingulos reſpondeat. Et non excuſari, niſi ab illis memoriæ imprimendis. Quare ſi Clinicus ante perceptos omnes articulos obmuteſcat inops mentis, atque ita baptizetur, erit marſupium ſignatum, at vacuum. Rectè de iſtis Clinicis ſtatuit in ſuo Capitulari venerabilis Atto Vercellenſis Epiſcopus: *Si imminenti periculo obmutuerint, per* Cap. 18.
Chriſtianiſſimos teſtes eorum Fides examinetur, qui illis antequam obmutuerunt, adfuiſſent. Et ſi eorum teſtimoniis digni fuerint inventi, baptizentur. Si ex tali teſtimonio doceantur calluiſſe Symbolum. Scio illum Clinicum Manichæum, quem mutum ac mentis impotem fuiſſe baptizatum teſtatur in Confeſſionum libris Sanctus Auguſtinus, fuiſſe & juſtificatum. Aſt etiam ſcio atque Lib. 4. cap. 4.
addo iſtud fuiſſe ſingulare beneficium, quo Divina Miſeratio per Sacramentum operata fuit & ipſius fructum & diſpoſitionem. Eadem extra regulam miſeratio fuit operata in iſtis Mimis, qui in theatro Sacramentum irridentes fuerunt ſubitò mutati, & fructuosè baptizati. Fuerunt catechizati per Chariſma ab ipſo Spiritu Sancto. Verùm iſta miſeratio non eſt facilè præſumenda.

Circa tertium reſpondet in ſuo Capitulari laudatus Atto: *Hi qui ab infantia muti fuerunt, ſi* Cap. 18.
aliquibus nutibus aut indiciis Chriſtianos ſe eſſe velle, vel Baptiſmum petere videantur, non eſt illis vetandum. Et in animæ Gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Parvuli, vel muti, vel ſurdi, vel fatui per petitionem fidelium catechizantur, baptizantur, & per fidem illorum ſalvantur.* De infantibus ac fatuis, imò de dumtaxat mutis non eſt difficultas. Circa ſurdos & mutos eſt magna. Quia fides eſt ex auditu. Rem inſignem refert in Chronico Marcellinus Comes, exponens Hu-

netici

nerici Wandalorum in Africa Regis Arianas perſecutiones in Catholicos: *Nempè tunc idem Rex Hunericus unius Catholici adoleſcentis, vitam à nativitate ſua ſine ullo ſermone ducentis, linguam præcepit excidi, idemque mutus, quòd ſine humano auditu Chriſto credens Fide didicerat, mox præciſa ſibi lingua locutus eſt, gloriamque Deo in primo vocis ſuæ exordio dedit*. Poſt exciſam linguam mox cœpit loqui. Et prima ejus vox fuit inviſum Arianis Canticum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Nempè omnem Chriſtianam Fidem ſine auditu noverat. Ex Chariſmate. Simile fatuiſſimi Morionis Chariſma laudat in libris de peccatorum meritis ac remiſſionibus Sanctus Au- Lib. 1 cap. 22 guſtinus: *Quidam ita excordes ſunt, ut etiam cirrati ad movendum riſum exhibeant cordatis delitias fatuitatis, quorum nomen ex Græco derivatum Moriones vulgus appellat. Talium tamen quidam fuit Chriſtianus, ut cùm eſſet omnium injuriarum ſuarum mira fatuitate patientiſſimus, injuriam tamen Chriſti nominis, vel in ſe ipſo religionis, qua imbutus erat, ſic ferre non poſſet, ut blaſphemantes, videlicet cordatos, à quibus hæc, ut provocaretur, audiebat, inſectari lapidibus non deſiſteret, nec in ea cauſa vel dominis parceret. Tales ergò prædeſtinari & vocari arbitror, ut qui poſſunt, intelligant Dei gratiam, & Spiritum qui ubi vult ſpirat, ob hoc omne ingenii genus in filiis miſericordiæ non præterire, itemque omne ingenii genus in gehennæ filiis præterire, ut qui gloriatur, in Domino glorietur*. Exiſtimat iſtiuſmodi miſerabiles homines doceri ab unctione. Et eſt omninò credendum. Nam & noſtris diebus novimus à nativitate hominem ſurdum & mutum, qui omnia Chriſtianitatis Arcana, etiam Sacro-Sanctæ Euchariſtiæ myſterium, optimè noverat. Grande igitur eſt hoc Tertulliani compendium: *Fides in regula poſita eſt*.

Habes legem, & ſalutem de obſervatione legis.

Doctor affirmat non ſolam regulæ notitiam ac fidem ſufficere ad juſtitiam & ſalutem, ſed inſuper requiri legem, ac legis per bona opera obſervantiam. Reſpicit Domini Verbum: *Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*. At verò Dominus mandavit *ſobriè, juſtè, ac piè vivere in hoc ſæculo*. Sobriè in ſemetipſum, juſtè in proximum, piè in Dominum Deum. Doctor agit in Gnoſticos, qui nos Catholicos eſſe Pſychicos ſeu animales, ſeſe garriebant ſpiritales, incontaminabiles, ac immaculabiles: Se nullo facinore, aut flagitio poſſe maculari, ideoque ſibi licere omnia. In eoſdem agunt ſequentia verba: *Exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti*. Nequaquam damnant Orthodoxa Scripturarum ſtudia. Abſit. Damnant ſola Gnoſtica ſtudia, quæ damnat & Cap. 3. Sanctus Jacobus Apoſtolus: *Nolite plures Magiſtri fieri, fratres mei*. Gnoſticorum quippè ſtudia non veritatem diligebant, ſed captabant humanam gloriam. Quiſque volebat ſapere ſuprà alterum: Etiam ſuprà Apoſtolos, imò & ſuprà Chriſtum Dominum, ac ejus Patrem Demiurgum. Hinc Sanctus Jacobus addit eorum ſapientiam carere manſuetudine, ſcatere zelo & contentionibus, eſſe mendacem adversùs ipſam incommutabilem veritatem, eſſe *terrenam, animalem, Diabolicam*. Scelerata iſta ſapientia diſtinguebat triplex hominum genus, terrenum, animale, ſpiritale. Huc reſpicit Apoſtolus, & affirmat ipſam eſſe terrenam, animalem, & non ſpiritalem, ſed Diabolicam. Hinc & Tertullianus dicit: *Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant adversùs Regulam*. Eſt paraphraſis Sancti Jacobi Apoſtoli: *Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe adversùs veritatem*. Etenim zelo & contentionibus infectum cor eſt humana, quæ poſſit ſperare veniam, infirmitas; at verò Gnoſtica adversùs ipſam incommutabilem veritatem gloriatio, atque mendacium ſunt blaſphema, & contumax rebellio in Spiritum Sanctum. Et certè noſtra Fidei & morum regula eſt ipſe Deus. Hinc *nihil ultrà ſcire eſt ſcire omnia*. Et hæc diriguntur in Gnoſticos, qui ſupra Deum Creatorem ſemper quærebant alium, & alium ſuperiorem.

Ut non inimici eſſent veritatis hæretici, &c.

Quod Chriſtianæ quæſtiones nequeant ſolvendæ referri ad hæreticos, generatim jam demonſtravit Septimius. Nunc addit, quòd ſingularis inſuper ratio vetet iſtam relationem fieri ad Gnoſticos. Et quidem ratio tanta, quæ plenè obtineat, licèt illi, utique per impoſſibile, non forent hæretici aut veritatis inimici. Audi rationem: *Quale eſt conferre cum hominibus, qui & ipſi adhuc ſe quærere profiteantur? Si enim adhuc verè quærunt, nihil adhuc certi repererunt: Et ideò quæcumque videntur interim tenere, dubitationem ſuam oſtendunt, quamdiu quærunt*. At verò uti nudus nequit operire nudum, ita nec incertus docere incertum, nec dubius poteſt firmare dubium, ſed cæcus cùm cæco debet in foveam deviare. Eodem argumento utitur Sanctus Irenæus: *Gnoſtici alienati à veritate, dignè in omni* Lib. 3. cap. 40. *volutantur errore. Fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de iiſdem ſentientes, & nunquam ſcientiam ſtabilem habentes, Sophiſtæ verborum magis eſſe volentes, quàm diſcipuli veritatis. Non enim ſunt fundati ſuprà unam petram, ſed ſuper arenam, habentem in ſeipſa lapides multos. Propter hoc & multos Deos fingunt. Et quærere quidem ſemper in excuſatione habent. Cæcutiunt enim, invenire verò nunquam poſſunt*. Hinc neque docere. Franciſcus Fevardentius pro vocibus, *Suprà unam petram*, poſuit. *Suprà vivam petram*. Malè. Lucet ex antitheſi: *Habentem in ſeipſa lapides multos*.

ſos. Eſt inſigne teſtimonium pro unitate Eccleſiæ.

Sed cùm decipiendi gratia prætendunt ſe adhuc quærere, &c.

Sanctus Irenæus jam ſtatim dixit: *Quærere ſemper in excuſatione habent*. Et hæc brevia verba
Lib. 3. cap. 15. alibi latiùs exponit: *Valentiniani ad multitudinem propter eos, qui ſunt ab Eccleſia, quos communes Eccleſiaſticos ipſi dicunt, inferunt ſermones, per quos capiunt ſimpliciores, & illiciunt eos, ſimulantes noſtrum Tractatum, ut ſæpiùs audiant. Qui & queruntur de nobis, quod cum ſimilia nobiſcum ſentiant, ſine cauſa abſtineamus nos à communicatione eorum. Et cum eadem dicant, & eandem habeant doctrinam, vocemus illos hæreticos. Et cum dejecerint aliquos per quæſtiones, quæ ſiunt ab eis, nec non contradicentes fecerint auditores ſuos, his ſeparatim inenarrabile Plenitudinis ſuæ enarrant myſterium. Decipiuntur autem omnes, quia quod eſt in verbis veriſimile, putant ſe poſſe diſcere à veritate. Suaſorius enim & veriſimilis eſt, & exquirens fucos error. Sine fuco autem eſt veritas. Et propter hoc pueris credita eſt. Et ſi aliquis quidem ex his qui audiunt eos, quærat ſolutiones, vel contradicat eis, hunc quaſi non capientem veritatem, & non habentem de Superioribus à Matre ſua ſemen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes eſſe illum, hoc eſt, Pſychicorum. Si autem aliquis, quaſi parvam ovem, deditum ſemetipſum ipſis præbeat imitationi illorum, & redemptionem illam conſecutus eſt, inflatus eſt talis, neque in Cœlo, neque in terra putat ſe eſſe, ſed intra Pleroma introiſſe, & complexum jam Angelum ſuum, cum inſtitorio & ſupercilio incedit, gallinacei elationem habens.*

Prodit varios Valentinianorum mores, & dolos. Valentiniani primò noſtrum fidelem populum appellabant communes Eccleſiaſticos: Pſychicos, ſeu animales per contemptum. Secundò, ipſos venabantur in ſua erroris retia: Præſertim ſimpliciores. Etenim omnes hæretici ſemper ſtuduerunt, ac ſtudebunt non ex paganis Chriſtianos facere, ſed ex Chriſtianis Catholicis hæreticos. Tertiò illi apud noſtram plebem ſimulabant noſtrum Tractatum: Noſtrum Dogma noſtro more docebant & prædicabant. Quò ita ſæpiùs ab iſta accederentur, & audirentur. Quartò de noſtris Epiſcopis & Doctoribus querebantur: Querebantur ſibi eadem ſentientibus & tradentibus non communicari. Se devitari, & contemni ut hæreticos. Quintò, noſtris varias Dogmaticas quæſtiones proponebant: Ita dejicere conabantur, & quandoque dejiciebant. Dejiciebant, & ſuos auditores faciebant etiam illos, qui ipſis anteà conſtanter contradixerant. Eorum quippe ſermo erat fucatus, ideoque veriſimilis & ſuaſorius. Sextò, ſcelerata ſapientia non patiebatur conſtantem contradictionem, præſertim quæ quæſtionum ſolutiones exquireret. Norat enim ſe non in veritatis petra ſtare, ſed in arena fabularum. Septimò, iſtiuſmodi contradictores aſſerebat eſſe mediæ naturæ, Pſychicos ſeu animales incapaces luminis & ſapientiæ. Hinc iſtos ſibi ipſis relinquebat. Octavò, ab iſta falſa ſapientia seducti erant ſubitò inflatiſſimi: Exiſtimabant ſe ipſo Creatore Deo ſapientiores. Hæc reſpicit Septimius, & ſcribit: *Sed cum decipiendi gratia prætendunt ſe adhuc quærere, ut nobis per ſollicitudinis injectionem Tractatus ſuos inſinuent.* Denique ubi adierint ad nos, utique per ſibi datam à nobis fidem, dum nos ad ſibi præſtandam audientiam circumſcripſerint, *quæ dicebant credenda eſſe defendunt*. Hinc concludit: *Jam illos debemus ſic refutare, ut ſtiant nos non Chriſto, ſed ſibi negatores eſſe*. Affirmat illis eſſe conſtanti & revelata facie refragandum.

Gnoſticorum filii ac diſcipuli Manichæi & Priſcilianiſtæ utebantur iiſdem fraudibus. Conſtantiſſimè ſe negabant hæreticos, pertinaciter aſſeverabant Catholicos. Eorum regula erat: *Jura, perjura, Secretum prodere noli*. Ita in libro contra mendatium teſtatur Sanctus Auguſtinus. Quod etiam noſtræ Eccleſiaſticæ Apparituræ adeſſent, & ſacro-ſancta nobiſcum etiam Euchariſtiæ Sacramenta ſumerent, affirmat Magnus Leo. Et adversùm ipſos ſacro-ſanctam Euchariſtiam, cujus anteà vel ſub altera tantùm, vel ſub utraque ſpecie etiam in ſolemni conventu ſumendæ erat populo libertas, ſumi deinceps non permiſit niſi ſub utraque. Ita Manichæos, qui vini creaturam averſabantur ut ſanguinem mali Principis, duxit detegendos. Et in libris Retractationum
ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Ad Priſcillianiſtas hæ-* Lib. 2. cap. 60.
reticos inveſtigandos, qui hæreſim ſuam non ſolùm negando atque mentiendo, verùm etiam pejerando exiſtimant occulendum, viſum eſt quibuſdam Catholicis Priſcillianiſtas ſe debere ſimulare, ut eorum latebras penetrarent. Et iſtud licere docet exemplum Sancti Euſebii Vercellenſis Epiſcopi,
de quo Sanctus Ambroſius: *Illud tacendum omni-* Serm. 15.
nò non arbitror, quòd cum Arianorum deteſtanda perfidia totam cùm univerſo mundo Italiam perturbaſſet, atque ejuſdem peſtilentiæ Sacerdotes ſimplicitatem Sancti Dionyſii Martyris captivaſſent, ita ut ſubſcriptionis ejus vinculum retinerent, qua illum è manibus eorum ſapientia liberavit. Sicut enim ait S. Paulus, Factus ſum Judæis tamquam Judæis, ut Judæos lucrifacerem; *ita Euſebius hæreticis hæreticum ſe eſſe mentitus eſt, ut de hæreſi filium liberaret. Dixit enim ſe eorum conſentire perfidiæ, hoc ſibi placere quod illis. Sed quod ſibi filium Dionyſium in ſubſcribendo præponerent, graviter ſe moveri. Vos enim, inquit qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi filium prætuliſtis? Qua illi ratione permoti, ſtatim Sancti Dionyſii chyrographum deleverunt, priorem locum ſubſcribendi Beato Euſebio deferentes. Quos ille increpans & irridens ait: Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum vobiſcum participare permitto.* Sanctus Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus, Arianorum dolo ac metu circumventus, ſubſcripſerat in damnationem Sancti Athanaſii. Et ip-

ſum

ſum iſta arte expedivit Euſebius. Quidam cenſent eandem artem hic probari & doceri à Septimii verbis: Ut ſciant nos non Chriſto, ſed ſibi eſſe negatores.

Reſpondeo iſtam artem eſſe facinoroſam, & in libro contrà mendacium peſſimè damnari, ac nervosè confutari à Sancto Auguſtino. Et memoratus de Sancto Euſebio ſermo à quibuſdam eidem Auguſtino adſcribitur, à quibuſdam Sancto Ambroſio. Eſt neutrius. Eſt recentior, ac nullius ponderis. Ars iſta abſit à Sancto Euſebio. Et fabula ſibi ipſi non cohæret. Etenim Sanctus Dionyſius Metropolita, Sanctus Euſebius erat ejus Suffraganeus: Qua igitur fronte, quo fuco potuiſſet prætendere ſubſcriptionem ante illum? Quis enim Canon permittit Magiſtrum Provincialem Epiſcopum ſubſcribere ante proprium, licèt olim diſcipulum, Metropolitam? Et quod Dionyſius fuerit Euſebii diſcipulus, eſt difficile demonſtratu. Et in Apologeticis pro Sancto Athanaſio libris Lucifer Calaritanus Epiſcopus, omnium teſtis oculatus, refert iſtum Sancti Dionyſii lapſum, ejuſdemque ab illo reſurrectionem, & iſtius artis nullam facit memoriam. Proinde eſt fabula, Injurioſa in tantum Epiſcopum. Etiam noſter Tertullianus ſemper fuit conſtantiſſimus oſor mendacii. Quare à jam data præſentium verborum expoſitione non eſt recedendum.

Iſtiuſmodi ſimulationis habemus quædam alia magna exempla, admiranda potiùs, quàm imitanda. Etenim de Sancto Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diacono, ſceleratos & apud neſcio quam fœminam depoſitos Apollinarii hæreſiarchæ libros venante, ſcribit in ejus vita Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus: *Quæ cum magno innotuiſſent Ephrem, ipſe ejuſdem ſe opinionis eſſe confingens, fœminam quæ libros iſtos prophanos cuſtodiebat, adiit, & de ſe, quis ſit, & quàm fauſta ei ex eremo adferat, patefecit, nonnullaque forſan id genus alia adjiciens tandem rogat, ut Præceptoris ſibi Scripta, publicæ utilitatis cauſa exhibeat, ut nobis ſcilicet, quos tunc hæreticos vocabat, repugnare commodiùs poſſet. Quibus verbis capta fœmina, eumque unum ex illis, qui Apollinarii ſuſtinerent partes, reputans, libros præbuit, eos tamen ſibi celeriter reſtitui deprecans.* Tunc ille ſingula folia glutino compegit in unam maſſam, librum fecit inutilem, ac ita reddidit. Et de tempore, quo Cyzicenam Eccleſiam fœdabat leproſus Eunomius, ſcribit in quarto hæreticarum fabularum libro Theodoretus: *Tunc Divino quidam zelo ac-*
Cap. 3. *cenſi, zelum occultantes, hæreſis perſonam induunt, & Eunomii domum venientes rogabant, ut Dogmatis veritatem apertè doceret. Inductus ille, eoſque ſibi conſentientes ratus, venenum, quod hactenus celabat, evomuit. Illi rurſum obnixiùs orarunt, ut doctrinam toti populo exhiberet, & Imperatoris, à* quo fuerat docere prohibitus, *obſervantiæ gregem ſuum, qui veritatem ſcire deſiderabat, præferret. Ita rursùm deceptus Eunomius blaſphemiam publicè depromit. At illi ſtatim ad Comitatum properarunt.* Et accuſatunt Eunomium. Et in erudito adversùm Acephalos opere Anaſtaſius Sinaita ſcribit de ſemetipſo: *Cum veniſſem Alexandriam,* Cap. 19.
vidiſſemque vanitatem, quam Eutychianiſtæ ſibi propoſitam habent, Deo penitùs adverſam, & tendentem ad ſolam Eccleſiæ oppugnationem & everſionem, memor Prophetæ cujuſdam, qui monet, ut cum obliquo & perverſo pervertamur, hoc eſt, ut vulgò dicitur, cum vulpe vulpinemus, & cum Crete cretizemus, ſimulatione ſanctæ cujuſdam, piæque verſutiæ, privatim hunc in modum, veritate teſte, hæreticos ſum allocutus. Amplè exponit ſuam hæreſeos ſimulationem. Verùm hæc nullo modo ſunt probanda. Fuerunt inconditus zelus.

Cum enim quærunt adhuc, &c.

Doctor ſuprà dixerat: *Ut non inimici veritatis eſſent hæretici.* Hoc eſt, per impoſſibile ſupponamus Valentinianos & quoſvis Gnoſticos non eſſe hæreticos. Nunc abſcindit, ac evertit iſtam ſuppoſitionem, & ipſos eſſe, licèt doloſiſſimos, tamen manifeſtos hæreticos demonſtrat inſigni dilemmate: Aut reverà veritatem adhuc quærunt, & necdum tenent, aut jam tenent ipſam & credunt. Si primum, necdum crediderunt, adeoque necdum ſunt Chriſtiani. Si ſecundum, recidunt in idem. Etenim *dicunt quærendum, ut defendant.* Hoc eſt, profitentur ſe necdum callere rationes ſuæ fidei, ſeu motiva credibilitatis. Et ſic anteqnam defendant, ſeu defendere norint, *negant quod credunt. Profitentur ſe necdum credere, quod quærunt.* Nam qui credibilitatis fundamenta ignorat, necdum habet Fidem Divinam. Ita omni modo profitentur ſe necdum Chriſtianos. Hinc & tales ſunt à nobis habendi. Pergit Doctor: *Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant?* Eſt aliud principium demonſtrans Gnoſticos eſſe per omnia deteſtabiles. Quia nempè ad noſtram fidelem plebem veniunt per fallaciam: Utique qua dicunt ſe quærere, & inveniſſe. Qua dicunt ſe credere, & necdum habere fundamenta credendi. Quia fingunt ſe idem credere nobiſcum, & unicè ſtudent à noſtra Fide ſeducere. Cui veritati poſſint tales patrocinari?

ſectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentię jungatur authoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt, ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur: Ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententię erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit; aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Apollinaris, Priſcillianus; aliter Jovinianus, Pelagius, Cęleſtius; aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcircò multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Quæ omnia latè tradit ac demonſtrat etiam Sanctus Irenæus. Demonſtrat quòd iſtud Diaboli in ſacras
Lib. 5. cap. 21. Lib. 1. cap. 1. litteras facinus Valentiniani imitentur. Quod ſe non ſacris litteris ſubdant, ſed ſacras litteras ad ſuas blaſphemas fabulas detorqueant & accommodent. Breviter, at nervosè Septimius: *Aliunde ſcilicet loqui poſſint de rebus fidei, niſi ex litteris fidei.*

Venimus igitur ad Propoſitum, &c.

Omnia hucuſque dicta non ſunt niſi adlocutionis præfatio. Doctor nunc aggreditur fundamenta cauſæ. Et primum ac palmare ab utraque parte adductum fundamentum ſunt ſacræ litteræ, quas Sanctus Irenæus rectè affirmat eſſe Eccleſiæ regulam, firmamentum, columnas. Et hoc fundamentum diſcutere fuit plenè neceſſarium. Quod nempe Valentiniani ipſas pro ſe ſtare obtenderent, atque hac ſua audacia ſtatim quoſdam moverent, & ex ipſis aſſiduè diſputarent. Quod diſputando & Scripturas allegando firmos Eccleſiæ filios fatigarent, infirmos caperent, medios cum ſcrupulo dimitterent. Quod Scripturæ ſint & nobis & hæreticis communis arcus, affirmat in ſeptimi Pſalmi commentario etiam Sanctus Auguſtinus, & adjungit: *Et ipſi hæretici ex eodem arcu in animas, non charitate inflammandas, ſed venenis perimendas inſilunt.* Quod noſtros infirmos è Scripturis diſputando non tantùm caperent, ſed & occiderent, ſcribit in commentario decimi Pſalmi. Quod ipſum & nos à noſtris Lutheranis & Calviniſtis experimur. Hinc primus ad iſtas infirmorum ruinas gradus eſt obſtruendus: Ante omnia demonſtrandum eſt hæreticos non admittendos ad ullam de Scripturis diſputationem. Scripturas ab ipſis allegari non poſſe, ideoque allegantibus non eſſe attendendum, longè minùs credendum. Quod iſta arma ſint ipſis furtiva & aliena, ideoque & auferenda. *Diſpici debet cui competat poſſeſſio Scripturarum: Ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit.* Dum duo ejuſdem pronominis & cognominis producunt eaſdem Teſtamenti tabulas, & ſe per eas affirmant inſtitutos, ante omnia eſt de vera perſona inquirendum ac decidendum. Sacræ litteræ ſunt Divinæ Majeſtatis datum Chriſtianis Teſtamentum: Et tam hæretici, quàm Catholici, quibus ſolis debetur, utuntur iſto nomine. Porrò Abraham Patriarcha duos filios, de libera unum, alium de ancilla habuit: Et ſolùm iſtum ſibi ſcripſit hæredem. Ita & Dominus Deus. Hinc ante omnia diſquirendum eſt, quinam ſint veri Chriſtiani. His enim ſolis per Apoſtolum eſt dictum à Chriſto Domino: *Depoſitum cuſtodi.* Utique Depoſitum ſacrarum litterarum, & veræ de ipſis intelligentiæ. Cunctis aliis, non ex libera, ſed ex quavis ancilla genitis, aut ad ipſam apoſtatantibus Pſeudo-Chriſtianis iſtæ teſtamentales tabulæ ſunt auferendæ. Et quidquid ex ipſis blaterarint, nulla eſt præſtanda audientia.

CAPUT XVI.

Correptionem in hæreticos Apoſtolus mandat, non diſputationem.

Hoc de conſilio diffidentiæ, aut de ſtudio aliter ineundæ conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit. In primis illa, quòd fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones inire, novis vocibus aures accommodare, hæreticum poſt unam correptionem convenire, non poſt diſputationem. Adeò interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam hæretici conveniendi. Et hoc unum ſcilicet, quia non eſt Chriſtianus. Ne

Ne more Chriſtiani, ſemel & iterùm, & ſub duobus aut tribus teſtibus caſtigandus videretur; cùm ob hoc ſit caſtigandus, propter quod non ſit cum illo diſputandum. Deindè quoniam nihil proficiat congreſſio ſcripturarum, niſi planè aut ſtomachi quà ineat everſionem, aut cerebri.

SCHOLION.

Hoc de conſilio diffidentiæ, &c.

ADductam de ſcripturarum poſſidendarum jure præſatriptionem Valentiniani reponebant eſſe aſtutum diffidentiæ conſilium, aut certè ſtodium aliter ineundæ conſtitutionis. Utique Divinæ Conſtiturionis, quæ ſacras litteras ſanxit omnibus Chriſtianis eſſe communes. Et Septimius reſpondet ſuæ præſcriptinni conſtara rationem, ideoque eſſe firmam. Alienam ab iſtis vitiis. Et iſtam rationem affitmat fundari in Apoſtolo, cui noſtra fidas debet obſequium. Etenim Apoſtolus ſeripſit ad Titum: *Hæreticum hominem* Cap. 3. *poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* Affirmat hæreticum conveniendum non per diſputationem, ſed per ſolam correptionem.

Notanda ſunt Septimii verba: *Et hoc unam. Scilicet quia non eſt Chriſtianus. Ne more Chriſtiani ſemel & iterùm, & ſub duobus aut tribus teſtibus caſtigandus videretur.* Nos hodiè Apoſtolum legimus: *Poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Eſt lectio legitima, communis, & antiqua. Quidam tamen antiqui etiam Codices habuerunt: *Poſt unam correptionem devita.* Et ita quoque habuit Tertulliani Codex. Hinc ille affirmat hæreticum non niſi unica correptione conveniendum. Et addit cauſam: Quòd non ſit Chriſtianus, ideoque nec gaudeat Evangelico jure ac ordine fraternæ correptionis. Affirmat cum illo non diſputandum, ſed ipſum dumtaxat corripiendum, & tunc devitandum & caſtigandum, utpotè qui per iſtam contumaciam ſit damnatus & excommunicatus à ſemetipſo. Quinimò caſtigari poſſe ſine correptione, ideoque hanc unicam eſſe ſingularem gratiam. Et adjungit omnem hic diſputationem ſeu de Scripturis congreſſionem eſſe inutilem, imò & noxiam. Unicum ejus fructum fore tui, qui diſputabis, ſtomachi, imò forſan & cerebri everſionem.

Quæ omnia in trigeſima tertia ſuper Apoſtolicam ad Romanos epiſtolam homilia confirmat, & ex variis Sancti Pauli locis demonſtrat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Ex epiſtola ad Romanos: *Rogo vos, Fratres, ut obſervetis eos, qui* Cap. 16. *diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Ex Cap. 3. epiſtola ſecunda ad Theſſalonicenſes: *Denuntiavimus vobis, Fratres, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, ut ſubſtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* Et ex ſecunda ad Timotheum epiſtola: *Alexander Ærarius multa mala mihi oſtendit. Reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus. Quem & tu devita.* Cap. 4. Apoſtolus conſtanter docet non diſputandum cum hæreticis, nec ulla ratione communicandum, ſed ipſos obſervandos ac devitandos. Audiamus Joannem Chryſoſtomum: *Quid faciemus illis, qui iſta, Apoſtolica Dogmata, depravant? Apoſtolus non dixit, Aggredimini, & manus conferentes pugnis decertate, ſed declinate ab illis. Si enim ex ſtultitia quidem aut errore hoc facerent, oportebat corrigere. Quoniam verò ſcientes peccant, reſilite aliò:* Affirmat Apoſtolicum præceptum non de Erronibus, licèt per craſſam errent ignorantiam aut deſidiam, ſed de ſolis, qui ſemetipſos jam condemnaverint, pertinacibus hæreticis eſſe intelligendum. Ita & Sanctus Irenæus ſcribit: *Eos hæreticos,* Lib. 2. cap. 56. *qui ſunt mitiores eorum & humaniores, averte & confunde, ut non blaſphement ſuum Conditorem; feroces autem, & horribiles, & irrationales effugabis à te longè, ne ampliùs ſuſtineas verboſitates eorum.* Et Sanctus Epiphanius: *His qui vitæ de*ſi- Hær. 64. cap. 66. *derio tenentur, ſalutis eſt expedita ratio, & infideliſſimi erroris confutatio facilis. Eis verò, qui ſalutis diſciplinam & magiſterium repudiant, ne integrum quidem ſeculum poterit ad diſputandum ſufficere. Cùm illorum aures perpetuò, aſpidis inſtar, obſurdeſcant.*

Verùm his quædam obſiſtunt. Etenim Sanctus Apollinaris, Hierapolitanus Epiſcopus ac Phrygiæ Metropolita, in ſuis contra Montanum libris ſcribit: *Cùm nuper eſſem Ancyræ, Galatiæ urbe, & Eccleſiam, quæ in Ponto eſt, contentionum procellis ab iſta nova & inuſitata Pſeudo-Prophetia concitatis jactatam offenderem, quantùm poteram de his ipſis eorum erroribus, qui jam paſſim vagantur, multis diebus aſſiduè diſputabam in Eccleſia, adeò ut illa non ſolùm permagna afficeretur lætitia, ſed ad veritatem vehementer roboraretur. Et qui contrarias partes tuebantur, eodem temporis momento à me refutati animos dejicerent, & omnes veritatis adverſarii ſummo dolore angerentur.* Affirmat ſibi cum Montaniſtis diſputanti nec ſtomachum, nec cerebrum fuiſſe everſum, nec firmos fatigatos, nec infirmos captos, nec medios cum ſcrupulo dimiſſos, ſed roboratam ac lætificatam omnem Eccleſiam, adverſarios autem fuiſſe refutatos, dejectos, confuſos. Iſta ejus verba extant in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebii Cæſarienſis. Ea- Lib. 5. cap. 15. dem in Hiſtoria Sanctus Dionyſius Alexandrinæ Lib. 7. Patriarcha affirmat ſe publicè coram omni popu- cap. 19. lo diſputaſſe cum Nepotis Epiſcopi ſequacibus Chyliaſtis, ædificatum fuiſſe omne Auditorium;

& fa-

& factionis priocipem non dumtaxat eonvictum, ſed & converſum. Et Sanctum Archelaum Meſopotamiæ Epiſcopum adversùs bæreſiarcham Manetem diſputaſſe ſcribit io ſexta Catecheſi Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus. Et adjungit Gentiles Philoſophos fuiſſe electos in Judices: *Ne ſi Chriſtiani Judices eſſent, viderentur faviſſe*. Quod ipſum teſtatur Socrates. Lib. 1. cap. 17. Et quis ignoret ſolemniſſimsm Collationem Carthaginenſem, in qua coram viro laico, Comite Marcellino, diſputarunt Catholici Epiſcopi cum Donatiſtis? Similem Catholicorum cum Eutychianiſtis Epiſcopis collationem fieri juſſit Imperator Juſtinianus. Et Sanctus Augnſtinus ſolemniſſimè ſolus diſputavit cum Fortunato Manichæorum Presbytero, cum Felice Manichæo, cum Ariano Comite Paſcentio, & cum Arianorum Epiſcopo Maximino. Exſtant plura iſtiuſmodi exempla.

Reſpondeo cum Sancto Joanne Chryſoſtomo, qui in duodecima ſuper ſecundam ad Theſſalonicenſes homilia improbat iſtiuſmodi diſputationes, & adjungit: *Neque enim fieri poteſt, ut qui contra perverſæ ſententiæ homiaes pugnat, aliquid unquam lucretur. Cæterùm ſi quando damnum aliquod ex noſtra taciturnitate metuimus, tanquam propter infirmitatem & defectum rationis metuentibus nobis adversùm eos habere conflictum, tum neceſſariò retundenda eſt illorum improbitas*. Affirmat non propter ipſos hæreticos, nec proprer ſperatum ex ipſis convertendis fructum, ſed ad ſtabiliendum noſtrum infirmum, ab ipſis in ſcrupulos circumſcriptum populum, eſſe cum ipſis qnandoque diſputandum. Et ita cum Montaniſtis diſputavit laudatus Metropolita Apollinatius. Verùm iſtinſmodi diſputator nequit eſſe imperitus neſcio quis ac temerarius Domitius, ad quem ſcripſit Sanctus Iſidorus Peluſioies: Lib. 1. Ep. 114. *Non cujuſvis eſt, heus tu, Dogmatiſtea agere, quandoquidem nec omnium purpuram geſtare. Quocirca cum non omnes purpura utantur, præſertim pauperes, abſtineas velim ab Eccleſiæ nequaquam congruentibus diſputationibus, quæ nullum auditoribus utilitatem adſerunt, ſed Religionem noſtram in contumeliam trahunt, inſenſoſque ac infeſtos nobis hæreticos non adversùm te, atque ad te accuſandum & inſectandum flectunt, ſed ad pietatem conviciis & maledictis laceſſendam exſtimulant. Non enim inſcitiam tuam perſpiciuat, ſed piæ doctrinæ imbecillitatem riſui ac ludibrio habent*. Cum hæreticis diſputatutum debere eſſe probum, eruditum, ac eloquentem affirmat etiam in litteris ad Herminum Comitem, & denuò adjungit cauſam: Lib. 2. Ep. 235. *Quia cum eum in diſputationibus vinci conſpiciunt auditores, graviſſimis plerumque detrimentis afficiuntur, ut qui adulteris Dogmatibus ſurripiuntur, atque in fraudem inducantur. Non enim id docentis imperitiæ, ſed Dogmatis imbecillitati aſſignant*. Et certè hæc diſputatio inſtituitur non tam ad convertendos, quàm potiùs ad confundendos hæreticos, atque ita infirmos Fideles divellendos ab ipſis, & Chriſto Domino roborandos. Hunc ſolum fructum habuit etiam diſputatio Sancti Apollinarii. Etiam Collationes Carthagiaenſis & Conſtantinopolitana. Et hinc publicas de fide diſputationes ſeveriſſimè interdixerunt Imperatores, Valentinianus, Marcianus, Juſtiniaous. Quod nempè etiam imperiti diſputare auderent, atque ita fidem noſtram ludibrio exponerent. Imperator Conſtantinus IV. doctiores etiam Epiſcopos cum Monothelitis conferre volentes cohibuit, & addidit cauſam: *Quod ex particulari contentione non ſolùm unitas fieri non poſſit, ſed magis malum accreſcat*. Interim eruditis & facundis diſputationem eſſe permittendam cenſuit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Orat. 26. Et ejus judicium comprobavit Trullana Synodus. An Sanctus Archelaus ſuæ diſputationi gentiles Judices rectè adhibuerit, eſt magna quæſtio. Certè Sanctus Ambroſius coram laicis judicibus diſputare noluit, aſſerens non Imperatores de Sacerdotibus, ſed Sacerdotes in fidei cauſa debere de Imperatoribus judicare. Et ita eſſe lege ſancitum à Magno Imperatore Valentiniano. Ep. 13. Quod ipſum cenſuit Aquilejenſe Concilium. Et Seleucienſem Synodum, quod myſticas de Dei Verbi Divinitste quæſtiones coram omni fideli populo agitaverit, graviter arguit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Orat. 21. Quidquid ſit, ineunda cum hæreticis diſputatio non eſt per ſe mala. Ex rationibus poſſit permitti, imò & juberi. Interim ab ipſa ſperari vix poſſit hæreticorum converſio. Et timeri poſſint alia mala. Hoc vult noſter Tertullianus.

Quæ omnia locum obtinent etiam in generalibus Synodis. Etiam illic hæretici non ſunt ad diſputationem admittendi. Hic eſt perpetuus ſenſus Eccleſiæ. Diſputantes agunt ut par in parem: Quod hæreticis permitti non poſſit, nec unquam à legitima Synodo fuit permiſſum. Qui Sanctum Athanaſium in Nicæna Synodo contra Arianos Epiſcopos diſputaſſe exiſtimant, plurimùm falluntur. Etenim tunc non erat niſi Diaconus. Et quis neſciat Synodum non Clericorum eſſe, ſed ſolorum Epiſcoporum, ideoque Clericos illic nec interloqui poſſe, longè minùs diſputare. Rectè Socrates: Lib. 1. cap. 11. *Alexander Epiſcopus Athanaſium Diaconum ſecum duxit Nicæam, ut cùm Concilium in unum cogeretur, ſubſidio ſibi eſſet in diſputando*. Eſſet adjutor ſtudii. Nec Nicææ Arius, nec Sardicæ aut Conſtantioopoli quis Arianus, oec Epheſi Neſtorius, nec Chalcedone Eutyches aut Dioſcorus, nec io ſexta Synodo Macarius Antiochenus, nec in ſeptima Iconoclaſtæ, nec in octava Photius ſunt ad diſputandum admiſſi, ac permiſſi ſedere; ſed juſſi ſunt ſtare inter reos, rationes reddere ſuorum Dogmatum, audire Synodale judicium, & obedire. Quibus obedire non placuit, fuerunt deportati. In Oaſim paſſim migraverunt. Magnus Imperator Theodoſius Orientalem Eccleſiam invenit laceratiſſimam. Graſſabantur Ariani, Macedoniani, Novatianenſes, Apollinariſtæ: Omnes ſecti in plurima & ſibi mutuò adverſantiſſima fruſta. Etenim à Sardicenſi Synodo Orientale Imperium tenuerant Conſtantius, Julianus, & Valens, atque ita omnes illic portæ patuerant Diabolo. Hinc opti-

mus ille Princeps cenſuit incidendam novæ ſpeciei Synodum: Synodum omnium Sectarum, quæ mutua diſputatione finiret omnes lites, & pacem induceret ac ſtabiliret. Verùm à Siſinnio, Novatianenſium erudito Diacono, inſtructus Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus potenter interceſſit, affirmans atque demonſtrans iſtiuſmodi diſputationes eſſe nova rixarum fomenta, atque ita per ipſas non ſanari diſcordias, ſed incrudeſcere ac augeri. Et optimus Princeps acquievit. Et hinc nata eſt Conſtantinopolitana Synodus. Ita referunt Socrates, & Hermias
Lib. 5. cap 15. Lib. 7. cap. 12. Zozomenus. Et hinc Carthaginenſis cum Donatiſtis, & Conſtantinopolitana cum Eutychianiſtis collatio, nec rem habuerunt Synodi, nec nomen. Quia nec veram formam. Et hinc Baſileenſis Synodus, quod Bohemos, in Conſtantienſi Concilio damnatos, Huſſitas ſub ſalvo conductu ad diſputandum invitaverat, graviter & meritò arguit Papa Eugenius quartus. Et quidem illa purgare ſuum factum per multa ſtuduit. At per pleraque apocrypha & fabuloſa. Audi unam inſignem fabulam: *In Synodo Chalcedonenſi Orthodoxi diſputarunt cum Neſtorianis, dudum in Concilio Epheſino damnatis. Et poſt multa inter eos fuit conventum, ut noſtri orarent ſecundùm noſtram, & illi ſecundum ſuam fidem. Et charta quædam, in qua & noſtra fides & errores illorum deſcriberentur ſuper corpus beatæ Euphemiæ poneretur, ut Deus veram fidem manifeſtaret. Quod & factum eſt.* Epiſt. 3. Plures iſtiuſmodi fabulas adducit illa purgatio. Et hinc lucet non ſolum Spiritum Sanctum, ſed etiam per humanam induſtriam acquiſitæ eruditionis donum iſti Concilio defuiſſe. Calviniſtas & Lutheranos ad diſputandum admittere noluit etiam Tridentinum Concilium.

CAPUT XVII.

Nihil ex congreſſione Scripturarum, niſi ſtomachi everſio aut cerebri.

ISta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas: Et ſi quas recipit, non recipit integras. Adjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem Inſtituti ſui intervertit. Et ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones neceſſariò nolunt agnoſcere ea, per quæ revincuntur. His nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis, Exercitatiſſime ſcripturarum, cùm ſi quid defenderis, negetur: Ex diverſo, ſi quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: Nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione.

SCHOLION.

Iſta hæreſis non recipit quaſdam Scripturas, &c.

DOctor pergit adducere rationes, ob quas non expediat hæreticos admittere ad nobiſcum diſputandum ex Sacris litteris. Et prima ratio eſt, quòd ipſorum aliqui ſacrum Eccleſiæ Canonem non plenè admittant, repudient aliquos certò Divinos libros, atque ita è Sacris Litteris non poſſint convinci. Marcion, quem poſtmodo imitati ſunt Manichæi ac Priſcillianiſtæ, damnat, proſcribit, ac blaſphemat antiquum Teſtamentum. Etenim ejus authorem ac mundi Creatorem Deum impudoratè blaſphemat eſſe malum principium, ideoque omnes ab ipſo dictatos libros oportere projici & damnari. Ad ipſas abolendas veniſſe Chriſtum Dominum, Filium boni Dei. Præterea ex Novo Teſtamento nihil admiſit, niſi Sancti Lucæ Evangelium, & epiſtolas Sancti Pauli. Ita teſtatur Sanctus Irenæus. Lib. 3. cap. 12. Attamen non omnes iſtas admiſit epiſtolas, ſed ſolas decem: Epiſtolam ad Romanos, duas ad Corinthios, duas ad Theſſalonicenſes, epiſtolam ad Epheſios, epiſtolam ad Philippenſes, epiſtolam ad Coloſſenſes, & epiſtolam ad Philemonem. Quòd epiſtolam ad Titum non admi-

admiſ. ɪit, teſtatur in ſui ſuper ipſam Commentarii præſatione Sanctus Hieronymus. Lib. 4. cap. 28. Nicephorus Caliſtus, ſcribens ſolas novem ab ipſo admiſſas epiſtolas, labitur. Quod duas ad Timotheum epiſtolas non admiſerit Marcion, teſtatur in ſecundo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Et rejectionis cauſam affirmat fuiſſe hæc Apoſtoli verba: *O Timothee, Depoſitum cuſtodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ.* Per falſi nominis ſcientiam Apoſtolus omninò intelligit Gnoſticos. Hinc laudatus Clemens: *Cùm ab hac voce convincantur hæretici, epiſtolas ad Timotheum abrogant.* Ejuſdem vocis ſubſtantiam habet Apoſtolus in epiſtola ad Titum. Quarè non ſoli Marcionitæ, ſed omnes generatim Gnoſtici videntur iſtas epiſtolas abrogaſſe.

Cerinthus & Ebion ſunt præſertim averſati Evangelium Sancti Joannis. Rationem dat in illuſtrium virorum Catalogo Sanctus Hieronymus: *Joannes noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adversùs Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum Dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Undè & compulſus eſt Divinam ejus Nativitatem edicere.* Addit Sanctus Irenæus: Lib. 1. cap 26 *Solo, quod eſt ſecundùm Matthæum, Evangelio utuntur Ebionitæ, & Apoſtolum Paulum recuſant, Apoſtatam eum legis dicentes.* Conſonat in Commentario ſuper Sancti Matthæi Evangelium Sanctus Hieronymus: *Ebionitæ, cum cæteros recipiant Apoſtolos, Paulum quaſi tranſgreſſorem Legis repudiant.* Et infrà: *Evangelium, quo utuntur Nazareni & Ebionæi, quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod à pleriſque vocatur Matthæi Authenticum.* Elucidat in ſecundo hæreticarum fabularum libro Theodoretus. *Ebionitæ docent Dominum* JESUM *Chriſtum ex Joſeph & Maria eſſe natum. Et ſolum Evangelium* Cap. 1. *ſecundùm Hebræos recipiunt. Apoſtolum verò apoſtatam vocant. Ex his erat Symmachus, qui vetus Teſtamentum in linguam Græcam tranſtulit. Alia præter hanc claſſis fuit ejuſdem nominis: Nam & Ebionæi quoque vocantur. Qui in cæteris quidem omnibus cum prioribus conveniunt, Servatorem verò & Dominum ex Virgine natum dicunt. Evangelio autem ſecundùm Matthæum ſolo utuntur.* Etenim Sanctus Matthæus perpetuam Deiparæ Virginitatem lucidiſſimè prædicat: Hinc illius inficiatores duxerunt abjiciendum hocce Evangelium, & iſtud aliud apocryphum aſſumpſerunt.

Sanctus Irenæus etiam in alio ſui operis libro ſcribit de Sancti Joannis Evangelio, & aliis hæreticis: Lib. 3. cap. 11. *Alii, ut donum Spiritus fruſtrentur, quod in noviſſimis temporibus ſecundùm Placitum Patris effuſum eſt in humanum genus, iſtam ſpeciem non admittunt, quæ eſt ſecundùm Joannis Evangelium, in qua Paracletum ſe miſſurum Dominus promiſit. Simul & Evangelium & Propheticum repellunt Spiritum.* Et adjungit: *Datur intelligi, quòd hujuſmodi neque Apoſtolum Paulum recipiant. In ea enim Epiſtola, quæ eſt ad Corinthios, de Propheticis Chariſmatibus diligenter locutus eſt. Et ſcit viros*

ac mulieres in Eccleſia prophetantes. Ex ſimili cauſa Marcionitæ abjecerunt librum Apoſtolicorum Actuum. Etiam Manichæi. Promiſſum à Chriſto Domino Spiritum Sanctum garriebant non die Pentecoſtes in Apoſtolos, ſed dudum poſtmodò in ſuum Manetem fuiſſe venturum, ac veniſſe. Sanctus Irenæus ſcribit in Tatianum, qui ex Sancti Martyris Juſtini diſcipulo defecit ad Gnoſticos, & de quo ac ejus ſectatore Severo ſcribit Euſebius Cæſarienſis: *Hi lege, Prophetis, & Evangeliis utuntur. De Paulo autem Apoſtolo malè loquuntur: Ejus Epiſtolis fidem abrogant. Acta quoque Apoſtolorum minimè recipiunt.* Lib. 4. cap. 27. Idem ſcribit in præſatione Commentarii ſuper epiſtolam ad Titum Sanctus Hieronymus, verùm cum moderamine. *Tatianus, Encratitarum Patriarches, qui & ipſe nonnullas Pauli Epiſtolas repudiavit, hanc vel maximè, hoc eſt, ad Titum, Apoſtoli pronuntiandam credidit, parvipendens Marcionis & aliorum, qui cum eo in hac parte conſentiunt, aſſertionem.* In primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus iſtam audaciam non Tatiano adſcribit, ſed ſoli Severo: *Severiani & Divini Pauli Epiſtolas, & Actuum hiſtoriam rejiciunt.* Ex quo cap. 20. capite Chariſma prophetiæ & Sancti Spiritus in Pentecoſte adventus ipſis diſplicuerunt, ignoro. Pergit Irenæus de alia Gnoſticorum ſpecie: *Qui* JESUM *ſeparant à Chriſto, & impaſſibilem perſeveraſſe Chriſtum, paſſum verò* JESUM *dicunt, id quod ſecundùm Marcum eſt, præferunt Evangelium.* Lib. 3. cap. 11. An Cerinthianos, quibus iſta placuit blaſphemia, reſpiciat, ignoro. Nec enim iſtis ſolis illa placuit. Etenim de Elceſæis, qui ſe jactabant Prognoſticos, ſcribit Theodoretus: *Apoſtolum penitùs repudiant.* Lib. 3. cap. 7.

Et hæc audacia non fuit ſolorum Gnoſticorum. Tranſivit etiam ad Arianos, de quibus in præfatione ſuorum ſuper epiſtolam ad Hebræos commentariorum ſcribit idem Theodoretus: *Ariani omnibus argumentis*, ob quæ laudatam epiſtolam eſſe verè Apoſtolicam ſemper credidit Orientalis Eccleſia, *valere juſſis, adversùs veritatem impudenter decertant, Apoſtolicę Theologię, quæ proœmium exornavit, ſplendorem non ferentes. Cùm enim non poſſent reſiſtere iis, quæ de Unigeniti Divinitate apertè dicta fuerant, auſi ſunt totam epiſtolam rejicere, tùm tamen & Decreta & alię ſententię magnam habeant cognationem cum aliis epiſtolis.* Primum epiſtolæ caput, quod Divini Verbi conſubſtantialem Divinitatem lucidiſſimè prædicat, obſuſcare Ariani non potuerunt, nec in ſuas pravitates detorquere. Hinc omnem epiſtolam, lacerationis infamiam erubeſcentes, proſcripſerunt. Etiam de Theodoro Mopſueſtienſi Epiſcopo dicit quinta Synodus: *Theodorus reprobat & librum Job, & contra conſcriptorem ejus, ideſt, ſanctum Spiritum, dicit quòd paganus ſapiens hunc librum conſcripſit.* Collat. 4. Et iterùm: *Per omnia reprobat Scripturam Job, & conſcriptori maledicit. Idem autem eſt dicere Spiritui Sancto.* Et hæc demonſtrat ex Theodori libris. Et pergit: *Adhæc diſpernit idem Theodorus & Canticum Canticorum, & ſicut ad amatam ſibi hęc Salomonem ſcripſiſſe dicit, infan-*

da Chriſtianorum auribus de hoc exponens. Nota verba: *Conſcriptorem ejus, id eſt, Spiritum Sanctum*. Affirmant non ſola Senſa, ſed & verba iſtius libri eſſe à Spiritu Sancto & dictata & conſcripta. Hinc eundem Theodorum graviter ac meritò culpat eadem Synodus, quòd Proverbia ac Eccleſiaſten dixiſſet à Salomone conſcripta, non per Prophetiæ Chariſma, ſed per gratiam humanæ prudentiæ. Ita enim & iſtos libros impius Theodorus expunxit è Canone. Quòd etiam libros Eſdræ, libros Paralippomenon, Pſalmorum titulos ac inſcriptiones, necnon & Catholicas, præſertim Sancti Jacobi, epiſtolas proſcripſerit, in tertio contra Neſtorianos ac Eutychianos libro teſtatur Leontius Scholaſticus Byzantinus. Et quidem Theodori in Sancti Job Prophetiam odium fuit tantum, ut propter ipſam abjecerit etiam epiſtolam Sancti Jacobi. Quia nempè hæc epiſtola laudat iſtam prophetiam. Et nota quòd Leontius Catholicas epiſtolas appellet Canonicas. Quod ipſum in ſuo Martyrologio facit Sanctus Ado Archi-Epiſcopus Vienneſis. Quare nequaquam novellus, ſed inſigniter antiquus eſt iſte titulus. Porrò Theodorus non ad ſua ſtabilienda dogmata prorupit in iſtam audaciam, ſed ex mera petulantia ingenii. Eſt petulantia adeò infamis, ut omnes paſſim hæretici ab ipſa abhorreant. Timent lapides fidelis populi. Et tamen in ipſam proſilire non timuerunt Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus. Ipſa ſola ſufficit ad eos nec audiendos. Primum petulantiæ ac audaciæ authorem fuiſſe Doſitheum, Saducææ apud Judæos hæreſis Principem, affirmat in dialogo contra Luciferianos Sanctus Hieronymus. Hic Prophetarum libros proſcribere præſumpſit, & ſolum Pentateuchum admittere.

Cap. 12, 13. & 14.

Cap. 5,

Et ſi quas recipit, non recipit integras, &c.

Doctor agit in Marcionem, de quo Sanctus Irenæus: *Marcion id, quod eſt ſecundùm Lucam, Evangelium circumcidit, & alia quę ſunt de generatione Domini conſcripta, aufert. Et de doctrina Sermonum Domini multa aufert, in quibus manifeſtiſſimè conditorem hujus univerſitatis ſuum Patrem confitens Dominus conſcriptus eſt. Semetipſum eſſe veraciorem, quàm ſunt hi, qui Evangelium tradiderunt Apoſtoli, ſuaſit diſcipulis ſuis, non Evangelium, ſed Evangelii particulam tradens eis. Similiter autem & Apoſtoli Pauli epiſtolas abſcidit, auferens quæcumque manifeſtè dicta ſunt ab Apoſtolo de eo Deo, qui mundum fecit, quoniam hic Pater Domini noſtri* JESU *Chriſti eſt, & quęcumque ex Prophetis memoratus Apoſtolus docuit prænuntiantibus adventum Dei*. Quod ipſum ſcribit & in aliis locis, atque adjungit: *Sed Marcioni quidem, quoniam & ſolus manifeſtè auſus eſt circumcidere Scripturas, & impudoratè ſuper omnes obtrectare Deum, ſeorſim contradicemus, ex ejus Scriptis arguentes eum, & ex iis ſermonibus, qui apud eum obſervati ſunt, Domini & Apoſtoli, quibus ipſe utitur, everſionem ejus faciemus, præſtante Deo*. Affirmat duo. Primò, quòd primus iſtius ſceleratæ truncationis temerarius attentator fuerit Marcion. Secundò, quòd non providè truncaverit. Etenim iſta, quæ ex Sancti Lucæ Evangelio ac ex Sancti Pauli decem epiſtolis permiſit integra, pleniſſimè ſufficiunt ad ejus omnimodam everſionem. Quòd iſtud facinus primus attentarit Marcion, in ſexta Catecheſi teſtatur etiam Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus: *Marcion, cum teſtimoniis Veteris Teſtamenti in Novo recitatis coargueretur ac refelleretur, primus eſt auſus ea exſcindere teſtimonia, & fidei ſermonem, qui annuntiaretur, nullo confirmatum dimittere*. Idem ſcribit in ſecundo contra Celſum libro Origenes. Antiquum Teſtamentum ac ejus authorem Deum impudoratè blaſphemavit Marcion: Hinc & ex Evangelio, & ex Sancti Pauli epiſtolis abraſit omnia ex illo citata, & ad Novi Teſtamenti doctrinam confirmandam laudata teſtimonia. Et hæc eſt ratio, cur epiſtolam ad Hebræos omninò abjecerit. Quia nempè iſtis teſtimoniis ipſa eſt refertiſſima. Quia iſtis tota innititur. Hinc duxit non corrigendam, ſed plenè abjiciendam. Eſt à perfidis Judæis inchoatum facinus. Quod illi ex ſeptuaginta Interpretum translatione multos ac integros de Incarnandi, & pro nobis crucifigendi Divini Verbi Sacramento locos abſtulerint, teſtatur in dialogo cum Tryphone Judęo Sanctus Martyr Juſtinus. Marcion fuit primus attentator apud Chriſtianos.

Lib. 1, cap. 29.

Ejus in Sancti Lucæ Evangelium audacia fuit varia. Ipſam accuratè exponere non ſpectat ad præſens Propoſitum. Eam vide apud Tertulliani in ipſum libros, ac apud Sanctum Epiphanium, cujus hæc ſunt notanda verba: *Et quidem Marcionis ille liber Evangelium ſecundùm Lucam ſtylo ipſo referre videtur, ut autem ab eo mutilatus eſt initio, medio ac fine decurtatus, & corroſi à tineis undique veſtimenti ſimillimus eſt*. Et adjungit quòd abundantiſſima ad ſui everſionem fundamenta in ipſo reliquerit Marcion, adeoque ſtultiſſimè correxerit. Nec ſolummodò truncavit, ſed & illa, quæ reliquit, vitiavit. Audiamus Sanctum Iſidorum Peluſiotem in litteris ad Panſophium. Affirmat omne de humana Domini generatione exordium eſſe ablatum in Sancto Luca, & ſubjungit: *Paulò longiùs progreſſus aliam rursùs improbitatem conſpicies. Commutatis enim his Domini verbis*, Non veni deſtruere legem aut Prophetas, *ſic effecerunt*: Quid putatis? Quòd venerim ut legem ac Prophetas adimplerem? Veni ut everterem, non ut explerem: *Hinc autem intelliges, quonam pacto inimicitiam inter duo Teſtamenta moliantur, Chriſtum à lege alienum eſſe confingentes*. Etiam Sancti Pauli epiſtolas non ſolummodò truncavit Marcion, ſed & ipſarum ordinem tranſpoſuit. Epiſtola ad Galatas eſt ipſi prima. Ita epiſtolam ad Romanos, quæ apud omnes ſemper prima fuit, affecit injuria. Confictum ab ipſo ordinem habes apud Sanctum Epiphanium. Epi-

Lib. 1. ep. 371.

ſtolam

ſtolam ad Epheſios appellat ad Laodicenſes. Attamen non vitiavit omnes, ſed epiſtolam ad Philemonem dimiſit intactam. Ita teſtantur laudatus Epiphanius, ac in ſuorum ſuper iſtam epiſtolam Commentariorum præfatione Sanctus Hieronymus. Et ex hac forſan cauſa Nicephorus Calixtus dixit novem ſolummodò Sancti Pauli epiſtolas fuiſſe à Mareione admiſſas. Utique cum vitiationa. Ratio, cur iſtam Marcion non vitiarit, videtur lucida: Quia nempè nullum habet teſtimonium antiqui Teſtamenti, nullam ſingulare Evangelii Dogma.

Et iſtæc Sacrarum Litterarum vitiatio non eſt modicum facinus. Ad Sancti Prophetæ Aggæi
Cap. 2. verba, *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus Exercituum*, quiſpiam olim addiderat: *Et cui volo, dabo illud*. Exiſtimo fuiſſe marginalem Paraphraſim, quæ tandem irrepſerit in textum. Ante inventam Typographiam frequens fuit iſta miſeria. Cui tunc acceſſit & nimia licentia interpretandi. Audaciam graviter damnat in trigeſima quarta ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, affirmat *à vulgi fæcibus inductam*, atque proſequitur: *Ne veſtimento Regio araneorum telam inducamus. Nam ſi quis fuerit deprehenſus in Purpura deforme ſubtegmen contexens, ultimum dabit ſupplicium. Multò magis ſpiritualibus. Neque enim leve hinc oritur peccatum. Et quid dico ex additione vel ablatione? Ex puncto ſolo, & ex ſola lectionis ſimulata lectione abſurdi ſæpè orti ſunt ſenſus.* Hæc tantus Doctor declamat in factum ex ſimplicitate additamentum. Qui talia ad transformandum Evangelicæ prædicationis Dogma attentant, ſe præcipitant in pœnas, quas ſuæ Apocalypſi appoſuit Sanctus Joannes Apoſtolus: *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri hujus, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Nam & Divalibus Romanorum Imperatorum litteris injecta falſi manus eſt crimen læſæ Majeſtatis. Et hinc Sancto Juſtino, Prophetica de Chriſto Domino teſtimonia aſſerenti à perfidis Judæis falſata: non penitùs malè reſpondit Tryphon Judæus: *An pro eo atque ais, in Scripturis aliquid detraxerint aut depravaverint Principes populi, Deus ſcire poteſt, videtur autem hoc incredibile. Incredibile profectò, ego dixi, videtur. Magis enim eſt horrendum, quàm vituli conſecratio, quam in terris fecerunt, qui manna ad ſaturitatem fuerunt impleti. Et quàm Liberorum Dæmoniis mactatorum ſacrificium, aut Prophetarum ipſorum occiſio.* Hinc item omnem ſanctorum dumtaxat Patrum vitiationem Eccleſia ſemper punivit plena ac irreparabili degradatione. Hinc item Sanctus Anaſtaſius Sinaita erudito ſuo operi præfixit hanc precem: *Obteſtamur eos, qui librum hunc tranſcripturi ſunt, ut Scholia adjiciant, accentaſque accuratè obſervent, & puncta ac ſemi-puncta, & ipſa etiam ſolæca, ſeu ſolæciſmi ſpeciem præ ſe ferentia. Quia aliàs quoque imperiti quidam noſtrum dogmaticum tomum blaſphemiis in deſcriptione oppleverunt.* Quòd eandem, & quidem ſub anathemate, obteſtationem ſuis libris ſubjunxerit Sanctus etiam Ire-
Lib. 5. cap. 19. næus, teſtatur Euſebius Cæſarienſis. Nos hic agimus de ſola vitiatione Sacrarum Litterarum.

Et in hoc horrendo facinore ſceleratus Marcion habuit plures ſucceſſores. Quòd ſuo tempore eſſet hæreticis familiare, teſtantur in libro de unitate Eccleſiæ Sanctus Cyprianus, ac Sanctus Dionyſius Epiſcopus Corinthiorum. Hic apud Eccleſiaſticam memorati Euſebii hiſtoriam queritur ſuas litteras fuiſſe ab hæreticis vitiatas,
Lib. 4. cap. 22. ac pergit: *Nec mirùm certè, ſi quidam Dominicas Scripturas dedita opera depravare aggreſſi ſint, cùm has meas, quæ certè non ſunt ejus generis, adulterare ſtuduerint.* Et adjungit de ambobus: *Quibus plunè væ in extremum judicium eſt repoſitum.* Omninò notat Marcionitas. Etiam de Tatiano, Encratitarum Principe, ac Marcionis ſurculo,
Cap. 27. ſcribit ipſe Euſebius: *Hunc ajunt nonnullas Pauli Apoſtoli voces, utpotè qui dictionis ac loquendi compoſitionem in illis corrigere moliretur, audacter ac temerè commutaſſe.* Sanctus Paulus profitetur ſe Græco ſermone fuiſſe imperitum. Hac confeſſione abuſus Tatianus, quaſdam ejus epiſtolas projecit, quaſdam corrigere attentavit, id eſt, ſceleratè depravavit. Et de cunctis generatim Gnoſticis ſcribit in Panario Sanctus Epiphanius:
Hæreſ. 26. cap. 6. *Tam veteri quàm novo utuntur inſtrumento. Licèt eum, qui in veteri locutus eſt, abdicent. Et quidem quoties vocem aliquam reperiunt, quæ Dogmati ſuo contrariam ſententiam habere videtur, ab hujus mundi Principe profectam eſſe prædicant.* Et dum ſuo phantaſmati non poſſunt accommodare, abſcindunt.
Hæreſ. 30. cap. 13. Epiphanius addit de Ebionitis: *Quod penes illos eſt Matthæi Evangelium, ne integrum quidem habent, ſed adulteratum ac mutilum. Idque ipſum Hebraicum vocant.* Demonſtrat quòd ipſum in multis & truncaverint & alteraverint. En unum utroque facinore læſum locum. Diſcipuli illic interrogant: *Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha.* Et Dominus reſpondet: *Num deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnem manducare vobiſcum?* Quò carnes natura malas, ideoque à Domino non fuiſſe comeſtas evinceret, Ebion prorupit in iſtud ſacrilegium. Etiam de Cerintho
Hæreſ. 28. cap. 5. ſcribit Epiphanius: *Certnthiani Evangelio Matthæi non integro, ſed ex parte dumtaxat utuntur. Nimirùm propter genteulogiam, quæ eſt carnis propria.* Utique ob genealogiam ex Virgine. Epiphanius adjungit, quod uterque Apoſtolum Paulum, uti legis apoſtatam abjiciat. Quin & Ebion ipſum, quòd Tharſenſis eſſet, dixit fuiſſe gentilem, & proſelytum, ac tandem apoſtatam. Quòd iſtud truncandi & vitiandi facinus fuerit etiam Manichæis familiariſſimum, eſt omnibus notum. Et de Priſcillianiſtis ſcribit ad Sanctum Tburibium Aſturicenſem Epiſcopum magnus
Epiſt. 92. cap. 16. Leo: *Et ſi vetus Teſtamentum, quod Priſcillianiſtæ ſe ſuſcipere ſimulant, Manichæi refutant, ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio, cum quod iſti recipiendo corrumpunt, illi abdicando impugnant.*

Priſcillianus eadem audacia manus omninò injecit in novum Teſtamentum. Hinc adulterina ejus emendatione correctos libros idem Pontifex damnat ſub anathemate. Et rectè affirmat, quod vetus ille Teſtamentum ſuſcipere ſimulaverit. Quòd nempè timeret lapides fidelis populi, duxit ita mentiendum. Proindè iſtud truncationis & alterationis facinus fuit commune omnibus paſſim Gnoſticis.

Tranſivit etiam ad alios hæreticos. Etenim de Theodoto Byzantino, Artemone, ac ipſorum Sectatoribus ſcribit apud Euſebium Cæſa-
Lib. 5. cap. 27. reenſem antiquus Eccleſiæ Pater: *Sacras audacter depravant Scripturas. Veteris fidei Canonem abrogant.* Et ſtatim infrà: *Quòd à fide longiſſimè abſint, quid attinet commemorare? Ob hanc cauſam in Sacras etiam Litteras confidenter & temerè manus violentas injiciunt, eaſque ſe emendare & corrigere prædicant. Quòd nihil falſi in eos ementitus loquar, nemini verum ſcire cupienti poterit eſſe obſcurum. Nam ſi quis cujuſquam illorum exemplaria in manus ſumere, accuratè perveſtigare, & inter ipſa conferre voluerit, reperiet profectò illa quàm maximè inter ſe diſſidere. Nam Aſclepiodori exemplaria cum illis, quæ ſunt Theodoti admodùm diſcrepant. Ac multa ſanè ſappetunt. Propterea quòd illorum diſcipuli exemplaria ab utriſque, ut illi appellant, correcta, ut nos, corrupta, ſtudiosè & ſedulò deſcripſerint. Rursùs quæ ſunt Hermophili, cum illis minimè conſentiunt. Quæ Apollonii dicuntur ipſa ſibi non conſtant. Licet enim quæ priùs ab illo exſcripta fuerunt & compoſita, poſterioribus denuò inverſis ac innovatis comparare, ſic invenire illa inter ſe valdè diſſentientia, erit perfacile. Quantum inſcitiæ & temeritatis habeat perditus iſte conatus, ne illos ipſos quidem ignorare ſuſpicor. Aut enim Sacras & Divinas Scripturas à Spiritu Sancto dictatas non credunt, & ita ſunt infideles, aut ſeipſos Spiritu Sancto ſapientiores eſſe dicant, quod planè quid aliud eſt, quàm quaſi Dæmone exagitatos inſanire? Neque enim hanc inconſultam & imprudentem molitionem eſſe ſuam inficiari poterunt: Quandoquidem iſta exemplaria eſſe ſua ipſorum manu tranſcripta, perſpicuè deprehenduntur. A quibus autem erant ipſi inſtituti, ab illis ſanè ejuſmodi Scripturas numquam acceperunt: Et exemplaria, undè iſta tranſcripſerunt, demonſtrare non poſſunt. Quidam illorum eas quidem depravare non adeò operæ pretium duxerant: Sed tum legem, tum Prophetas, lepida ſimulatione, perindè ac ſi nefariam & impiam omninò doctrinam complecteretur, prorsùs pernegantes, in vaſtiſſimum exitii gurgitem præcipites deciderunt.* Hæc non ipſius Euſebii, ſed antiquiſſimi & authentici Patris ſunt verba, cujus nomen dolemus non eſſe ab illo deſignatum. Attendant hæc Lutherani & Calviniſtæ: Et videant ſuam audaciam à tot ſæculis, & à tantis Patribus eſſe in Theodoto ac Artemone damnatam. Ex eodem authore ſcribit in ſecondo hæreticarum fabularum libro Theodoretus: *Prædi-*
Cap. 5. *ctus Scriptor etiam adjecit, quòd qui hanc hæreſim conflarunt, Divinam Scripturam interpolare auſi ſint, & quædam amputare, quædam adjicere, emendaſſe ſe dicentes, quæ non benè habebant, & ſapientiores ſe Spiritu Sancto prænuntiantes. Neque in hoc ipſo illos convenisse docet, ſed alio modo id feciſſe Theodotum, alio Aſclepiadem, & Hermophilum aliter, aliter Apollonidem. Quin & horum ſingulos ſua ipſorum inſuper correxiſſe, ita ut exemplarium magna ſit diſcrepantia.* Addit de iſto Scriptore: *Nonnulli Origenis opus eſſe putant.* At putant ſine fundamento. Etenim Euſebius laudat Heraclitum, Maximum, Candidum, Apio- Lib. 5.
nem, Sextum, ac Arabianum: Et affirmat Scri- cap. 26.
ptorem illum eſſe unum ex ipſis. Et Theodoretus non eſt ipſi plenè conformis.

Theodotus & Artemon fuerunt Pauli Samoſatenſis, Photini ac Neſtorii duces & præcurſores. Et iſta per ipſos facta ſacrarum litterarum vitiatio videtur Naſtorium ac ejus Presbyterum Anaſtaſium circumſcripſiſſe. Audiamus Socra-
tem: *Neſtorius ignoravit, quod ſcriptum ſit in ve-* Lib 7.
tuſtis exemplaribus epiſtolæ Catholicæ Divi Joannis, cap. 32.
Omnis ſpiritus qui ſolvit JESUM, ex Deo non eſt. *Quippè hanc ſententiam omnes, qui Divinitatem ab humanitate Chriſti ſejungere ſtudebant, ex vetuſtis exemplaribus delere ac tollere non dubitarunt. Quapropter veteres Interpretes idem ipſum ſignificarunt, quoſdam videlicet eſſe, qui illam epiſtolam depravaſſent, quò in Chriſto hominem à Deo ſepararent.* Epiſtola eſt manifeſtè ſcripta contra Cerinthum, Ebionem, & tunc graſſantes, qui JESUM ſolvebant, Gnoſticos. Quare ab hiſce videtur non eſſe corrupta, ſed penitùs contempta & abjecta. Proinde ejus corruptio videtur eſſe facinus Theodoti, Artemonis, aut cujuſpiam de iſta fæce. Hanc vitiationem memorat in epi-
ſtola ad ſuum nepotem etiam Hincmarus Rhe- Ep. 33.
menſis, & affirmat ex ejus ignorantia deceptum cap. 18.
fuiſſe Neſtorium. Eandem audaciam in trigeſima octava ſuper Sancti Joannis Evangelium homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus notat ac damnat in Paulo Samoſatenſi. Ipſum arguit de prava interpunctione. Paulus legit hoc modo: *Poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Joannes vult legendum: *Quia Filius hominis eſt, nolite mirari hoc.* An rectè cenſeat, eſt alia quæſtio. Interim lucet etiam Paulum fuiſſe reum iſtius facinoris. Facinus ergo à Theodoto ad Paulum, à Paulo ſerpſit ad Neſtorianos. Etenim Macedonium ſecundum Epiſcopum Conſtantinopolitanum fuiſſe ab Imperatore Anaſtaſio ejectum ſcribit in Breviario Liberatus Eccleſiæ Carthaginenſis Archi-Diaconus, & ad-
dit cauſam: Quod tamquam Neſtorianus Evan- Cap. 19.
gelia & Apoſtolicam ad Timotheum epiſtolam alteraſſet. Quia nempè Neſtoriani ita conſueverant. Quod etiam varios Patres falſaverint, eſt omnibus notum. Et quidem Macedonius fuit falsò accuſatus. Quare Hincmarus in præfata epiſtola cenſens Macedonium fuiſſe reum, ideoque & juſtè expulſum, aut Liberatum non benè attendit, aut fuit memoria lapſus.

Et certè de iſto ſcelerato Imperatore ſcribit ad Meſſalæ Conſulatum Victor Epiſcopus Tonnonenſis: *Conſtantinopoli, jubente Anaſtaſio Imperatore,*

tere, ſancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangeliſtis, compoſita, reprehenduntur & emendantur. Quod ipſum in Chronico ſcribit Sanctus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis. Quod idem Imperator etiam Chalcedonenſis Synodi Acta falſaverit, teſtantur Sanctus Theophanes ac Anaſtaſius Bibliothecarius. Eſt crimen Eutychianis, quorum princeps fuit Anaſtaſius, familiare. De ipſis
Cap. 22. enim ſcribit Sanctus Anaſtaſius Sinaita: *Quidam ex Sancti Lucæ Evangelio locum illum de guttis ſanguinis & ſudoris exſcindere tentarunt.* Raſerunt
Cap. 14 hæc Sancti Marci verba: *Cœpit* JESUS *pavere*
Cap. 22. *& tædere.* Et hæc Sancti Lucæ: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Hoc ab Armeniis attentatum teſtantur eorum Sanctus Monachus Nicon, Patriarcha Iſaac, & antiqua atque authentica apud Franciſcum Combefis narratio de rebus Armeniorum. Blaterarunt iſta non eſſe Sancti Lucæ aut Sancti Marci verba, ſed additamenta Gnoſtici Saturnini. Ita teſtatur iſta narratio. Hinc de illis pergit laudatus Anaſtaſius: *Exſcindere tentarunt, nec potuerant. Nam codices, qui his carent, falſitatis convincuntur ex plurimis aliis, qui omnia illa repræſentant, Codicibus, qui tam Græcæ, quàm aliarum Nationum linguis ſunt exarati.* Ita demonſtrat iſta verba eſſe non à Saturnino, ſed omninò ab Evangeliſtis.

Eandem audaciam fuiſſe Arianis teſtatur in
Lib. 2. libris de Fide Sanctus Ambroſius: *Ariani quod*
cap. 4. *forſan Diabolus non faceret, Scripturas falſavere Divinas.* Et in præfata epiſtola ſcribit Hincmarus: *Conſtat Arianos de Evangelio raſiſſe, quod Salvator ait,* Quia Dominus ſpiritus eſt. *Quia credere nolebant, quòd Spiritus Sanctus eſſet Deus Omnipotens.* Per interpunctionem corruperunt etiam primum caput in Sancti Joannis Evangelio: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo vita erat.* Legendum eſt: *Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Aliam interpunctionem eſſe ab Arianis inductam teſtatur in quarta ſuper iſtud Evange-
Hær. 69. lium homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus.
cap. 56. Quod ipſum & in Panario, & in libro Anchorato teſtatur ac deteſtatur Sanctus Epiphanius.
Cap. 75. Et in tertio apud Sanctum Athanaſium Dialogo Orthodoxus dicit ad hæreticum Macedonianum: *Vos eſtis qui Sancti Pauli ad Hebræos epiſtolæ inſcriptionem, & epiſtolæ ad Romanos contextum depravaſtis, cum dicitis ſcriptum non eſſe,* Per ſpiritum ejus inhabitantem in vobis, *ſed,* Propter ſpiritum ejus inhabitantem in vobis. *Quin etiam ecce Prophetæ quoque verba conaris depravare.* Macedoniani fuerunt Arianis in Apoſtolicam ad Hebræos epiſtolam mitiores: Iſti projecerunt integram, hi neſcio quas ejus partes. Quod nempè iſti & pro Deo Filio, & pro Deo Spiritu Sancto, hi autem ſola pro Deo Spiritu Sancto teſtimonia averſarentur. Dominus Lucas Holſtenius Sancti Athanaſii operibus adjunxit antiquam & eruditam iſtius Patris vitam, & ejus Author conſtanter aſſerit iſtos Dialogos eſſe Sancti Athanaſii. Verùm labitur. Etenim ipſos eſſe Sancti Maximi Abbatis & Martyris, diſertè affirmat in Reſponſis ad Marci Epheſini Archi-Epiſcopi adversùs Florentinam Synodum calumnias vir eruditiſſimus ac ſanctiſſimus, Gregorius Proto-Syncellus, qui poſtmodò fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus. Arianorum præcurſores fuerunt Alogi, ſeu Alogiani. Etiam ab his omnia Sancti Joannis Apoſtoli Scripta fuiſſe repudiata teſtatur Sanctus Epiphanius; Evangelium, Epiſtolas, Apocalypſim. Ipſum dilectum Domini di- Hær. 51.
ſcipulum non fuerunt auſi proſcindere. Hine cap. 3.
illa dixerunt non eſſe ipſius, ſed opera Hæreſiar- 34. 35.
chæ Cerinthi. Tremenda impudentia. Quod enim & Evangelium & primam præſertim epiſtolam Sanctus Joannes contra Cerinthum ſcripſerit, teſtantur Sanctus Irenæus, ac Sanctus Hieronymus. Attamen Apocalypſim proſcripſit etiam
Marcion. Ita teſtatur in quarto contra ipſum li- Cap. 5.
bro Tertullianus. Quod eandem etiam quidam Catholici, uti Cerinthi opus, proſcripſerint olim, teſtatur Euſebius Cæſarienſis.

Eandem ſcripturarum lacerandarum audaciam in Sabbatio, Novatianenſis factionis Presbytero ac apoſtata damnat, ac divinitùs fuiſſe vindica-
tam demonſtrat Socrates. Eandem Diabolus Lib. 7.
impreſſit Albigenſibus. Etenim in erudita ad cap. 5.
omnes ſub cœlo fideles epiſtola venerabilis Claræ-Vallis Abbas Henricus deſcribit miſerandum Toloſanæ civitatis ſtatum, atque adjungit: *In tantum prævaluerat peſtis in terra, quod illi ſibi non ſolùm Sacerdotes & Pontifices fecerant, ſed etiam Evangeliſtas habebant, qui corrupta & cancellata Evangelica veritate, nova illis Evangelia cuderent, & de corde ſuo nequam recentia Dogmata ſeducto populo prædicarent. Mentior, ſi non erat inter eos homo quidam ætate grandævus, rebus locuples, ornatus fratribus & amicis, & magnus homo inter maximos civitatis, quem ita peccatis exigentibus Diabolus excæcarat, ut ſeipſum Joannem Evangeliſtam diceret, & Verbum quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio, tamquam à Deo altero, ſegregaret.* Exſtat epiſtola apud Rogerum Hovedenſem. Et tandem ab his eadem audacia, tamquam pretioſa hæreditas, devenit ad Lutheranos & Calviniſtas. Septimios rectè adjungit iſtas adjectiones & detractiones à quovis hæretico ſemper fieri ad diſpoſitionem ſui Inſtituti: etiam unici puncti vel accentus, aut ſolius pronuntiationis alterationem. Eleganter in tertio Stromatum libro
ſcribit Sanctus Clemens Alexandrinus: *Hi ſunt* Fol. 442.
qui in legendo vocis tono pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, & aliquorum accentuum & punctorum tranſpoſitione, quæ moderatè & utiliter præcepta ſunt, ad ſuas trahunt delicias. Et certè facinus, quod Macedonio Conſtantinopolitano Epiſcopo impoſuit Imperator Anaſtaſius, erat ſola parvi o in magnum mutatio. Et iſtud facinus fuit habitum dignum perpetua tanti Epiſcopi degradatione.

Et

Et ſi aliquatenus integras præſtat, &c.

Doctor agit in Valentinianos, qui ſacras litteras plenè à ſe admitti ſimulabant, & monſtroſiſſimè interpretabantur, ita ipſas intorquebant, ut ſuas fabulas poſſent ipſis veſtire. Eorum nugaciſſimas & ſceleratiſſimas intorſiones adducit variis in locis Sanctus Irenæus. Et omnes hæretici, qui ſacras litteras venerari ſimulatant, ſemper in iſtud facinus toti intenderunt. Quod per iſtas diverſarum expoſitionum commentationes ipſa Scriptura convertatur ſeu pervertatur, rectè affirmat Septimius. Et adjungit firmam cauſam: *Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus.* Imò longè magis, longè ſceleratiùs. Etenim corruptor ſtylus invadit ac inſanit in ſola verba, at verò adulter ſenſus *etiam in Divinæ Majeſtatis Senſa.* Ille in ſolum ſacrarum litterarum corpus, hic in animam. Inſigniter hæc illuſtrat Doctor alio ejuſdem libri

Cap. 38. capite: *Alius manu Scripturas, alius ſenſus expoſitione intervertit. Neque enim ſi Valentinus integro inſtrumento uti videtur, non callidiori ingenio quàm Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palàm machæra, non ſtylo uſus eſt: Quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam Scripturas, ſed materiam ad Scripturas excogitavit. Et tamen plus abſtulit, & plus adjecit, auferens proprietatem ſingulorum quoque verborum, & adjiciens diſpoſitiones non comparentium rerum.* Sacroſanctis Spiritus Sancti verbis extrahit Divinas veritates, & ſubintruſit ſuas ſceleratiſſimæ blaſphemiæ fabulas. Ejecit Divinam ovem, & ejus lanis ſuum lupum ſubintruſit.

Quod ſacras litteras in alienos ſenſus detorquere ſit Diaboli commentum & ars, atque ab iſto magiſtro didicerint omnes hæretici, inſigniter demonſtrat Sanctus Irenæus. Et in decimo

Lib. 5. octavo ſuper Sancti Joannis Evangelium Tracta-

cap. 21. tu ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Neque enim natæ ſunt hæreſes, & quædam Dogmata illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè. Et quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.* Utique cum pertinacia. Et eſt pœna antecedentium peccatorum. Sanctus Anaſtaſius Sinaita omnibus Chriſtianis rectè commendat ſobriam, juſtam, ac piam vitam, atque adjun-

Cap. 3. git: *Siquidem ut cognoſcas licet ex æqualibus Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum, pleræque omnes hæreſes ex vana regnandi libidine, avaritia, hominibus placendi ſtudio, ſuperbia fluxerunt. Non tam iis futuris cæcis, ſi otium atque exercitationem ſecuti, & affectibus defuncti, Spiritum Sanctum ſibi domeſticum feciſſent. Nam ſi orare, ut par eſt, neſcimus, niſi Divinum Spiritum teneamus, quantò magis Dei arcana ſcrutari?* Inter hæreſeon cauſas addi debet & luxuria. Proindè prava vita expellit Spiritum Sanctum, ab illo deſerta humana mens Scripturas pravè intelligit, prava ſua Senſa contumaciter defendit, atque ita parit hæreſes.

Variæ præſumptiones neceſſariò nolunt agnoſcere, &c.

Doctor affirmat è tribus jam dictis unum eſſe neceſſarium omni hæreſi: Ut ſacras litteras projiciat, aut ut vitiet, aut ut pravè interpretetur. Et adjungit cauſam: *Neceſſariò nolunt agnoſcere ea per quæ revincuntur.* Etenim qui ſacras litteras neque abjicit, neque vitiat, neque pravè interpretatur, nequit eſſe hæreticus, ſed non poteſt non eſſe integer orthodoxus. Inſigniter hæc Doctor illuſtrat in alio ejuſdem libri capite: *Qui-* Cap. 38.
bus fuit Propoſitum aliter docendi, eos neceſſitas coegit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent. Sicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum ejus, ita & nobis integritas doctrinæ non competiſſet ſine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Porrò doctrinæ inſtrumenta ſunt ſacrarum litterarum Senſa & verba.

His nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, &c.

Doctor addit & quartam, licèt non omnibus, pluribus tamen tunc hæreticis familiarem præſumptionem. Præſumptionem fingendi aut admittendi Scripturas apocryphas, ac ſui erroris ex ipſis defendendi. Doctor agit in Valentinianos, Marcionitas, Gnoſticos omnes, imò & cunctos antiquos hæreticos, quibus iſtud facinus fuit familiariſſimum. Etenim quod *Valentinus magna impudentia, quaſi idoneus aliquis Author, interſeruerit* ſacro Scripturarum Canoni neſcio quos à ſe compoſitos Pſalmos, teſtatur Septimius in libro de Carne Chriſti. Per idoneum Authorem Cap. 17.
intelligi Scriptorem Canonicum. In ſacrarum litterarum locis, quæ Chriſtum Dominum affirmant ex Virgine naſciturum, aut natum, Valentinus pro præpoſitione, *Ex*, poſuit præpoſitionem, *Per*. Hanc audaciam acriter inſectatur Doctor, demonſtrat præpoſitionem, *Ex*, omninò retinendam, & adjungit: *Nobis quoque ad* Cap. 20.
hanc ſpeciem Pſalmi patrocinabuntur, non quidem apoſtatæ, & hæretici, & Platonici Valentini, ſed ſanctiſſimi & receptiſſimi Prophetæ David. Ridet apocryphos & ſceleratos Valentini Pſalmos. Eandem in Gnoſticis audaciam notat Sanctus Ire-
næus: *Super hæc autem inenarrabilem multitudi-* Lib. 1.
nem apocryphorum, & perperàm Scripturarum, cap. 17.
quaſi ipſi finxerunt, adferunt in ſtuporem inſenſatorum, & quæ ſint veritatis non ſcientium litteras.

Habuerunt librum de infantia Chriſti Domini, cujus unum caput prodit laudatus Irenæus: *Aſſumunt in hoc & illam falſationem, quaſi Domi-*

nus,

Digitized by Google

nus, cum puer eſſet, & diſceret litteras, cum dixiſſet magiſter ejus, quemadmodum in conſuetudine eſt, Dic A., reſpondit A. Rursùs cum Magiſter juſſit eum dicere, B. reſpondiſſe Dominum, Tu prior dic mihi quid eſt A. tunc ego dicam tibi quid eſt B. Et hoc exponunt, quaſi ipſe ſolus incognitum ſciverit, quod manifeſtavit in typum A. Garriebant quód Dominus per A. intellexiſſet ſuum Patrem incognitum humano generi, cœli ac terræ Creatore ſuperiorem. Ejuſdem libri meminit Sanctus Anaſtaſius Sinaita: *Obſerva falſa & ſuppoſititia eſſe, quæ vocantur puerilia Chriſti miracula. Neque enim apertè, luce palam, miraculum edidit in terra, ut dicit Evangelium, antè miraculum illud in Cana Galilææ, ubi aquam in vinum mutavit, ſed totos illos triginta annos exemplo & more noſtro tranſegit, excepto ſolo peccato, quamquam verus Deus eſſet & ante & poſt aſſumptam veram Carnem.* Hinc more noſtro, quoniam ignorantia eſt noſtræ naturæ vitium, non frequentavit ſcholas, nec alphabetum didicit. Lucet ex Judæorum admirabunda interrogatione: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Eutychianiſtæ fuerunt Valentini ſurculus. Hinc iſta fabula ambobus placuit. Ejuſdem libri meminit in ſuo ſuper Sancti Joannis Evangelium commentario Theophylactus. Demonſtat Chriſtum Dominum uſque ad ſuſceptum à Joanne Baptiſmu fuiſſe populis ignotum,

Cap. 1. & proſequitur: *Hoc loco diſcimus, quòd miracula pueritiæ Chriſti ſint conficta & mendacia. Compoſita ab his, qui deridere volebant myſterium. Nam ſi fuiſſent vera, quomodo ignotus fuiſſet Dominus, qui hæc faciebat? Neutiquam enim veriſimile fuerit non fuiſſe celebrem, qui talia faciebat. Verùm non ita eſt. Non enim antequam baptizaretur, ſigna fecit, neque cognitus erat.* Eundem librum damnavit in ſua Synodo Sanctus Papa Gelaſius.

Lib. 3. cap. 11. Sanctus Irenæus pergit de Valentinianis: *Hi qui ſunt à Valentino, iterùm exiſtentes extra omnem timorem, ſuas conſcriptiones proferentes, plura habere glorientur, quàm ſint ipſa Evangelia. Si quidem in tantum proceſſerunt audaciæ, ut quod ab his non olim conſcriptum eſt, veritatis Evangelium titulent, in nullo conveniens Apoſtolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem ſit apud eos ſine blaſphemia.* Affirmat iſtud Evangelium aliis quatuor, quæ & ipſi venerari ſimulabant, Evangeliis non concordare in Dogmate, ideoque non eſſe veritatis Evangelium, ſed commentum mendacii. Ejuſdem commenti videtur meminiſſe

Hær. 26. cap. 2. Sanctus Epiphanius: *Sunt ex Gnoſticis nonnulli, qui adulterinum quoddam, & adſcititium Poema venditant, quod opus inſcribunt, Perfectionis Evangelium, cùm reverà non Evangelium, ſed doloris ſit ac luctus perfectio. Univerſa quippè & conſummata mortis acerbitas in eo Diaboli fœtu continetur.* Perfectionis Evangelium videtur fuiſſe idem cum Evangelio veritatis. Epiphanius adjungit: *Alii Evangelium Evæ ſine ullo pudore jactitant, ſub hujus enim nomine, utpotè quæ cognitionis nomen à Serpente, quocum collocuta fuit, didicerit, perfidiæ ſuæ ſemina ſparſerunt.* Quòd Julius Caſſianus, è Valentini ſchola cum Encratitarum Principe Tatiano docens homo, ad plura uſus fuerit Evangelio ſecundùm Ægyptios, teſtatur in tertio Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Iſtud Evangelium fuiſſe à Pſeudo-Apoſtolis conſcriptum, & à Sancto Luca reprobatum, teſtatur in ſuorum Commentariorum præfatione Theophylactus.

Sanctus Epiphanius adducit integrum catalogum iſtiuſmodi apocryphorum. Pergit enim de memoratis Gnoſticis: *Libri penes illos quamplurimi ſunt. Nam interrogationes quaſdam Mariæ venditant. Alii ſub Seth nomine complures libros ſuppoſititios obtrudunt. Sed & Adami revelationes alias. Et alia item Evangelia diſcipulorum nomine ſunt auſi conſcribere.* Addit Mariæ revelationes eſſe duplices: Majores ac minores. Ambas plenas impudicitiis. Et infrà: *Infinita penes illos ſunt ſuppoſititia atque impudenter conficta monimenta. Cujuſmodi eſt liber, qui de progenie Mariæ inſcribitur. In quo horribilia quædam ac deteſtanda illorum Dicta continentur.* Et rursùm: *Præterea Evangelium quoddam ſub Philippi, ſanctiſſimi Chriſti Diſcipuli, nomine circumferunt.* Pergit de Ebionitis: Cap. 12.

Ebionitæ Apoſtolicos alios actus proferunt, in quibus plurima ſunt impietatis illorum veſtigia, ejuſque potiſſimum libri authoritate ad oppugnandam veritatem armantur. Ex ipſo probant Sanctum Paulum fuiſſe non natura Judæum, ſed gentilem ac proſelytum. Et infrà: *Ebionitæ Apoſtolorum nomina, quò faciliùs Sectatores ſuos pelliciant, per ſimulationem admittunt, quibus etiam confictos quoſdam à ſe libros inſcribunt, velut à Jacobo, Matthæo, ac reliquis diſcipulis editos. Inter quæ Joannis etiam Apoſtoli nomen admiſcent: Quò eorum vecordia poſſit ex omni parte deprehendi.* Etenim Sanctus Joannes contra ipſos ſcripſit & epiſtolas ſuas, ac præſertim Evangelium. Adeò ipſis non ſavit. Et cum Ebione noluit intrare commune balneum. Etiam de Cajanis ſcribit Sanctus Epiphanius: *Cajani Judam traditorem eſſe affinem ſuum jactitant, eidemque excellentem quandam vim cognitionis attribuunt. Quod uſque adeò defendunt, ut ejus nomine inſcriptum opuſculum circumferant, quod Judæ Evangelium appellant. Cui ſimilia quædam alia volumina confinxerunt.* Et iterùm: *Quin alium inſuper Pauli Apoſtoli nomine libellum excogitant, præpoſtera libidine refertum, quem & ii, quos Gnoſticos vocant, adhibere ſolent, quod Pauli Anabaticum vocant.* Addit illis eſſe & alium librum, plenum ſceleratiſſimis nominibus. Quòd non ſolùm Judam, ſed etiam Cain, Eſau, Core, & Sodomitas dixerint ſuos cognatos, & quòd item Judæ Evangelio, & aliis ſceleratis conſcriptionibus fuerint uſi, teſtatur etiam Sanctus Irenæus. Iſtud Pauli Anabaticum, revelationem, ſeu Apocalypſim, fuiſſe fabulis ac ſtultiſſima præſumptione pleniſſimum figmentum teſtatur in nonageſimo octavo ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu Sanctus Auguſtinus. Et Sancti Pauli authenticis epiſtolis palàm adverſari demonſtrant in ſuis Annalibus Michael Glycas, & in commentario ſuper priorem ad Corinthios epiſtolam Theophylactus.

Hær. 30. cap. 16.
Cap. 23.
Hær. 38. cap. 1.
Lib. 1. cap. 35.
Cap. 12.

San-

Sanctus Epiphanius etiam de Sethianis ſcribit: *Sethiani certos libros clariſſimorum virorum nominibus inſcriptos circumferunt.* Hær. 39. cap. 5. *Ex quibus ſeptem omninò Seth attribuunt, alios verò alterius generis nuncupant. Eſt & alius liber falſo Abrahami nomine, quem pro Apocalypſi venditant, omni nequitia refertus. Præter quem à Moyſe alterum, reliquos ab aliis editos eſſe mentiuntur.* Et ipſorum nugas Epiphanius evertit ex neſcio qua parva Geneſi, quæ Adami filias appellat Savem & Azuram, hanc affirmans Sethi, illam fuiſſe Caini uxorem. Qui & ipſe manifeſtè fuit liber Apocryphus. Epiphanius ſcribit etiam de Archonticis: Hær. 40. cap. 2. *Iſti apocryphos quoſdam libros confinxerunt. E quibus duo ſunt Symphoniæ nomine: Major videlicet ac minor. Nonnullos inſuper alios iis, quibuſcum agunt, percenſere ſolent, ut errorem ſuum multis authoritatibus affirmare & probare videantur. Habent & quos Allenigenas vocant, ſic inſcriptos libelles.* Item Anabaticon ſeu Apocalypſim Iſaiæ. Addit hunc etiam Hieraciris placuiſſe. Pergit de Encratitis: Hær. 67. cap. 3. *Encratitæ inter primarias Scripturas habent Andreæ ac Joannis Acta, necnon Thomæ, & alios apocryphos libros.* Andreæ ac Thomæ Acta aſſerit etiam Apoſtolicis placuiſſe. Etiam de Sabellianis Hær. 47 cap. 1 ſcribit: *Sabelliani errorem ſuum ac ejus firmamentum ex apocryphis quibuſdam hauſerunt.* Hær. 62. cap. 2. *Præſertim ab Ægyptiorum Evangelio. Hoc enim illi nomen indiderunt.*

Plurimas iſtiuſmodi ſceleratas variorum hæreticum ſutelas & fabulas reperies etiam apud alios Eccleſiæ Patres. Quòd Priſcillianiſtæ habuerint varias iſtiuſmodi nugas, teſtatur Sanctus Augu- Ep. 253. 259. ſtinus. Primatum tenuit Hymnus Domini. Et Secreta Moyſis. In epiſtola ad Sanctum Auguſtinum Presbyter Oroſius addit *Memoriam Apoſtolorum.* Eiſdem abundarunt etiam Manichæi. Primum locum habuit Evangelium Sancti Thomæ, quod ipſi jactabant incorruptiſſimum. Ita Sanctus Auguſtinus teſtatur in libro contra Adimantum. Omnem eorum fæcem enumerat in hæreticorum catalogo Timotheus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter: *Evangelium vivum, Theſaurus vitæ. Apoſtolorum univerſitas. Myſteriorum. Heptalogus Alogii. Precationum. Capitulorum. Res geſta Gigantum. Thomæ Evangelium. Acta Andreæ Apoſtoli. Quinta decima epiſtola ad Laodicenſes. Qui appellatur liber de infantia Domini: Quem iidem compoſuerunt, quo Chriſti Incarnationem inani ſpecie, non veritate exhibitam probarent.* Exſtat hic catalogus in ſecundo tomo Franciſci Combefis. Si iſte poſtremus liber ſit idem cum illo, quem Sanctus Irenæus memorat, non poteſt eſſe opus Manichæum. Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſuo Capitulari damnat etiam Apocalypſin Eſdræ & Zozimæ. Et neſcio quem librum Sancti Marci. Etiam revelationem Sancti Pauli. In Sacrarum Litterarum Synopſi Sanctus Athanaſius enumerat ex veteri Teſtamento hos ſequentes: *Prophetia Enoch Patriarchæ. Oratio Joſeph. Teſtamentum Moyſis. Aſſumptio Moyſis, Abraham, Eldad & Medad, Eliæ Prophetę, Sophonię Prophetę, Zachariæ patris Joannis, Baruch, Habacuc, Ezechielis, & Danielis.* Ex novo Teſtamento aſſignat hos: *Circuitus Petri, Circuitus Joannis, Circuitus Thomę, Doctrina Apoſtolorum.* Circumfertur etiam Evangelium duodecim Apoſtolorum. Et alia plura. Ad omnia adducenda ac elucidanda eſſet opus grandi ac erudito volumine. Omittere tamen nolim Montaniſtas. Etenim de antiquiſſimo ac eruditiſſimo Scriptore noſtro Cajo ſcribit Euſebius Cæſareenſis: *Diſputatio Caii, viri eloquentiſſimi, Romę Zephyrino Eccleſiam regente,* Lib. 6. cap. 14. *contra Proclum, Phrygum erroris propugnatorem, habita ad nos pervenit, in qua Adverſariorum temeritatem & audaciam in novis Scripturis contexendis reprimit ac refutat.* Erant Scripta Montani, Priſcillæ, ac Maximillæ. Eorum meminit in libro de fuga in perſecutione, ac ex ipſis iſtam fugam damnat noſter Septimius: *Spiritum verò ſi conſulas, quid magis ſermone illo Spiritus probat? Namque omnes penè ad Martyrium exhortatur, non ad fugam.* Cap. 9. Et adducit quædam verba iſtius Pſeudo-Chariſmatis. Et in alio ejuſdem libri capite ſcribit: *Si & Spiritum quis agnoverit, audiet & fugitivos denotantem.* Cap. 11. Eadem Scripta laudat etiam in aliis ſuis deviis libris. O miſerandam humani generis ſortem! Tantus Doctor damnatas à ſe fabulas veneratur & adorat. Proindè qui ſtat, videat ne cadat. Cum timore & tremore ſuam ſalutem operetur.

Hæreticorum apocryphorum originem prodit in ſui Evangelii exordio Sanctus Lucas: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ ſunt rerum, viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine ſcribere.* Inter iſtos nonnullos Sanctus Epiphanius affirmat fuiſſe Cerinthum ac Merinthum. Ipſos aſſerit à Hær. 51. cap. 7. Sancto Luca notari, & adversùs ipſorum ficta mendacia eſſe ab illo ſcriptum Evangelium. Hoc ipſum in præfatione ſui ſuper Sanctum Matthęum commentarii teſtatur Sanctus Hieronymus: *Plures fuiſſe qui Evangelia ſcripſerint, & Sanctus Evangeliſta Lucas teſtatur, & perſeverantia uſque in præſens tempus monimenta declarant, quæ à diverſis authoribus edita, diverſarum hæreſeon fuere principia. Ut eſt illud juxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, Bartholomæum, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis, atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſſimum eſt. Cùm tantùm in præſentiarum hæc neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſint magis ordinare narrationem, quàm hiſtoriæ texere veritatem.* Affirmat ipſos prophetaſſe de ſuo corde, ambulaſſe poſt ſuum ſpiritum, veniſſe à ſemetipſis, ideoque fuiſſe fures ac latrones. Et quidem iſtud ſecundùm Ægyptios Evangelium ſeduxit Sabellium. An iſtud Sancti Matthiæ Evangelium ſit idem cum ejus memoratis apud Sanctum Clementem traditionibus, ignoro. Quod etiam quidam ſub Sancti Pauli nomine ſcripſerint epiſtolas, affirmat ipſe Apoſtolus in litteris ad Theſſalonicenſes. Antiqui Teſtamenti Pſeudo-Prophetas fuiſſe noſtrorum hæreticorum præcurſores, rectè ſcribit in ſecunda epiſtola Sanctus Petrus. Et ipſo-

rum

rum quidam omninò fuerunt hæretici. Ab ipſis ergò iſta audacia devenit ad noſtros Sectarios. Teſtem adduco noſtrum Tertullianum, qui in libro de Anima ſcribit de Gentilium Philoſo-
Cap. 2. phis: *Quid autem ſi Philoſophi etiam illa incurſaverint, quæ penes nos apocryphorum confeſſione damnantur, certos nihil recipiendum, quod non conſpiret germanæ, & ipſa jam ævo prognatæ Propheticæ Paraturæ, quando & Pſeudo-Prophetarum meminerimus, & multò priùs apoſtatarum Spirituum, qui hujuſmodi quoque ingeniorum calliditate omnem faciem ſæculi inſtruxerunt?* Gentilium Philoſophorum Dogma ſuis ſcoria obductum aurum, mixtum aqua vinum: Ea vero & falſo textura. Veri iſtius radicem Patres aſſignant variam. Et una eſt, quod noſtros Prophetas illi legiſſent. Horum enim, licèt ipſi appellent barbaram, eſt veriſſima & antiquiſſima Philoſophia. Mixturæ cauſam Tertullianus affirmat inter alias fuiſſe incurſionem apocryphorum, ſeu Pſeudo Prophetarum, quibus iſtiuſmodi lepra eſt naturalis. Supponit apocrypha Scripta eſſe adeò antiqua. Et rectè ſupponit.

Quæ ex falſo compoſuerunt, &c.

Doctor diſtinguit duplices apocryphorum librorum uſitatores: Alios qui ipſos compoſuerunt, alios qui ipſos ex ambiguitate ceperunt. Ad primam claſſem ſpectant Cerinthus, Merinthus, Valentinus, & plures alii, à quibus jam audivimus attentatam fuiſſe iſtam audaciam. Eſt audacia adeò ſacrilega, ut ipſam in ſui Evangelii exordio Sanctus Lucas duxerit damnandam. Eſt enim plena Pſeudo-Prophetia, mendaciſſimè blaterans & clamans, *Dicit Dominus*, ubi Dominus non eſt locutus. Eſt falſi crimen in ipſam Divinam Majeſtatem. Et hinc in illuſtrium virorum catalogo ſcribit Sanctus Hieronymus de neſcio quo Aſiatico Presbytero, qui fabuloſum de Sancti Pauli & Sanctæ Theclæ periodis librum confinxerat: *Tertullianus vicinus eorum temporum refert Presbyterum convictum à Joanne Apoſtolo, quòd author eſſet libri, & confeſſum ſe hoc amore Pauli feciſſe, & ob id loco excidiſſe.* Teſtatur id Tertullianus in libro de Baptiſmo. Aliorum, qui ejuſmodi libros de ambiguitate ceperunt, delictum non eſt adeo grave. Et inter iſtos fuit Sabellius, ab Evangelio ſecundùm Ægyptios circumſcriptus ac ſeductus. Erat in Pentapolitana Ægyptiacæ Diœceſeos Provincia Epiſcopus. Hinc ambiguo iſti Evangelio nimium detulit. Iſtiuſmodi porrò Scripturas Septimius appellat *de ambiguitate*, quòd habeant ambiguos & clandeſtinos, atque ita damnatos, aut certè ſuſpectos natales, adeoque ſine delicto à nemine poſſint admitti.

Quæſtio eſt, Quid ſit Scriptura apocrypha? Reſpondeo ipſam in libris adversùs Fauſtum Ma-
Lib. 11. nichæum inſigniter definiri à Sancto Auguſtino:
cap. 2. *Libri appellantur apocryphi, non quòd habendi ſint in aliqua authoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorum præſumptione prolati ſunt.* Conſonat in feſtivali epiſtola S. Athanaſius. S. Lucæ in ſuum Evangelium præfationi dat hanc paraphraſim: *Quandoquidem conati ſint nonnulli ea ſibi, quæ dicuntur apocrypha, contexere, eademque Divinitùs inſpiratæ Scripturæ immiſcere, quam & ipſi tamen exploratam ideò, certamque habemus, quod à Patribus noſtris, qui ab initio Verbum ipſum ſuis oculis viderant, eique miniſtrarunt, eam accepimus, viſum etiam nobis eſt, hortantibus ad id germanis fratribus, qui ab initio omnia didicimus, libros qui authore canone pro Divinis recepti & crediti ſunt, ideò recenſere, ut qui in fraudem acti ſunt, eadem relicta reſipiſcant, reliqui autem conſtantiæ ſuæ memoria lætentur.* Affirmat & dolet fideles quoſdam fuiſſe ab apocryphis circumventos. Et ad hos à laqueo eruendos diſtinguit triplices libros: Canonicos, authenticos, & apocryphos. Canonicos ſeu regulares libros affirmat eſſe illos, quos certò conſtat eſſe nobis à Divina Majeſtate dictatos, ideoque nobis etiam ſunt regula credendi ac vivendi. Et ſingulos enumerat. Et adjungit de authenticis: *Cæterùm majoris & exactioris diſciplinæ cauſa addo, & illud ſcribens neceſſariò, præter ſuperiores eſſe libros alios non in Canone quidem probatos, ſed veterum authoritate illis, qui pietatis elementis imbuendi eſſent, propoſitos. Sapientiam nempè Salomonis, ſapientiam Syrach, Eſther, Judith, & Tobiam. Conſtitutiones quæ vocantur Apoſtolorum. Doctrinam etiam Apoſtolorum nomine nuncupatam. Ipſum denique Paſtorem.* Iſto enim tempore memoratos Antiqui Teſtamenti libros quædam hinc indè Eccleſiæ necdum admiſerant in regulam. Cunctæ tamen ipſos habebant pro authenticis. Utpotè quorum pia doctrina, ac indè nata authoritas eſſet explorata. Sanctus Athanaſius pergit de Apocryphis: *Cæterùm hoc unum, Dilecti, vos decet advertere, neque illos qui Canone, neque illos qui permiſſa lectione diſtinguuntur, apocryphorum nomine intelligendos eſſe; ſed apocryphos eſſe hæreticorum commentum, quos dum complectuntur, eiſdem pro libidine tempora largiuntur, ut tamquam veteribus ad ſimpliciorum fraudem abutantur.* Itaque Canonici ſunt neceſſariæ, authentici ſunt permiſſæ, apocryphi libri ſunt damnatæ Scripturæ. Sunt commenta hæreticorum. Et hi illis pro ſua libidine largiuntur tempora, ut tanquam veteribus ad ſimpliciorum fraudem abutantur. Etenim Canonici libri debent eſſe veteres: Scripti à Divinæ in nos Clementiæ Prophetis aut Apoſtolis. Hinc hæretici ſuis commentis iſtorum antiqua tempora affinxerunt.

Notanda ſunt Sancti Auguſtini verba: *Non quòd habendi ſint in aliqua authoritate ſecreta.* Agit in Manichæos, qui ex Valentini ac aliorum Gnoſticorum fabulis garriebant Chriſtum Dominum alia ad populum in aperto, alia coram ſolis Apoſtolis docuiſſe in occulto. His locutum ſecretam ſapientiam inter perfectos. Garriebant etiam Apoſtolos cum eadem diſcretione docuiſ-

docuiſſe. Hinc & alias litteras animali populo & communibus Eccleſiaſticis, alias tradidiſſe ſuis ſpiritualibus ac electis. Et has eſſe Scripturas apocryphas, id eſt, ſecretæ authoritatis. Apocryphum enim eſt idem quod ſecretum & clandeſtinum. Et Sanctus Auguſtinus rectè affirmat nullam verè Propheticam aut Apoſtolicam Scripturam eſſe iſtiuſmodi. Quod ipſum frequenter inculcat atque demonſtrat Sanctus Irenæus. Auguſtinus pergit: *Sed quia nulla teſtificationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorum præſumptione, prolati ſunt.* Libris, quos certò conſtat eſſe Platonis aut Ariſtotelis, atteſtatur continua per nunquam interpolatam bonorum teſtium ſucceſſionem teſtificatio. Eos Plato & Ariſtoteles tradiderunt ſuis diſcipulis, hi ſuis ſucceſſoribus: Et iſta continuata ſeries ipſos integros atque illæſos deduxit uſque ad nos. Quibus deeſt iſtiuſmodi teſtimonium, cenſentur ſuppoſititii, & ab aliis ſub iſtorum nomine conficti. Aut ſanè de ſpuriis natalibus ſunt graviter ſuſpecti. Hinc ſunt apocryphi, & clandeſtinæ originis. Vacui authoritate. Eadem teſtimonii forma noſtros Dogmaticos libros demonſtrat Canonicos aut apocryphos. Etenim etiam Sancti Prophetæ, ac Apoſtoli ſcriptos à ſe libros dederunt ſuis diſcipulis, hi ſuis ſucceſſoribus, hi tandem nobis. Quibus non atteſtatur iſta ſucceſſio, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorum præſumptione ſunt prolati. Quidam à Cerintho, quidam ab Ebione, quidam à Valentino, quidam ab aliis. Sunt clandeſtinæ originis, ideoque habere non poſſint authoritatem regulæ. Eodem modo Sanctus Auguſtinus loquitur in libris contra Prophetarum ac legis Adverſarium. Affirmat prolata ab iſto tenebrione ſecundùm Joannem & Andream Evangelia eſſe apocrypha, ideoque & nullius ponderis, & adjicit cauſam: *Quę Evangelia ſi illorum Apoſtolorum*
Lib. 1 cap. 10 *eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quę ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas uſque ad noſtra & deinceps tempora perſeverat.* Hoc argumentum frequenter uſitat & amplificat in libris adverſùs Fauſtum.

Sancto Athanaſio, qui Canonicas, authenticas ſeu permiſſas, & apocryphas Scripturas diſtinguit, & omnes apocryphas affirmat eſſe hæreticorum commenta, in Apoſtolici ſymboli expoſitione conſonat Ruffinus Presbyter. Enumerat omnem ſui temporis Canonem, atque adjungit: *Sciendum tamen eſt, quod & alii libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à Majoribus appellati ſunt. Ut eſt ſapientia Salomonis, & alia ſapientia quæ dicitur Syrach, qui liber apud Latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur. Quo vocabulo non author libelli, ſed Scripturæ qualitas cognominata eſt. Ejuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ, & Judith, & Machabæorum libri. In Novo verò Teſtamento libellus qui dicitur Paſtoris, ſive Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel judicium Petri, quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam. Cæteras verò Scripturas apocryphas nominarunt, quas in Eccleſiis legi noluerunt.* Nota vocem, *Liber Eccleſiaſticus*. Eſt liber permiſſus legi in Eccleſia.

Alio modo locutus fuit in ſua hiſtoria Euſebius Cæſareenſis, ſcribens de Sancto Clemente Alexandrino: *Clemens in octo Stromatum libris* Lib. 6. cap. 11.
utitur teſtimoniis Scripturarum, quibus ſolet à multis contradici. Nimirùm ſapientiæ, quæ dicitur Salomonis, & Eccleſiaſtici Jeſu Syrach, & epiſtolæ ad Hebræos, & Barnabę, & Clementis, & Judę. Quin imò Clemens utitur etiam Evangelio ſecundùm Hebræos, Evangelio ſecundùm Ægyptios, traditionibus Sancti Matthiæ Apoſtoli, libro Paſtoris, ac prædicatione ſeu circuitu Sancti Petri. Et hos omnes Euſebius dixit apocryphos. Etiam epiſtolam ad Laodicenſes. Proindè Euſebius ſacros noſtros libros diviſit in duo dumtaxat membra: In Canonicos & apocryphos. Romana Sancti Gelaſii Pontificis Synodus habet tertium loquendi modum: Diſtinguit libros Canonicos, libros ſanctorum Patrum ab Eccleſia probatos, & variorum libros damnatos ab Eccleſia. Et in ſecunda claſſe ponit etiam Decreta & Acta Generalium Synodorum. Nos hodiè paſſim loquimur cum Cæſareenſi Euſebio. Etenim epiſtolam Sancti Barnabæ, epiſtolam ad Laodicenſes, librum Paſtoris, à Sancto Epiphanio laudatam parvam Geneſim, aliaque id genus appellamus apocrypha. Apocrypha ſunt nobis duplicia: Damnata per Eccleſiam, & permiſſa. Nam quis dubitet Evangelium ſecundùm Hebræos eſſe apocryphum? Et tamen illud adeò dilexit Sanctus Hieronymus, ut tranſtulerit in linguam Latinam. Quod nempè ipſum Eccleſia non damnaverit. Proindè liber hodiè apocryphus eſt liber ſacri Scriptoris nomen præ ſe ferens, & à tanta authoritate alienus. Et iſta phraſi utitur in libris adverſùs Fauſtum etiam Sanctus Auguſtinus. Proprios hæreticorum libros diſtin-
gnit ab apocryphis: Quòd nempè non ſolùm Lib. 11. cap. 2.
iſtos, ſed etiam alios cenſeat apocryphos.

Altera quæſtio eſt, An numquam liceat uti libris apocryphis? Doctor hoc loco videtur omnem illum uſum damnare. Ipſum numerat inter præſumptiones hæreticorum. Aſt aliud exemplo docuerunt Sanctus Clemens Alexandrinus, ac Sanctus Epiphanius. Hic ex parva Geneſi, ille ex variis apocryphis ſuas aſſertiones confirmarunt. Reſpondeo alia eſſe damnata, alia permiſſa apocrypha. Et horum uſus non eſt damnatus. Quin nec omnis uſus damnatorum. Etenim hæreticorum libri ſunt corpus leproſum, in quo eſt & munda & maculoſa caro: Sunt agreſtis campus, in quo ſunt & medicinales herbæ, & venenoſæ. Orthodoxus Doctor debet eſſe argumentoſa apis, docta pravum à bono ſecernere. Præſertim iſte uſus adjuvat ad hæreticos ex propriis Scriptis revincendos. Ita Evangelio ſecundùm Ægyptios uſus fuit laudatus Clemens, ad revincendum Julium Caſſianum. Ita & noſter Doctor ex Marcionitico ſecundùm Lucam Evangelio revicit Marcionem. Etiam Sanctus Irenæus. Sunt imitati Sanctum Paulum

Apo-

Apoſtolum, qui Gentiles quandoque revicit ac docuit ex teſtimoniis Gentilium Philoſophorum ac Prophetarum.

Quid promovebis, Exercitatiſſime Scripturarum, &c.

Doctor ex adductis concludit hæreticos ad diſputandum ex Sacris Litteris eſſe ineptos, ideoque nec admittendos. Nequidem à ſacrarum Litterarum peritiſſimo, & exercitatiſſimo iſtius diſputationis. Affirmat omnem hujuſmodi diſputationem eſſe inutilem, ac nihil tibi ex ipſa obventurum, niſi perditionem vocis ex clamoſa contentione, & acrem bilem ex auditis blaſphe-
Lib. 11. cap. 2. miis. Et ratio eſt: *Cùm ſi quid defenderis, negetur; è diverſo ſi quid negaveris, defendatur.* Quia non habemus communia principia. Hoc ipſum inſigniter tradit atque elucidat in libris adversùs Fauſtum Manichæum Sanctus Auguſtinus: *Ubi ſic manifeſta veritate Manichęi præfocantur, ut obſeſſi dilucidis verbis ſanctarum Scripturarum, exitum in eis fallacię ſuę reperire non poſſint, id teſtimonium, quod prolatum eſt, falſum eſſe reſpondent. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem! Uſque adeò invicta ſunt, quæ adverſùm vos de Divinis Codicibus proferuntur, ut non ſit aliud quod dicatis, niſi eos eſſe falſatos. Quæ jam autoritas litterarum aperiri, quis Sacer Liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores veſtros exeri poteſt, ſi hæc vox admittitur? Si alicujus ponderis æſtimatur? Aliud eſt ipſos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri: Quod Pagani de omnibus noſtris, & Judæi de novo Teſtamento faciunt. Quod denique nos ipſi de veſtris, & aliorum hæreticorum, ſi quos ſuos proprios habent, vel de iis qui appellantur apocryphi. Aliud eſt ergò autoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri, & aliud eſt dicere, Iſte quidem vir ſanctus eſt, & omnia vera ſcripſit, & iſta epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc ejus eſt, hoc non eſt ejus. Ubi cum ex adverſo audieris, Proba, non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum eſt, ſed dicas, indè probo hoc illius eſſe, illud non eſſe, quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Tu ergò regula veritatis? Quidquid contra te fuerit, non eſt verum? Quod ſi alius ſimili inſania, ſed tamen qua tua duritia confringatur, exiſtat & dicat, imò illud, quod pro te ſonat, falſum eſt, hoc autem, quod contra te, verum eſt? Quid acturus es, niſi fortè alium librum prolaturus, ubi quidquid legeris, ſecundùm ſententiam tuam poſſit intelligi?* Agit in ſolos Sacrarum Litterarum truncatores ac vitiatores. Iſtud enim erat Manichæorum in ſacras novi Teſtamenti litteras palmare facinus.
Et in ipſum ſcribit etiam alio loco: *Si in iſtis* Lib. 32. cap. 16.
litteris quod vultis Paracleto credimus, & quod non vultis, et non credimus, jam non illi, ſed vobis credimus. Quæ regula omninò locum habet etiam in integrorum librorum abjectoribus. Nam qui in ſacro Canone hunc vel iſtum relinquit, hunc vel iſtum librum pro arbitrio expungit, non iſti Canoni credit, ſed ſibimetipſi. Regula locum habet etiam in pravis ſacrarum Litterarum Interpretibus. Qui ſpreto Eccleſiæ ſenſu omnia ex ſuo placito interpretatur ac torquet, non Spiritum Sanctum attendit, aut matrem Eccleſiam, ſed proprium beneplacitum. Proindè omnis hæreticus eſt ineptus ad diſputandum ex ſacris Litteris.

CAPUT XVIII.

Nulla è Scripturis, aut anceps victoria.

ILle verò ſi quis eſt, cujus cauſa in congreſſum deſcendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreſes deverget? Hoc ipſo motus, quòd te videat nihil promoviſſe, æquo gradu negandi & defendendi diverſa parte ſtatutum. Certè de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſin judicet. Hæc utique & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim & illos dicere à nobis potiùs adulteria Scripturarum & expoſitionum mendacia inferri, qui proindè ſibi defendant veritatem.

Scholion.

Ille verò , ſi quis eſt , &c.

SAnctus Apollinarius Hierapolitanns in Phrygia Epiſcopus, & alii plures ſuprà laudati Patres diſputarunt cum hæreticis, non tam ad ipſos convettendos, quàm potiùs ad Fideles, ab ipſis io ſcrupulum circumſcriptos , liberandos ac firmandos. Doctor quærit, An ſaltem iſtiuſmodi ex ſacris litteris diſputatio ſit utilis, probanda , facienda ? Et teſpondet negativè. Quia nempè fieri natum eſt, ut ille ceſpitans magis exinde devergat ad hæreſim, quàm ad vetitatem confirmetur . Audi cauſam : *Hoc ipſo motus , quòd te videat nihil promoviſſe , æquo gradu negandi & defendendi diverſa parte ſtatutum. Certè de pari altercatione incertior diſcedet , neſciens quam hæreſim judicet.* Sanctus Anaſtaſius Sinaita inſignitet hæc illuſtrat, contra hæreticos diſputaturo figens hanc regulam: *Sciat diſputationis modos*
Cap. 1. *duos eſſe. Alterum per Scripturæ teſtimonia , alterum per probationes ex ipſis rebus petitas. Qui modus firmior eſt & verior. Nam verba Scripturæ depravari poſſunt . Quocirca videre licet, ſimul atque Adverſario Scripturæ teſtimonium objicitur, ab ipſo viciſſim è veſtigio aliud teſtimonium product , ſive ſit hæreticus , ſive Judæus . Quapropter is , cui vires hoc concedant , magis ſe armet contra Adverſarios demonſtrationibus ex ipſa rerum natura deſumptis .* Etiam Tettullianus hoc loco agit non de quavis, ſed de ſola diſputatione ex ſacris litteris.

Hæc utique & ipſi habent in nos retorquere.

Utique tres in ſuperiori capite expoſitas præſumptiones : Legitimæ ſcripturæ abjectionem , vitiationem , pravam interpretationem . Hæc ſunt Sctipturarum adultetia , & expoſitionum mendacia. Et neceſſe eſt ut iſta ſua facinora in nos retotqueant. Quia aliter noo valeant ſuas fabulas ſtabilire. Et hæc audiens medius & ceſpitans fidelis *in diverſa parte ſtatuitur*. Nunc illi , nunc iſti ſavet, atque ita incertus diſcedit. Iſti namque medii ſunt paſſim ſimiles Auditoribus, quos ſuæ adversùs Fortunium Tuburſicenſem Donatiſtarum Epiſcopum diſputationi adſuiſſe ſcribit in litteris ad alios iſtius factionis Antiſti- Ep. 163.
tes Sanctus Auguſtinus : *Cùm apud Fortunium conſediſſemus , rumore diſperſo non parva turba confluxit. Sed in tota illa multitudine perpauci apparebant , qui utiliter ac ſalubriter agi cauſam illam , & tantam, reique tantæ quæſtionem prudenter & piè diſcuti cuperent. Ceteri magis ad ſpectaculum quaſi altercationis noſtræ , prope theatrica conſuetudine , quàm ad inſtructionem ſalutis Chriſtiana devotione convenerant.* Adjungit diſputationis nullum fuiſſe fructum . Præſertim quod Philippopolitani Conventiculi authoritatem ipſe conſtanter vacuam & nullam , Fortunius pertinaciter vellet irrefragabilem , atque ita uterque æquo negandi ac defendendi gradu nihil penitùs promoveret. Hinc deinceps non publicè , ſed dumtaxat privatim , & quidem poſt ultrò citróque fixam de authenticis argumentorum locis regulam conſerti ſuadet. Cenſet nullibi diſputandum.

CAPUT XIX.

Primò quærendum , à quo tradita ſit Chriſtianorum diſciplina.

ERgo non ad Scripturas provocandum eſt : Nec in his conſtituendum certamen , in quibus aut nulla , aut incerta victoria eſt , aut parum certa . Nam etſi non ita evaderet conlatio Scripturarum , ut utramque partem parem ſiſteret , ordo rerum deſiderabat illud prius proponi , quod nunc ſolùm diſputandum eſt : Quibus competat fides ipſa ? Cujus ſint Scripturæ ? A quo , & per quos , & quando , & quibus ſit tradita diſciplina , qua fiunt Chriſtiani ? Ubi enim apparuerit eſſe veritatem & diſciplinæ & fidei Chriſtianæ , illic erit veritas Scripturarum , & expoſitionum , & omnium traditionum Chriſtianorum .

SCHO-

Digitized by Google

S C H O L I O N.

Ergo non ad Scripturas provocandum eſt, &c.

DOctor compendio repetit & confirmat inutilem eundam cum hæreticis ex ſacris litteris diſputationem eſſe interminabilem, ideoque & parùm utilem. Noſtram exindè victoriam dicit paſſim eſſe aut nullam aut incertam, aut ſaltem parùm certam. Hinc hæreticos à nobis non provocandos, imò nec provocantes eſſe ad iſtod certamen admittendos. Anteriora ſua Dicta, quibus iſti diſputationi nullum, niſi bilem de blaſphematione, fructum adſcripſerat, nunc moderatur. Affirmat victoriæ fructum eſſe incertum, aut modicè certum. Quod iſthæc diſputatio ſit quandoque vario fructu locuples, ſuperiùs adducta exempla docuerunt. Non ſemper ita evaſit, ut utramque partem ſiſteret parem.

Ordo rerum deſiderabat illud priùs proponi, &c.

Eſt aliud Doctoris adversùs iſtas diſputationes argumentum. Affirmat eas, licèt forent fructuoſæ, non inchoandas, niſi priùs propoſita ac deciſa hac quæſtione: *Quibus competat Fides? Cujus ſint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua ſunt Chriſtiani?* Quæ ſit illa Congregatio, cui Dominus Deus credidit ſacros libros, & tradidit veram Chriſtianitatem? An ſint Valentiniani, Baſilidiani, Marcionitæ, an illi appellantur & ſunt Catholici? Apud quos ſit vera Dei Eccleſia? Etenim ſoli veræ Eccleſiæ Dominus Deus commiſit & credidit ſacras ſuorum Pactorum ac Teſtamentorum tabulas, & iſti uni dixit. *Depoſitum cuſtodi.* Et rursùm: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Hinc ubi apparuerit reperiri veritatem & diſciplinæ & Fidei Chriſtianæ, illic etiam erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum. Hæc enim omnia tria ſunt iſtud Depoſitum, iſtæ Sacro-Sanctæ tabulæ. Et ut ad iſtius quæſtionis fundum penetremus, quærendum eſt: A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita vera Chriſtianitas? Sic enim lucebit, apud quos ſit illa legitima ſucceſſio, quæ veritatem per Chriſtum Dominum accepit à Deo. Lucebit & ſacrarum Scripturarum, & verarum expoſitionum, & omnium Chriſtianarum traditionum theſaurum non ſpectare ad hæreticos, ideoque ipſos ex illis diſputare non poſſe, ſed eſſe ubique habendos & tractandos, uti à ſemetipſis damnatos.

C A P U T XX.

Eccleſiæ ab Apoſtolis Chriſti inſtitutæ.

CHriſtus Jeſus Dominus noſter, permittat dicere interim, quiſquis eſt, cujuſcumque Dei filius, cujuſcumque materiæ homo & Deus, cujuſcumque fidei præceptor, cujuſcumque mercedis repromiſſor; quid eſſet, quid fuiſſet, quam Patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipſe pronuntiabat, ſive populo palàm, ſive diſcentibus ſeorſum: Ex quibus duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat, deſtinatos Nationibus magiſtros. Itaque uno eorum decuſſo, reliquos undecim, digrediens ad Patrem poſt reſurrectionem, juſſit ire & docere Nationes, intinguendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum. Statim igitur Apoſtoli (quos hæc appellatio Miſſos interpretatur) aſſumpto per ſortem duodecimo Matthia in locum Judæ, ex auctoritate prophetiæ, quæ eſt in Pſalmo David, conſecuti promiſſam vim Spiritus Sancti ad virtutes & eloquium, primò per Judæam conteſtata fide in Jeſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejuſdem fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde

Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur ut Eccleſiæ fiant: Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam recenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, et Apoſtolicæ, dum unà omnes probant unitatem: Dum eſt illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et conteſſeratio hoſpitalitatis. Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem Sacramenti una traditio.

SCHOLION.

Chriſtus Jeſus Dominus noſter, &c.

Ex memoratis quæſtionibus prima fuit: *A* quo ſit tradita *diſciplina, qua fiunt Chriſtiani?* Et Doctor reſpondet eſſe traditam à Chriſto JESU. Hunc eſſe primum & unicum iſtius diſciplinæ authorem. Hoc apud omnes eſſe certum ac immobile. Nam ab ipſo cuncti ſeſe appellant Chriſtianos. Attamen Gnoſtici diverſiſſimè & adverſiſſimè de ipſo errabant & blaſphemabant: De ejus æterna Divinitate ac Generatione, de ejus Carne & humana ſubſtantia, de tradita per ipſum Fide, de præcepta per ipſum diſciplina, de promiſſa per ipſum mercede. Diabolus quia Sacro-ſanctum noſtræ ſalutis Sacramentum auferre non poterat, ita ſtuduit vitiare in hominum cordibus, atque iſta via omnem ejus fructum evertere. Hinc Doctor dicit: *Permittat dicere interim.* Petit à Domino Deo veniam ad hæc quaſi dubitantis verba liberiùs proferenda. Affirmat Chriſtum Dominum, qualiſcumque tandem ille ſit aut fuerit, eſſe nobis primum & unicum au thorem atque Doctorem diſciplinæ, qua fiunt Chriſtiani. Quod in terra nobiſcum ipſe degens nobis tradiderit & expoſuerit, quid eſſet, quid fuiſſet, quam Patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret.

Sive populo palam, ſive diſcentibus ſeorſim.

Hunc locum exponit Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. Apoſtolus ſcribit in priori ad Co-
Cap. 3. rinthios epiſtola: *Et ego Fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Necdum enim poteratis. Sed nec nunc quidem poteſtis. Adhuc enim eſtis carnales.* Et Hilarus commentatur: *Apoſtolus valdè arguit temeritatem illorum, qui querebantur dudum ſe non audiſſe ſpiritalia, cum adhuc indigni eſſent audire. Pſeudo-Apoſtoli enim promiſcuè omnibus uno atque eodem genere tradebant, nullius perſonam diſcernentes, ut acceptabiles fierent per hypocriſim commendati, cum conſtet Dominum & Authorem noſtrum Chriſtum aliter populis, aliter diſcipulis interfatum, & inter ipſos Apoſtolos fuiſſe diſtinctionem. Tribus enim diſcipulis gloriam ſuam in monte oſtendit, dicens illis ut tacerent viſum, quamdiu à mortuis reſurgeret.* Et in ſermone de Judæ traditoris facinoribus Sanctus Joannes Chryſoſtomus adducit Evangeliſtæ verba, *Tunc abiit unus de duodecim,* & commentatur: *Et hoc auget delictum deteſtabile proditoris.* Tom. 5. ſerm. 30.
Nam & alii diſcipuli erant, qui fuerunt numero ſeptuaginta, ſed illi non tam manifeſtè, nec tanta confidentia ſociati, nec illis interiora Decreta commiſſa ſunt. Iſti duodecim fuerunt probati. Hæc erat caterva Regalis. De hoc choro Judas egreſſus eſt, de hac converſatione proditor malignus exivit. Et in tertia adversùs Celſum libro Origenes affirmat Dominicas parabolas fuiſſe arcanæ ſapientiæ pleniſſimas, & adjungit: *Parabolis* JESUS *apud prophanos eſt uſus, ſervans earum intellectum Diſcipulis, aures non vulgares habentibus, & ipſum domi privatim de hoc appellantibus.* Et infrà: *Quod ſi te vertas ad ſcripta poſt* JESU *adventum volumina, invenies turbas credentium audire tantùm externas ſimilitudines, quibus ſolis dignæ ſint; Diſcipulos verò ſeorſim enarrationes earum diſcere. Jeſus enim privatim ſuis explicabat omnia, quos præ vulgo reliquo digniores judicabat cœleſti ſapientia.* Quod Dominus alia diſcipulis, alia tradiderit populis, clamat omne Evangelium: Quin & vetuit omnia populis aperiri. Attamen dumtaxat diverſa, non adverſa tradidit. Hinc Gnoſticos, qui etiam adverſa tradita garriebant, graviter ac meritò damnat Sanctus Irenæus. Etiam noſter Septimius.

Ex quibus duodecim præcipuos, &c.

Duodenarii numeri perfectionem vide apud Sanctum Auguſtinum in undecimo & vigeſimo Cap. 30. & 5.
libris de civitate Dei, ac apud authorem decimi noni ſermonis in appendice. Hinc non tantùm Apoſtoli, ſed etiam Prophetæ ac Patriarchę fuerunt duodecim. Duodecim item portas habet cœleſtis Hieruſalem, duodecim lapides Joſue in Jordane poſuit, & ſexta filiorum Iſrael in deſerto manſio fuit ad duodecim fontes, productores

ſeptua-

ſeptuaginta palmarum, de quibus Sanctus Hieronymus: *Non dubium, quin de duodecim Apoſto-*
Ep. 127. qu. 6. *lis ſermo ſit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mundi ſiccitatem rigant*. Addit à ſeptuaginta palmis ſeptuaginta Diſcipulos fuiſſe præſignatos. Quomodo tertius decimus Paulus duodenarii Sacramentum non everterit, oſtendit in adductis locis, & in octogeſimi ſexti Pſalmi commentario Sanctus Auguſtinus.

Longè plures quàm ſeptuaginta fuiſſe Domini diſcipulos rectè advertit Euſebius Cæſareenſis Epiſcopus. Etenim apud Joannem Evangeliſtam audierunt Phariſæi quòd JESUS plures diſcipu-
Lib. 1. cap. 12. los faceret, quàm Joannes Baptiſta. Et apud Sanctum Lucam ſtatit in loco campeſtri turba Dominicorum diſcipulorum. Et apud Sanctum Paulum reſuſcitatus à mortuis Dominus apparuit pluſquam quingentis fratribus ſimul. Diviſi fuerunt in tres, uti in laudata epiſtola loquitur Sanctus Hieronymus, gradus, ordines, ſeu claſſes: In diſcipulos communes, in ſeptuaginta electos, ac in duodecim præcipuos Apoſtolos. Iſtam præcipuitatem Doctor noſter in exhortatorio ad caſtitatem libro appellat *Apoſtoli faſtigium*,
Cap. 4. atque exponit: *Spiritum Dei etiam Fideles habent, ſed non omnes Fideles, Apoſtoli. Propriè enim Apoſtoli Spiritum Sanctum habent, qui plenè habent in operibus Prophetiæ, in efficacia virtutum, documentiſque linguarum, non ex parte, quod cæteri*. Conſonat in libro de Geſtis Pelagii Sanctus Auguſtinus, dicens in Apoſtolo Paulo omninò fuiſſe etiam Prophetiam, Doctoratum, Gratiam virtutum, Donationem ſanitatum, Adjutoria, Gubernationes, Chariſma linguarum, atque iſta omnia includi in gradu ſeu Dignitate Apoſtolatus. Apoſtolatus eſt Spiritus Sancti plenitudo. Et quidem non quævis. Etenim etiam ſeptem primos Diaconos, Sanctum Barnabam, & alios quoſdam fuiſſe viros Spiritu Sancto plenos ſcribit Sanctus Lucas in Actis. Et tamen non habuerunt plenitudinem Apoſtolicam. Etenim in quarto adversùs Marcionem libro noſter Doctor diſtinguit Apoſtolos ab Apoſtolicis. Affirmat Sanctum Lucam non Apoſtolum fuiſſe, ſed dumtaxat Apoſtolicum; non magiſtrum, ſed diſcipulum: Magiſtro & Apoſtolo Paulo longè inferiorem. Eadem ratione in laudata epiſtola Sanctus Hieronymus diſtinguit majoris & minoris gradus, ſeu primi ac ſecundi ordinis Præceptores, ſeu Apoſtolos. Scribit etiam in Commen-
Cap. 2. tariis epiſtolæ ad Galatas: *Dederunt Petrus & Jacobus, & Joannes dexteras Paulo & Barnabæ ſocietatis, ſed Tito, qui cum eis erat, dextras non dederunt. Necdum quippe ad eam menſuram pervenerat, ut poſſent ei Chriſti mercimonia ex æquo cùm Majoribus credi, ut eundem teneret negotiationis locum, quem Barnabas tenebat & Paulus*. Erat dumtaxat Apoſtolicus, Apoſtoli præcipuitatem necdum conſecutus.

Apoſtolatus dignitatem inſigniter illuſtrat in homilia, qua demonſtrat ſacrarum litterarum lectionem eſſe utilem, Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Hodie operæ pretium eſt, ut oſtendamus, quid ſignificet nomen Apoſtoli. Neque enim nudum eſt nomen hoc, ſed eſt appellatio Magiſtratus, maximi Magiſtratus, Magiſtratus maximè ſpiritualis, Magiſtratus cœleſtis. Sed attendite diligenter. Nam quemadmodum in rebus ſæcularibus Magiſtratus ſunt multi: non tamen ejuſdem omnes dignitatis, ſed alii majores, alii minores. Exempli cauſa, ut ab inferiori enumerationem ordiamur, eſt defenſor civitatis, eſt illo ſublimior gentis Præſes. Eſt alius poſt illum Magiſtratus major. Eſt rursùs Magiſter militum. Eſt Præfectus. Eſt ſublimior illis Magiſtratus, dignitas Conſulum. Et omnes quidem ſunt Magiſtratus, ſed non ejuſdem omnes dignitatis. Porrò major omnibus eſt dignitas Apoſtolatus. Audiſtis quot ſæculares Magiſtratus enumeraverimus. Et quo pacto alii quidem majores, alii verùm ſint minores. Et quo pacto Conſulum Magiſtratus, quaſi culmen & caput, præ reliquis cunctis emineat. Videamus ſpirituales etiam Magiſtratus. Spiritualis eſt Magiſtratus Prophetiæ, Magiſtratus eſt alter Evangeliſtæ, eſt Paſtoris, eſt Doctoris, eſt Donorum, eſt Curationum, eſt Interpretatio linguarum. Hæc autem nomina quidem ſunt donorum, res autem Magiſtratuum ac Poteſtatum. Propheta Magiſtratus eſt. Apud nos is, qui Dæmones ejicit, eſt Magiſtratus. Apud nos Paſtor & Doctor eſt ſpiritualis Magiſtratus. Verùm his omnibus major eſt Apoſtolicus Magiſtratus. Unde verò id conſtat? Quod omnes iſtos præcedat Apoſtolus. Et quemadmodùm inter ſenſibiles Magiſtratus Conſul, ſic inter ſpirituales Apoſtoli gaudent Prærogativa honoris*. Probat hoc ex priori ad Corinthios epiſtola: *Poſuit Deus in Eccleſia* Cap. 12.
primùm Apoſtolos. Et pergit: *Vides faſtigium dignitatis? Vides Apoſtolum ſedere ſublimem, nec alium præcedere ipſum, aut ipſo eſſe ſublimiorem?*

Etiam infrà ſcribit: *Cum audis*, Primùm Apoſtolos, *diſce reliquarum gratiarum copiam omnem, tamquam in capite, in Apoſtolatu reſidere. Numquid nudum eſſe nomen Apoſtolorum anteà cenſebatis? Ecce quanta profunditas ſenſuum ſit hoc nomine comprehenſa, noviſtis. Meritò igitur ſpiritualem Conſulatum appellaremus Apoſtolatum. Apoſtoli enim ſunt à Deo deſignati Magiſtratus. Magiſtratus, quibus non gentes & urbes variæ tribuuntur, ſed quorum omnium fidei ſimul totus terrarum orbis committitur*. Addit Apoſtolatum tantò eſſe Conſulatu eminentiorem, *quantùm ſæculares Magiſtratus ludentibus pueris antecellunt*. Affirmat duo. Primò, quòd Apoſtolatus ſit primus inter omnia Chariſmata, inter omnes Eccleſiæ Magiſtratus ac Poteſtates. Secundò, quòd Apoſtolatus includat omnia iſta Chariſmata, omnem Magiſtratum, omnem Poteſtatem. Hinc adjungit: *Neque verò tantùm Principatus cæterarum dignitatum eſt Apoſtolatus, ſed etiam radix ac fundamentum. Et quemadmodum caput in ſublimiori loco ſitum non modo Principatus eſt corporis atque Dominatus, ſed etiam radix; ſic & Apoſtolatus non modo tamquam Principatus ac Dominatus præ cæteris donis eminet, ſed omnium quoque radices comprehenſas apud ſe retinet. At Propheta quidem eſſe non poteſt Apoſtolus & Propheta, ſed Apoſtolus eſt omnino etiam Propheta, & gratias habet curationum, & genera linguarum,*

& interpretationes ſermonum. Quod ipſum compendio tradit in trigeſima ſecunda homilia ſuper priorem epiſtolam ad Corinthios: *Apoſtoli omnia dona in ſe habent*.

Et in undecima ſuper ſecundam epiſtolam homilia dat rationem, hæc Apoſtoli verba, *Pro Chriſto legationem fungimur*, exponens: *Horum verborum hic eſt ſenſus. Pater filium miſit, qui ipſius nomine exhortaretur, atque ad humanum genus legationis munus ſuſciperet. Sed quoniam ille necatus abſceſſit, nos legationi illi ſucceſſimus, atque & illius & Patris nomine vos exhortamur. Tanto nimirùm apud eum in pretio eſt humanum genus, ut Filium dederit, idque cum eum mactatum iri haberet exploratum. Et veſtra cauſa nos Apoſtolos creaverit. Quod igitur ait*, Pro Chriſto legatione fungimur, *idem eſt ac ſi diceret, Vice Chriſti. Nos enim ipſius muneri ſucceſſimus. Quod ſi hoc magnificentius aliquantò dictum tibi videtur, audi quæ ſequuntur, ex quibus Apoſtolus perſpicuum illud facit, quod non Chriſto dumtaxat, ſed Patri quoque vicariam navent operam. Nam ob id etiam adjunxit*: Tamquam Deo per nos exhortante. *Non enim per Filium dumtaxat ſuum, ſed & per nos quoque, qui ipſius muneri Vicarii ſucceſſimus, exhortatur*. Hoc dictum, *Apoſtoli ſuccedunt Chriſto Domino*, eſt reverà magnificentiùs. Excedit modum. Etenim Chriſtus Dominus eſt Sacerdos & Pontifex in æternum, ideoque nullum habet ſucceſſorem. Hinc Sanctus Joannes ſuum verbum moderatur, & ſubjungit: *Vicarii ſucceſſerunt*. Succeſſerunt in Vicariam poteſtatem & magiſtratum ſuper omnem orbem terrarum. Hinc planè conveniebat, ut haberent omnia Chariſmata. Hinc idem Joannes in undecima ſuper epiſtolam ad Epheſios homilia ſcribit: *Apoſtoli habebant omnia*. Utique Chariſmata.

Aliam Apoſtolatus dignitatem & conditionem Sanctus Joannes exponit in commentario ſuper primum caput epiſtolæ ad Galatas. Apoſtolus huic epiſtolæ dat inſuetum exordium: *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per homines, ſed per* JESUM *Chriſtum, & Deum Patrem*. Sanctus Joannes dat exordii cauſam: *Qui ex Judæis crediderant, partim occupati perſuaſione Judaiſmi, partim inanis gloriæ ſiti temulenti, dum ſibi Doctorum cupiunt parare dignitatem atque auctoritatem, ad Galatas profecti docuerunt illis opus eſſe circumciſione, nec tolerandum eſſe Paulum, qui harum rerum tolleret obſervantiam. Nam Petrus, Jacobus, ac Joannes hæc, ut ajebant, non prohibebant, cùm inter Apoſtolos eſſent primæ dignitatis, & cum Chriſto fuiſſent converſati. Ac reverà non prohibebant*. Rationes, ob quas Petrus & quidam alii Apoſtoli judaica Sacramenta permiſerint, exponit, ac pergit: *Impoſtores quidam non explicantes cauſas, ob quas ſum hic, tum illi Judæis moremgererent, arte fallebant ſimpliciores, hujuſmodi ſermonibus; Non eſt ferendus Paulus. Nam hic heri & nudiuſtertius exortus eſt; At Petrus, & qui cum illo ſunt, ſunt primi Apoſtolorum. Tum hic quidem diſcipulus fuit Apoſtolorum, illi verò* JESU *Chriſti. Præterea hic ſolus eſt, illi multi, & Eccleſiæ columnæ*. Iſtorum Impoſtorum calumnias Sanctus Joannes amplè exponit, atque proſequitur: *Hæc & his ſimilia dictitantes, hinc Pauli deprimentes authoritatem, illinc aliorum Apoſtolorum gloriam attollentes, non ut illos laudibus ornarent, ſed ut Galatas ſeducerent, perſuaſerant ut legi adhærerent. Proindè congruenter Paulus ad hunc modum eſt exorſus. Quoniam enim ipſius doctrinam elevabant, dicentes illam ab hominibus profectam, cùm Petri eſſet à* JESU *Chriſto, in ipſo ſtatim ingreſſu refellit hoc, dicens ſe Apoſtolum eſſe non ab hominibus, neque per homines. Nam baptizarat quidem illum Anania, at non ille liberavit eum ab errore, nec ad fidem adduxit, ſed ipſe cælitùs Chriſtus, emiſſa ad eum admiranda illa voce, per quam hunc quoque piſcatus eſt. Nam Petrum quidem ac fratrem ejus, ac Joannem cum fratre ſuo, ambulans juxta mare vocaverat; Paulum verò vocavit, cùm jam adſcendiſſet in cœlum. Et quemadmodum illi non habebant opus iterata vocatione, ſed protinùs relictis retibus & cæteris omnibus, ſecuti ſunt eum; ita & hic à prima ſtatim vocatione ad ſummum adſcendit faſtigium, ſimul ac baptizatus eſt, irreconciliabili bello cum Judæis ſuſcepto*. Præfati impoſtores aſſerebant ad verum Apoſtolatum exquiri duo: Immediatam à Chriſto Domino vocationem, & familiarem cum ipſo habitationem, ex qua eſſent oculati & auriti teſtes omnis ejus prædicationis ac operationis, & præſertim reſurrectionis à mortuis. Clamabant hæc procul abeſſe à Sancto Paulo, ideoque ipſum non eſſe verum Dei Apoſtolum, ſed communem dumtaxat diſcipulum Apoſtolorum. Et ille omninò admittit utramque partem Antecedentis: Et adjungit neutram ſibi deeſſe. Affirmat ſe, licet non in terris, tamen ante Dei Patris thronum in cœlis eſſe à Chriſto Domino creatum Apoſtolum, & illic omnia ejus Acta & Prædicata audiviſſe, vidiſſe, ac didiciſſe. Hanc auditionem & viſionem eſſe quavis terreſtri multò ſublimiorem & certiorem. Porrò Sancti Pauli ad Apoſtolatum vocatio non eſt facta apud Damaſcum per terribilem Chriſti Domini vocem, ſed contigit apud Antiochiam, dum Spiritus Sanctus Saulum & Barnabam ſibi juſſit ſegregari. Tunc fuit inchoata: Completa autem fuit, dum raptus in tertium cœlum Paulus audivit arcana verba. Quod non niſi tunc completa fuerit, lucet ex ipſo Sancto Barnaba, quem in ſecundo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus affirmat fuiſſe non Apoſtolum, ſed Fol. 410. ſolummodò *Apoſtolicum*: Unum *è ſeptuaginta & Pauli Auditorem*. Loquitur ex Eccleſiæ ſenſu. Nempè illi ſola per Spiritum Sanctum ſegregatio, non cœleſtis in Apoſtolum promotio adfuit, ideoque non habuit plenam Apoſtoli dignitatem.

His omnibus conſonant etiam alii Patres. Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus in Commentario Sancti Matthæi: *Reſurrectionis teſtimonium eſt proprium Apoſtolorum*. Quia nempè Apoſtolus debet fuiſſe Chriſto Domino familiaris, adeò ut ipſum etiam à mortuis excitatum viderit, ideo-

que

que & omnium poſſit eſſe teſtis. Hinc ad Judæos
dixit Sanctus Patrus de Chriſto Domino: *Quem*
Act. 3. *Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus.*
Et iterùm: *Qui manducavimus & bibimus cum
illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.* Ita firmat ſe
eſſe oculatum Reſurrectionis teſtam. Et in lapſi
Judæ locum ordinaturus alium Apoſtolum dixit
ad collegas: *Oportet teſtem Reſurrectionis ejus no-
biſcum fieri unum ex iſtis. Ex iſtis viris, qui nobi-
ſcum congregati ſunt omni tempore, quo intruvit &
exivit inter nos Dominus* JESUS. De quibus &
Sanctus Apoſtolus Joannes ſcribit in prima epi-
Cap. 1. ſtola: *Quod audivimus, quod vidimus oculis no-
ſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contre-
ctaverunt.* Et ſui Apoſtolatus legitimam autho-
ritatem probaturus Sanctus Paulus ſcripſit etiam
Epiſt. 1. cap. 15. ad Corinthios: *Noviſſimè omnium tamquam abor-
Cap. 9. tivo viſus eſt & mihi.* Et iterùm: *Non ſum Apo-
ſtolus? Nonne Chriſtum* JESUM *Dominum noſtrum
vidi?* Quòd ex iſta reſuſcitati Domini viſione
rectè evincat ſuum Apoſtolatum, affirmat San-
Cap 4. ctus Auguſtinus in libro de opere Monachorum.
Etiam Theodoretus in iſtius loci commentario.
Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus exponit om-
nis primitivæ Eccleſiæ Chariſmata, & adjungit
1. ad Cor. cap. 14. de Apoſtolatu: *Primus gradus omnia ſubjecta ha-
bet.* Et in quarto Stromatum libro ſcribit San-
Fol. 525. ctus Clemens Alexandrinus: *Inveniet perfectum
multis modis accipi, prout is eſt, qui in unaquaque
virtute ſe rectè gerit. Perficitur itaque & conſumma-
tur aliquis, & ut pius ac religioſus, & ut tolerans,
& ut continens, & ut operarius, & ut Martyr, &
ut cognitione præditus. In omnibus autem ſimul per-
fectus neſcio an ullus ſit, qui ſit adhuc homo, niſi
ſolùm is, qui propter nos induit hominem.* A virtu-
Fol. 528. tibus pergit ad Chariſmata, & concludit: *Unuſ-
quiſque habet proprium donum à Deo, hic quidem
ſic, ille verò ſic: Apoſtoli autem fuerunt pleni in
omnibus. Invenies itaque, ſi volueris, ex eorum
rebus geſtis & ſcriptis eorum cognitionem, vi-
tam, prædicationem, juſtitiam, caſtitatem, pro-
phetiam.* Affirmat illos in utroque donorum ge-
nere fuiſſe perfectos. Utique juxta menſuram
hujus vitæ. Hinc ergò & noſter Septimius affir-
mat Apoſtolos fuiſſe duodecim præcipuos, Do-
minico latari ab ipſo Domino adlectos, deſtina-
tos nationibus Magiſtros. Edicit omnes tres
Apoſtolatus qualitates. Nempè quòd ſit præci-
puus gradus; quòd ſit lateralis cum Domino fa-
miliaritas; quòd ſit totius mundi magiſterium,
ideoque & omnigena poteſtas.

Poſſunt quædam opponi. Etenim in prima ad
Corinthios epiſtola Sanctus Paulus ſcribit ſuſcita-
tum à mortuis Dominum apparuiſſe primò unde-
cim, exindè pluſquam quingentis fratribus ſi-
mul, hinc Jacobo, ac tum Apoſtolis omnibus:
Quos non ſolos præcipuos duodecim, ſed omni-
nò omnes Evangelii Prædicatores fuiſſe affirmat
in adductis Commentariis Sanctus Hieronymus.
Fol. 516. Et adjungit: *Silas quoque & Judas ab Apoſtolis
ſunt Apoſtoli nominati.* Epaphroditum item Phi-
lippenſium Epiſcopum Sanctus Paulus appellat
Apoſtolum, & ejus ſub omni tunc cœlo colle-
gas laudata ad Corinthios epiſtola appellat Apo-
ſtolos Eccleſiarum. Et in quarto Stromatum li-
bro Sanctus Clemens Alexandrinus Sanctum Cle-
mentem Romanorum Antiſtitem appellat Cle-
mentem Apoſtolum. Ad primum in iiſdem ſuis
commentariis reſpondet laudatus Hieronymus:
*Quod exceptis duodecim quidam vocentur Apoſtoli,
illud in cauſa eſt, omnes qui Dominum viderant,
& eum poſteà prædicabant, fuiſſe Apoſtolos appella-
tos.* Diſtinguit quatuor genera Apoſtolorum.
Primum immediatè à Deo aut ejus Filio JESU
Chriſto; ſecundum à Deo quidam, ſed per ho-
minem, uti Joſue per Moyſem; tertium ab ho-
mine, & non à Deo, uti Epiſcopi hominum
ſtudio & favore promoti; quartum à ſemetipſo
mittitur, utpotè Pſeudo-Apoſtoli, cum Pſeu-
do-Prophetis dicentes, Hæc dicit Dominus, &
Dominus non miſit eos. In ſolo primo genere
affirmat reperiri veram Apoſtolatus præcipuita-
tam. Et adjungit de ſecundo: *Paulatim tempore
procedente, & alii ab his, quos Dominus elegerat,
ordinati ſunt Apoſtoli*, utique Epiſcopi *Eccleſia-
rum.* Conſonat in primæ ad Timotheum epiſto-
læ commentario Theodoretus: *Eoſdem olim vo-
cabant Presbyteros & Epiſcopos; eos autem, qui
nunc vocantur Epiſcopi, Apoſtolos nominabant.
Procedente autem tempore, Apoſtolatus nomen reli-
querunt eis, qui verè erant Apoſtoli; Epiſcopatus
autem appellationem impoſuerunt eis, qui olim ap-
pellabantur Apoſtoli.* Appellabantur Apoſtoli,
quòd verorum Apoſtolorum eſſent Vicarii ſuc-
ceſſores. Attamen per Eccleſiarum Apoſtolos
alii intelligunt Eccleſiarum Legatos.

Deſtinatos nationibus Magiſtros.

Doctor noſter ſcribit etiam in libro Scorpiaco:
Quiſnam medullas Scripturarum meliùs noſſet, quàm Cap. 12.
*ipſa Chriſti ſchola, quos & ſibi diſcipulos Dominus
adoptavit, omnia utique edocendos; & nobis Ma-
giſtros ordinavit, omnia utique docturos?* Et in li-
bro de pudicitia ait Apoſtolos non diſciplinæ ſo-
lius officia, ſed & poteſtatem fuiſſe ſortitos,
nec ſolo miniſterio præſediſſe, ſed & imperio;
Romanum autem Pontificem ſola diſciplina & Cap. 21.
miniſterio præſidere, quòd non Apoſtolus ſit,
ſed dumtaxat Apoſtolicus. Quæ doctrina omni-
nò eſt veriſſima, licèt per hominem tunc Mon-
taniſtam peſſimè adducta illic & applicata. Nam
& in quarto adversùs Marcionem libro ſcribit Cap. 2.
Marcum & Lucam, non Magiſtros, ſed Diſci-
pulos fuiſſe, quòd dumtaxat eſſent Apoſtolici,
non Apoſtoli. Quod ipſum de Sancto Barnaba
ſuprà audivimimus à Sancto Clemente Alexandri-
no. Ipſis in litteris ad Fabiolam Sanctus Hiero-
nymus aſſerit fuiſſe Præceptores ſecundi or-
dinis. Malè igitur Marcus Antonius de Do-
minis garrit Apoſtolos ſolo miniſterio præſe-
diſſe. In tertio adversùs Celſum libro inſigni-
ter ſcribit Origenes: *Deus per* JESUM *voluit
ſalutarem doctrinam hominibus inſtituere, firmatam*

in

in Apoſtolis, tamquam fundamento ædificandi Chriſtianiſmi.

Intingendas in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

Sacroſanctum Chriſtiani Baptiſmatis lavacrum
appellare tinctionem eſt noſtro Doctori admo-
dùm familiare. Etenim in primo adversùs Mar-
Cap. 23. cionem libro ſcribit: *Non putem impudentiorem,*
quàm qui in aliena aqua alii Deo tingitur. Et in li-
Cap. 26. bro adversùs Praxeam. *Dominus mandavit, ut*
tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum San-
ctum non in unum. Et nec ſemel, ſed ter ad ſingula
nomina in perſonas ſingulas tingimur. Et in hoc
Cap. 40. ipſo noſtro libro: *Tingit & ipſe Diabolus quoſdam.*
Expoſitionem delictorum de lavacro repromittit. Et
Cap. 11. in libro de Baptiſmo: *Ipſe Dominus tinctus eſt,*
unde & ſuggeritur, cum adverſantes Domino tingi
noluerint, eos qui Dominum ſequebantur, tinctos
fuiſſe. Neque mireris hoc. Etenim Latina Apo-
ſtoli translatio, cujus exemplari Doctor fuit
uſus, habebat iſtud vocabulum. Lucet ex libro
de Reſurrectione carnis, in quo adducit hunc
Cap. 6. locum epiſtolæ ad Romanos: *An ignoratis, quòd*
quicumque in Chriſtum JESUM *tincti ſumus, in*
mortem ejus tincti ſumus. Eadem phraſi utitur in
litteris ad Jubejanum, ac in litteris ad Pompe-
Ep. 73. jum Epiſcopum Sanctus Cyprianus. Ac in litte-
& 74. ris ad Sanctum Cyprianum Sanctus Firmilianus
Archi-Epiſcopus Cæſareenſis. Etiam in tertio
Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus.
Fol. 473. Etiam quidam alii Patres. Attamen in Pelagia-
næ factionis Goliath Julianum Epiſcopum, quòd
voce, *Perfuſio*, uteretur, ſcripſit Sanctus Au-
guſtinus: *Non fruſtrà crederis noluiſſe dicere, Quod*
renaſcitur, ſed, Quod perfunditur, ne quoniam
Diabolum & Deum quaſi partes inter ſe feciſſe, per
noſtrum ſenſum demonſtrare cupiebas, partem Dei
faceres verbi vilitate viliorem. Potuiſti enim dicere,
Quod renaſcitur, potuiſti, Quod regeneratur, po-
tuiſti poſtremò, Quod baptizatur. Hoc enim verbum
ex Græco Latina conſuetudo ſic habet, ut non ſoleat
alibi, niſi in Sacramento Regenerationis intelligi.
Nihil horum dicere voluiſti, ſed elegiſti verbum, quo
fieret contemptibile, quod dicebas. Chriſtianum
Baptiſma, uti eminentiſſimos fructus, ita & ha-
bet eminentiſſimos titulos. Proindè infimum ſtu-
dio eligere non caret ſuſpicione doli ac injuriæ.
Quòd etiam verum eſſe poſſit circa vocem, *Tin-*
ctio. At dico, *Studio*. Quia locum hic habet
Regula: *Facta videns homines, intentio judicat*
omnes.

Apoſtoli.

De voce, *Apoſtolus*, in Apoſtolicæ ad Gala-
tas epiſtolæ commentariis rectè ſcribit Sanctus
Hieronymus: *Apoſtolus, hoc eſt, Miſſus, He-*
bræorum propriè vocabulum eſt, quod Silas quoque
ſonat, cui à mittendo Miſſi nomen impoſitum eſt. A-
junt Hebræi inter ipſos quoque Prophetas & ſanctos
viros eſſe quoſdam, qui & Prophetæ & Apoſtoli ſint;
alios verò, qui tantùm Prophetæ. Prophetas ſi-
mul & Apoſtolos affirmat fuiſſe Moyſem, Iſa-
iam, ac Joannem Baptiſtam. Et hinc iterùm
lucet Apoſtolatum eſſe Prophetia majorem, ut-
potè qui ipſam includat, & varia ſuperaddat.
Apoſtolatus eſt dignitas adeò eminens, ut ipſe
etiam Dominus JESUS Chriſtus appelletur no-
ſtræ confeſſionis Apoſtolus. Et hinc in ſuæ, ubi
ipſum ita inſcripſit, ad Hebræos epiſtolæ exor-
dio Sanctus Paulus non præſumpſit ſeſe, quod in
aliis ſemper fecit, Apoſtolum inſcribere. Hanc
iſtius Apoſtolici facti rationem laudant graviſſimi
Patres. Valentinus, Adrumetini Monaſterii
Præfectus, Sanctum Auguſtinum ſupremo Ec-
cleſiæ titulo honorare cupiens, meritò ſcripſit:
Sancta Trinitas Apoſtolatum tuum conſervet. Eſt
titulus nimiùm eminens. Nam & Romanus Ep. 256.
Pontifex non Apoſtolum, ſed dumtaxat Apo-
ſtolicum permittit ſe titulari.

Aſſumpto per ſortem duodecimo Matthia, &c.

Tertulliani verba, quibus dixerat duodecim præcipuos fuiſſe à Domino electos ad totius mundi Magiſtratum, videbantur ex prævaricatoris Judæ lapſu vacillare. Hinc doctor addit ejus in locum fuiſſe ſuffectum Matthiam, fuiſſe verum cunctis iſtius dignitatis qualitatibus pleniſſimè munitum Apoſtolum, ideoque laudatum duodenarium non eſſe truncatum. Matthiam fuiſſe verum Apoſtolum ex Sancti Lucæ verbis inſigniter demonſtrat in tertia ſuper Apoſtolicos Actus homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Sancti Lucæ verba ſunt: *Oportet ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus* JESUS, *incipiens à Baptiſmate Joannis, uſque in diem, qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem Reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.* Et Sanctus Joannes commentatur: *Vide, ut illos voluit eſſe ſpectatores.* Hoc eſt, auritos, & oculatos teſtes omnium Dominicarum actionum & paſſionum. *Significat illos habitaſſe cum eo, non ſimpliciter ut Diſcipulos adfuiſſe. Nimirùm jam tum ab initio multi ſequebantur eum.* Sanctus Joannes affirmat Chriſto Domino ſtatim à prædicationis exordio plures fuiſſe diſcipulos, verùm paucos domeſticos, familiares, & commenſales. Et hos fuiſſe ejus Apoſtolos. Et eligendo in Judæ locum Apoſtolo debuiſſe adeſſe eaſdem qualitates. Et iſtud ipſum palàm affirmat Sanctus Lucas. Verùm cur addit: *In omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus* JESUS? Sanctus Joannes reſpondet: *Pulchrè. Etenim quæ priùs fuerant facta, nemo noverat edoctus, ſed ſpiritu didicerat.* Dominus tunc in vulgo vixerat, ideoque Apo-

ſtolo-

ſtolorum nemo, niſi fortè ejus fratres Jacobus & Judas, poterat eſſe ipſorum oculatus teſtis. Sanctus Joannes etiam quærit, cur Sanctus Lucas dicat, *Fieri teſtem Reſurrectionis?* Cur ſolius Reſurrectionis exquirat teſtimonium? Cur in eligendo Apoſtolo exquirat ſolas qualitates ad dandum publicum & oculatum teſtimonium ſoli Reſurrectioni? Et eleganter reſpondet: *Siquidem illi magis erat habenda fides, qui poterat dicere, Qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus eſt, idem reſurrexit. Itaque non oportebat eſſe teſtem neque priorum temporum, neque prodigiorum quæ poſteà ſunt geſta. Nam quod quærebatur, erat Reſurrectio. Siquidem iſta erant manifeſta, & in confeſſis, hæc autem clam facta eſt, & hiſce ſolis erat manifeſta. Neque dicunt, Angeli retulerunt nobis, ſed vidimus nos. Undè liquet iſtud? Ex miraculis quę facimus. Ob id potiſſimùm id temporis digni erant, quibus crederetur.* Dominica paſſio, crux, & mors non egebant teſtimoniis, ſed ſola Reſurrectio.

Quòd Apoſtoli eſſe debuerint non qualeſcumque diſcipuli, ſed Domini contubernales, domeſtici, atque commenſales, tradit Sanctus Joannes etiam in ſexta homilia ſuper epiſtolam ad Philippenſes, ſcribens de Juda traditore: *Judam Dominus obſcurum & ignotum hominem vocavit, unum ex duodecim fecit, doctrinam impartivit, innumerabilia bona promiſit, miracula faciendi poteſtatem dedit. Menſæ, itinerum, conſuetudinis, contubernii, rerum omnium, æquè ac cęteri, particeps erat.* Inter innumerabilia promiſſa bona etiam erant donanda poſt Reſurrectionem Chariſmata. Quod hæc omnia ad Apoſtolatum ſint neceſſaria, atque ita illum faciant omni humana Majeſtate ſuperiorem, docet ac demonſtrat in litteris ad Timotheum Lectorem etiam Sanctus

Lib. 2. cap 5. Iſidorus Peluſiotes: *Apoſtoli, cùm mortale corpus quovis luto imbecillius haberent, atque exagitarentur & vexarentur, mortuos excitabant, paralyticorum ſolutos artus adſtringebant, ægrotos ſanitati reddebant, Dęmones profligabant, futura prædicebant, Spiritus Sancti pręſentiam hominibus conciliabant. Quidnam eſt quod cum his opibus poſſit comparari? Quid his pręſtantius & excellentius? Equidem ipſe, ſi quis totius terræ imperia, hoc eſt, Aſſyriorum, Perſarum, Macedonum, & Romanorum collegerit, atque ſermonis vi & facultate unum ex omnibus effecerit, ipſumque cum his divitiis comparaverit, eum ut ſtultum ac ſtolidum puerum, qui rerum naturam internoſcere nequeat, condemnarim. Quod ſi quæ his majora ſunt, animo perpendas, majores divitias perſpicies. Domini omnium rerum contubernales, & menſę conſortes exſtiterunt, Divini colloquii honore affecti, ac doctrina naturę captum ſuperante ornati atque inſtructi ſunt. Ad filiorum adoptionem & Dei amicitiam pervenerunt. Etenim velut Præfecti quidam erant circa Regem, ac velut ſtellę unà cum juſtitię Sole curſum obeuntes, atque non eburneas quaſdam tabellas, quę humanum aliquod pręmium & honorem pariunt, verùm ejuſmodi potentiam atque authoritatem, quam ne terreni quidem Reges habent, accipientes.* Dicit Apoſtolos habere ſe ad Chriſtum Dominum, quomodò Prætoriorum Præfecti ſe tunc habebant ad Romanum Imperatorem. Et horum poteſtas erat tanta, ut ipſorum ſententiæ eſſent inappellabiles. Fuiſſe Magiſtratum cui deerat ſola purpura, rectè ſcripſit Eunapius. Notanda ſunt verba: *Eburneas quaſdam tabellas*. Hæ erant inſignia iſtorum Præfectorum. Iſidorus rectè affirmat Apoſtolorum poteſtatem non dumtaxat iſtis quatuor Præfectis, ſed omnibus in unum conflatis quatuor totius mundi Monarchiis eſſe ampliorem & auguſtiorem. Etenim Apoſtolica poteſtas nullam diœceſim, nullum Tractum, nullum limitem habuit, ſed eſt expanſa per omnem mundum. Iſtam dignitatem atque authoritatem perſpiciens Simon Magus, tentavit emere. Sanctorum Apoſtolorum in cœleſti Chriſti Regno gloriam fore ineffabilem adjungit Iſidorus, & demonſtrat: *Porrò ſi quis de futuris diffidat, à præſentibus ſumat argumentum. Nam qui & terræ & maris imperium obtinet, ad Piſcatoris ſepulchrum, exoſculandorum oſſium cauſa, ſe confert.* Quòd notent Lutherani & Calviniſtæ, ſceleratorum Eunomii ac Vigilantii in ſpernendis Sanctorum reliquiis Sectatores. Porrò Sanctus Matthias erat è Domini domeſticis & commenſalibus. Hinc ipſum Spiritus Sanctus elegit in Judæ locum, atque ita ipſum ornavit Divina vocatione, & fecit plenum Apoſtolum. Hæc omnia erudito compendio hic tradit Septimius, atque ita Gnoſticis in faciem retiicat Apoſtolicæ, quam Catholica Eccleſia retinet, prædicationis dignitatem.

Circa Sancti Matthiæ electionem Sanctus Joannes Chryſoſtomus rectè notat Sancti Petri Apoſtoli, adeoque & Romanæ Eccleſiæ privilegium. Sancti Lucæ in Actis verba, *Exurgens Petrus in* Cap. 1. *medio fratrum dixit*, commentatus: *Quam Petrus eſt facundus? Quàm agnoſcit creditum à Chriſto gregem? Quam in hoc choro Princeps eſt? Et utique primus omnium incipit loqui.* Hæc fuit prima Apoſtolorum Synodus. Et in ipſa Sanctus Petrus habuit motæ quæſtionis relationem ſeu propoſitionem, cum Prærogativa ſuffragii. Quod utrumque jus ex avito more competere Sedi Apoſtolicæ dixit ad Chalcedonenſem Synodum Sanctus Magni Leonis Legatus Paſchaſinus, Lilybeti in Sicilia Epiſcopus, & ad quintum Concilium Papa Vigilius. Et iſtud utrumque omninò laudat, atque ejus primam originem aperit Sanctus Joannes. Et addit duas quæſtiones. *Cur Petrus non* Hom. 3. *ſolus poſtulavit à Chriſto, ut ipſi daret aliquem ſubſtituendum in locum Judæ? Deindè, Cur non potiùs per ſeipſos perficiunt electionem? Jam Petrus erat ſeipſo factus melior. Hoc ad priorem quæſtionem reſponſum eſt*. Hoc eſt, Petrus omnem priorem de ſemetipſo præſumptionem depoſuerat, ideoque nihil tale attentavit. Etiam infra ſcribit Sanctus Joannes: *Quid? An non licebat ipſi eligere? Licebat. Et quidem maximè. Verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari. Quamquam alioquin necdum erat particeps Spiritus*. Spiritus enim Chariſmata non fuerunt data ante diem Pentecoſtes. Sanctus Joannes affirmat Sancti Petri authorita-

tem

Digitized by Google

ſem fuiſſe tantam, ut non dumtaxat ſolus potuerit à Chriſto Domino poſtulare ſubſtituendi poteſtatem, ſed ipſam ex officio habuerit. Ex Primatu Apoſtolico. Et pergit ad ſecundam quæſtionem: *Alterius verò quæſtionis, quamobrem non ſimpliciter, aut vulgari more, ſed ex revelatione poſtulaverit ſuppleri miniſterium, duas adferemus cauſas. Unam quidem, quòd aliis rebus eſſent occupati; alteram, quòd hoc eſſet certiſſimum argumentum, Chriſtum adhuc illis adeſſe. Quemadmodum enim cùm præſens eſſet, elegerat, ita & abſens elegit.* Quòd nempè Apoſtoli electio non poſſit per homines, ſed fieri debeat immediatè à Domino Deo. Et hinc Apoſtoli ac Diſcipuli elegerunt duos, ipſos præſentarunt Chriſto Domino, & hic ex ipſis elegit Matthiam. Ita ille eſt promotus in verum Apoſtolum.

Conſecuti promiſſam vim Spiritus Sancti ad virtutes & eloquium.

Doctor pergit duodecim Apoſtolorum dignitatem atque authoritatem demonſtrare. Affirmat ipſos non dumtaxat à vivente nobiſcum, ſed etiam à reſuſcitato ex mortuis, atque ad Patris dexteram exaltato Chriſto Domino fuiſſe electos, inſtructos, datos & miſſos toti mundo Magiſtros, atque munitos neceſſariis & congruis tanto muneri virtutibus. Idque juxta mortalis adhuc Domini Promiſſum. Promiſſam Spiritus Sancti vim ad virtutes & eloquium. Erudito compendio comprehendit omnia Chariſmata, quibus in Pentecoſte donatis Divina Majeſtas per Apoſtolos juſſit perhiberi ſolemne ac generale omni hominum generi teſtimonium Dominicæ Reſurrectionis. Ad iſtud teſtimonium duo præſertim fuerunt neceſſaria: Poteſtas faciendi quorumvis miraculorum virtutes, & eloquium, ſeu donum omnium ſub cœlo linguarum. Et quidem de prædicante Chriſto Domino ſcribit in libris contra Gentes Arnobius: *Cum unam emitteret vocem, ab diverſis populis, & diſſona oratione loquentibus, familiaribus verborum ſonis, & ſuo cuique uteus exiſtimabatur eloquio.* Hebraica lingua loquens Dominus fuit ab omnibus Gentibus intellectus. Et hinc etiam de Sanctis Apoſtolis
Orat. 44. quærit Sanctus Gregorius Nazianzenus: An omnium Gentium linguis loquerentur, an verò ipſos materna lingua loquentes cunctæ gentes intel-
Cap. 2. ligerent? Sanctus Lucas habet in Actis: *Audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* Et laudatus Gregorius commentatur: *Verùm hic paululum conſiſte, atque ambige quo modo diſtinguenda ſit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, interpunctione dirimendam. Utrumnam audiebant ſua quiſque dialecto, ita ut, verbi gratia, vox quidem una emitteretur, multæ autem audirentur, ſic videlicet pulſato & perſtrepente aere, pluribuſque vocibus, ut magis perſpicuè dicam, ex una voce effectis; an potiùs in hoc verbo,* Audiebant, *punctum ſtatuendum ſit, atque hæc verba,* Loquentes ſuis linguis, *cum his quæ ſequuntur jungenda ſint, ut ſic legatur,* Loquentes linguis, *propriis ſcilicet audientium, hoc eſt, externorum. Qui etiam ſenſus mihi magis arridet. Nam illo quidem modo eorum potiùs, qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit. At hoc ſenſu eorum, qui loquebantur, qui etiam temulentiæ inſimulabantur, haud dubiè quia ipſi per Spiritus operationem novi aliquid miraculi circa voces deſignabant.* Et certè ſi Apoſtoli alienis linguis non fuerint locuti omnis fundamenti vacua fuit Judæorum calumnia: *Quia muſto pleni ſunt iſti.* Et in prima ad Corinthios epiſtola ſcribit Sanctus Paulus: *Gra-* Cap. 14.
tias ago Deo meo, quod omnium veſtrum lingua lo- & 13.
quar. Etiam hæc ejus verba, *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, reſpiciunt Chariſma eloquii. Plura ſacrarum litterarum teſtimonia evincunt iſtam ſententiam. Et ipſam tradunt Sanctus Irenæus, Sanctus Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ac alii paſſim Patres. Nec ſoli Apoſtoli habuerunt iſtud Chariſma, ſed & ipſum in alios fideles traduxerunt.

Iſtam Sancti Gregorii Nazianzeni ſententiam laudatus Chryſoſtomus inſigniter demonſtrat ex memorata ad Corinthios epiſtola. Hæc ſunt verba Sancti Pauli: *Et ideò qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid eſt ergo, Orabo ſpiritu, orabo & mente; Pſallam ſpiritu, pſallam & mente?* Et Sanctus Joannes commentatur: *Pete ergo, ut non ſolùm habeas Donum linguæ, ſed etiam interpretationis. Ut ſis omnibus utilis, nec Donum in te ſolo includas. Nam ſi orem, inquit, lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Vidiſti, quemadmodùm paulatim extollens orationem oſtendit, quod qui eſt hujuſmodi, non ſolùm eſt aliis inutilis, ſed etiam ſibiipſi. Siquidem mens ejus eſt ſine fructu. Nam ſi quis loquatur ſolùm Perſarum lingua, aut aliqua alia aliena, neſciat autem quæ dicit, certè etiam ſibi ipſi jam erit Barbarus, non aliis ſolùm, propterea quod neſciat vim vocis. Erant enim antiquitùs multi, qui orationis donum habebant cum lingua, & orabant quidem, & lingua loquebatur, aut Perſarum, aut Romanorum voce orans, mens autem neſciebat quod dicebatur.* Ecce multi tunc fideles alienam linguam, qua ex ſpiritu loquebantur atque orabant, ipſimet non intelligebant: Quomodò igitur ſemper fuiſſent intellecti ab omnibus aliis? Proinde in verbis Apoſtolicis, *Spiritus meus orat*, per ſpiritum non intelligitur rationalis animæ inferior pars, ſed Divinum Chariſma. Hæc illius vocis ſignificatio & acceptio ſunt frequentiſſimæ apud Apoſtolorum litteras. Loquor cum Sancto Joanne Chryſoſtomo, qui pergit: *Spiritus, hoc eſt, Donum datum movens linguam. Et ideò dicebat: Orabo ſpiritu, orabo & mente; Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Hoc eſt, Expedit nos non tantùm orare vocibus, ſed & ſuam orationem intelligere. Expedit orare in illa lingua, quam intelligas. Expedit, non ſem-

per

per oportet. Etenim iſtos orantes Sanctus Paulus nequaquam improbat. Et fiebat ex Divino Charismate. Et hinc lucet Sanctimoniales, licèt verba non intelligant, rectè in lingua Latina pſallere. Lucet iſtum pſallendi modum non eſſe novum apud Eccleſias. Eſſe non dumtaxat Apoſtolicum, ſed & fundati in Divino Chariſmate.

Etiam hæc Apoſtoli verba rectè urget Sanctus Joannes: *Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodò dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quæ dicas, neſcit. Nam tu quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur*. Apoſtolus lucidè affirmat quoſdam tunc publicè in Eccleſia oraſſe in aliena lingua, & ab adſtantibus idiotis ſeu laicis non fuiſſe intellectos. Et tamen hos ad iſtam orationem appoſuiſſe comprobativum ſignaculum, Amen. Ex quo Lutherani & Calviniſtæ diſcant non eſſe neceſſarium, ut ſolemnes Eccleſiæ preces fiant in populari lingua, aut à populo intelligantur. Oppoſitus mos eſt Divinum Donum ac Inſtitutum. Ad rem præſentem faciunt etiam hæc Apoſtoli verba: *Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent quod inſanitis?* Si nempè omnes loquantur diverſa lingua. Eſt ergò clarum, quod linguarum Chariſma fuerit non varios variorum ex eodem idiomate auditus ac intellectus, ſed diverſorum idiomatum notitia ac elocutio. Hinc de Sancto Paulo & Barnaba, in Lycaonia prædicantibus, ſcribit ad
Ep. 150 qu. 9. Hebidiam Sanctus Hieronymus: *In Lycaonia cum audiſſent Paulum & Barnabam loqui linguis ſuis, Deos in homines eſſe converſos credebant*. Loquitur ex quartodecimo capite Apoſtolicorum Actuum. Textus eſt benè attendendus.

Nec iſtam Lycaonum admirationem admireſis. Etenim plurium linguarum peritia erat olim adeò rara, ut de antiquo Athenienſium Rege Cecrope ſcribat in ſecundo Chronicorum libro Euſebius Cæſareenſis: *Cecrops dicebatur diphyes, quòd cùm eſſet Ægyptius, utramque linguam ſciebat*. Et Numidiæ Regem Jugurtham, quod Latinè
Cap. 30. ſciret, laudat in opere de ejus bello Salluſtius, & adjungit cauſam fuiſſe, quod ille olim apud Numantiam ſub Romanis meruiſſet. In Patria manens non fuerat habiturus iſtam peritiam. Arminium Batavorum Regem fuiſſe ex eadem cauſa Latinum teſtatur in ſecundo Annalium libro
Cap. 10. Cornelius Tacitus. Et hinc Imperatorem Maximinum, quòd homo Gothus in Romanis Caſtris Latinam linguam non didiciſſet, ſtupiditatis ar-
Cap. 2. guit Julius Capitolinus. Quin & de Adriano
Cap. 3. Imperatore ſcribit Ælius Spartianus: *Adrianus Quæſturam geſſit, in qua cum orationem Imperatoris in Senatu agreſtiùs pronuntians riſus eſſet, uſque ad ſummam peritiam & facundiam Latinis operam dedit*. Erat Romæ natus, & tamen quod ſolis Græcis litteris navaſſet operam, tantus vir Romanè neſciebat. Etiam Imperatoris Severi germana ſoror, dum Lepti Romam venit, vix no-
Cap. 15. verat Latinè. Ita teſtatur Ælius Lampridius. Et de Claudio Auguſto ſcribit Svetonius Tranquil-
lus: *Claudius ſplendidum virum, Græciæque Pro-* Cap. 16.
vinciæ Principem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albo Judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Iſtud Claudii judicium nimiæ duritiæ arguit Svetonius: Quòd nempe tunc alienæ linguæ imperitia eſſet generaliſſima, ideoque vitio, longè magis crimini non poſſet verti. Etiam Imperatoris Juliani variam ſcientiam laudat
Ammianus Marcellinus, atque adjungit: *Super* Lib. 16.
his aderat Latinè quoque diſſerendi ſufficiens ſermo. cap. 6.
Non elegans, ſed ſufficiens. Et hoc apud Orientem nato ac educato Principi ducitur magnæ laudi. Eſſe trilinguem erat apud antiquos laus incomparabilis. Et hinc Ruffinum Presbyterum Sanctus Hieronymus, ſarcaſmi cauſa, inducit Thrazo-
nizantem in hæc verba: *Ego Philoſophus, Rhetor,* Lib. 3.
Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, cap 3.
Latinus, Trilinguis. Quin & de Romanorum Cenſore ac Principe Catone, quòd uſque ad ſenium ignoraverit, & tunc diſcere non erubuerit Græcam linguam, teſtatur in litteris ad Demetriadem idem Hieronymus. Et hinc Mithridatem Ponti Regem, quod *duarum & viginti gentium ore loqueretur*, meritò admiratur & prædicat
in illuſtrium virorum catalogo Aurelius Victor. Cap. 76.

Et iſta linguarum imperitia etiam Chriſtianis permanſit temporibus. Non dumtaxat in nobilibus ſæcularibus, ſed etiam in magnis Monachis. Etenim de ſanctiſſimo, licèt illuſtrium Natalium viro, omnium Monachorum Patre Antonio, quòd ſolam Ægyptiacam norit, Græcam verò linguam penitùs ignoraverit, ex irre-
fragabili teſtimonio affirmat in Lauſiaca hiſtoria Cap. 26.
Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Sancti Macedonii, illuſtris apud Antiochiam Monachi, & quorumdam Palatinorum colloquia exponit in religioſa hiſtoria Theodoretus, atque adjungit:
Hæc ille Syriaca lingua proferebat, quæ illi per In- Cap. 13.
terpretem Græcè reddita audientes obſtupuerunt. Macedonius ſolam Syriacam, Palatini noverant ſolam linguam Græcam. Et de Magno apud Syros Presbytero ac Archi-Mandrita Barſuma, quem ad conſeſſum & ſuffragium admiſit Epheſinum Latrocinium, habent Acta Synodalia: *Barſumas Presbyter & Archi-Mandrita per Interpretem Euſebium Monachum dixit*. Utique ſuum judicium pro hæreſiarcha Eutyche. Nempè quòd Græcè penitùs neſciret. Et de dato per eundem in Sanctum Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnatorio ſuffragio habent eadem Acta: *Barſumas, Presbyter & Archi-Mandrita, interpretante eum Euſebio Monacho, dixit*. Iſtiuſmodi de ipſo teſtimonium habes etiam in quarta actione Chalcedonenſis Synodi. Et libellus, quem ſecundæ Syriæ Monachi adversùs Severum Antiochiæ Pſeudo-Patriarcham exhibuerunt ſuis Epiſcopis, poſt multarum Archi-Mandritarum Græcas ſubſcriptiones habet: *Sunt autem & in lingua Syriaca multæ & infinitæ Monachorum ſub-*
ſcriptiones. Quòd omnis illa turma aliam lin- Act. 5.
guam ignoraret. Ita habes in Synodo Conſtantinopolitana ſub Patriarcha Menna. Nec mire-

ris

tis hoc. Etenim quòd ſummus Syrorum Doctor
Sanctus Ephrem linguam Græcam dudum igno-
raverit, & ejus à Deo infuſam peritiam miracu-
loſè per magni Baſilii preces ſubitò acceperit, re-
ſtatur in hujus vita Sanctus Amphilochius.
Quod miraculum ſuis Annalibus inſeruit etiam
Sigebertus Gemblacenſis. Quod Sanctus Sabbas
in ſua Laura habuerit plures Armenios Mona-
chos, aliud idioma neſcientes, habemus in ejus
vita.

Etiam in Clericis ac Epiſcopis dudum manſit
hæc ignorantia. Plures ſolam noverant linguam
maternam. De Sancto Abrahamo, Carrenſi in
Meſopotamia Epiſcopo, quòd Græcam linguam
nec intellexerit, ſcribit in religioſa hiſtoria
Cap. 17. Theodoretus. Et de Uranio, ibidem Epiſcopo
Himerorum, habent Acta Epheſini Latrocinii:
*Uranius Epiſcopus Provinciæ Oſrhoenæ, interpre-
tante ſe Eulogio Presbytero Edeſſenæ civitatis, di-
xit*. Et Edeſſeni Clerici, qui ſuum Epiſcopum
Ibam accuſaverant, poſt ſuum in lingua Græca
lectum libellum dixerunt ad Synodum Beryten-
ſem: *Rogamus nobis licentiam exiſtere, ut hæc ea-
dem Syra lingua dicantur ſanctiſſimo Epiſcopo Ura-
nio*. Quòd nempè hic Græcam linguam nec in-
telligeret. Eſt & alius de eadem cauſa libellus,
cui omnis iſtius Eccleſiæ Clerus ſubſcripſit, &
plures ſuæ ſubſcriptioni adjunxerunt: *Subſcriptio
Syra*. Nempè quòd Græcè neſcirent. Et ſenten-
tiæ, quam in Severum Antiochiæ Pſeudo-Pa-
triarcham dedit Conſtantinopolitana Mennæ Pa-
triarchæ Synodus, adjunxerunt Acta Synoda-
Act. 5. lia: *Habet & duas ſubſcriptiones Syrorum. Habet
& aliam ſubſcriptionem Syriacam, id eſt, Syriæ lit-
teris ſcriptam*. Quòd nempè iſti Epiſcopi Græca
nec ſcirent ſcribere. Et in ſexta Synodo Con-
ſtantinus, Apameenſis in ſecunda Syria Presby-
Act. 16. ter, dixit: *Quod mihi dedit Deus de fide, ſcribam
Syriacè, & interpretetur Græcè*. Quòd nempè
Græcum ſermonem nec loqui poſſet, nec ſcri-
bere. Etiam venerabilis Thomas, Tyriorum
Metropolita, quòd Græcum ægrè loqueretur,
in octavo conſilio locutus eſt per Interpretem.
Et Caloſirius, Arſenoitidis in Ægypto Epiſco-
Act. 1. pus, apud Epheſinum Latrocinium uſus eſt In-
terprete Elia ſuo Diacono, per ipſum ſemper
locutus. Habemus plura iſtiuſmodi exempla.
Et hinc non mireris Lycaones, dum Paulum &
Barnabam audierunt Lycaonicè loquentes, ob-
Act. 14. ſtupuiſſe, & alta voce exclamaſſe: *Dii ſimiles
facti hominibus deſcenderunt ad nos*. Similis ſtupor
invaſit omnem Hieroſolymam, dum Apoſtolos
audivit non tribus aut viginti, ſed loquentes
linguis omnium gentium.

Circa Apoſtolis datum linguarum Chariſma
rem notabilem ſcribit in litteris ad Hedibiam
Sanctus Hieronymus: *Apoſtoli prædicaturi multis
Ep. 150 qu. 9. gentibus, acceperunt genera linguarum, ut jam
tunc cognoſceretur, qui Apoſtolorum quibus gentibus
deberent nuntiare. Denique Apoſtolus Paulus, qui
de Hieruſalem uſque ad Illyricum prædicavit, & in-
dè per Romam ad Hiſpaniam ire feſtinat, gratias
agit Deo, quòd cunctis Apoſtolis magis linguis loqua-
tur. Qui enim multis gentibus annuntiaturus erat,
multarum linguarum acceperat gratiam*. Quod
ipſum in ſuis Annalibus ſcribit Michael Glycas: Parte 3
Quindecim linguarum dona in Pentecoſte acceperunt fol. 226.
*Apoſtoli, quemadmodum Chryſoſtomus inquit, ad
uſum illorum, qui præſentes erant. Quid enim opus
fuiſſet lingua Perſica vel aliis, non præſentibus eis
qui uterentur? Et fuerunt omninò linguæ quinde-
cim, propterea ut hinc intelligeretur ſacroſanctæ Tri-
nitatis efficacitas, cum Miniſtris duodecim conjun-
cta. Videte tunc erat Petrum, qui Galilæus eſſet,
Romana lingua utentem, quam nunquam antea di-
ſcendo percepiſſet. Iidemque ſingulos reliquorum pe-
culiari quadam lingua loquentes. Hoc enim Spiritus
Sanctus ſingulari quodam conſilio ſic adminiſtravit,
ne qua inter Apoſtolos eſſet ea de re diſcordia, quò
ſcilicèt unicuique abeundum eſſet. Ideoque ſingulis
ſua in lingua data eſt quædam quaſi norma & regu-
la. Verbi gratia: Romana uteris lingua, Romam
igitur abito. Perſicè loqueris, ad Perſas proficiſci-
tor. Hanc igitur in certa lingua regulam acceperunt.
Rursùs verò, quia Romam profecturis per nationes
multas iter faciendum erat, idcircò linguas alias,
tamquam opitulatrices prioris, accipiebant, cùm
illam primam ordinationis quaſi loco haberent. Vi-
demus enim ſingulos Apoſtolos etiam diverſis uſos fuiſ-
ſe linguis, ut quibus variæ nationes eſſent peragran-
dæ. Licet hoc de Pauli verbis colligas. Ago Deo
meo gratias, quòd magis, quàm veſtrum quiſquam,
linguas teneo peregrinas*. Quæ omnia an vera ſint
atque authentica, eſt magna quæſtio. Eorum
ſanè nemo alius meminit. Et iſtud Sancti Pauli
verbum non ad alios Apoſtolos dirigitur, ſed ad
ſolos Corinthios, & ipſis vicinas gentes.

Aliudquid magis paradoxum ſcribit in hære-
ſeon catalogo Sanctus Philaſtrius Epiſcopus Bri-
xienſis, linguarum confuſionem exponens ad
turrim Babylonicam: *Habentes Angelicam gra-* Cap. 56.
tiam, id eſt, multarum linguarum ſcientiam, non 57.
*agnoſcebant datorem tantæ ſapientiæ Dominum,
contraque eum conantes progredi, perdiderunt gra-
tiam, quam ſine ullo labore Divinitùs habebant
conceſſam. Et quod ſine ſtudio ante donatum fuerat
à Domino naturaliter omnibus, ut Dei imagini, po-
ſtea per ſtudium atque doctrinam, oblivione immiſſa
à Domino, vix diſcere prævalebant, non omnes,
nec multas, ſed vix paucas linguas, ita ut tres quis
aut quatuor valeret ediſcere, nique eiſdem vix elo-
qui. Tamen omnium ſcientiam linguarum, quam
ante duo millia annorum & ſeptingentos annos offen-
dentes amiſerant homines, ſub Apoſtolis rurſum poſt
Adſcenſionem ſuam Dominus per Spiritum Sanctum
ſine quodam labore credentibus conferebat. Angelicæ
enim virtutis eſt linguas ſcire omnium hominum. Per
fidem autem Chriſti ſine labore linguarum omnium
credentibus ſubminiſtratur ſcientia*. Quod uſque
ad Babylonicam turrim fuerit hodierna lingua-
rum diverſitas, & ipſam omnem cuncti homines
naturaliter noverint, eſt devium ac paradoxum.
Eleganter in homilia de veteris teſtamenti obſcu-
ritate ſcribit Sanctus Joannes Chryſoſtomus:
Operæ pretium eſt, ut omnia vobis dicantur. Quale Tom. 3.
eſt, unam fuiſſe quondam omnium hominum lin- fol. 944.
guam,

Digitized by Google

guam, atque in multas eſſe poſtea diviſam. Ad quod uſque tempus una fuerit: Et quando in multas diviſa. Et nùm illa deleta fuerit, atque aliæ introductæ, an verò manente illa, reliquæ ſint introductæ. Quavè confuſa fuerit, & qua de cauſa. Deinde quanam ex hiſce multis linguis vetus teſtamentum fuerit conſcriptum: Utrum illa antiquiori ac ſeniori, an verò illis, quæ poſtea ſunt inventæ. Et addit de hac poſtrema quæſtione: *Ejus gratia de his omnibus ſermonem inſtituimus.* Singulas has quæſtiones iſtic Sanctus Joannes non ſolvit, ſed ſolummodò promiſit ſolvere: Et ipſarum ſolutio, quam apud Sancti Auguſtini de Dei civitate libros videre potes, non eſt præſentis noſtri Propoſiti. Interim conſtanter affirmat toti primitivorum hominum generi fuiſſe unicam linguam. Quod ipſum conſtantiſſimè affirmat Sanctus Auguſtinus. Et jure merito. Etenim ſacer textus lucidè affirmat fuiſſe iſtis hominibus labium unum ac ſermonem eundem. Et quidem Eutychius Patriarcha Alexandrinus in ſuis Annalibus prætendit primitivam iſtam linguam fuiſſe Græcam. Etiam alii contendunt pro lingua ſuæ gentis. Communis Eccleſiæ ſenſus aſſerit fuiſſe Hebraicam.

Quæſtio eſt, An linguarum Chariſma apud primitivam Eccleſiam fuerit effectus Chriſtiani Baptiſmatis, an Chriſtianæ Confirmationis? Quidam conſtanter volunt fuiſſe Confirmationis effectum. Et ſuam aſſertionem firmant ex Apoſto-
Cap. 28. licis Actis: *Cum audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini* JESU. *Tunc imponebant manus ſuper illos: Et accipiebant Spiritum Sanctum.* Utique ejus Chariſmata. Samaritani à Philippo Diacono, qui manus in Chriſtianam Confirmationem non potuerat imponere, fuerant baptizati, & necdum acceperant Chariſmata. Et ipſa per confirmatricem Apoſtolorum manum acceperunt. Quidam exiſtimant iſtam tunc fuiſſe generalem regulam. Et favent varia ſanctorum Patrum teſtimonia. Etiam quædam Sancti Auguſtini.

Reſpondeo tamen Chariſmata paſſim tunc fuiſſe ipſis Chriſtiani Baptiſmatis effectum. Etenim de baptizato per laudatum Philippum Diaconum
Hom 13. cap. 30. & 21. Regio Eunucho ſcribit in ſuis Homiliis Sanctus Auguſtinus: *Impleta Baptiſmatis myſterio & Sacramenta, ne hominum putaretur donum Spiritus Sancti, non exſpectatum eſt ut venirent Apoſtoli, ſed continuò venit Spiritus Sanctus.* Et certè quod in baptizatos Samaritanos Spiritus Sanctus non veniſſet, omnes fuerunt admirati. Etiam ipſi Apoſtoli. Hinc de ipſis dicit Sanctus Lucas: *Cum audiſſent.* Nempe de ſingularis facti ſpecie fuit ad ipſos à Philippo Diacono facta relatio: Et ipſi non qualemcumque Epiſcopum, nec unicum Apoſtolum, ſed duos totius Collegii Primates legaverunt, omnem rei ſeriem inquiſituros. Legaverunt, quia ad rem maximi ponderis, ſuum ipſorum Coryphæum. Quod nempè rem ſingularem admirarentur. Alioquin ſufficerat legare quemcumque Epiſcopum.

Verùm quæ fuit ſingularis facti ratio? In laudata homilia Sanctus Auguſtinus remiſſionem peccatorum, aliaque divinæ in nos clementiæ beneficia affirmat donari quandoque per fraternum miniſterium, quandoque per ipſum ſine medio inſtrumento Dominum Deum. Demonſtrat exemplis, atque proſequitur: *Meritò volens Deus hoc oſtendere, & huic veritati atteſtari, cum quidam in Samaria evangelizati eſſent, & baptizati à Philippo Evangeliſta, uno de ſeptem Diaconis primitùs electis, non acceperunt Spiritum Sanctum & baptizati erant. Nuntiatum eſt Diſcipulis, qui erant Hieroſolymis, & venerunt ad Samariam, ut illi, qui baptizati erant, per impoſitionem manus eorum acciperent Spiritum Sanctum. Venerunt, & impoſuerunt eis manus: Acceperunt Spiritum Sanctum.* Videtur aſſerere, quod iſtius Chariſmatis collatio neutri Sacramento fuerit firmiter affixa, ſed modò per hoc data, modo per iſtud. Et quòd Dominus Deus quandoque etiam per ſemetipſum ſine Sacramento dederit. Et certè ſic dedit Cornelio Centurioni, & ejus collegis. Interim uſque ad baptizatos Samaritas videntur Chariſmata ſemper fuiſſe data in Baptiſmate: Illi videntur primi, qui expectare debuerunt Apoſtolicam manum, & Sacramentum Chriſtianæ Confirmationis. Et hinc Philippus novam facti ſpeciem retulit Apoſtolis: Et hi ad rei indaginem legaverunt ipſum ſuum Principem, unaque dilectum Domini Joannem, ſingulariter conſcium omnium cœleſtium Secretorum. Inſueti Divini operis cauſa poſſit fuiſſe inter alios Samaritas baptizatus Simon Magus, quem Divina juſtitia voluit, & privare iſta gratia, & per Apoſtolos ſolemniter caſtigare: Exemplo demonſtrare, quid ſit pollutam animam obrepere in Baptiſma. Eſt conjectura. Quis enim novit Domini ſenſum? Quis fuit ejus Conſiliarius? Etiam non omnes, ſeu in Baptiſmo ſeu in Confirmatione, accipiebant omnia Chariſmata, ſed quidam hæc, quidam iſta: Alii unum, alii plura. Lucidè hoc in priori ad Corinthios epiſtola docet Sanctus Paulus: *Hæc* Cap. 14.
autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens ſingulis prout vult.

Porrò eloquii Chariſma non dumtaxat ad Evangelicæ prædicationis executionem fuit donatum, ſed inſuper ad alios fines. Ipſos compendio exponit in undecimo de Domini verbis Sermone Sanctus Auguſtinus: *Propter hanc* totius humani generis in Chriſto Domino unitatem ac
Societatem illi, in quos primitùs venit Spiritus S. linguis omnium gentium ſunt locuti. Quia per linguas conſociatio eſt ſocietas humani generis. Sic oportebat per linguas omnium gentium ſignificari iſtam ſocietatem filiorum Dei & membrorum Chriſti futuram in omnibus gentibus: Ut quemadmodum tunc ille apparebat accepiſſe Spiritum Sanctum, qui loquebatur linguis omnium gentium, ita ſe nunc ille agnoſcat accepiſſe Spiritum Sanctum, qui tenetur vinculo pacis Eccleſiæ, quæ diffunditur in omnibus gentibus. Cap. 17.

Laudat tres iſtius Doni fines. Ptimus eſt in his verbis: *Ille apparebat accepiſſe Spiritum Sanctum.* Illud Donum erat Sacramentum, ſimul & res Sacramenti. Per Baptiſmum ſic nobis dabatur ut ſignificaret nobis etiam eſſe datam remiſſionem omnium peccatorum, & Spiritum Sanctum in nobis habitare. Ut ediceret nos non informiter, ſed fructuosè baptizatos. Hinc fictè & dolosè baptizato Simoni Chriſtus Dominus ipſum dare noluit, ac forſan propter ipſum nec reliquis Samaritis. Secundus finis eſt in his verbis: *Quia per linguas conſociatio eſt ſocietas humani generis.* Etenim linguarum diviſio eſt humani generis tantum ſupplicium, tantaque fraternæ unionis dilaceratio, ut homo eſſe malit cum ſuo cane, quàm cum homine alienæ linguæ. Ita in libris de Dei civitate advertit Sanctus Auguſtinus. Eſt juſtum ſuperbiæ & adversùs Divinam Majeſtatem rebellionis ſupplicium. At verò Chriſtiana lex eſt plena humilitas, & omnium gentium ad Divinæ Majeſtatis obedientiam reditus: Hinc fecit omnes homines non quidem unica lingua, ſed loqui linguis omnibus, atque ita omnes ab omnibus intelligi. Exſtinxit & ſanavit vulnus inflictum humanæ ſocietati. Et iſtud per ejuſdem ac unius linguæ redditionem ſanari noluit. Tertius finis eſt, quem habent hæc Auguſtini verba: *Oportebat per linguas omnium gentium ſignificari ſocietatem filiorum Dei futuram in omnibus gentibus.*

Hunc finem Sanctus Auguſtinus exponit largiùs in libris contra Petilianum, Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum: *Cum noſti & commemoras Spiritum Sanctum ita veniſſe, ut illi, quos tunc impleverat, linguis omnibus loquerentur, quid ſibi volebat illud ſignum atque prodigium? Cur modò ita datur Spiritus Sanctus, ut nemo, cui datur, linguis omnibus loqui poſſit, niſi quia omnes gentes credituras, ac ſic in omnibus gentibus futurum Evangelium, illud tunc miraculum portendebat? Quod & in Pſalmo tantò antè prædictum eſt;* Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. *Hoc propter eos dictum eſt, qui Spiritu Sancto accepto erant linguis omnium locuturi. Sed quia id ipſum in omnibus gentibus & linguis futurum Evangelium, & Corpus Chriſti per totum orbem terrarum omnibus linguis perſonaturum ſignificabat, ſecutus ait:* In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Hinc fit, ut Eccleſia vera neminem lateat.* Et in libris adversùs Donatiſtarum Grammaticum Creſconium: *Spiritus Sanctus veniens in Apoſtolos tale ſignum primitùs dedit, ut qui eum acceperant, linguis omnium gentium loquerentur. Quia portendebat Eccleſiam per omnes gentes futuram, nec quemquam accepturum Spiritum Sanctum, niſi qui ejus unitati copularetur.* Quod ipſum Sanctus Auguſtinus tradit, & variè amplificat in innumeris locis. Iſtud Chariſma ſic erat res Sacramenti, ut ſimul eſſet Sacramentum non dumtaxat reſpectu Initiati, ſed reſpectu totius humani generis: Totius Eccleſiæ Sacramentum Propheticum. Promittebat Eccleſiam ſuo tempore locuturam omnium gentium linguis, ſeu diffundendam per omnes ſub cœlo gentes. Et ita factum eſt. Et hinc iſtud Chariſma, ſolemni promittentium Sacramentorum more, debuit poſt expletum ſuæ promiſſionis officium, & præſtitum ejus effectum evacuari & ceſſare. Non unico ictu, ſed pedetentim ceſſavit in Eccleſiis. Etenim de ſemetipſo ſcribit Sanctus Irenæus: *Multos audivimus fratres in Eccleſia, prophetica habentes Chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes, & abſconſa hominum in manifeſtum producentes ad utilitatem, & myſteria Dei, quos & ſpiritales Apoſtolus vocat.* An verbum, *Audivimus*, rei præſentis, an verò factæ dumtaxat relationis aurium teſtimonium importet, non auſim affirmare. Quidquid ſit, edicit illud Chariſma aut tunc, aut ſaltem proximè adhuc fuiſſe in Eccleſiis. Hinc inde.

Lib. 2 cap. 32.

Lib. 2. cap. 14.

L. 5. c. 6.

Notandæ ſunt voces: *Univerſis linguis loquentes.* Qua phraſi etiam Sanctus Auguſtinus aſſiduè utitur. Evertunt opinionem Sancti Hieronymi & Michaelis Glycæ, qui contendunt univerſarum linguarum peritiam nec ipſis fuiſſe datam Apoſtolis. Quòd Apoſtoli non per linguarum Chariſma, ſed per directam à Spiritu Sancto ſortitionem acceperint ſuæ prædicationis Provincias, eſt communis Eccleſiæ ſenſus. Et ſanè aliquarum dumtaxat linguarum peritia non quadrat jam laudatis finibus iſtius Chariſmatis. Notanda ſunt & hæc Auguſtini verba: *Hinc fit, ut Eccleſia vera neminem lateat.* Ad omnium Eccleſiarum valvas deberent aureis litteris ſcribi ad perſtringendos oculos Lutheranorum & Calviniſtarum, garrientium veram Eccleſiam eſſe inviſibilem. Notentur hi & alia ejuſdem Patris frequentiſſima verba aſſirmantia non eſſe veram Eccleſiam, niſi quæ loquitur linguis omnium gentium. Hæc gratia eſt longiſſimè remota à Synagoga Lutheri & Calvini.

Primò per Judæam conteſtata fide per Jeſum Chriſtum, &c.

Doctor confirmat aſſertionem Sancti Apollonii, de quo in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſarienſis: *Apollonius ait ſe traditione accepiſſe, Servatorem dediſſe Mandatum Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis diſcederent.* Apollonium laudat in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Apollonius, Romanæ urbis Senator, ſub Commodo Principe à Servo Severo proditus, quòd Chriſtianus eſſet, impetrato ut rationem fidei ſuæ redderet, inſigne volumen compoſuit, quod in Senatu legit, & nihilominus ſententia Senatus pro Chriſto capite truncatus eſt, vetere apud eos obtinente lege, abſque negatione non dimitti Chriſtianos, qui ſemel ad eorum judicium pertracti eſſent.* Proindè & nobiliſſimus fuit iſte Apollonius, & adeò eruditus, ut omnem Romanum Senatum circa Chriſtianæ Religionis innocentiam convicerit, & fecerit obmuteſcere. Et ipſam ſuo ſanguine ſigillavit. Ejus alia adversùm Montaniſtas

Lib. 5. cap. 17.

Scti-

Scripta laudat memoratus Euſebius. Per Hieruſalem, utpotè Metropolim, Sanctus Apollonius intelligit omnem Judæam, & vicinas ab advenis Judæis incultas Provincias. Etenim intra iſtos duodecim annos Sanctus Petrus Antiochenam, ut Cardinalis Epiſcopus, fundavit & rexit Eccleſiam. Inſuper per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam diſperſos Judæos docuit, & ipſis Epiſcopos conſecravit. Et poſtrema ejus epiſtolæ verba, *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone*, quidam accipiunt de Babylone Aſſyriorum. Exiſtimant Sanctum Petrum etiam iſtic prædicaſſe, & tantas traxiſſe moras, ut iſtic ſcripſerit priorem ſuam epiſtolam. Quæ ſententia in opere de Sacerdotii ac Imperii concordia placet etiam Domino Petro de Marca Metropolitæ Pariſienſi. Lib. 6. c. 1. Verùm eſt ſuſpecta opinio. Ejus primus Author videtur fuiſſe Marſilius Patavinus, qui pro Ludovico IV. Imperatore adversùs Joannem XXII. Pontificem, imò & adversùs Apoſtolicam Sedem turbidiſſimè inſaniens, ex iſtis laudatæ epiſtolæ verbis garrivit Sanctum Petrum nunquam fuiſſe Romæ, ideoque Romanos Antiſtites non eſſe ejus in Epiſcopatu ſucceſſores. Nugaciſſimam fabulam elapſo ſæculo reſorbuit, & in ſeductas ſimpliciorum hominum animas evomuit Joannes Calvinus. Eſt fabula adeò frivola, ut hodierni Calviniſtæ de ipſa erubeſcant. Et jure merito. Etenim Sanctum Petrum ſediſſe Romæ Epiſcopum, & iſtic ſub Nerone Principe fuiſſe crucifixum, omnes Patres Græci & Latini uno ore teſtantur & clamant. Eorum plures inſuper affirmant laudatam epiſtolam eſſe Romæ ſcriptam, & per Babylonem intelligi almam Urbem. Vide Dominum Nicolaum Cardinalem Cuſanum in poſtremo capite ſecundi libri de Catholica Concordantia.

Iſtis duodecim annis atteſtatur etiam conſtantiſſima omnium Eccleſiarum traditio, quæ affirmat Sanctum Petrum quadrageſimo quarto aut quinto Chriſti Domini anno abiiſſe Antiochia Romam, & hoc illi fuiſſe Romani Epiſcopatus exordium. Uſque tunc per omnem Judæam & vicinas Provincias fundavit Eccleſias, conſecravit Epiſcopos, cum aliis Apoſtolis celebravit Concilia, & Evangelico Dogmati fixit altiſſimas radices. Apud Iſidorum Mercatorem Sanctus Papa Anacletus ſcribit (Ep. 2.): *Hieroſolymitarum primus Archi-Epiſcopus beatus Jacobus, qui Juſtus dicebatur, & ſecundùm carnem Domini nuncupatus eſt frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt ordinatus, Succeſſoribus videlicet dantibus formam eorum, ut non minùs quàm à tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præſtantibus, ullatenùs Epiſcopus ordinetur, & communi voto ordinatio celebretur.* Errores varii. Etenim Sanctus Jacobus nullo pacto fuit Hieroſolymæ Archi-Epiſcopus. Quòd enim Hieroſolymæ Eccleſia ex Apoſtolico Inſtituto non ſit niſi Cæſareenſis Metropolios ſuffraganea Parochia, Joanni illius Epiſcopo refricat in faciem Sanctus Hieronymus, & (Ep. 61.) omnibus Eruditis eſt exploratum. Primus Cyrillus cum Cæſareenſi Acacio Luſco cœpit de Metropolitico jure digladiari. Deindè falſum eſt, quòd Sanctus Jacobus fuerit à Sancto Petro & duobus collegis conſecratus in Epiſcopum. Etenim ille, utpotè Apoſtolus, cum aliis collegis fuit ab ipſo Chriſto Domino in ultima cœna in Presbyterum, in Reſurrectionis die conſecratus in Epiſcopum. Quòd Hieroſolymitana Cathedra fuerit ipſi etiam à Domino immediatè aſſignata, variis in locis affirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et an Sanctus Petrus ac alii Apoſtoli numquam ſoli conſecraverint Epiſcopos, eſt multa quæſtio. Author iſte, quem clarum eſt non eſſe Anacletum, manifeſtè loquitur ex quarto Canone Niceno. Et uti Sanctus Jacobus Hieroſolymitanam, ita Sanctus Petrus accepit Antiochenam Eccleſiam, ejus primus Epiſcopus & Patriarcha. Et iſta tempora reſpicit in primo de Apoſtolorum Principibus ſermone Sanctus Leo magnus: *Beatiſſime Petre, jam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras. Jam Antiochenam Eccleſiam, ubi primùm Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras.* Utique antequam veniret Romam. In omnibus iſtis gentibus conſecravit Epiſcopos, ac fundavit Eccleſias. Quod ipſum fecerunt & alii Apoſtoli. Iſtorum Epiſcoporum unus fuit Cornelius Centurio, de quo Romanum Martyrologium: *Cornelium Centurionem beatus Apoſtolus Petrus baptizavit, & apud Cæſaream Paleſtinæ Epiſcopali honore ſublimavit.*

Ad iſtum Martyrologii locum ſcribit Dominus Cardinalis Cæſar Baronius (Febr. 2.): *Quod ſpectat ad Sedem Cæſareenſem, ea occaſione, quod ex converſione Cornelii, Deo monente, illic primùm apertum eſt oſtium fidei gentibus, meruit ſingulari Prærogativa exaltari, ut non Hieroſolymitana, ſed ipſa fieret Metropolis Paleſtinæ.* Ratio non ſubſiſtit. Etenim Hieroſolymis erat paſſus & à mortuis reſuſcitatus ipſe Dominus: Illic expleverat omne Sacroſanctum noſtræ ſalutis Sacramentum. Et illic ex ipſius mandato Cathedram inſedebat Sanctus Jacobus Apoſtolus. Et ipſa erat totius Judaicæ gentis Metropolis. Hæc omnia apertum gentibus ex Cornelii Baptiſmo fidei oſtium longè præcellebant. Proindè in figendis Epiſcopalium Sedium dignitatibus nec Sanctus Petrus, nec alii Apoſtoli ad ſimilia Divina beneficia attenderunt. Attenderunt ad Romani Imperii notitiam ſeu laterculum, & civitatum in ipſo dignitatem. Etenim Divina Majeſtas prædeſtinavit ac præparavit Romanæ Reipublicæ formam, ut eſſet materia, exemplar, ac fundamentum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. At verò totius Syriæ, ſeu Orientalis regionis caput erat Antiochia, Palæſtinæ autem Metropolis erat Cæſaræa, Sedes Romani Præſidis. Hinc in iſta Patriarchalem, in hac Metropoliticam Sedem fixit Sanctus Petrus. Hieroſolymæ Eccleſia eaſdem ob cauſas non fuit niſi Parochia. Hæc ſunt alterius loci.

Ex ipſis interim diſcimus varia. Primò, cur poſt Sancti Stephani martyrium factam à Judæis

perſecutionem referens Sanctus Lucas dicat: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis. Et omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apoſtolos.* Quòd nempè Apoſtoli intra duodecim annos non poſſent Judæam deſerere. Et iſtius Dominici mandati rationem edixerunt ad Antiochenos in
Cap. 17. Piſidia Judæos Sancti Paulus & Barnabas: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos judicaſtis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes.* Dominicæ Incarnationis ac Paſſionis Sacramentum erat principaliter Judæis promiſſum à Domino Deo, ideoque ipſis primò per Apoſtolos prædicandum. Et quidem primò Judæis in Judæa habitantibus. Hanc prædicationem Chriſtus Dominus juſſit continuari per duodecim annos. Certè per tot annos repulſa prædicatio potuit juſtiſſimè converti ad gentes. Attamen nec his elapſis annis iſti contumaces fuerunt derelicti. Etenim Sanctus Jacobus apud Hieroſolymam permanſit ipſorum Cardinalis Epiſcopus. Et omnis ſub cœlo Circumciſio fuit Sancto Petro Apoſtolo ſingulariter commendata. Et ad gentes profecti Paulus & Barnabas primum paſſim verbum Judæis impenderunt. Secundò diſcimus, cum Sanctus Paulus non niſi quadrageſimo quarto Domini anno fuerit raptus in cœlum, atque illic Apoſtolatus plenitudinem acceperit. Cur item non niſi quadrageſimo ſexto anno cœperit proficiſci ad gentes. Quòd nempè primi duodecim anni ſolis Judæis in Judæa debebentur. Tertiò diſcimus apocryphum ſub Sancti Clementis nomine Itinerarium, quòd aſſerit primum Evangelii apud Romanos, & quidem intra iſtos duodecim annos, prædicatorem fuiſſe Sanctum Barnabam, omninò deviare. Etenim Sanctus Barnabas nonniſi in Sancti Pauli ſocietate cœpit iſtud officium. Et antè Joannis Marci quæſtiones non fuit ab illo diviſus. Quartò diſcimus, quòd Sancti Jacobi Apoſtoli apud Hiſpanos prædicatio non careat ſcrupulis. Hic enim Quadrageſimo quarto anno ante lapſos iſtos duodecim fuit gladio percuſſus ab Herode Rege, ideoque videtur Judæam non fuiſſe egreſſus.

Dehinc in orbem profecti, &c.

Doctor alludit ad Sancti Evangeliſtæ Marci
Cap. 16. verba de Apoſtolis: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, ac ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quod per omnia ſuæ prædicationis loca fundaverint Eccleſias, ac Epiſcopos aut conſecraverint, aut conſecrandos juſſerint, eſt omnibus notum. Et quidem de ſolo Sancto Petro ſcribit ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Sanctus Innocentius primus Pontifex: *Manifeſtum eſt, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus Succeſſores, conſtituerint Sacerdotes.* Quæ verba durè concutiunt Sancti Jacobi apud Hiſpanos prædicationem. Porrò de conſecratis per Apoſtolos Epiſcopis inſigniter ſcribit Sanctus Irenæus: *Apoſtoli valdè perfectas & irreprehenſibiles in* Lib. 3.
omnibus eos volebant eſſe, quos & Succeſſores relin- cap. 2.
quebant, ſuum ipſorum locum miniſterii tradentes, quibus emendatè agentibus fieret ſumma utilitas, lapſis autem ſumma calamitas. Et quod ex firmo fundamento loquatur, docent Sancti Pauli epiſtolæ ad Timotheum ac Titum.

Notandæ ſunt voces: *Per ſingulas civitates.* Hoc eſt, in illis locis, quæ in Romani Imperii notitia ſeu laterculo habebant jus & dignitatem civitatis. Edicunt, quod Apoſtoli in erigenda Eccleſiaſtica Hierarchia ſint ſecuti formam Romanæ Monarchiæ. Et hinc in vicis, Caſtellis, vel oppidis Epiſcopales Cathedras erigi vetant plurimi Canones. Et perperàm erectas variæ Synodi ac Romani Pontifices dejecerunt. Has ab ipſis Apoſtolis fundatas ac erectas Eccleſias Septimius affirmat eſſe Apoſtolicas. Apoſtolicas non Cathedras, ſed Eccleſias. Etenim Apoſtolica Cathedra & Apoſtolica Eccleſia ſunt ſpecies & genus: Plurimùm differunt. Nulla Cathedra eſt Apoſtolica, niſi quam inſedit & fundavit Sanctus Petrus Apoſtolus. Sunt tres. Romana, Alexandrina, & Antiochena. Et hinc adversùs Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui ſuæ Cathedræ fundatorem ac primum inſeſſorem clamabat eſſe Sanctum Andream Apoſtolum, ideoque ipſam per vigeſimum octavum Chalcedonenſem Canonem machinabatur facere Patriarchalem, reſcripſit magnus Papa Leo: *Re-* Epiſt. 54.
giam civitatem Anatolius Apoſtolicam non poteſt fa- cap. 3.
cere Sedem. Eodem modo Hieroſolymitanam, Epheſinam, Mediolanenſem, ac Aquilejenſem Cathedras, licet ipſas Sanctus Jacobus, Sanctus Joannes, Sanctus Barnabas, ac Sanctus Marcus fundaverint atque inſederint, pro Apoſtolicis Sedibus numquam cognovit Eccleſia. Idem Sanctus Marcus Alexandrinam fecit, Aquilejenſem Cathedram non fecit Apoſtolicam: Quod hanc proprio, iſtam vicario Sancti Petri nomine fundaverit atque inſederit.

Lucidè hæc tradit in litteris ad Eulogium Alexandriæ Patriarcham Sanctus Gregorius Magnus:
Itaque cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Prin- Lib. 6. ep.
cipatu ſola Apoſtolorum Principis Sedes in authoritate 37.
convaluit, quæ in tribus locis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt. Ipſe decoravit Sedem, in qua Evangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmavit Sedem, in qua ſeptem annis, quamvis diſceſſurus, ſedit. Cum ergo unius atque una ſit Sedes, cui ex authoritate Divina tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid boni de me creditis, hoc veſtris meritis imputate. Quia in illo unum ſumus, qui dixit: Ut omnes unum ſint. Et in alia ad eumdem Eulo- Lib. 5.
gium epiſtola: *Eſt aliquid quod nos erga Alexan-* Ep. 60.
drinam Eccleſiam quadam peculiaritate conſtringit, & in ejus amore proniores exiſtere ſpeciali quodammodò lege compellit. Nam ſicut omnibus liquet, quod

beatus

beatus Evangeliſta Marcus à Sancto Petro Apoſtolo
magiſtro ſuo Alexandriam ſit tranſmiſſus, ſic hujus
nos Magiſtri & Diſcipuli unitate conſtringimur, ut
& ego Sedi diſcipuli videar præſidere propter magi-
ſtrum, & vos Sedi magiſtri propter diſcipulum. Et
ad Sanctum Anaſtaſium Antiochiæ Patriarcham
Lib. 4. ſcribit: *Memento quia Apoſtolicam Sedem regis.* Hoc
Ep. 37. ipſum in prima ſua Synodo tradit Sanctus Papa
Gelaſius: *Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes, Ro-*
mana Eccleſia. Secunda autem Sedes apud Alexan-
driam beati Petri nomine à Marco ejus diſcipulo ac
Evangeliſta conſecrata eſt. Tertia verò Sedes apud
Antiochiam ejuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine
habetur honorabilis, eò quòd illic, antequam Ro-
mam veniret, habitavit. Omnes tres iſtas Sedes
affirmat eſſe Sancti Petri. Et Alexandrinam eſſe
Apoſtolicam non ex Sancti Marci, ſed ex San-
cti Petri nomine. Et in libello, quem Anaſta-
ſii II. Pontificis apud Imperatorem Anaſtaſium
Legatis Conſtantinopoli exhibuerunt Dioſcorus
Presbyter, & Cheræmon Lector, Alexandrinæ
Eccleſiæ in Regis civitate Apocriſarii, præfan-
tur Romanam & Alexandrinam Eccleſias non
tantùm in dogmate, ſed etiam in ritibus ſemper
fuiſſe concordes, & adjungunt cauſam: *Quippè*
cum ab uno fuerit in utriſque jactum fidei fundamen-
tum, Petrum memoramus beatum Apoſtolum, cujus
per omnia Sanctus Marcus Evangeliſta exſtitit imita-
tor. Ita ut ſi quando contigerit in rebus ambiguis
quædam Epiſcoporum Concilia celebrari, ſanctiſſi-
mus is, qui Romanæ præſideret Eccleſiæ, reveren-
diſſimum Alexandrinæ civitatis Archi-Epiſcopum de-
ligeret, ut ſui curam loci ſuſciperet. Affirmat San-
cti Petri in Sancto Marco vices non fuiſſe perſo-
nales aut temporales, ſed eſſe perpetuas, ipſis
adfixas Sedibus, ideòque in poſteris etiamnum
perſeverare, ac ſemper perſeveraturas. Et ex
ipſis factum eſſe, ut Sanctus Papa Cœleſtinus
Sanctum Alexandriæ Patriarcham Cyrillum juſ-
ſerit Epheſinæ Synodo ex ſuo nomine præſidere.
Epiſt. 8. Hanc de Apoſtolicis Sedibus doctrinam tradunt
Ep. 71. in litteris ad Imperatorem Michaelem, ac in Re-
cap. 92. ſcripto ad Bulgarorum Conſulta etiam Sanctus
Epiſt. 1. Nicolaus I. in litteris adversùm Michaelis Ceru-
c. 28. latii Attentata Sanctus Leo IX. in animæ Gem-
Lib. 1. ma Honorius Auguſtodunenſis, in opere de Sa-
c. 187. cramentis Hugo Victorinus, ac eruditus adver-
Lib. 1. sùm Græcorum ſchiſma Tractatus, repertus Con-
cap. 42. ſtantinopoli in Conventu Prædicatorum.

Quædam poſſint objici. Primò illa, quæ ſua-
deant Apoſtolicam Sedem non eſſe triplicem, ſed
unicam Romanam. Etenim in ſecunda ad ſuos
in Græcia amicos de Romanæ Eccleſiæ Primatu
epiſtola ſcripſit Barlaamus Gyracenſis in Pelopon-
neſo Epiſcopus: *Et in Canonibus & in legibus nul-*
lius Eccleſiæ Sedes Apoſtolica nominatur, niſi tantùm
Romanæ. Et hæc ejus aſſertio non caret funda-
mento. Etenim ad univerſam Chalcedonenſem
Synodum dixit etiam Imperator Martianus: *San-*
Act. 6. *ctus Leo Papa urbis Romæ, qui ſedem Apoſtolicam*
gubernat. Hunc titulum privativè adſcribit Ro-
manæ Cathedræ. Et ad Maximum Antiochiæ
Patriarcham ſcripſit laudatus Leo: *Dignum eſt te*
Apoſtolicæ Sedis in hac ſollicitudine conſortem. Et Ep. 62.
in libro de pudicitia noſter Septimius Romanum cap. 3.
Pontificem appellat *Apoſtolicum.* Etiam privati- Cap. 13.
vè, ad diſtinctionem ab omnibus aliis Epiſcopis.
Quod nempè ejus ſolius Cathedra ſit Apoſtolica.
Reſpondeo etiam de Alexandrina & Antiochena,
quin ſint Apoſtolicæ, non eſſe dubitandum.
Nam Antiochena Synodus, in qua Antiochiæ
Patriarcha Domnus ſuam Sedem dixit *Thronum* Act. 10.
Apoſtolicum, fuit lecta & probata in plena Syno-
do Chalcedonenſi. Plurima ſunt & pro hoc &
pro Alexandrino Throno authentica teſtimonia.
Quare ad quoſdam Donatiſtarum Epiſcopos de
Romana Eccleſia rectè ſcripſit Sanctus Auguſti-
nus: *In qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit* Ep. 162.
Principatus. Affirmat Apoſtolicæ Cathedræ di-
gnitatem non privativè apud Romam eſſe, ſed
dumtaxat principaliter. Et jure merito. Etenim
Alexandrinam per Vicarium dumtaxat diſcipu-
lum erexit Sanctus Petrus, & de Antiochena
Cathedra ad ejus Antiſtitem Sanctum Alexan-
drum ſcripſit Sanctus Papa Innocentius: *Antio-*
chena Eccleſia ſuper Diœceſim, non ſuper aliquam Ep. 18.
Provinciam eſt conſtituta. Eſt non ſolummodò cap. 1.
Metropolitana, ſed etiam Patriarchalis. *Undè*
advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc
eidem attributum, quàm quòd prima primi Apoſtoli
Sedes eſſe monſtretur, quæ urbis Romæ Sedi non ce-
deret, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſce-
ptum apud ſe, conſummatumque gaudet. Dicit va-
ria. Primò, quod Antiochena Cathedra non
ob civitatis magnificentiam, ſed ob Sancti Petri
Epiſcopalem inſeſſionem ſit Apoſtolica. Secun-
dò, quod Romana Sedes ob eandem cauſam ha-
beat eandem dignitatem. Tertiò, quòd Sanctus
Petrus Antiochiæ ſederit Epiſcopus dumtaxat in
tranſitu, Romæ autem firmus uſque ad mortem.
Quartò, quod hac de cauſa Roma habeat Apo-
ſtolicæ Sedis Principatum. Quia nempè Romæ
Sanctus Petrus non per diſcipulum, neque in
tranſitu ſedit, ſed per ſemetipſum uſque ad mor-
tem. Barlaami Gyracenſis Epiſcopi authoritas
eſt modici ponderis. Et trahi poſſit ad ſenſum
Sancti Auguſtini.

Deindè objici poſſunt varia, quæ ſuadeant
Apoſtolicas Sedes eſſe longè plures. Etenim in
hoc ipſo libro ſcribit noſter Tertullianus: *Percur-* Cap. 36.
re Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Ca-
thedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur. Et in li-
bris de Doctrina Chriſtiana Sanctus Auguſtinus
affirmat iſtas Eccleſias eſſe omnium præcipuas, Lib. 2.
quæ Apoſtolicas Sedes habere meruerunt. Per Apo- cap. 8.
ſtolicas Sedes omnino intelligit Apoſtolorum Se-
des, adeoque ſentit non ſolius Petri, ſed cujuſ-
cumque Apoſtoli Epiſcopalem inſeſſionem face-
re Sedem Apoſtolicam. Idem videtur ſenſus
Tertulliani. Et ad Sanctum Victricium Rothoma-
genſem Epiſcopum, ſecundæ Lugdunenſis Me-
tropolitam, ſcripſit Sanctus Paulinus Nolæ An-
tiſtes: *Gratia te Apoſtolicæ Sedis evectum quaſi ſuper*
candelabrum ſublime conſtituit. Per Apoſtolicam
Sedem palàm intelligit Epiſcopalem Rothoma-
genſem, atque ita omnem Epiſcopalem Cathedram

affirmat eſſe Apoſtolicam. Et certè Epiſcopi ſunt Succeſſores Apoſtolorum. Utique in Cathedra Hinc Sancta etiam Abbatiſſa Radegundis ſuæ ad Turonenſis Synodi Antiſtites epiſtolæ dedit hanc Lib. 9 Ep. 42 epigraphen: *Dominis Sanctis, & Apoſtolica Sede digniſſimis*. Exſtat epiſtola apud Sanctum Gregorium Turonenſem. Extat ibidem & alia, qua varii Galliæ Epiſcopi ſcribunt ad varios collegas ſub eadem epigraphe. Radegundis omnibus Epiſcopis attribuit etiam *Apoſtolatum*. Et quidem ex ſucceſſione hæreditarium. Eundem titulum Sancto Auguſtino inſcripſit Valentinus, Præfectus Adrumetini Monaſterii. Et Pappolus Carnutenſis Antiſtes quartæ Pariſienſis Synodi Epiſcopis dedit hunc titulum: *Apoſtolica dignitate colendis*. Et ſecunda Valentina Synodus ſibi ipſi adſcribit *Apoſtolicam authoritatem*. Et apud Marculphi Monachi formulas frequens eſt epigraphe: *Domino ſancto, & Apoſtolica Sede colendo*. Et intelligitur Epiſcopus. Et Francorum Rex Clodovæus ſcripſit ad Synodum Aurelianenſem: *Orate pro me, Domini ſancti, & Apoſtolica Sede Papæ digniſſimi*. Et ad Sanctum Lupum Tricaſſinum Epiſcopum ſcripſit Sidonius Apollinaris Epiſcopus Arver- Lib 6. Ep. 1. nenſis: *In Apoſtolica Sede novem jam decucurriſti quinquennia*. Et apud laudatum Gregorium Turonenſem Heraclius Presbyter de ſua Burdigalenſi Cathedra dicit ad Haribertum Regem: *Salve Rex glorioſe. Sedes Apoſtolica Eminentiæ tuæ ſalutem mittit*. Et de Nicæna Synodo ſcribit Hermias Zozomenus: *Huic concilio interfuerunt ex Epi-* Lib. 1. cap. 16. *ſcopis, qui Apoſtolicas Sedes tenebant, Macarius Hieroſolymorum, Euſtatius Antiochiæ, Alexander Alexandriæ, Julius Romanus*. Hieroſolymam affirmat eſſe Sedem Apoſtolicam. Etiam infrà ſcribit Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum Acacio Cæſareenſi noluiſſe parere, & addit cauſam: *Velut Sedis jam Apoſtolicæ Antiſtes*. Et in Epheſi- Lib. 4 cap. 24. no Concilio Juvenalis Hieroſolymæ Epiſcopus Act. 4. prædicat *Thronum Apoſtolicum ſanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum*. Et quamvis ejus iſtic adversùs Antiochenam Eccleſiam prætenſiones excuſſerit Romana Eccleſia, probavit tamen hunc titulum. Etenim in octava Synodo exſtat Theodoſii Hieroſolymitani Patriarchæ ad Sanctum Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum epiſtola, in qua ille ſuam Cathedram appellat *Thronum Apoſtolicum*. Et Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius adjunxit hoc marginale Scholion: *Propter Sanctum Jacobum Apoſtolum dicit*. Et Apoſtolica Legatio iſtam epiſtolam permiſit Actis inſeri, adeoque & probavit. Et in ſexti Concilii decima octava actione memorantur omnes quinque Patriarchæ, & ſecundo loco ponitur *Sedes ſanctiſſima, Catholica, & Apoſtolica magna Eccleſiæ Conſtantinopoleos*. Et in Magni Baſilii vita Sanctus Amphilochius, probatiſſimus Iconienſium Epiſcopus, laudat Sanctum Grego- Cap. 1. rium Nazianzenum, atque adjungit: *Qui annis circiter duodecim Apoſtolicę Sedis*, utique Conſtantinopolitanæ, *gubernacula tenuit*. Et Turpinus Rhemenſis Archi-Epiſcopus, licèt tres dumtaxat Apoſtolicas Sedes ponat, ponit tamen alias: Ponit Romanam, Epheſinam, & Compoſtellanam. Quod inſeſſæ fuerint à tribus Apoſtolis: Petro, Joanne, Jacobo. Etiam Conſtantienſis Cypriorum Metropolitana Eccleſia dudum pro Autocephaleia certavit adversùs Antiochenam Eccleſiam: Et poſt inventum apud ſe Sancti Barnabæ corpus dixit ſe non minùs, quàm Antiochenam, eſſe Apoſtolicam, atque ita omne jugum excuſſit. Et in antiquo Romano Ordine epiſtola, qua Metropolitanus Con-Provinciales Epiſcopos ad alicujus Electi conſecrationem invitat, habet hanc epigraphen: *Dilectiſſimis fratribus Metropolitanus ſanctę Sedis Apoſtolicę illius Eccleſię*. Affirmat omnem Metropolitanam Sedem eſſe Apoſtolicam.

Reſpondeo noſtram de Apoſtolicarum Sedium natura & numero aſſertionem eſſe certam, ac ſatis expoſitam. Præcipua difficultas eſt de Cathedra Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Inſignem pro nobis locum habet in libris adversùs Petilianum, Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum, Sanctus Auguſtinus. Maledicus Petilianus dixerat Romanam Cathedram eſſe Cathedram peſtilentiæ, & Auguſtinus reſpondit: *Cathedra quid tibi* Lib. 5. cap. 51. *fecit Romanę Eccleſię, in qua Petrus ſedit, vel Eccleſię Hieroſolymitanę, in qua Jacobus ſedit? Quarè appellas Cathedram peſtilentię, Cathedram Apoſtolicam?* Non Hieroſolymitanam, ſed ſolam Romanam appellat Apoſtolicam. Et hinc Anaſtaſius Bibliothecarius ſuo marginali ſcholio adjecit: *Dicit*. Non admiſit Sedem illam eſſe Apoſtolicam, ſed notavit ſic dici à Patriarcha Theodoſio. Et adjecit ejus fundamentum. Etiam Apoſtolica octavæ Synodi Legatio non probavit, ſed diſſimulavit titulum, ducens de rebus potiùs, quàm de vocibus diſputandum. Iſte titulus eſt Cyrilli commentum, excogitatum ad excutiendum jugum Cęſareenſis Eccleſię. Quod ipſum poſtmodò aſſumpſit Conſtantienſis Eccleſia adversùs Antiochenam. Admodùm malè. Etenim Sanctus Barnabas non fuit Apoſtolus, ſed ex ſeptuaginta Diſcipulis. Etiam an idem Barnabas Mediolani, & an Sanctus Andreas Byzantii, & an Sanctus Joannes Epheſi, & an Sanctus Jacobus Compoſtellæ ſederint Cardinales Epiſcopi, ſunt ſcabroſæ quæſtiones. Quidquid ſit, eorum inſeſſio non fecit Sedem Apoſtolicam. Et certum eſt Sanctum Jacobum, ſi in Hiſpania prædicaverit, non fuiſſe Epiſcopum Compoſtellæ. Rem hanc expoſui in Scholiis ad Synodos Sancti Leonis noni. Gallicana Eccleſia, quæ omnem Epiſcopalem Cathedram olim appellavit Apoſtolicam, habuit phraſim ſingularem, conſueta latiorem. Circa rem non diſſenſit ab aliis Eccleſiis. Antiquus Romanorum Ordo, prout nunc exſtat, habet plura Gallicana additamenta: Et horum unum eſt iſta phraſis. Objecta Tertulliani & Sancti Auguſtini teſtimonia ſapiunt Gallicanam phraſim. Vocem accipiunt latiùs.

Redeamus ad Apoſtolicam Eccleſiam. Hanc dignitatem confert facta per quemcumque Apoſtolum fundatio, nullius inſeſſio requiritur. Hinc noſter Doctor dicit in ſequenti etiam capi-

te;

te : *Eccleſię, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prędicando, tam viva voce, quàm per epiſtolas poſteà*. Et iterùm: *Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus*. Et in trigeſimo ſecundo capite ſcribit Eccleſias Apoſtolicas eſſe illas, quarum primus Epiſcopus *aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveravit, habuerit authorem & Anteceſſorem*. Et tales Eccleſias affimat eſſe Romanam, cui Petrus Clementem, & Smyrnenſem, cui Sanctus Joannes Polycarpum ordinavit Epiſcopum. Et cæteras, *quę ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent*. Has omnes & ſolas aſſeverat Apoſtolicas per ſuam originem, reliquas poſteriores dumtaxat deputari Apoſtolicas propter *conſanguinitatem doctrinę*. Et in trigeſimo ſexto capite ſcribit : *Percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſę adhuc Cathedrę Apoſtolorum ſuis locis pręſidentur, apud quas ipſę authenticæ litteræ eorum recitantur*. Et hujuſmodi Eccleſias affirmat eſſe Corinthi, Philippis, Epheſi, & Romæ. Et in quarto contra Marcionem libro diſtingnit Eccleſias Apoſtolicas, & alias *quæ illis* Cap. 5 *ſocietate Sacramenti confœderantur*. Iſtas priores dicit eſſe Corinthi, in Galatia, Philippis, Theſſalonicæ, Ephesi, Romæ, ac in ſeptem Aſiæ civtatibus, quas Sanctua Joannes Apoſtolus laudat in Apocalypſi. Ubi conſtantiſſimè contra Marcionem affirmat Apocalypſim eſſe certiſſimum opus Sancti Joannis. Notanda ſunt verba : *Quarum primus Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveravit, habuerit authorem & anteceſſorem*. Affirmant primum Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopum non debuiſſe eſſe conſecratum ab aliquo Apoſtolo, ſed ſufficere conſecrationem ab aliquo Apoſtolico, ſeu Apoſtoli Diſcipulo. Reſpicit Cretenſes Eccleſiaa, quorum primos Epiſcopoa Sanctus Paulus juſſit conſecrari per Titum. Et alias ſimiles. Erant Apoſtolicæ, quòd eaa ipſe Apoſtolus docuiſſet. Et Tertullianus addit : *Qui tamen cum Apoſtolis perſeveravit*. Fortè reſpicit Glauciam & Theodaden, quos Sancti Pauli ac Sancti Petri diſcipulos ac Interpretes Valentinus ac Baſilides dicunt ad ſe defeciſſe. Hi & quicumque alii ſimiles per apoſtaſiam exceſſerunt rectæ prædicationis lineam, & Apoſtolicæ doctrinæ conſanguinitatem excuſſerunt, ideoque nequierunt facere Apoſtolicas Eccleſias. Has Eccleſias Doctor eleganter appellat *Originales & Matrices*.

Eodem modo loquitur Sanctus Auguſtinus. Etenim in libris de doctrina Chriſtiana ſcribit Lib. 5. cap. 8. maximæ authoritatis Eccleſias eſſe illas, *quę Apoſtolicas Sedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt*. Has poſteriores, licèt non Sedes, affirmat tamen eſſe Apoſtolicas Eccleſias. Et in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas ſcribit : *Quarè non communicatis Eccleſiis, quibus epiſtolas Apoſtolicas miſſas tenetis & legitis, & ſecundùm ipſas vos vivere dicitis?* Lib. 2. cap. 16. Et in libris contra Petilianum : *Non communicas omnibus gentibus, & Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis*. Lib. 3. cap. 35. Et in libris contra Creſconium : *Ego in Eccleſia ſum, cujus membra ſunt omnes illę Eccleſiæ, quas ex laboribus Apoſtolorum natas atque firmatas ſimul in litteris Canonicis legimus*. Et in libro poſt Collationem : *Expreſſa ſunt nomina locorum,* Cap. 2. *manifeſtata ſunt nomina civitatum, in quibus Eccleſia Chriſti Apoſtolico labore fundata eſt. Quæ loca & civitates etiam epiſtolas ab Apoſtolis accipere meruerunt*. Affirmat plura. Primò, quòd omnes Apoſtolico labore natæ aut firmatæ Eccleſiæ ſint Apoſtolicæ. Quo circà neceſſe non eſt, ut ſint iſto labore natæ, ſed ſatis eſt quòd ſint firmatæ. Et certè Coloſſenſium Eccleſiam, quam Sanctua Paulus numquam vidit, ſed dumtaxat firmavit per epiſtolam, omnes Patres laudant eſſe Apoſtolicam. Et Romana, antequam Paulus ibi prædicaſſet, ob ſolam ipſi ſcriptam epiſtolam merebatur dici Apoſtolica. Attamen jam talis erat ex prædicatione Sancti Petri. Sanctus Auguſtinus ſecundò dicit iſtarum Eccleſiarum circa Chriſtianum Dogma eſſe ſummam authoritatem. Tertiò, ipſas eſſe radices Catbolicæ communionis : Et omnem, qui ipſis non communicat, eſſe hæreticum aut ſchiſmaticum. Eſſe originales atque matrices. Et iſta Sancti Auguſtini teſtimonia adversùm Schiſmaticos trium Chalcedonenſium Capitulorum defenſores frequenter adduxit primus Papa Pelagina. Eodem modo Tertullianus hoc in loco ſcribit iſtam primam ab Apoſtolis fundatam Eccleſiam eſſe matricem & originem, ex qua cæteræ omnea fidei radicem & doctrinæ ſemina debeant, ut & ipſæ ſint Apoſtolicæ, haurire & mutuare, ſemper mutuarunt, ac ſemper mutuabunt.

Porrò quantum opus fuerit prima Eccleſiarum apud gentiles civitates fundatio, in tertio libro adversùs Celſum demonſtrat Origenes. Affirmat idololatriæ authores Dœmonas primis Evangelii exordiia pertinaciſſimè obſtitiſſe, ac pergit : *At Deus, qui* JESUM *miſerat, fruſtratus Dæmonum inſidias effecit, ut per univerſum orbem ad convertendos & corrigendos homines prævaleret ejus Evangelium, & ubique inſtituerentur Eccleſiæ cum ratione vivendi contraria ſuperſtitioſorum, intemperantium, & injuſtorum congregationibus. Tales enim mores paſſim cernuntur in civitatibus. Cæterùm Eccleſiæ Dei pereruditæ, collatæ ad vulgares hominum cœtus, planè ſunt mundi lumina. Quis enim non fateatur deteriorem Eccleſiæ noſtræ partem collatam cum vulgaribus concionibus eſſe longè præſtantiorem? Nam Eccleſia Dei, quæ Athenis eſt, verbi gratia, manſueta eſt & quieta : Quippè quæ uni Deo ſe approbare cupiat. Athenienſis autem populi concio ſeditioſa, nec ullo modo conferenda eſt cum ejus urbis Eccleſia Dei. Idem dicendum de Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi, & concione populi Corinthiorum, quam ipſi etiam ſua lingua vocant Eccleſiam. Similiter de Eccleſia Dei, quæ eſt Alexandriæ, & concione Alexandrini populi. Quæ ſi quis candidus & veritatis ſtudioſus examinet, res mira videbitur, conatum hoc aliquem atque etiam effeciſſe, ut per civitates intra eadem mœnia cohabitarent Eccleſiæ Dei cum prophanis populis ſuas conciones celebrantibus. Sic etiam Senatum Eccleſiaſticum ſi componas ad Senatus ſingularum civitatum, invenies quoſdam Senatores*

Eccle-

Eccleſiaſticos dignos ubivis gentium adminiſtrare Divinitùs conſtitutam Rempublicam ; Senatores verò iſtos , qui paſſim reperiuntur , nihil in moribus habere eximium præ plebeis hominibus . Eodem modo Magiſtratus Eccleſiaſtici cum urbanis Magiſtratibus conferendi : Ut intelligas Magiſtratus Eccleſiæ , etiam qui inter collegas paulò frigidiùs verſantur in officio , tamen in morum & virtutum ratione vulgaribus Senatoribus atque Magiſtratibus præcellere . Quę cùm ita ſe habeant , quid abſurdi fuerit in JESU , *cujus tam efficacem videmus potentiam , Divinitatem ſuſpicere ?* Affirmat tantum opus omni vilium piſcatorum induſtria fuiſſe ſublimius , ac manifeſtè eſſe Divinum . Ex ipſo probat ejus authorem JESUM fuiſſe Deum vivum & verum . Eſt firmiſſimum argumentum .

Et quotidiè mutuantur , ut Eccleſiæ fiant .

Licèt duodecim Apoſtoli , & alii cum ipſis Domini Diſcipuli per omnem orbem prædicaverint , & fundaverint Eccleſias , tamen ſuis poſteris reliquerunt multam adhuc ſeminandi & plantandi materiam . Novæ adhuc in dies fundantur , & uſque ad ſæculi finem fundabuntur Eccleſiæ . Et hæ , ut Eccleſiæ ſint , debent , ex Apoſtolicis accipere traducem fidei & doctrinæ . De novis ſui Dogmatis traducem aliundè accipientibus Eccleſiis rectè dixit in quarto contra Marcionem libro Septimius : *Faciunt favos veſ-* Cap. 5. *pæ faciunt , Eccleſias & Marcionitæ .* Etiam Lutherani & Calviniſtæ . Et omnes hæretici . Egregiè hæc Doctor firmat inferiùs in præſenti libro : *Ad* Cap. 32. *hanc formam provocabuntur ab illis Eccleſiis , quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferant , ut multò poſteriores , quæ denique quotidie inſtituuntur , tamen in eadem fide conſpirantes , non minùs Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ .* Diſtinguit triplices Eccleſias . Prima claſſis ſunt Eccleſiæ fundatæ ab ipſis Apoſtolis . Secunda ſunt Eccleſiæ fundatæ ab Apoſtolicis . Quid porrò & qui ſint Apoſtolici , exponit in quarto adversùs Marcionem libro , ſcribens Matthæum & Joannem fuiſſe Apoſtolos & Ma- Cap. 2. giſtros , Lucam autem & Marcum fuiſſe dumtaxat Apoſtolicos ac Diſcipulos . Tertia claſſis ſunt poſteriùs fundatæ & fundandæ Eccleſiæ . Et has omnes dicit eſſe unam Eccleſiam : *Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ , una eſt illa ab Apoſtolis prima , ex qua omnes .* Omnes ſunt una , quia omnes ex una . Ex primitiva Apoſtolica . Addit omnes eſſe non dumtaxat unam , ſed unam primam ac Apoſtolicam . Verùm aliter & aliter . Etenim ita prima eſt originalis , matrix , per ſe Apoſtolica ; aliæ ſunt Eccleſiæ traduces , & Apoſtolicæ Cap. 21. non ob primam originem , ſed *pro conſanguinitate doctrinæ* . Quia nempè earum Dogma & diſciplina *de Apoſtolorum traditione cenſentur* . Utpotè accepta ex aliqua Eccleſiarum , quæ ab Apoſtolis Cap. 32. in Epiſcopatum *conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant* . Ex his principiis Conſtantinopolitana Synodus profitetur in ſuo Symbolo omnem Catholicam Eccleſiam eſſe *unam & Apoſtolicam* .

Hoc igitur in capite Tertullianus definit ſuperiori capite propoſitam quæſtionem : *A quo , & per quos , & quando , & quibus ſit tradita diſciplina , qua ſiunt Chriſtiani ?* Dominicum verbum , *Quærite & invenietis* , Gnoſtici intelligebant de Evangelici Dogmatis veritate . Hinc erat quæſtio : Ubi , apud quos , ſeu in qua Eccleſia eſſet iſta veritas quærenda ? Et Septimius reſpondet ipſam quærendam in Eccleſia , quæ ſit una & Apoſtolica . In aliqua Eccleſiarum , quæ ſit Apoſtolica aut ex ipſa ſua origine , aut ex conſanguinitate doctrinæ . Et dat ſuæ definitionis firmum fundamentum . Quia nempè iſtæ Eccleſiæ ſunt fundatæ , ac eruditæ per duodecim Apoſtolos , quos faciendi Chriſtiani diſciplinam docuit ipſe Dominus , quos ad iſtum finem ſingulariter elegit , quos aſſumpſit in ſuum arcanum & familiare diſciplinæ contubernium , quos voce ſua inſtructos etiam Spiritu Sancto implevit , & magnis ac multis ejus Chariſmatibus ornavit , & quos ita munitos miſit nationibus Magiſtros , juſſos docere omnia , quæcumque illis mandaverat . Eſt firmiſſima definitio . Etenim in iſtis Eccleſiis non poſſimus non invenire veritatem , quam Apoſtoli acceperant à Chriſto , Chriſtus autem à Deo . Hanc regulam Septimius etiam tradit & firmat in libris adversùs Marcionem : *Conſtitui-* Lib. 4. cap. 2. *mus imprimis Evangelicum inſtrumentum Apoſtolos authores habere , quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum . Si & Apoſtolicos , non tamen ſolos , ſed cum Apoſtolis , & poſt Apoſtolos . Quoniam prædicatio Diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio , ſi non aſſiſtat illi authoritas Magiſtrorum . Imò Chriſti , qui Magiſtros Apoſtolos fecit .* Agit non de prædicatione , ſed de conſcriptione Evangelii . Verùm utriuſque miniſterii eſt eadem ratio . Hinc adjungit de prędicaturo Sancto Paulo : *Paulus propterea Hieroſolymam adſcendit ad cognoſcendos Apoſtolos & conſultandos , ne fortè in vacuum cucurriſſet , id eſt , ne non ſecundùm illos credidiſſet , & non ſecundùm illos evangelizaret . Denique ut cum authoribus contulit , & convenit de regula fidei , dexteras miſcuere , & exindè officia prædicandi diſtinxerunt , ut illi in Judæos , Paulus in Judæos & in Nationes .* Novas Eccleſias fundaturus Paulus voluit ab Apoſtolici Collegii columnis fidei traducem & doctrinæ ſemina accipere , atque ita veras fundare Eccleſias . Accepta ab Anania Damaſci Epiſcopo ſemina ipſi non ſuffecerunt : Quod ille non à Chriſto Domino , ſed dumtaxat ab Apoſtolis accepiſſet , ideoque non Magiſter eſſet , ſed diſcipulus . Voluit ipſos fontes accedere . Hinc Tertullianus pergit : *In ſumma ſi conſtet id verius quod prius , id prius quod & ab initio , id ab initio quod ab Apoſtolis , pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum , quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit Sacroſanctum .*

Dum

Dum eſt illis communicatio pacis.

Reſtabat quæſtio, Quænam Eccleſiæ eſſent
Apoſtolicæ? Etenim uti hodie Lutherani & Cal-
viniſtæ, ita olim Marcionitæ & alii Gnoſtici ſe-
metipſos eſſe Apoſtolicos Doctores, ſuas Eccle-
ſias jactabant Apoſtolicas. Hæc cæca ſuperbia &
ſuperba cæcitas ſunt communes omnibus Hære-
ticis. Hinc Doctor figit certas Notas, ex qui-
bus Apoſtolica Eccleſia certò citra erroris pericu-
lum cognoſcatur. Et prima Nota eſt *communica-
tio pacis*. Hanc communicationem exponit in
ſequenti capite: *Communicamus cum Eccleſiis Apo-
ſtolicis, quod nulla doctrina diverſa. Hoc eſt teſti-
monium veritatis*. Et in trigeſimo ſecundo capite:
*Ita omnes hæreſes ad utramque formam à noſtris Ec-
cleſiis provocatæ, probent ſe quaqua putant Apo-
ſtolicas. Sed adeò nec ſunt, nec probare poſſunt quod
ſint. Nec recipiuntur in pacem & communicationem
ab Eccleſiis quoquo modo Apoſtolicis. Scilicet ob di-
verſitatem Sacramenti, nullo modo Apoſtolicæ*. Uti-
que neque per propriam ac proximam ab Apoſto-
lis originem, neque per doctrinæ conſanguini-
tatem. Ex quo intelligis & voces: *Quoquo modo
Apoſtolicas*. Hanc Notam ſuprà laudavit Augu-
ſtinus, evincens Donatiſtas eſſe ſchiſmaticos at-
que hæreticos, quòd Apoſtolicis non communi-
carent Eccleſiis. Eodem argumento utitur in
litteris ad Honoratum Donatiſtarum Epiſcopum.
Cunctas ab Apoſtolis fundatas, adeoque & fun-
Ep. 161. datas Eccleſias memorat, & adjungit: *Quibus
omnibus Eccleſiis nos hodiè communicare manifeſtum
eſt, ſicut manifeſtum eſt vos iſtis Eccleſiis non com-
municare*. Hoc argumentum eſt ipſi frequentiſſi-
mum.

Et ipſum laudat ac firmat in litteris ad Thu-
ſciæ Epiſcopos Pelagius primus: *Beatiſſimus Au-
guſtinus, Dominicæ ſententiæ memor, fundamen-
tum Eccleſiæ in Apoſtolicis Sedibus collocavit. In
ſchiſmate eſſe dicit, quicumque ſe à Præſulis earun-
dem Sedium authoritate vel communione ſuſpenderit.
Nec aliam manifeſtat eſſe Eccleſiam, niſi quæ in
Pontificalibus Apoſtolicarum Sedium eſt ſolidata radi-
cibus*. Et in litteris ad illuſtres viros Viatorem &
Pancratium: *Sicut beatus Auguſtinus ait, omnis
Catholicus ſecurus eam partem deteſtatur, cui Eccle-
ſiam univerſalem, Apoſtolicis Sedibus roboratam,
non communicare cognoſcit*. Singulariter laudat hoc
Auguſtini teſtimonium: *Qui adverſùs authorita-
tem illarum Eccleſiarum, quæ Apoſtolicas Sedes &
epiſtolas accipere meruerunt, temerè credit, immu-
niſſimi ſchiſmatis crimen à ſe propulſare non poterit*.
Et in litteris ad Eliam Aquilejæ Epiſcopum Pe-
lagius II. *Beatus Auguſtinus in his ait Dei Eccle-
ſiam eſſe conſtitutam, qui Sedibus Apoſtolicis per ſuc-
ceſſionem Præſulum præſidere noſcuntur*. Hæc San-
cti Auguſtini ac primi Pelagii teſtimonia lau-
dat in libro de Eccleſiaſtici & Politici regimi-
nis comparatione Sanctus Agubardus Lugdu-
nenſis Epiſcopus, & nos non parùm adjuvat.
Noſtrum textum, *Pontificibus Apoſtolicarum Se-
dium ſolidata radicibus*, inſigniter corrigit. Le-
git: *Pontificalibus*. Et iſtud argumentum tanti
fecerunt etiam Donatiſtæ, ut ipſum urgenti San-
cto Auguſtino Fortunius, Tuburſicenſis apud
illos Antiſtes, protulerit *quoddam volumen, ubi* Ep. 163.
*volebat oſtendere Sardicenſe Concilium ad Epiſcopos
Afros, qui erant communionis Donati, dediſſe lit-
teras*. Protulit ſceleratas Philippopolitani Con-
ticuli litteras, quibus Euſebiana Arianorum fa-
ctio ſtuduit ſibi adjungere Africanam Donati
partem, vulpem per caudam alligare vulpi, at-
que ita Dominicum agrum devaſtare. Fortunius
iſtud ſceleratum Conventiculum expoſuit venùm
pro Synodo Sardicenſi. An dolo, an inſcitia,
non poſſim affirmare. Exiſtimo factum ex inſci-
tia. Nam & Catholici Afrorum Epiſcopi neſcie-
bant iſtas Synodos, ideoque ipſorum Primores
Auguſtinus atque Alipius in evertendo iſto For-
tunii conatu non parùm ceſpitarunt. Etiam ad-
verſùm ſuos Armenios in ſecunda Invectiva de-
clamat Patriarcha Iſaac: *Quantò magis prophani,
ac odio proſequendi ſunt, qui à ſanctis ac Apoſtolicis
Thronis pariter defecerunt?* Et iterùm: *Alieni ſunt
à ſanctis quatuor Apoſtolicis Thronis*. Apoſtolici
Throni ſunt Chriſtianæ communionis radices &
fundamenta. Porrò Tertullianus & Sanctus Au-
guſtinus non ſolas Apoſtolicas Sedes laudant,
ſed omnes Apoſtolicas Eccleſias. Iſtas tamen
præſertim laudant Pelagius, Iſaac, ac etiam A-
gobardus. Quòd nempè iſtarum Sedium Eccle-
ſiæ ſint ſingulariter Apoſtolicæ. Hinc in præſen-
ti libro ſcribit & noſter Doctor: *Percurre Eccle-* Cap. 36.
*ſias Apoſtolicas, apud quas ipſę adhuc Cathedrę Apo-
ſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ au-
thenticę litterę eorum recitantur*. Primo loco ponit
Eccleſias, quæ habuerunt Cathedras Apoſtoli-
cas. Quod ipſum in libris de Doctrina Chriſtia-
na facit Sanctus Auguſtinus. Lib. 2. cap. 8.

Eccleſia ſingulariſſimè Apoſtolica eſt Eccleſia
Romana. Non tantùm Apoſtolicæ Sedis, ſed
& Apoſtolicæ Eccleſiæ Principatus ſemper in ea
viguit. Rationem dat in præſenti libro noſter Cap. 36.
Septimius: *Iſta quàm felix Eccleſia? Cui totam
doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*.
Utique ipſi Apoſtolorum principes, ac ipſe et-
iam dilectus Domino diſcipulus Joannes, Romæ
miſſus in ferventis olei dolium. Hinc quævis Ec-
cleſia, ut per doctrinæ conſanguinitatem ſit Apo-
ſtolica, debet illi ſingulariter communicare. Eſt
Catholicæ communionis prima radix, primum
fundamentum. Eam eſſe totius Romani orbis caput
affirmat in litteris ad Imperatorem Gratianum
Aquilejenſis Synodus, & adjungit: *Indè in om-
nes venerandæ communionis jura dimanant*. Hinc
rogat non permitti, ut per Urſicini ſchiſma fœ-
detur. Et apud Antiochenam, in tres Epiſco-
pos ac tres factiones laceratam, Eccleſiam degens
Sanctus Hieronymus ſcripſit ad Sanctum Dama-
ſum Pontificem: *Ego nullum primum, niſi Chri-* Ep. 57.
*ſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ
Petri, communione conſocior. Super illam Petram
ſcio ædificatam Eccleſiam. Quicumque extra hanc*

domum

domum Agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit. Nulli iſtorum trium Antiochenſium Epiſcoporum communicare voluit, quò uſque ſciret, cui illorum communicaret Romana Eccleſia. Hinc pergit in ſequenti epiſtola: *In tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Ego autem clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicant. Poſſem credere, ſi hoc unus aſſereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes.* Romanam Eccleſiam eſſe *tutiſſimum communionis portum* ſcribit etiam in litteris ad ſacram Virginem Principiam. Et in ſecundo ad Parmenianum, Donatiſtarum Principem, libro Sanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus enumerat omnes Romanos Pontifices uſque ad tunc ſedentem Siricium, & adjungit: *Siricius noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Et in ſeptimo libro: *Numquid poteris approbare mendacium eſſe Cathedram Petri, ubi eſt noſtra ſocietas?* Et Donatiſtas frequenter in iſto opere arguit, quod Sanctorum Apoſtolorum in Romana urbe memoriis non communicarent, id eſt, quod Sanctorum Apoſtolorum Baſilicas introire non permitterentur, atque adeò eſſent extra Romanæ Eccleſiæ communionem proſcripti hæretici. Omnem enim hæreticum atque ſchiſmaticum Antiquitas adeò excluſit ab iſtis Baſilicis, ut nemo Advena in illas admitteretur, niſi priùs facta ſolemni profeſſione Romanæ Fidei. Adversùs Petilianum Donatiſtarum Epiſcopum etiam Sanctus Auguſtinus laudat Hieroſolymitanam ac præſertim Romanam Eccleſiam, & per-
Lib. 3. cap. 51. git: *Quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis.* Ex Romana communione ſe Catholicum, ex Romana ſeparatione probat Petilianum eſſe hæreticum. Et hæc eſt cauſa, cur maledicus Petilianus blateravit Romanam Cathedram eſſe *Cathedram peſtilentiæ*. Quò præſentem veræ Eccleſiæ Notam everteret. Verùm fabula ſibi ipſi non cohæſit. Quod enim ſcelerata factio ſciret ſine Romana communione non poſſe eſſe veram Eccleſiam, ordinavit ſuis paucis in urbe Afris congerronibus ſingularem Epiſcopum, atque ita ſeductis à ſe populis perſuadere tentavit Romanam Eccleſiam ſibi omninò communicare. Verùm quod apud Apoſtolorum memorias, imò nec in urbanis compitis apparere nec poſſet nec auderet, ideoque in neſcio qua ſuburbana rupe tenebrionem ageret iſtud ſpectrum Epiſcopi, eum Romanus populus per ſarcaſmum appellavit Epiſcopum Rupitanum, ſeu Montenſem. Quod etiam Antiochiæ non ſolummodò Paulinus, ſed inſuper Meletius ac Vitalis Romanam communionem jactarent, jam audiſti à Sancto Hieronymo. Et de Arianis, quod ea de cauſa Liberium Pontificem per exilii ærumnas coegerint ad ſibi communicandum, teſtatur in litteris ad ſuos Monachos; ac demonſtrat Sanctus Athanaſius. Eadem de cauſa in ejus locum intruſerunt Felicem. Etenim ſemper apud omnes ſub cœlo Eccleſias viguit hæc regula: *Qui Romanæ Eccleſiæ non communicat, non eſt Catholicus.* Eam ſuo Dictatui rectè inſeruit Gregorius ſeptimus. Et ipſam illic pluribus illuſtravi. Et quæ adversùs iſtum Felicem ſcripſi, confirmat antiqua & authentica, licèt ejus ignoretur Author, Sancti Athanaſii vita: *Felix quidam, ab hæreticis in Liberii locum electus, Divina ſtatim ultione pœnas dedit, nunc quidem oculis miſerabiliter privatus, nunc autem peſtilenti morbo longo tempore corruptus, & inſigniter malus malè periens, ita Divina vindicta contumelioſos ſequente.* Conſonat & alia ejuſdem Athanaſii vita apud Simeonem Metaphraſten: *Liberius Romæ Epiſcopus exilium ſubiit: Hæreticorum furor ipſius loco Felicem quemdam conſtituit Eccleſiæ Romanorum Epiſcopum, quem Divinitùs immiſſa pœna abripuit. Etenim nunc quidem viſu ſpoliatus confitebatur Divinam vindictam haud dubiè ſe habere, nunc verò peſtilenti morbo diu conſumptus periit. Sermo autem Chriſti celebrior fiebat, Sancto Liberio pro fide patiente.*

Repetenda ſunt Sancti Optati verba: *Siricius noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat.* Affirmat Formatas Epiſcoporum litteras fuiſſe teſſeram ac Symbolum Catholicæ communionis. Eaſdem litteras, ſuam cum Fortunio Tuburſicenſi Donatiſtarum Epiſcopo diſputationem memorans laudat Sanctus Auguſtinus: *Quærebam,* Ep. 163. *utrum epiſtolas communicatorias, quas Formatas dicimus, poſſet quò vellem dare, & affirmabam, quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo faciliimè illam terminari poſſe quæſtionem. Parabam autem, ut ſi conſentiret, ad illas Eccleſias à nobis litteræ mitterentur, quas in Apoſtolicis authoritatibus pariter legeremus jam illo tempore fuiſſe fundatas.* Nempè Auguſtinus Fortunii litteris faciendum norat ab omnibus ſub cœlo Catholicis Eccleſiis, quod Arianorum Epiſcoporum litteris faciendum ab Africanis Epiſcopis mandavit Sanctus Athanaſius: *Ne recipiatis illorum litteras, ſed oblatas diſrumpite, eorumque Tabellarios, ut impios & ſcelerum adminiſtros, ejicite.* Et adjungit: *Quod ſi Georgius,* in Alexandrinam Cathedram per Arianos intruſus Antiſtes, *Formulam pacificatoriam ſcribat, ne illam recipiatis. Metu enim Præſidis & Georgii violentia ad has litteras perferendas ſunt compulſi.* Agit de Alexandrinis fidelibus nautis & mercatoribus trajicientibus in Africam. Et dicit varia. Primò, quod aliæ eſſent ſimplices ſeu familiares epiſtolæ, aliæ formatæ, ſeu formula pacificatoria. Secundò, quòd his poſterioribus etiam nautæ & mercatores indigerent, neque ſine ipſis proficiſci poſſent de Diœceſi, Provincia, aut civitate in Diœceſim, Provinciam, aut civitatem. De iiſdem litteris ſtatuit prima Arelatenſis Synodus: *De Præſidibus,* Cap. 7. *qui fideles ad Præſidatum proſiliunt, placuit ut cum promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias.* Electi Provinciarum Præfecti cum ſolemni ipſius Auguſti Principis teſtimonio,

& om-

& omnibus notiſſima Apparitura proficiſcebatur in ſuam Diœceſim aut Provinciam, publicam illic authoritatem exercituri, ipſiſque etiam Epiſcopis futuri venerabiles ac terribiles: Et tamen hæc magna Synodus etiam ipſos proficiſci noluit ſine iſtiuſmodi formulis. Nec magnus poterat, nec parvus, nec dives, nec pauper, nec Clericus, nec Laicus, nec ipſi item Epiſcopi. Quiſquis ſine ipſis adveniebat in alienam Eccleſiam, non admittebatur niſi in peregrinam communionem. Sanctus Athanaſius dicit tertiò, quod tales litteræ accipi non poſſent ab Epiſcopo hæretico. Quartò, quód fideles Alexandriæ mercatores & nautæ ad ipſas ab Ariano ac intruſo Georgio accipiendas fuiſſent vi compulſi per Auguſtalem Præfectum, ideoque ipſis eſſet indulgendum. Quintò mandat, ut iſtas formulas nullus in Africa Epiſcopus revereatur aut admittat.

Has communicatorias ſeu formatas Epiſcoporum litteras laudat in ſuis Synodalibus epiſtolis etiam Sardicenſe Concilium: Earum apud Patres & Synodos eſt frequentiſſima mentio. Appellabantur formulæ, ſeu formata epiſtola, quód certa conſtarent forma, quam ſoli orthodoxi Epiſcopi dignoſcerent. Et quidem omnes ſub cœlo Epiſcopi. Hinc Sanctus Auguſtinus Fortunio Donatiſtæ obtulit, ut ambo in Orientem ad Apoſtolicas Eccleſias ſcriberent, atque ita experirentur, utrius iſtic formula, adeoque & communio probaretur & admitteretur. Hinc item intelliges quartam epiſtolam Sancti Cypriani. Sancti Fabiani Pontificis per glorioſum martyrium defuncti mortem Romana Eccleſia ex more retulit Africanæ per Clementium Subdiaconum. Ei dedit duplices litteras: Dicti martyrii relatrices, & alias communicatorias. Et de his apud Carthaginenſem Eccleſiam natus eſt aliquis ſcrupulus. Hinc Cyprianus ſcripſit ad majorem Clerum Romanæ Eccleſiæ: *Legi etiam alias litteras, in quibus nec qui ſcripſerint, nec ad quos ſcriptum ſit, ſignificanter expreſſum eſt. Et quoniam me in iiſdem litteris & ſcriptura, & ſenſus, & carthæ ipſæ quoque moverunt, ne quid ex vero vel ſubtractum ſit, vel immutatum, eandem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, ut recognoſcatis, an ipſa ſit, quam Clementio Hypodiacono perferendam dediſtis. Perquam enim grave eſt, ſi epiſtolæ Clericæ veritas mendacio aliquo ex fraude corrupta eſt. Hoc igitur ut ſcire poſſimus, & ſcriptura, & ſubſcriptio an veſtra ſit, recognoſcite.* Ex hac epiſtola diſcimus, quòd communicatoriæ epiſtolæ formula conſiſteret in epigraphe, ſubſcriptione, ſcriptura, ſenſu, cartha, illorum omnium certo modo, & pluribus aliis. Et dum quid minimum deeſſet, epiſtola erat ſuſpecta. Hinc etiam Romanam ac alias Occidentales Eccleſias, ut in iſtis litteris diſcutiendis, atque ita evitandis Arianorum ſubreptionibus eſſent attentæ, monuit
Ep. 59. Magnus Baſilius. Ita ipſe teſtatur in litteris ad Sanctum Meletium Patriarcham Antiochenum. Iſtam formulam ex integro elucidare non ſpectat ad præſentem locum. Interim nota, quód communicatorias litteras Sanctus Cyprianus appellaſit Clericas. Eſt titulus inſuetus. Ejus nemo alius meminit. Exiſtimo datum, quòd iſta Clementii Subdiaconi Formata epiſtola non juxta morem ab Epiſcopo eſſet data, ſed à Clero viduatæ Eccleſiæ.

Antiqua Chriſtianitas habuit plures Eccleſiaſticarum litterarum ſpecies: Litteras Tractorias, Tractorias Synodales, Tractorias Stipendiales, Enthroniſticas, Feſtivales, Encyclicas, Synodicas, Pacificas, & alias. Cunctas ſuo loco conabor exponere. Ad noſtrum præſens Propoſitum facit undecimus Canon Chalcedonenſis: *Omnes pauperes & indigentes auxilio, cum proficiſcuntur, ſub probatione Epiſtolis vel Eccleſiaſticis pacificis tantummodò commendari decrevimus, & non commendatitiis litteris, propterea quòd commendatitias litteras honoratioribus tantummodò perſonis præſtari conveniat.* Similem diſtinctionem habere videtur Antiochena Synodus: *Nemo peregrinus ſine pacificis ſuſcipiatur epiſtolis. Presbyteri, qui ſunt in agris, Canonicas epiſtolas dare non poſſunt. Ad ſolos vicinos Epiſcopos litteras deſtinabunt.* Quibus ſcilicet à ſuo Ordinario poſtulent ſuo peregrinaturo Parochiano Canonicas litteras. Quibuſdam videtur non eſſe diſtinctio, niſi ſolius nominis. Octavus Canon litteras, quas Septimus appellat pacificas, & omnibus peregrinantibus affirmat neceſſarias, videtur appellare Canonicas, & ipſarum impartitionem ſolis Epiſcopis reſervare. Etiam reſpectu ruſticorum. Quidquid ſit, Chalcedonenſem diſtinctionem quibuſdam etiam videtur laudare in libris contra Petilianum Conſtantinenſem Donatiſtarum Epiſcopum Sanctus Auguſtinus: *Factum eſt, ut ad nonnullos, etiam Primates Donatiſtarum, litteras daremus, non quidem Communicatorias, quibus ſe jam in præteritum indignos à Catholica Eccleſia diſſentiendo fecerunt, nec tamen contumelioſas, ſed pacificas, ut nobiſcum quæſtione diſcuſſa corrigi vellent.* Etiam ad Emeritum Cæſareenſem ejuſdem factionis Epiſcopum ſcripſit: *Ego viro, quem excepto ſchiſmate bonum, & liberaliter inſtructum audivi, pacificantes litteras ſcripſi.* Per pacificas ſeu pacificantes litteras intelligit litteras familiares: Præſertim illas, quæ Donatiſtas invitabant & hortabantur ad pacificam collationem, atque ita ad ſchiſmatis exſtinctivam pacem. Verùm neque hæc diſtinctio eſt Chalcedonenſis. Hæc etenim Synodus non pacificam & communicatoriam formulam laudat, ſed pacificam & commendatitiam. Etiam ipſius ſenſus eſt longè alius. Ipſum exponit Sanctus Gregorius Nazianzenus, in tertia oratione ſcribens de Imperatore ac noſtro apoſtata Juliano: *Julianus etiam Diverſoria & hoſpitales domos ædificare inſtituebat, ſimulque humanitatem & benignitatem in pauperes adjungere tùm in aliis rebus, tùm in commendatitiis epiſtolis ſitam, quibus eos, qui inopia premuntur, ex gente ad gentem tranſmittimus, quæ videlicet ille in noſtris rebus fuerat præſertim admiratus.* Alia igitur honoratis, alia pauperibus dabatur formula, ſeu forma communicatoriæ epiſtolæ. Utraque erat communicatoria. Verùm una honoratæ per-

Cap. 7.

Lib. 1. cap. 1.

Ep. 164.

perſonæ qualitates prædicabat, ideoque dicebatur commendatitia; alia perſonam ad fraterna ſubſidia ſimpliciter commendabat, ideoque dicebatur dumtaxat pacifica. Hanc hinc inde lapſam, aut ubique non vigentem diſtinctionem Chalcedonenſis Synodus reparavit, aut extendit.

Et hinc ejus mentem in ſua Canonum epitome Conſtantinus Harmenopolus non eſt aſſecutus per hoc Scholion. *Pacificæ litteræ ſunt, quæ ab Epiſcopis conceduntur Clericis, qui propter egeſtatem proficiſci in aliam urbem volunt, atque in ejus Clerum recipi. Vel etiam quæ Epiſcopis ab Archi-Epiſcopis conceduntur, cum ad Imperatorem, uſu ſic exigente, proficiſcuntur. Commendatitiæ verò ſunt, quæ pœnæ alicui ſubjectis dantur ad eorum purgationem, & per quas alteri Epiſcopo commendantur ad communionem.* Etiam ad duodecimum vulgarem Apoſtolicum Canonem ſcribit: *Commendatitiæ litteræ ſunt, quæ ab Epiſcopo Clericis dantur aliam in urbem proficiſcentibus, & quæ commendant eos illius loci Epiſcopo, velut omninò culpa carentes.* Eadem ferè docet in ſuis ad laudatum Chalcedonenſem, & ad Octavum Antiochenum Canonem Scholiis Theodorus Balſamon. Loquuntur ex ſui temporis diſciplina, oculos ſuos non levant ad primitiva Eccleſiæ ſæcula, ideoque infeliciter labuntur. Primò, quod dicant pacificas litteras fuiſſe datas Clericis, atque etiam Epiſcopis. Secundò, quòd dicant commendatitias fuiſſe datas criminoſis, aut certè ſuſpectis Clericis, ad purgationem. Tertiò, quòd ſibi ipſi non cohæreant. Etenim dicunt etiam commendatitias fuiſſe datas Clericis. Loquuntur ad ſui temporis diſciplinam, in quo formatæ Epiſcoporum litteræ dudum deſierant peregrinantibus Laicis eſſe neceſſariæ. Proindè pacificæ litteræ olim erant ſimplices litteræ, conſuetæ dari ſolis pauperibus.

Porrò omnem hæreticam communionem devitare & abominari eſt antiquiſſima veræ Religionis regula, ex qua ſtatim poſt patratum à Cain fratricidium filii Dei ſe ſepararunt à filiis hominum. Per ejus prævaricationem quidam filii Dei degenerarunt in hominum filios, corruperunt omnem terram, atque ita generalem Cataclyſmum à Divina juſtitia extorſerunt. Ex eadem regula Judæi non poterant couti Samaritanis, atque ita Samaritana mulier dixit ad Chriſtum Dominum: *Quomodo tu, Judæus cum ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Eandem regulam Dominus fixit omnibus nobis Chriſtianis, mandans vitari illos, qui ad nos veniunt in veſtimentis ovium, & intrinſecùs ſunt lupi rapaces. Hi ſunt hæretici. Et ad Titum ſcripſit Sanctus Paulus: *Hæreticum hominem poſt ſecundam correptionem devita.* Similia adversùm quoſdam hæreticos mandata ſcripſit Timotheo. Et cum quovis extra Catholicam communionem poſito nec cibum eſſe ſumendum ſcripſit ad Corinthios. Et ad electam Dominam Sanctus Joannes Apoſtolus: *Qui hanc doctrinam non adfert, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Ejus excommunicationem, uti à leproſo aut ſcabioſo lepram aut ſcabiem, contrahit. Ex quo lucet iſtam excommunicationis propaginem eſſe Canonem Apoſtolicum. Et de Sancto Joanne Apoſtolo, ac ejus diſcipulo, propriis ipſius manibus in Smyrnenſem Epiſcopum conſecrato, Sancto Polycarpo ſcribit Sanctus Irenæus: *Sunt qui audierunt Polycarpum dicentem, quoniam Joannes Domini diſcipulus in Epheſo jens lavari, cum vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quod timeat ne balneum concidat, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe autem Polycarpus Marcioni ſibi aliquando occurrenti, & dicenti, Cognoſce nos, reſpondit: Cognoſco te primogenitum ſatanæ. Tantùm Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, ne verbo tenùs communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem.* Sanctus Joannes editum à ſe Canonem ſervavit, & firmavit exemplo. Eundem Irenæus confirmat ex adducto teſtimonio Sancti Pauli ad Titum. Quæ omnia ſcribunt etiam Euſebius Cæſarænſis, ac Sanctus Epiphanius. Et Lucifer Calaritanus Epiſcopus elegantem de vitanda hæreticorum communione librum ſcripſit, in quo iſtum Canonem demonſtrat eſſe inſuper Evangelicum, imò & perpetuam Synagogæ diſciplinam, ac ex ipſa eſſe à Chriſto Domino traductam in Eccleſiam. Et quod ſub Conſtantii ac Valentis, nec non & aliorum hæreticorum Principum Imperio orthodoxi fideles maluerint exilium, imò & mortem ſuſtinere, quàm hæreticis communicare Epiſcopis, docent plurima exempla. Iſtam communionem inter graviſſima crimina Patres ſemper cenſuerunt.

Lib. 3. cap. 3.

Hær. 30. cap. 24.

Appellatio fraternitatis.

Hæc erat ſecunda olim Nota veræ, & ob doctrinæ conſanguinitatem veraciter Apoſtolicæ Eccleſiæ. Hæc, inquam, erat veraciter Apoſtolica Eccleſia, in qua vigebat per Chriſtum Dominum inſtituta fraternitatis appellatio. Hanc enim Eccleſiæ Notam ipſe Dominus omninò inſtituit: *Omnes vos fratres eſtis.* Eſt antiqua etiam Synagogæ Nota, quam Dominus tradixit in Eccleſiam. Et ipſam in ſuis epiſtolis prædicarunt & commendarunt omnes Apoſtoli. Primitivi Fideles fuerunt ejus adeò ſolemniter tenaces, ut & gentiles ipſam noverit. Hinc ex omnium ipſorum nomine dicit apud Minutium Felicem Octavius gentilis: *Eruenda prorsùs hæc & execranda conſenſio. Occultis ſe Notis & inſignibus noſcant; & amant mutuò penè antequam noverint. Paſſim etiam inter eos quædam libidinum religio miſcetur, ac ſe promiſcuè appellant fratres & ſorores, ut etiam non inſolens ſtuprum interceſſione ſacri nominis fiat inceſtum. Ita eorum vana & demens ſuperſtitio ſceleribus glorıatur.* Exiſtimabat fraternitatem noſtram in vago & promiſcuo concubitu; admirandam, qua cuncti cunctos noveramus ac diligebamus, notitiam fundari in aliquo

quo corporali ſtigmate. Fratarnitatis inter extraneas perſonas appellatio erat apud gentiles ſuſpecta & probroſa: Familiaris inter invicem flagitioſos. Hinc apud Senecam Poetam flagitioſa Phœdra, ſtudens pellicere, dixit ad privignum Hippolytum: *Matris ſuperbum eſt nomen, & nimium potens, noſtros humiliùs nomen affectus decet, me vel ſororem Hippolyte, vel famulam voca.* Et Martialis ſcribit: *Quare deſine me vocare fratrem, ne te Carmenion vocem ſororem.* Gentilea credebant Chriſtianorum fraternitatem fundari in tali commercio.

Sceleratos ae nobis ſemper offenſos Judæos fuiſſe primos horrendæ calumniæ auctores, teſtatur in libria contra Celſum Origenes: Fol. 193. *Celſus videtur mihi feciſſe idem, quod Judæi, Chriſtianæ Doctrinæ initio, ſparſo rumore, quod ejus Sectæ homines mactati pueri veſcerentur carnibus & quod quoties eis libeat operam dare occultis libidinibus, extincto lumine conſtupret quam quiſque primam nactus fuerit. Quæ falſa & iniqua opinio dudum valdè multos à Religione noſtra alienos tenuit, perſuaſos quod tales ſint Chriſtiani. Et ad hoc temporis nonnullos fallit, qui ea de cauſa Chriſtianos ita averſantur, utne ſimplex colloquium cum homine Chriſtiano habere velint.* Et infra in eodem libro: *Celſus mihi videtur facere ſicut quidam nomini Chriſtiano infenſiſſimi, qui apud ignorantes qualis ſit Chriſtiana Religio, re ipſa expertos ſe aſſeverant, quod hoc genus veſcatur infanculorum carnibus, & promiſcuè ſine pudore contractet ejuſdem Sectæ fœminas.* Affirmat eſſe mendacia conficta à prophanis in odium Chriſtianorum. Utique à perfidis Judæis. Calumniæ fomenta addiderunt Carpocrates ae ejus filius Epiphanes, nec non & alii quidam Gnoſtici, de quibus in tertio Stromatum libro ſcribit Sanctus Clemens Alexandrinus: Fol. 430. *Hos dicunt, & aliquos alios ſimilium malorum æmulatores, ad cœnam convenientes, neque enim Agapem dixerim eorum congreſſionem, viros ſimul & mulieres, poſtquam excitante Venerem ſatietate exſaciati fuerint, lumine amoto, quod eorum hanc fornicatoriam juſtitiam pudore afficiebat, everſa lucerna coire quomodo velint, & cum quibus velint, meditatos autem in ejuſmodi Agape communionem, interdiu jam à quibus velint mulieribus, exigere Carpocratææ legis obedientiam.* Hoc nefandum & pluſquam infernale dogma notat in ſua epiſtola Sanctus Judas Apoſtolus: *Subintrojerunt quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium, impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Iſtud Dogma Gentiles credebant omnibus Chriſtianis commune, in ipſo fundari ipſorum fraternitatem, ideoque eſſe deteſtabilem. Ad Chriſtianam Religionem apud ipſos ita infamandam Diabolus iſtas ſceleratas Sectas intruſit in Eccleſiam. Et elegantiſſimas contra calumniam pro noſtra innocentia apologias ſcripſerunt varii Patres. Et Octavio reſpondit Cæcilius Chriſtianus: *Nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno facilè dignoſcimus. Sic mutuò, quod doletis, amore diligimus. Quoniam odiſſe non novimus. Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, & ſpei cohæredes.* Et in libro ad Scapulam ſcribit Tertullianus: Cap. 2. *Nec aliundè ſumus noſcibiles, quàm de emendatione vitiorum.* Affirmant noſtram fraternitatem non in aliquo ſtigmate, aut quovis flagitioſo commercio fundari, ſed in novis natalibus ex aqua & Spiritu Sancto, ex eodem Deo Patre ac eadem matre Eccleſia. Et primitivi Chriſtiani omninò vixerunt ut fratres. Quod ipſum in ſecundo Stromatum libro affirmat Sanctus Clemens Alexandrinus. Affirmat inter Chriſtianos tunc fuiſſe illam amicitiam, de qua & pagani Philoſophi dixerunt: *Amicus alter ego.* Et adjungit: *Etiam fratres appellamus eos, qui ſunt eodem verbo regenerati.*

Inſigniter hæc in libro Apologetico elucidat noſter Septimius: *Vide, inquiunt Pagani, ut* Cap. 39. Chriſtiani *ſe invicem diligant. Ipſi enim invicem oderunt. Et ut pro altero mori ſint parati. Ipſi enim ad occidendum alterum paratiores erunt. Sed & quod fratrum appellatione cenſemur, non aliàs, opinor, infamant, quàm quòd apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatam eſt. Fratres autem etiam veſtri ſumus jure naturæ, matris unius: Et ſi vos parum homines, quia mali fratres. At quantò digniùs fratres & dicuntur & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis? Sed eo fortaſſe minùs legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſola cæteri hominum conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodò matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſimè ſubminiſtrant.* Affirmat plura. Primò, quod Chriſtiani non tantummodò inter ſe invicem, ſed etiam cum gentilibus, & cunctis generatim hominibus ſint fratres: Quia nempè omnes ſumus ex eodem Creatore Deo, & ex eadem natura. Etenim Dominus Deus ex creato Adamo formavit Evam, & ex his Protoplaſtis omnes nos prodiit, atque ita omnes ſumus ex eodem ſanguine, ex iiſdem parentibus. Secundò dicit, quod Chriſtiani inter ſe ſint ſingulari ratione fratres. Nempè ob novos natales ex eadem aqua & eodem Spiritu Sancto, eodem Deo Patre, eadem matre Eccleſia, ac eodem ſemine ejuſdem Evangelicæ doctrinæ. Tertiò dicit, quod omnes invicem fraternè diligamus. Et hoc lucere præſertim ex duobus. Primò, quod invicem adeò diligamus, ut quivis pro quovis ſit paratus mori. Secundò, quod omnes facultates habeamus communes. Et addit hæc omnia apud gentiles eſſe contraria. Nempè apud nos plena charitas, apud illos dominatur plena cupiditas. Et hinc lucet nos, ſolo propemodum nomine Chriſtianos, horrendum in modum defeciſſe ab avita diſciplina, & non dumtaxat ad Phariſaica, ſed etiam ad gentilia vitia degeneraſſe. Nam &

in nobis quidam ſunt paratiores occidere, quàm mori pro invicem; & familiaris ſubſtantia fraternitatem frequenter dirimit; & fratricidia poſſint nobis exhibere tragœdias.

Quæ omnia tradit & Sanctus Auguſtinus. In ſecunda ſuper trigeſimum ſecundum Pſalmum concione laudat verbum Prophetæ: *His qui dicunt vobis, Non eſtis fratres noſtri, dicite, Fratres noſtri eſtis.* Et commentatur: *Circumſpicite de quibus hoc dicere potuerit. Numquid de Paganis? Non. Neque enim dicimus fratres noſtros, ſecundùm Scripturas & Eccleſiaſticum loquendi morem. Numquid de Judæis, qui in Chriſtum non crediderunt? Legite Apoſtolum, & videte, quia fratres quando dicit Apoſtolus ſine aliquo additamento, non vult intelligere niſi Chriſtianos:* Diverſis Apoſtoli teſtimoniis hoc firmat, atque proſequitur: *Iſti ergò, qui dicunt,* Non eſtis fratres noſtri, *Paganos nos dicunt. Ideò enim & rebaptizare nos volunt, dicentes nos non habere quod dant. Undè conſequens eſt error ipſorum, ut negent nos fratres ſuos eſſe. Sed quare nobis dixit Propheta,* Vos dicite illis, Fratres noſtri eſtis, *niſi quia nos in eis agnoſcimus, quod non repetimus? Illi ergò non agnoſcendo Baptiſmum noſtrum, negant nos eſſe fratres.* Agit in Donatiſtas. Et affirmat duo apud utramque partem fuiſſe in confeſſo. Primò, quòd Pagani ac Judæi eſſent & non eſſent Chriſtianorum fratres. Quòd ex creationis gratia eſſent, non eſſent ex gratia redemptionis. Ob defectum Baptiſmi. Illi enim nobiſcum non ſunt regenerati ex eadem aqua & eodem Spiritu, ex Deo Patre & Eccleſia Matre. Quare ſecundò Donatiſtæ nobiſcum fatebantur iſtam fraternitatem fundari in Baptiſmo. Hinc nata eſt quæſtio, an hæretici ſint fratres Catholicorum? Et Catholici affirmabant, Donatiſtæ autem pertinaciter inficiabantur. Nam & ipſorum Epiſcopi cum noſtris in collatione Carthaginenſi nec ſedere voluerunt, urgentes verbum Prophetæ: *Cum impiis non ſedebo.* Nempè nos illorum admittebamus ac venerabamur, illi noſtrum Baptiſma blaſphemabant ac exſufflabant: Dicebant nos adhuc Paganos, ideoque non ſuos fratres.

Hoc ipſum Auguſtinus repetit in libro poſt
Cap. 35. Collationem: *Fratres, ſi tamen non iraſcimini, quia fratres vocamus. Illi enim, cùm hoc à nobis audirent, injuriam ſibi fieri, apud Acta dixerunt.* Adductum Prophetæ teſtimonium denuò laudat, ex ipſo firmat nos hæreticis eſſe fratres, & dat cauſam: *Utrique Sacramenta Chriſti portantes, non immeritò dicimur fratres.* Et in ſecundo adversùs Gaudentium, Thamugadenſem Donatiſtarum Epiſcopum, libro ſcribit: *Eja frater Gaudenti. An fortè ad hoc iraſceris, quod fratrem voco? Hoc enim nomen à nobis etiam in noſtra collatione reſpuiſtis.* Quod ipſum repetit ad Emeritum Cæſareenſem Donatiſtarum Epiſcopum, in ſermone habito ad ejus plebem. Et in laudata Carthaginenſi Collatione, apud cujus Acta nec nobiſcum ſedere, nec fratres à nobis appellari voluerunt
Lib. 3. Donatiſtæ, dixit idem Auguſtinus: *Cæcilianus non*
cap. 23. *eſt pater meus. Si bonus eſt, frater eſt bonus; ſi malus eſt, frater eſt malus. Tamen propter Sacramenta frater eſt, ſive bonus, ſive malus.* Proindè legitimum Baptiſma habentes hæretici atque ſchiſmatici ſunt noſtri fratres, verùm ſpurii, aut apoſtatæ. Apud hæreſes aut ſchiſmata baptizati ſunt ſpurii. Etenim nati ſunt ex meretricibus, quæ ſacrum fontem ac ejus Sacroſanctum Lavacrum, legitimum Dei Patris ſemen, furati ſunt, & ex ipſo ſpurios filios genuerunt. Catholicæ Matris, apud quam baptizati fuerunt, deſertores ſunt filii rebelles, fugitivi, atque apoſtatæ.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus advertit fraternitatis appellationem eſſe non dumtaxat Apoſtolorum, ſed & ipſius Domini Inſtitutum. Hanc appellationem Chriſto Domino adeò placuiſſe, ut ſeipſum appellaverit noſtrum fratrem, & à nobis appellandum juſſerit. Etenim cùm eſſet omnium Dominus, frater noſter factus eſt, & à mortuis ſuſcitatus dixit: *Nuntiate fratribus meis.* Et ad Hebræos Apoſtolus ex ejus inſtinctu atque juſſu ſcripſit: *Per omnia debuit fratribus aſſimilari.* Hæc Sanctus Joannes tradit in ſermone, quo exponit quædam verba prioris epiſtolæ ad Corinthios. Præſertim hæc, *Nolo vos ignorare,*
fratres. Et pergit: *Apoſtolus Diſcipulos fratres vo-* Tom. 15.
cavit, non à dignitate, ſed à charitate hoc eos ap- Serm. 29.
pellans nomine. Sciebat enim, & planè ſciebat nihil charitati conferendum: Et ſummum dignitatis genus eſſe charitatem. Et poſt quædam: *Paulus non ſolum Corinthiorum divites, litteratos, illuſtres, & nobiles, ſed etiam privatos & famulos, & omnes indiſcriminatim hac appellatione honoravit. In Chriſto enim* JESU *neque ſervus, neque liber, neque barbarus, neque Scytha, neque ſapiens, neque inſipiens, ſed omnis ſæcularis dignitatis inæqualitas ſublata eſt.* Primitiva Chriſtianitas erat Monaſticæ diſciplinæ ſimilis, apud quam pauper & dives, illuſtris & ruſticus non ſunt aliud, quàm frater Petrus aut frater Paulus. Et certè Monaſtica diſciplina non eſt aliud, quàm primæva ad paucos contracta, & apud ipſos inſtaurata Chriſtianitas.

Eandem primævam appellationem Sanctus Joannes laudat in decima homilia ſuper epiſtolam ad Philippenſes, & ad verba, *Fratres mei gaudete,* ſcribit: *Apoſtolus Galatas vocat filios, hos autem fratres. Nam quotieſcumque quidem vel corrigere aliquid vult, vel vehementem amoris affectum oſtendere, filios vocat, at cum plus honoris eis, quibuſcum verba facit, habendum eſt, fratres.* In octava ſuper epiſtolam ad Romanos homilia lamentatur omnem fraternitatis affectum atque effectum defeciſſe apud nos, & demonſtrat duobus argumentis. Primum eſt, quod cùm eundem ſalem edentes latrones pacem inter ſe habeant, nos fideles, qui eundem Sanctum Panem ex eadem ſancta menſa fraternè edimus, ſimus undequaque pleni litibus & bellis. Aliud argumentum eſt in his verbis: *A nobis ipſis invicem caventes inter nos timemus, & ad aures unuſquiſque proximo verba facimus. Ac ſi alium accedentem viderimus, ſilemus, eoque ſermone medio omnia contrahimus. Quod quidem nequaquam confidentium eſt, ſed*

boni-

hominum ſibi admodùm caventium. Provenire id affirmat ac lamentatur ex graſſantibus inter Chriſtianos mendaciis & dolis. Quocirca etiam affirmat inter primitivos fideles fuiſſe tantam fraternitatem, ut nulli eſſent doli, nullæ fraudes, nullæ lites, nulla mendacia, ideoque & nulla Secreta, ſed plena ubique pax atque confidentia. Quiſque pro altero erat mori paratus: Et præter uxores omnia erant omnibus communia. Et hinc in prioribus ad Corinthios litteris Apoſtolus
Cap. 6 ſcribit: *Sed vos injuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus*. Affirmat omnem fraudem ac injuriam eſſe Chriſtianis generaliter vetitam: ſed illam, quæ in fratres fit, eſſe intolerabilem. Quòd nempè fraternitatem evertat. Eadem Sanctus Joannes lamentatur in ſuperiùs laudato ſermone, atque adjungit: *Hoc nunc nos primùm imitemur. Etiamſi valdè nobis inferiores ſint aliqui, ipſos miniſterii nominibus appellemus: Non ſolùm liberos, ſed & ſervos; non ſolùm divites, ſed & pauperes*. Et poſt quædam: *Hæc omnia*, Divina & Apoſtolica de fraternitatis appellatione mandata atque exempla, *cum audimus, omnem arrogantiam, & faſtum, & ſtultitiam ex anima noſtra expellamus, ſtudioque multo id rectè faciamus, familiaribus & honorem habentibus nominibus fratres appellantes. Quod licèt tenue opus videatur, attamen magnorum bonorum cauſa eſt. Sicut & multas ſæpenumerò lites & contentiones fecit omiſſum*.

Eruditus vir Fronto Ducæus dedit hoc marginale Scholion: *Fratris nomen uſurpandum*. Cenſet quòd Sanctus Joannes fraternitatis appellationem doleat apud nos exſtinctam, & jubeat reſumendam. Primum eſt verum, ſecundum deviat. Etenim Sanctus Joannes vult, ut dives pauperem, & nobilis ignobilem, licèt non ampliùs appellet fratrem, ſaltem impartiat honeſto titulo, qui vel ex ejus miniſterio ſit deſumptus, vel ſaltem exhibeat honorem ac familiaritatem. Hanc rem fatetur eſſe levem, addit tamen eſſe cauſam plurium bonorum. Et ex ejus omiſſione frequenter lites & contentiones emerſiſſe. Etenim Modeſtum, Auguſti Valentis Præfectum, qui magnum Baſilium, omiſſo Epiſcopi titulo, ſimpliciter appellaverat Baſilium, graviter arguit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Et Theophi-
Orat. 20. lum Alexandriæ Patriarcham, quod in libelli, quo Sanctum Joannem Chryſoſtomum ad ſuam in hortis Ruffinianis Synodum citarat, epigraphe ſolum illius nomen ſine Epiſcopi titulo poſuiſſet, in dialogo cum Theodoro Romano Diacono graviter arguit Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Et in Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum, à quo fuerat ſine Presbyteri titulo ſimpliciter appellatus Hieronymus, declamat San-
Ep. 61. ctus Hieronymus: *Quis me degradavit?* Et Liberatus Byzacii Primas cum ſua Synodo ad Bonifacium Carthaginenſem Epiſcopum, totius Africanæ Diœceſeos Primatem, retulit plures cauſas, & adjunxit: *Ut in proœmio epiſtolarum aliquid beneficentiæ addatur*. Et Bonifacius reſcripſit: *De proœmio mutando illa nos poſſe facere profitemur, quæ à vobis intimata ſunt*. Bonifacius videtur iſtis Epiſcopis ſuos titulos non adſcripſiſſe. Exſtat Synodus in Spicilegio Lucæ Dacherii. Ibidem Tom. 6.
exſtat regula Sancti Crodogangi Metenſis Epiſcopi, ſuo Clero præcipientis, ut quiſque etiam in familiari colloquio, dum ſuum Confratrem nominat, ejus nomini addit gradum & titulum. Et ex his iterùm patet, quod nos à primitiva Eccleſiæ diſciplina plurimùm defecerimus. Fraternitatis appellatio & executio videntur poſt exſtinctas gentilium à magno Conſtantino perſecutiones defeciſſe. Etenim tunc Chriſtiani populi multiplicatio cœpit non magnificare lætitiam: Romanæ Reipublicæ Primores noluerunt pauperculam plebem appellare fratres. Quod ſuo adhuc Lib. 1. c.
tempore viguerit iſta pietas, palàm teſtatur La- 15. 16.
ctantius Firmianus.

Reſtat quæſtio, Quomodo Tertullianus affirmet fraternitatis appellationem eſſe Notam Apoſtolicæ Eccleſiæ? Ratio dubitandi eſt: Quia etiam hæretici & ſchiſmatici ſunt noſtri fratres, ideoque iſta appellatio eſt illis & nobis communis. Reſpondeo notanda eſſe ſequentia Septimii verba: *Quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem Sacramenti una traditio*. Diſtinguit duplicem fraternitatem: Aliam quæ ſolam appellationem, aliam quæ habeat etiam iſtius appellationis jura. Et in Carthaginenſi collatione dixit ad Donati-
ſtas Sanctus Auguſtinus: *Quotidie quibuſdam non* Lib. 3. c.
nobiſcum in una Eccleſia, nec in iiſdem Sacramentis 243.
conſtitutis dicimus, Frater. Sodomitis etiam dixit Loth, Fratres. Utique ad leniendam illorum animoſitatem, non ad cognitam fraternitatem, & quaſi unius hæreditatis conſortium. Itaque fraternitas eſt varia: Per naturam, per ejuſdem civitatis inhabitationem, per ſocietatem & nativitatem ex iiſdem Sacramentis, per ſocietatem in Eccleſia, per ſocietatem in juſtitia & jure ad æternam hæreditatem. Quòd Francorum Reges ob Regni Cap. 9.
ſocietatem conſueverint ſeſe mutuò appellare fratres, lucet ex formulis Marculphi. Quin & Choſroes Perſarum Rex Imperatorem Juſtinianum eadem de cauſa vocabat fratrem. Ita habes in fragmentis Menandri Protectoris. Ejuſdem qualiſcumque profeſſionis aut artis homines etiamnum hodie ſcribunt ſe fratres. Hinc etiam Epiſcopos Romanus Pontifex fratres, quoſvis alios appellat filios. Hæretici ergò & ſchiſmatici propter eoſdem ex aqua & Spiritu Sancto natales ſunt noſtri fratres, verùm ſola appellatione, non jure. Sunt fratres domo pulſi aut fugitivi, atque exhæredati: Uti Iſmael fuit frater Iſaac. Undè & illis non communicamus per Formatas litteras, neque cum illis conferſeramus hoſpitalitatem. Et ſic iſta fraternitas non eſt Nota Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ.

Laudata Carthaginenſis collatio movet nobis & aliam quæſtionem. Etenim illic Petilianus Conſtantinenſis Donatiſtarum Epiſcopus dixit ad Sanctum Auguſtinum: *Tu quis es? Filius es* Lib. 3.
Cæciliani, an non? Et poſt variam velitationem cap. 227.
Sanctus Auguſtinus reſpondit: *Cæcilianus non eſt*
Pater meus. Et iterùm: *Ecce dico, quoties volue-* Cap. 232.
rint, dico, Cæcilianus non eſt pater meus. Quia

audio Dominum dicentem: Nec vobis patrem dicatis in terra, unus eſt enim pater veſter. *Dico Cæcilianum fratrem. Bonum fratrem, ſi bonus; malum fratrem, ſi malus. Quoniam propter communia Sacramenta frater meus eſt.* Et Montanus Zamenſis Donatiſtarum Epiſcopus repoſuit: *Et quid eſt quod dicit Apoſtolus Paulus*, Si decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres? Per Chriſtum enim ego vos generavi. *Per Evangelium.* Et certè Apoſtolus etiam ad Galatas ſcripſit: *Filioli quos iterùm parturio.* Quin & Timotheum ac Titum, licèt Epiſcopos, in datis ad ipſos litteris inſcripſit filios. Quòd ſuos diſcipulos quandoque filios, quandoque conſueverit appellare fratres, ſuprà audivimus à Sancto Joanne Chryſoſtomo. Et quòd non dumtaxat ſingulares Epiſcopi, ſed ipſæ etiam generales Synodi Romanum Pontificem conſueverint patrem intitulare, eſt omnibus exploratum. Et hinc Gregorius quartus Gallicanis Epiſcopis, quòd ipſum dumtaxat fratrem appellaſſent, non ſine cauſa fuit indignatus. Nihilominùs Montano Sanctus Auguſtinus rectè reſpondit: *Ubi ſe patrem dixit Apoſtolus, ne ipſius paternitatis velut paſſim humanam infirmitatem crederemus, addidit*, Per Evangelium ego vos genui. *Semen ergò & vena ſeminis mei de Evangelio ducitur. Honorificentiæ cauſa patres appellamus eos, qui nos vel tempore, vel meritis præceſſerunt. Aliud eſt, cum quærimus ad fidem quem habeamus patrem, ad ſalutem æternam quem habeamus patrem, ad retinendam Eccleſiam & percipienda Dei Promiſſa quem habeamus patrem. Nam illud honoris eſt, ut quotidiè ſenibus dicamus, Pater. Tollantur ergò iſta, diſtinguamus vocabula, quæ hominibus propter honorem debentur, & vocabulum quod propter ſalutem requirimus. Pro æterna ſalute, pace Apoſtoli dixerim, imò jubente Apoſtolo dixerim, non pater meus Apoſtolus eſt ad ſalutem æternam, qui mihi dicit*, Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Et multis teſtimoniis hæc confirmat. Proindè uti fraternitas, ita & paternitas eſt varia. Variæ paternitatis ſunt varia fundamenta.

Conteſſeratio hoſpitalitatis.

Primitiva fidelium hoſpitalitas fuit inter jura & fructus fraternitatis. Ipſis enim omnia, præter uxores, erant communia, ideoque fraterno jure hoſpitalitatem & exhibebant & accipiebant. Non Cap. 13. erat gratia, ſed jus. Hinc Septimius addit: *Quæ jura*. Erat lex Apoſtolica, de qua Sanctus Paulus ad Hebræos: Cap. 13. *Hoſpitalitatem nolite oblivisci.* Ep. 1. c. 5. Et ad Romanos: *Hoſpitalitatem ſectantes*. Et de eligenda in Preſbyteram vidua ſcribit ad Timotheum: *Si hoſpitio recepit*. Et Sanctus Petrus; Ep. 1. cap. 4. *Hoſpitales ſine murmuratione*. Et Sanctus Joannes inter damnati à ſe Epiſcopi Diotrephis crimina ponit: *Neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſci-* Ep. 3. *piunt, prohibet, & de Eccleſia ejicit*. Noſter Septimius ſcripſit etiam ad ſuam uxorem: *Si peregrè frater adveniat, quod in aliena domo hoſpitium?* Lib. 2. cap. 4. Ineundum diſparis cultus conjugium ex iſto capite diſſuadet. Et in præfatione ad ſecundum librum commentariorum ſuper epiſtolam ad Galatas ſcribit Sanctus Hieronymus: *Macedones in charitate laudantur ab Apoſtolo, & in hoſpitalitate, ac ſuſceptione fratrum*. Et probat ex priori Sancti Pauli ad Theſſalonicenſes epiſtola: *De charitate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis. Ipſi* Cap. 4. *enim vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem. Etenim facitis illud in omnes fratres in univerſa Macedonia.* Super ep. ad Tit. cap. 1. Omnis in Macedonia fidelis domus erat, quod ſuo tempore ab Epiſcopi domo exquiſivit laudatus Hieronymus, *omnium commune hoſpitium*. Et nota epiſtolæ verba: *Charitate fraternitatis*. Edicunt hanc hoſpitalitatem fuiſſe inter fraternitatis jura. Hinc & in epiſtola ad Hebræos ſuprà laudatis vocibus præmiſit: *Charitas fraternitatis maneat in vobis*. Verùm cur dixit: *Maneat in vobis?* Et *Nolite oblivisci?* Quare ſimpliciter dixit, *Eſtote hoſpitales?* Rationem dat Sanctus Primaſius Epiſcopus Uticenſis: *Fuerant illi ſatis hoſpitalitati dediti, antequam exſpoliati eſſent prorſùs facultatibus, ſed poſtquam denudati ſunt ex maxima parte propria ſubſtantia, erant iterum nimiùm tenaces. Quapropter Apoſtolus hortatur eos, ut ſe-* Hær. 26. cap. 4. *cundùm poſſibilitatis modum hoſpitalitatis officium adimplerent.* Hanc univerſalem primitivæ Eccleſiæ hoſpitalitatem laudat in Panario etiam Sanctus Epiphanius. Eandem deſcribit impius Lucianus, dicens de ficto ſuo peregrinante Chriſtiano: *Suſcepta peregrinatione egreditur vagaturus, ſatis ſibi viatici in Chriſtianis repoſitum eſſe exiſtimans, à quibus, quaquaverſùm incedebat, ſtipatus agebat in omni rerum abundantia.* Sceleratus dialogus eſt integer legendus. Miſcet falſa veris. Interim primitivam fidelium in fideles hoſpites liberalitatem abundè demonſtrat. Chriſtianam Religionem per ipſam creviſſe plurimùm, queritur in litteris ad Arſacium, gentilium in Galatia Pontificem, Apoſtata Imperator Julianus.

Vox, *Conteſſeratio*, edicit peregrinantibus olim Chriſtianis fuiſſe aliquam teſſeram, ex qua agnoſcerent ſeſe mutuò, & hoſpitio exciperent. Et apud Minutium Felicem gentilis Octavius exiſtimabat eſſe aliquod ſecretum in corpore ſignaculum. Et ſuſpicio poſſit fundamentum aut fomentum ſumpſiſſe ex ſceleratis Gnoſticis, de quibus Sanctus Epiphanius: *Varia apud Gnoſticos eſt diſciplina nefariæ voluptatis. Primum, quòd communes inter ſe fœminas habeant. Et ſi quis ejuſdem Sectæ peregrinus advenerit, ſignum quoddam viri à fœminis, fœminæ à viris accipiunt. Hoc autem eſt hujuſmodi. Cum ſalutandi & complectendi cauſa manum porrigunt, eam infra palmam contrectando ac defricando leniter titillant, eoque ſigno ejuſdem Religionis hoſpitem eſſe demonſtrant. Indè poſteaquam ſe mutuò agnoverint, ad convivium accinguntur. Quod ipſum, tametſi pauperes, ſint, ingenti epularum apparatu, vinoque & carnibus inſtructiſſimum præbent. Finito convivio, cum ſatietate venas diſtenderint, ad libidinem prorritantur.*

Tunc

Tunc vir ab uxore diſcedens ſic eam alloquitur : Surge, & fratri charitatem exhibe . Sic ad concubitum venitur . Quòd Carpocrates ac ejus filius Epiphanes induxerint uxorum communitatem , atque ita omne Chriſtianum nomen fœdiſſimè infamaverint , teſtatur in tertio Stromatum libro San- Fol. 428. ctus Clemens Alexandrinus . De iiſdem , aut certè de ipſorum diſcipulis addit Sanctus Ire- Lib. 1. næus : *Alii ex ipſis ſignant , cauteriantes ſuos diſci-* cap. 24. *pulos in poſterioribus partibus extantiæ dexteræ auris* . Et in Panario Sanctus Epiphanius : *Carpocratiani ſolent , quos ad ſuam Sectam fraudulenter pellexerint , iis candenti ferro , vel novacula , vel acu Notum quandam ad unam auriculam imprimere* . Hinc igitur Gentiles crediderunt omnibus Chriſtianis eſſe iſtiuſmodi arcanum in corpore ſignaculum . Etenim Gnoſticorum facinora paſſim adſcribebant omnibus Chriſtianis .

Apud Minutium Felicem Cæcilius rectè dixit, quòd primitivi Chriſtiani ſeſe mutuò ex modeſtia ac innocentia dignoſcerent . Habebant tamen & aliam hoſpitalitatis & communionis teſſeram duplicem . Primam laudat Hermias Zozomenus , ſcribens de Apoſtata Imperatore Juliano : *Julianus dicitur imitatus eſſe formulas litterarum Epiſcopalium , quibus ſolebant ſe inter ipſos facere certiores de peregrinis , quò proficiſcerentur , & undè veniſſent , ut tanquam noti & amici propter ſigni teſtimonium exciperentur hoſpitio , & diligenter curarentur* . Quod ipſum ſuprà audivimus à Sancto Gregorio Nazianzeno . Prima ergò teſſera erat formata Antiſtitis epiſtola , ſuperiùs expoſita circa Canonem Chalcedonenſem . Qualis forma , ſigillum , ſeu character iſtam epiſtolam redderet formatam , eſt multa quæſtio . Et Gentiles poterant in ipſam obrepere . Hinc quidam exiſtimant ipſam ſuis temporibus fuiſſe variam . Verùm quis erat variationis author ? Erat per omnem ſub cœlo Eccleſiam eadem formula : Quia eam poterat variatam ſubitò per omnem mundum traducere ?

Alteram teſſeram laudat in ſuis ad electam Dominam litteris Sanctus Joannes Apoſtolus : *Si quis hanc doctrinam non adfert , nolite recipere eum in domum* . Per doctrinam exiſtimo intelligi Apoſtolicum Symbolum , quod in epiſtola ad Hebræos etiam Sanctus Paulus appellat *Baptiſmatum doctrinam* . Romæ olim omnis peregrinus , antequam admitteretur ad SS. Apoſtolorum Baſilicam , cogebatur facere quod in octava Synodo laudarunt glorioſiſſimi Judices : *Mos eſt in Romana Eccleſia ab omni homine hoſpite libellum fidei exigendi , & ita permitti hunc in ſanctum Petrum intrare* . Et adjungentibus de Photii Pſeudo-Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Sanctum Papam Nicolaum Legatis , *Fecerunt iſti ſecundùm hanc formam ?* Apoſtolica Legatio repoſuit : *Ita , fecerunt* . Quòd etiam Pyrrhus Conſtantinopolitanus Patriarcha iſtam formam ſervare fuerit compulſus , teſtatur in ſuo dialogo Sanctus Abbas & Martyr Maximus . Eundem morem laudat Sanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus , Donatiſtas interrogans , an ipſorum Rupitanus Romæ Epiſcopus *ſanctorum Apoſtolorum me-* Lib. 2. *moriis communicaret* ? Hoc eſt , an ingrederetur ipſorum Baſilicam ? Quòd nempè citra Romanæ fidei profeſſionem ſciret non admittendum . Eundem morem in litteris ad Sanctum Meletium Pa- Ep. 53. triarcham Antiochenum laudare videtur Magnus Baſilius : Aſſerere videtur iſtum morem viguiſſe apud omnes Occidentales Eccleſias . Et omninò viguit . Lucet ex Sancto Auguſtino , qui in libro de Paſtoribus ſcribit ad Donatiſtas : *Ovis* Cap. 13. *Dei gregem ſuum quærit . Puta ovem de Oriente veniſſe in Africam , quærit gregem ſuum , incurrit in te , in Baſilicam tuam intrare vult . Commoveris ignota facie . Vel tu vel Miniſter tuus , ſtans vel ſedens ad oſtium interrogat ovem quærentem gregem ſuum , imò gregem Dei . Cum grege ſuo intrare vult , ubi eum eſſe putat . Quæris , Paganus es , an Chriſtianus ? Reſpondet : Chriſtianus . Quæris , ne fortè Cathecumenus ſit , & irruat Sacramentis ? Reſpondet : Fidelis . Quæris , Cujus communionis ſit ? Reſpondet : Catholicus Chriſtianus . Fidelem Catholicum reprobas ? Qui ſunt quos intus tenes ?* Vides morem non dumtaxat apud Catholicos , ſed etiam apud Donatiſtas in Africa fuiſſe conſtantiſſimum . Eodem modo primitivi Fideles tractabant peregrinos Advenas . Eos in ſuam domum & hoſpitium non admittebant , niſi facta fidei profeſſione , niſi recitato Apoſtolico Symbolo . Hinc Sanctus Joannes Apoſtolus mandat eum , qui iſtam non adſert doctrinam , nec ſub tectum eſſe admittendum . Et ex iſta regula Sanctus Stephanus Pontifex fecit , ſi tamen fecerit , Legatis Sancti Cypriani , quod ſcribit Sanctus Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Archi-Epiſcopus : *Legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter Stephanus ſuſcepit , ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret , adhuc inſuper , dilectionis & charitatis memor , præciperet fraternitati univerſæ , ne quis eos in domum ſuam reciperet , ut venientibus non ſolùm pax & communio , ſed & tectum & hoſpitium negaretur* . Ipſum arguit , quod cum damnato per Sanctum Joannem Apoſtolum Epiſcopo Diotrephe nec ſuſciperet fratres , & ſuſcipientes prohiberet , imò & ejiceret de Eccleſia . Verùm Stephanus , ſi iſtud fecerit , credidit ſe facere in hæreticos aut ſchiſmaticos . Iſtiuſmodi enim peregrini taliter tractabantur . Quare regula & pietas Sancti Pacho- Cap. 28. mii , qui etiam hæreticos admiſit ad hoſpitium , & à ſola orationum communione excluſit , fuit ſingularis & admiranda .

Quæres , Quo fundamento dicam iſtam fidei profeſſionem fuiſſe recitationem Symboli ? Reſpondeo meæ aſſertioni fundamentum præberi à Sancto Cyrillo Hieroſolymæ Epiſcopo in præfatione ſuarum Catecheſeon , ubi ſcribit de Symbolo : *Habere hanc doctrinam tanquam viaticum , omni tempore vitæ decet* . Etiam Sanctus Auguſtinus & alii Patres Apoſtolicum Symbolum paſſim appellant viaticum fidelium . Scio illos non de temporali corporis , ſed de ſpirituali animæ viatico agere . Attamen ad iſtud etiam alludunt , ac ex ipſo deſumunt metaphoram . Videntur man-

dare, ut Symbolum ſerviat animæ, ſicut olim ſerviverat & corpori: Ut nobis ſit teſſera, ex qua noſtras hìc peregrinantes animas agnoſcat Divina Majeſtas, ipſas paſcat, ac tandem ſuſcipiat in hoſpitium ſui ſempiterni regni. Et quis non videat Sanctum Cyrillum omninò alludere ad laudatum teſtimonium Sancti Joannis Apoſtoli? Profeſſio fidei quid eſt niſi recitatio Symboli? Et iſto tempore nullum fuit Symbolum, niſi Apoſtolicum. Et certè ipſum erat hoſpitalis teſſeræ officio aptiſſimum. Etenim ſcribi non poterat ſed dumtaxat teneri memoria. Erat unum ex noſtris Arcanis, quod nec Catechumenis revelari poterat. Et hinc non tradebatur, niſi Competentibus. Et non niſi paucis diebus ante Baptiſmum. Hinc ipſum ſoli Fideles noverant, ideoque non erat, niſi fortè per noſtros Apoſtatas, locus aut rima obreptioni. Et hinc Cæcilius Chriſtianus pagano Octavio dixit, quòd omnes ſub cœlo fideles ſeſe mutuò *ex innocentiæ & modeſtiæ ſigno facile dignoſcerent*. Non dixit, *Ex innocentia & modeſtia*, ſed *Ex innocentiæ & modeſtiæ ſigno*. Quod omninò eſt noſtrum Symbolum. Verùm Cæcilius noluit myſterium enunciare. Exiſtimo huic recitationi acceſſiſſe & Epiſcopi Formatam: Ambo ſimul fuiſſe plenam fraternæ hoſpitalitatis teſſeram. Et iſta charitas manſit uſque ad Magni Conſtantini tempora. Eccleſia tunc ſuper numerum creſcere cœpit, atque ita adimpleri Prophetia: *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam*. Hoſpitalitas tunc contrahi cæpit ad ſolos Epiſcopos, Clericos, ac Monachos. Et tandem etiam apud illorum quoſdam defecit. Et hinc per pios fideles fundari cœperunt varia hoſpitalia. Etiam fidei profeſſio ſeu Symboli recitatio tunc ad cujuſvis Catholicæ domus egreſſum fieri deſiit, & fuit contracta ad ingreſſum ſolarum Baſilicarum. Quòd hæc profeſſio ex iſta deſcenderit ac remanſerit, non eſt dubitandum.

Et iſta primitiva fidelium charitas, licèt admiranda, non caret antiquis Paganorum exemplis. Etenim de Germanorum moribus ſcribit Cap. 21. Cornelius Tacitus: *Convictibus & hoſpitiis non alia id gens effuſiùs indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto nefas habetur. Pro fortuna quiſquis apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modò hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitii & comes proximam domum non invitati adeunt. Nec intereſt. Pari humanitate excipiuntur. Notum ignotumque quantùm ad jus hoſpitii nemo diſcernit*. Quod ipſum in Lib. 6 libris de Bello Gallico tradit & ampliat Julius cap. 9. Cæſar. Antiquam Francorum, quos conſtat fuiſſe Germanos, hoſpitalitatem laudat in libris de Dei gubernatione etiam Sanctus Salvianus Preſbyter Maſſilienſis: *Franci mendaces, ſed hoſpitales*. Et in Sclavorum Chronico ſcribit Presbyter Lib. 7. Hemboldus: *Experimento didici, quod ante fama vulgante cognovi, quia nulla gens Sclavis honeſtior in hoſpitalitatis gratia. In colligendis enim hoſpiti-* Lib. 1. cap. 83. *bus omnes quaſi ex ſententia alacres ſunt, ut nec hoſpitium quemquam poſtulare neceſſe ſit. Quidquid enim agricultura, piſcationibus ſeu venatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt, eo fortiorem quemque, quo profuſiorem jactantes, cujus oſtentationis affectatio multos eorum ad furta & latrocinia propellit. Quæ utique vitiorum genera apud eos venialia ſunt. Excuſantur enim hoſpitalitatis palliatione. Sclavorum enim legibus accedens, quòd nocte furatus fueris, craſtina hoſpitibus diſperties. Si quis verò, quod rariſſimum eſt, peregrinum hoſpitio removiſſe deprebenſus fuerit, hujus domum vel facultates incendio conſumere licitum eſt, atque in id omnium vota pariter conſpirant: Illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exſibilandum ducentes, qui hoſpiti panem negare non timuiſſet*. Addit etiam de Sturmariis, Holſatis, & Thetmarzis: *Chriſtianum nomen tenent. Pro-* Cap. 48. *pter Barbarorum viciniam furtis & latrocinils operam dare conſueverunt. Hoſpitalitatis gratiam ſectantur. Nam furari & largiri apud Holſatos oſtentatio eſt*. Sunt ſimilia etiam aliarum gentium exempla. Nàm & Macedones fuiſſe hoſpitaliſſimos, audivimus ſuprà à Sancto Paulo.

Hoſpitalitas erat olim virtus humano generi perneceſſaria. Etenim apud multas olim gentes non erant ſtabula, ſed meritoria hoſpitia. Hæc Romanæ leges in nono Pandectarum libro appellant ſtabula. Hinc & Sanctam Helenam, Magni Conſtantini matrem, Sanctus Ambroſius appellat Stabulariam: Quòd nempè eſſet filia Cauponis Drepanenſis. Caupones & ſtabularios fuiſſe in viis publicis, ac iſtic paſſim ſcorta non defuiſſe, affirmat in dialogo cum Theodoro Romanæ Eccleſiæ Diacono Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Sanctus Lucas in Evangelio vocat Diverſoria, affirmans Deiparæ parturienti ac ejus conjugi Joſepho non fuiſſe locum in Diverſorio, ideoque ipſam in jumentorum ſtabulo pepeiſſe. Appellantur & Tabernæ meritoriæ. Quòd olim in omni Syria non fuerint, palàm lucet ex plurimis ſacri Textus teſtimoniis, quæ eruditè adducit & exponit Nicolaus Serarius in commentario ad ſextum caput Tobiæ. An tamen iſtud univerſale fuerit, quidam dubitant ex libro Joſue, ubi quorundam antiqua translatio Rahab, quam noſter textus meretricem, dicit Tabernariam ſeu Cauponariam. Quia nempè fuit non ſcortum, ſed filia meritoriæ Tabernæ. Eſt longa quæſtio. Exiſtimo Tabernas iſtas tunc non fuiſſe, ideoque gratuitam hoſpitalitatem fuiſſe apud omnes in pretio. Quòd Judæorum Rex Hircanus primum hoſpitale errexerit, teſtatur in Judaicarum Antiquitatum libris Joſephus Judæus. Lib. 13. cap. 16. Nempè tunc iſta virtus apud plurimos defecerat. Eadem de cauſa quædam olim familiæ, immò & civitates, inter ſe miſcuerunt hoſpitalitatis jura: Et quoniam ſinguli ſingulos dignoſcere non poterant, inſtituerunt hoſpitalitatis teſſeras. Exemplum eſt ille Pœnus, qui Calydonem Advenam, & ſuum hoſpitem quærens dixit: *Deum hoſpitalem teſſeram mecum fero, verum ego hic hoſpitem habeo*. Et ignotus civis ignoto peregrino repoſuit: *Si ita eſt, teſſeram conferre ſi vis hoſpitalem, eſcam attuli*. Et conſpecta teſſera dicit: *Eſt pars, probo. Nam habeo domum*. Et hanc conteſſe-

teſſerationem primitivi Chriſtiani fuerunt imitati. Res admitanda. Nec enim inter duas familias, civitates, aut Provincias, ſed inter omnes ſub cœlo gentes fuit iſta conteſſeratio. Quo tempore cœperunt meritotiæ Tabernæ, eſt nodoſa quæſtio. Multiplicari cœperunt ad exortum Romani Imperii. Pulchrè ſcribit Sanctus Irenæus: *Mundus pacem habet per Romanos, ſine timore in viis ambulamus & navigamus, quocumque voluerimus.* (Lib. 4 cap. 49.) Quod ipſum ſcribunt Magnus Athanaſius, Sanctus Hieronymus, ac Theodoretus. Nempè Romanum Imperium ex plurimis regnis fecit regnum unum, omnem mundum fecit ultrò citroque pervium, atque ita omnes publicas vias implevit meritotiis Tabernis.

Porrò noſtra hoſpitalitatis conteſſeratio pedetentim defecit. Etenim quod ſub Juliani Impesio adhuc permanſerit, ſupra audivimus à Sancto Gregorio Nazianzeno, & Hermia Zozomeno. Quin & ſub Martiani Imperio perſtitiſſe evincit laudatus Canon Chalcedonenſis. Verùm (Lib. 2. cap. 29.) illi omnes loquuntur de ſolis pauperibus. Quod in Francia etiam ſub Magno Carolo & Ludovico Pio viguerit iſta pietas, diſces ex Jonæ Aurelianenſis Epiſcopi libris de Laicali inſtitutione. Nempè Franci ſunt natura hoſpitales. Aliæ gentes dudum anteà cœperunt peregrinos pauperes negligere. Rationem dat in vigeſima prima ſuper epiſtolam ad Romanos Homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Ne ſcruteris curiosè pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud inſolentiæ eſt, pro uno pane totam miſeri hominis vitam curiosè inquirere. Nam etiamſi homicida, ſi latro, aut aliud hujuſmodi fuerit, cur non videtur tibi vel pane vel modico argento dignus?* Poſt multiplicatam ſub Conſtantino Eccleſiam cœperunt quidam pauperes ſine negotiis ex otio vagari, & crimina admittere: Hinc divites cœperunt cunctos negligere. Eos tamen non neglexit mater Eccleſia. Etenim illis varia ubique hoſpitalia erexit, & ipſos numeravit inter participantes de quarta parte omnium ſuorum proventuum.

Quæ jura non alia ratio regit, &c.

Hæc verba docent primitivam hoſpitalitatem non fuiſſe gratiæ, ſed obligationis atque juſtitiæ. Erat mutua ſocietas atque fraternitas. Porrò vox, *Sacramentum*, hic accipitur pro toto Chriſtiano dogmate. Ita & infrà Doctor dicit hæreticorum Paraſynagogas nullo modo eſſe Apoſtolicas Eccleſias *ob diverſitatem Sacramenti.* Et (Cap. 32.) alibi laudat *Sacramentum diſciplinæ & converſationis, Sacramentum fidei, Sacramentum ſalutis, Sacramentum ſanctificationis, Sacramentum Chriſtianæ religionis.* Eſt phraſis deſumpta ex Apoſtolo, qui in ſuis, præſertim ad Epheſios, litteris Chriſtianam Religionem aliquoties appellat *Sacramentum.* Doctor affirmat hæc tria jura eſſe lucidos characteres veræ Eccleſiæ: Omnes Eccleſias, quæ ipſa exercent cum Apoſtolicis Eccleſiis, per doctrinæ conſanguinitatem eſſe patenter Apoſtolicas, ideoque in ipſis, & non alibi eſſe quærendam Evangelii veritatem.

Omne hoc Septimii argumentum inſigniter elucidat in Carthaginenſi Collatione Sanctus Auguſtinus, Petiliano Conſtantinenſi Donatiſtarum Epiſcopo reſpondens: *Quæris à me, undè communio mea ſumat exordium. Dominus ipſe Chriſtus aſſerit exordium communionis meæ, dicens:* (Lib. 3. cap. 230.) Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jeruſalem. *Cœpit iſta prædicatio ab Jeruſalem. Indè ſe ab illuſtriſſimo exordio diffudit, diffundens Eccleſiam, quam tenemus. Primò per vicina, deindè per longinqua, etiam in Africam venit. In hanc oculos aperuimus, hanc in Divinis eloquiis & teſtimoniis, ſicut ipſum Chriſtum Dominum & Redemptorem noſtrum, comperimus. Ab illo Deo Patre, ab hac Matre Eccleſia nullius me hominis crimina, nullius calumniæ ſeparabunt.* Dicit plura. Primò, quòd Catholicam communionem, ſeu faciendi Chriſtiani diſciplinam Chriſtus Dominus à Deo Patre acceperit. Secundò, quòd eam Apoſtolis tradiderit. Tertiò, quòd Apoſtoli eandem cœperint in Jeruſalem prædicare, ac ipſi dederint illuſtriſſimum exordium. Utique plurimis in die Pentecoſtes ornatum ac roboratum miraculis. Quartò, quòd eandem doctrinam etiam per gentes diffuderint. Quintò, quòd eorum diſcipuli eandem traduxerint in remotiſſimas etiam Regiones. Etiam in Africam. Sextò, quòd omnes hæ Eccleſiæ ſint Apoſtolicæ. Utique per doctrinæ conſanguinitatem. Septimò, quòd ab hac Eccleſia ex nullis rationibus poſſimus dimoveri. Quòd in ipſa & ab ipſa debeamus quærere Evangelii veritatem.

CAPUT

CAPUT XXI.

Non alia recipienda eſt fidei doctrina, quàm quæ ab Apoſtolis tradita.

HInc igitur dirigimus præſcriptionem, ſi Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos Prædicatores, quàm quos Chriſtus inſtituit; quia nec alius Patrem novit niſi Filius, & cui Filius revelavit; nec aliis videtur revelaſſe Filius quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva, quod ajunt voce, quàm per epiſtolas poſteà. Si hæc ita ſint, conſtat proindè omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus, fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit: Omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum; & Chriſti & Dei. Supereſt ergò uti demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cujus regulam ſuprà edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex hoc ipſo, an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa. Hoc eſt teſtimonium veritatis.

SCHOLION.

Quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit.

EX adducta in præcedenti capite præſcriptione ſeu argumento Tertullianus educit ac firmat hanc regulam: Omnis Catholica Eccleſia credit & docet quod accepit ab Eccleſiis Apoſto-
Lib. 4. cap. 5. licis, Eccleſiæ Apoſtolicæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus accepit à Deo. Eandem regulam laudat in libtis adverſùs Marcionem, & in libro de Velandis Virginibus. Eadem frequenter utitur Sanctus Irenæus, ac alii Patres. Eſt
Cap. 1. regula firmiſſima. Quis enim non videat *omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei?* Hinc Septimius rectè concludit: *Supereſt ergò, ut demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cujus regulam ſuprà edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex hoc ipſo an cæteræ de mendacio veniant.* Non tantùm Valentinianorum aut Marcioniſtarum doctrina, ſed etiam Lutheranorum & Calviniſtarum. Generatim omnium hæreticorum. Eſt generaliſſima ac firmiſſima præſcriptio. *At verò nos communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa.* Eiſdem & nos hodiè communicamus, nulli autem Lutherani aut Calviniſtæ. Omnium Apoſtolicarum Eccleſiarum Principem Romanam hi cum Donatiſtarum maledicentiſſimo Petiliano blaterant eſſe Cathedram peſtilentiæ. Iſta maledicentia eſt deviæ atque hæreticæ rebellionis evidens character, noſtra communio *eſt teſtimonium veritatis.*

CAPUT

CAPUT XXII.

Apoſtoli plenè de omnibus à Chriſto inſtructi.

SEd quoniam tam expedita probatio eſt, ut ſi ſtatim proferatur, nihil jam ſit retractandum, ac ſi prolata non ſit à nobis, locum interim demus diverſæ parti, ſi quid putant ad infirmandam hanc præſcriptionem movere ſe poſſe. Solent dicere, Non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſùs convertunt: Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe; in utroque Chriſtum reprehenſioni ſubjicientes, qui aut minùs inſtructos, aut parùm ſimplices Apoſtolos miſerit. Quis igitur integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in diſcipulatu, in convictu; quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claves regni cœlorum conſecutum, & ſolvendi, & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Latuit & Joannem aliquid, dilectiſſimum Domino, pectori ejus incubantem, cui ſoli Dominus Judam traditorem præmonſtravit, quem loco ſuo Filium Mariæ demandavit? Quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit, & Moyſen & Heliam, & inſuper de cœlo Patris vocem? Non quaſi cæteros reprobans, ſed quoniam in tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Ignoraverunt itaque & illi, quibus poſt Reſurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas ediſſerere dignatus eſt. Dixerat planè aliquando: *Multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modò ea ſuſtinere.* Tamen adjiciens: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem*: Oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis repromiſerat. Et utique implevit Repromiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum deſcenſum Spiritus Sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti eſſe poſſunt, qui necdum Spiritum poſſint cognoſcere diſcentibus miſſum; ſed nec Eccleſiam defendere, qui quando, & quibus incunabulis inſtitutum eſt hoc corpus, probare non habent. Tanti eſt enim illos non habere probationes eorum quæ defendunt, ne pariter admittantur tradutiones eorum quæ mentiuntur.

SCHOLION.

Sed quoniam tam expedita probatio eſt, &c.

EſT lucidiſſimè expedita probatio. Et ſingularum partium demonſtratio eſt in promptu. Et hoc excludit omnem retractationem, omnem exceptionem. Hinc ut Gnoſticorum exceptionibus locum faciat Septimius, iſtas non dumtaxat demonſtrare differt, ſed inſuper jam propoſitæ præſcriptioni cedit, atque ita illis facultatem permittit omnia ſuæ aut inſcitiæ aut nequitiæ dubia proponendi. Et rectè. Etenim poſt excuſſos & revictos omnes eorum inquietiſſimorum hominum motus præſcriptio erit longè lucidior ac firmior.

Solent dicere, Non omnia Apoſtolos ſciſſe, &c.

Hæc eſt prima Gnoſticorum adversùs adductam præſcriptionem & Apoſtolicam Catholicæ Eccleſiæ prædicationem exceptio. Et adversùs ipſam Septimius ſcribit etiam in libro Scorpiaco:
Cap. 12. *Quis nunc medullas Scripturarum meliùs noſcet, quàm ipſa Chriſti ſchola? Quos & ſibi diſcipulos Dominus adoptavit, omnia utique docendos, & nobis Magiſtros ordinavit, omnia utique docturos.* Et
Cap. 4. in exhortatorio ad caſtitatem libro: *Spiritum quidem Dei etiam fideles habent, ſed non omnes fideles, Apoſtoli. Cùm ergò, qui ſe fidelem dixerat, adjecit poſteà Spiritum ſe Dei habere, quòd nemo dubitaret etiam de fideli, idcircò id dixit, ut ſibi Apoſtoli faſtigium redderet. Propriè enim Apoſtoli Spiritum Sanctum habent, qui plenè habent in operibus Prophetiæ & efficacia virtutum, documentiſque linguarum, non ex parte, quod & cæteri.* Eandem calumniam adducit ac inſigniter refutat Sanctus
Lib. 3. Irenæus: *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ*
cap. 1. *cognovimus quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſteà verò per Dei voluntatem nobis in Scripturis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Nec enim fas eſt dicere, quoniam antè prædicaverint, quàm perfectam haberent agnitionem, ſicut quidem audent dicere glorìantes emendatores ſe eſſe Apoſtolorum.* Et in alio loco: *Perfectos ſemetipſos vocant, quaſi nemo poſſit exæquari magnitudini agnitionis ipſorum, nec ſi Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apoſtolum, ſed plus omnibus ſe cognoviſſe, & magnitudinem agnitionis illius, quæ eſt inenarrabilis virtutis, ſolos ebibiſſe.* Ejuſdem ſuperbiæ meminit in tertio Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandri-
Fol. 439. nus: *Dicunt ſe ſolos Deum noſſe.* Et infrà: *Dicunt*
Fol. 436. *glorioſi iſti jactatores ſe magis, quàm alii, Evangelium intellexiſſe.* Quòd ipſo etiam Demiurgo ſeu Deo Creatore ſeſe ſapientiores jactitarint, ac etiam ipſum arguerint ignorantiæ, teſtatur variis in locis laudatus Irenæus. Et adjungit: *Eos* Lib. 3.
autem, qui dicunt ſolum Paulum veritatem cognoviſſe, cui per revelationem manifeſtum eſt myſterium, ipſe Paulus convincat. cap. 13. Affirmat Gnoſticorum quoſdam erubuiſſe de tanta ſuperbia ac impudentia, ideoque fuiſſe confeſſos, quòd Sanctus Paulus cognoviſſet Chriſtianæ Religionis Sacramentum, ac proindè ſe eſſe ejus diſcipulos. Reliquos Apoſtolos contempſerunt. Fabuloſas & blaſphemas calumnias Irenæus nervosè evertit. Septimius rectè hic adjungit: *Chriſtum reprehenſioni ſubjiciunt, qui minùs inſtructos Apoſtolos miſerit.* Et rectè pergit: *Quis igitur integræ mentis credere poterit aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in diſcipulatu, in convictu?* Affirmat Apoſtolos fuiſſe, ac debuiſſe eſſe non qualeſcumque Chriſti Domini diſcipulos, ſed domeſticos, individuos, contubernales & commenſales. Rationem dat in epiſtola ad Severum Sanctus Paulinus Nolæ Epiſcopus: *Apoſtoli, quia in orbem terrarum mittendi* Ep. 11.
forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantùm, ſed & oculis prædicandam fidem capere debebant, ut quod firmiùs didiciſſent, conſtantiùs edocerent. Hæc ſunt ſuperiùs demonſtrata pluri mis teſtimoniis. Notanda ſunt etiam ſequentia Septimii verba: *Quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum eſſe cognoſcere Arcana, quæ populo intelligere non liceret.* Quòd ex Arcanis cum JESU colloquiis multa ſingularia didicerint Apoſtoli, etiam Origenes ſcribit in primo libro adversùs Celſum. Fol. 25. Hic item articulus eſt ſuprà illuſtratus.

Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe.

Hæc fuit alia Gnoſticorum exceptio. Eandem largiùs exponit ac refutat Sanctus Irenæus: *Gno-* Lib. 3.
ſtici dicunt ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apo- cap. 2.
ſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inveniſſe veritatem, Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea, quæ ſunt Legalia, Salvatoris verbis. Et non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam ipſum Dominum modò quidem à Demiurgo, modò autem à Medietate, interdum autem à Summitate feciſſe ſermones, ſe verò indubitatè & incontaminatè & ſincerè abſconditum ſcire myſterium. Quod quidem impudentiſſimè eſt blaſphemare ſuum Factorem. Garriverunt non ſolùm Apoſtolos, ſed & ipſum Chriſtum Dominum falſa per diſpenſatorium ſimulationem prædicaſſe. Irenæus
pergit: *Si recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ* Cap. 3.
ſeorſim & latenter à reliquis perfectos docebant, &c. Gnoſtici garriverunt Apoſtolos fuiſſe locutos ſapientiam inter perfectos: His ſolis ſecretò tradidiſſe authenticam Evangelii veritatem. Et ſe botum perfectorum eſſe ſucceſſores. Rurſùm Irenæus:

næus: *Vaniſſimi Sophiſtæ dicunt, quoniam Apoſtoli*
Cap. 5. *cum hypocriſi fecerunt doctrinam ſecundùm audien-*
tium capacitatem, & reſponſiones ſecundùm interro-
gantium ſuſpiciones, cæcis cæca confabulantes ſe-
cundùm cæcitatem ipſorum, languentibus autem
ſecundùm languores ipſorum, & errantibus ſecundùm
errorem ipſorum, & putantibus Demiurgum eſſe ſo-
lum Deum, hunc annunciaſſe. His verò, qui inno-
minabilem Patrem capiunt, per parabolas & ænig-
mata inenarrabile feciſſe myſterium, uti non quemad-
modum habet ipſa veritas, ſed & in hypocriſi &
quemadmodum capiebat unuſquiſque, Dominum &
Apoſtolos ediďiſſe magiſterium. Et iterum: *Impu-*
Cap. 12. *dentes quidam eorum dicunt, apud Judæos præco-*
nantes Apoſtoli non poterant alterum eis Deum an-
nuntiare præter eum, qui creditus fuerat ab ipſis.
Et rursùm: *Teſtificatio Lucæ vera, & doctrina*
Cap. 15. *Apoſtolorum manifeſta eſt, & firma, & nihil ſub-*
trahens, neque alia quidem in abſcondito, alia ve-
rò in manifeſto docentium. Hoc enim fictorum & pra-
vè ſeducentium, & Hypocritarum eſt molimen, que-
madmodum faciunt hi, qui à Valentino ſunt. Va-
lentiniani enim ex mente ad ſuos, contra men-
tem loquebantur ad Eccleſiæ populum. Scelera-
tiſſimas fabulas Sanctus Irenæus ampliſſimè refu-
tat. Et rectè. Noſtro etiam Tertulliano rectè
placuit hoc adversùs cunctas blaſphemias com-
pendium: *Eadem agitat dementia.* Reverà fuit
helleboro curanda dementia. Quis enim integræ
mentis credere poteſt mendaces diſcipulos fuiſſe
à Chriſto Domino miſſos nationibus? *Chriſtum*
reprehenſioni ſubjiciunt, qui parùm ſimplices Apoſto-
los miſerit. Garrire, quod & ipſe Dominus per ſi-
mulationem docuerit, eſt nefanda blaſphe-
mia.

Ex iſtis dementibus calumniis prodiit & alia,
garriens Apoſtolos ſibi invicem in prædicando
non cohæſiſſe. Prædicaſſe contraria. Hinc alii
alium Apoſtolum ſibi aſſumpſere Magiſtrum.
Quòd aliqui ſolum Paulum aſſumpſerint, jam
audivimus à Sancto Irenæo. Et de Baſilide, Va-
lentino, ac Marcione ſcribit in ſeptimo Stro-
Fol. 765. matum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Glo-*
riantur ſe Matthiæ opinionem adducere. Scelerata
ſua dogmata ex ejus apocryphis traditionibus fir-
mabant. Et hinc lucet iſtas, licèt ipſarum au-
thoritate aliquando utatur, traditiones laudato
Clementi omninò diſplicuiſſe. Etenim & ſuprà
de iiſdem dixit: *Gloriæ tenentur deſiderio, qui ea,*
Fol. 762. *quæ ex ſua natura conveniunt ſermonibus Divinitùs*
inſpiratis, tradita à beatis Apoſtolis ac Magiſtris
ſua ſponte fallaci ſapientiæ ſimulatione corrumpunt
per alias traditiones, humanis doctrinis reſiſtentes
Divinæ traditioni, ut hæreſim conſtituant. Quòd
Eccleſia, ut vera ſit, debeat per doctrinæ con-
ſanguinitatem eſſe Apoſtolica, eſt adeò manife-
ſtum, & omnibus Chriſtianis naturaliter infi-
xum, ut nullus unquam hæreticus id præſum-
pſerit inficiari. Hinc Baſilides, Valentinus,
Marcion, & alii iſtius fæcis fabulones, quòd à
legitimis Apoſtolorum litteris ac apertis prædica-
tionibus palàm deviarent ac diſſonarent, finxe-
runt ſibi ſecretas eorum prædicationes & litteras,
& lucidas Eccleſiæ columnas ſceleratiſſimis calu-
mniis incruſtarunt. Eadem de cauſa Baſilides
Glauciam, Petri interpretem, Valentinus Theo-
dadem, Pauli familiarem, ſibi dixit aut finxit
fuiſſe Magiſtrum, ut per ipſos oſtentare & cir-
cumferre poſſent Apoſtolicæ doctrinæ conſangui-
nitatem. Has omnes nugas Sanctus Clemens
dejicit paucis verbis: *Fuit una omnium Apoſtolo-*
rum, ſicut doctrina, ita etiam traditio. Sanctus
Joannes Chryſoſtomus in homiliis ad populum
Antiochenum inſigniter hæc elucidat: *Cum Pau-* Hom. 41.
lum dico, non hunc ſolùm intelligo, ſed & Petrum,
& Jacobum, & Joannem, atque omnem ipſorum
chorum. Quemadmodum enim in lyra, cùm diverſæ
ſint chordæ, unus tamen concentus eſt; ſic etiam in
Apoſtolorum choro, quamvis ſint diverſæ perſonæ,
una tamen doctrina eſt. Quandoquidem & unus
artifex eſt Spiritus Sanctus, qui ipſorum animos
movet. Et firmat ex priori ad Corinthios episto-
la: *Sive igitur illi, ſive ego, ſic prædicamus.* Et Cap. 15.
hinc Sanctus Irenæus rectè affirmat omnem ſub
cœlo ex diverſiſſimis gentibus Eccleſiam eſſe quaſi
unam domum atque familiam, ideoque uno ore
& una lingua ubique loqui. Quia nempè Apo-
ſtoli eandem ejuſdem dogmatis linguam ubique
gentium tradiderunt.

Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, &c.

Doctor præſertim agit in eos, qui garriebant
ſolum Paulum Apoſtolum ſciviſſe Evangelii om-
nia, & rectè prædicaſſe. Et dicit eſſe demens
ac paradoxum, ut Sanctum Petrum aliquid la-
tuerit. Et dat duas cauſas. Primò, quod ſuper
ipſum, uti ſuprà firmiſſimam Evangelicæ ſcien-
tiæ Petram, eſſet à Chriſto Domino ædificata
omnis Eccleſia. Deindè, quod ipſe à Chriſto
Domino accepiſſet plenam & in terris & in cœlis
ſolvendi ac ligandi poteſtatem, adeoque debue-
rit eſſe plenus omni Pontificali ſcientia. De fun-
data ſupra Sanctum Petrum Eccleſia Sanctus Au-
guſtinus in primo Retractationum libro affirmat
olim fuiſſe duas ſententias: *Dixi in quodam loco*
de Apoſtolo Petro, quod in illo, tanquam in Petra,
fundata ſit Eccleſia. Qui ſenſus etiam cantatur ore
multorum in verſibus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de
gallo gallinaceo ait: Hoc, ipſa Petra Eccleſiæ, ca-
nente, culpam diluit. Quod ſcio me poſtea ſæpiſſimè
ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, Tu es Cap. 21.
Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccle-
ſiam meam, *ut ſuper hunc intelligeretur, quem con-*
feſſus eſt Petrus dicens: Tu es Chriſtus filius Dei
vivi. *Ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam*
Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædifica-
tur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim di-
ctum eſt illi, Tu es Petra, *ſed* Tu es Petrus.
Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon,
ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus.
Harum autem ſententiarum quæ ſit probabilior, eliget
Lector. Prior ſupra ipſam Petri perſonam, po-
ſterior

ſterior ſententia affirmat Eccleſiam eſſe à Chriſto fundatam ſupra ejus confeſſionem, ſeu ſupra rem ab ipſo confeſſam, id eſt, ſupra ipſum Chriſtum Tract. 124. Dominum. Ita lucidè ſe exponit in Tractatu ſuper S. Joannis Evangelium. Et in decimo ſuper ejuſdem primam epiſtolam Tractatu ſcribit: *Quid eſt*, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? *Super hanc fidem. Super id quod dictum eſt, Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Per Petri fidem & confeſſionem affirmat intelligi rem creditam & confeſſam. At verò in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas probat & firmat hoc Sancti Cypriani verbum: Lib. 2 cap. 1. *Petrum Dominus primus elegit, & ſuper ipſum ædificavit Eccleſiam ſuam.* Quod ipſum in ſermone Serm. 16 de Sanctis in ſecunda enarratione trigeſimi Pſal- Cap. 21. 23. mi ſcribit, ac in aliis locis. In libro de unitate Eccleſiæ Petram illam ſuper quam Dominus fundavit Eccleſiam, affirmat eſſe omnem communionem Electorum Juſtorum. Quia nempè hi ſunt Dominici corporis oſſa, adeoque & ipſius totius firmamenta ac fundamenta. Ita quibuſdam videtur. Eſt locus obſcurus. Potiùs affirmat ſolos electos eſſe fundatam in Petra Eccleſiam. In ipſo Chriſto Domino, unico & vero noſtro fundamento. Quia nempè reprobi non ſupra iſtam Petram, ſed ſupra hujus mundi arenam ædificati ſunt: Quia non ſunt firmi ac ſtabiles in iſto ædificio lapides, ſed adjectitia palea, fœnum, aut ligna. Notanda ſunt Sancti Auguſtini verba in litteris ad Generoſum Donatiſtam: Ep. 165. *Petro totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et ſtatim ſubjungit: *Petro ſucceſſit Linus, Lino Clemens.* Enumerat omnem Romanorum Pontificum ſucceſſionem. Quia nempè etiam illi gerunt perſonam totius Eccleſiæ, in hac etiam geſtatione ſuccedunt Petro, atque ita etiam ſupra ipſos eſt fundata Eccleſia. Quod habeant totius Eccleſiæ Primatum. Proindè Eccleſiæ ſupra Petrum ædificatio fuit erectio ac impartitio Romani Primatus. Disertè hoc in Anniverſario ſuæ conſecrationis ſermone tradit Magnus Leo: Serm. 96. *Soliditas illa, quam de Petra Chriſto Petrus etiam Petra factus accepit, in ſuos quoque ſe transfundit hæredes.*

Utrumque iſtum Sancti Auguſtini ſenſum probat & firmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Poſteriorem tradit in ſermone de Pentecoſte, Dominica verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, commentans: *Super hanc Petram, non dixit Super Petrum. Non enim ſuper hominem, ſed ſuper fidem ædificavit Eccleſiam ſuam. Quid autem erat fides?* Tu es Chri- Tom. 6. ſtus filius Dei vivi. *Quid eſt ſuper Petram? Super confeſſionem, ſuper ſermones pietatis.* Quod ipſum tradit & in aliis locis. Eandem Petri confeſſionem laudat in litteris ad Serenum Sanctus Iſidorus Peluſiotea, atque adjungit: *Eam inſpiratus Petrus tanquam baſis ac fundamentum* Lib. 2. *jecit, ſuper quo Dominus Eccleſiam ſuam extruxit.* Ep. 235. Ex quibus locis Marcus Antonius de Dominis, ſeductus Spalatenſium Archi-Epiſcopus, ſperavit Romanæ Eccleſiæ Primatum ſubvertere. At vana ſpes. Etenim in ſermone de Sancti Petri negatione idem Sanctus Joannes Chryſoſtomus inducit Petrum hæc loquentem ad Dominum: *Nonne ego te omnium primus agnovi & exclamavi*, Tu es Chriſtus filius Dei vivi? *Quamobrem & meo teſtimonio commendato beatum me prædicaſti, & Petram Eccleſiæ nuncupaſti, dicens*, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? *Egone igitur te negabo Princeps Apoſtolorum, Columna Eccleſiæ?* Quod ipſum tradit & in aliis locis. Nec eſt ſibi ipſi contrarius. Eum in Sancti Matthæi commentariis conciliat Sanctus Hilarius: *Dignum planè præmium Petri confeſſio conſecuta eſt, quia Dei Filium in homine vidiſſet. O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret.* Can. 16. Affirmat Petro novum Petræ nomen & dignitatem eſſe ex merito data, ideoque Eccleſiam non ſupra iſtum hominem, ſed ſupra ipſum Divinitùs inſpirata confeſſione munitum fuiſſe fundatam. Et ſic uterque, & Latinis & Græcis Patribus uſitatus, loquendi modus cohæret ſibi ipſi, ac eſt verus. Etiam ſententia aſſerens Petram, ſupra quam eſt ædificata Eccleſia, eſſe Chriſtum Dominum, huic omninò cohæret. Nam & Chriſtus Dominus, & Apoſtolus Petrus ſunt Petra & fundamentum Eccleſiæ.

Verùm diverſo modo. Diverſitatem inſigniter exponit in anniverſario ſuæ conſecrationis ſermone Magnus Leo, inducens Dominum hæc Petro loquentem: *Cum ego ſim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, ego fundamentum, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* Serm. 3. Eſt omnibus Patribus communiſſima doctrina. Eandem disertè tradit noſter Septimius in libro de pudicitia. Et in variis locis Sanctus Cyprianus. Et quod S. Joannes Chryſoſtomus S. Petri Primatum docuerit, lucet vel ex ſolo ejus ſermone de Petro & Paulo, ubi ſolum Petrum appellat *Coryphæum*. Tom. 6. Argumentum hoc illuſtrat eruditus author Tractatus ſcripti contra Græcorum ſchiſma, ac reperti apud Conſtantinopolim in conventu Patrum Prædicatorum: *Fidei Tractatores, ubicumque de Petro mentionem aliquam fecerint, Coryphæum Apoſtolorum, id eſt, caput, vel verticem, vel apicem nominaverunt. Quam Prærogativam nominis nunquam alibi legi. Quamquam Germanus Nicænus Archi-Epiſcopus, iſte ſcilicet qui nuper defunctus eſt, in quibuſdam ſuis litteris, quas contra Latinorum fidem nuper tranſmiſit, etiam Paulum Apoſtolum nominavit Apoſtolorum Coryphæum. Quia autem quidam Græcorum Epiſcopus nunquam talem abuſionem ſe audiviſſe teſtatus eſt: Undè & deriſit hominem.* Etiam in ſuis Divinis officiis ſolum Petrum Græci omnes Apoſtolorum Coryphæum ſeu Principem, Paulum appellant cæteris plus laborantem. Et Philippus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ac Sancti Cœleſtini Pontificis Legatus, dixit ad plenum Epheſinum Concilium: *Nulli dubium eſt, immò ſæculis omnibus notum eſt, quod Sanctus ac Beatiſſimus Petrus, Apoſtolorum Princeps & caput, fideique columna & Catho-*

tholicæ Eccleſiæ fundamentum, à Domino noſtro JESU *Chriſto, Servatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit, ſolvendique ac ligandi peccata poteſtas ipſi data eſt qui ad hoc uſque tempus, & ſemper in ſuis Succeſſoribus vivit, & judicium exercet*: Quam profeſſionem leges etiam in aliis generalibus apud Orientem Synodis. Verùm hic non de Petri Primatu agimus, ſed dumtaxat de plena ejus ſcientia. Et hanc Septimius rectè ac firmè probat ex fundata ſuper ipſum Eccleſia. Quòd verò Dominus cæleſtis regni claves, ac ligandi atque ſolvendi poteſtatem non Petro per Eccleſiam, ſed Eccleſiæ per Petrum dederit, amplè demonſtravi in Scholiis ad Dictatum Sancti Gregorii Septimi.

Latuit & Joannem aliquid, &c.

Doctor rectè affirmat etiam Sancto Joanni Apoſtolo nihil Evangelicæ veritatis defuiſſe. Etenim ipſum in litteris ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clerum & populum univerſa Epheſina Synodus ob eminentem ſcientiam appellavit Joannem Theologum. Eſt illi antiquiſſimus titulus. Ipſum laudant ac ei adſcribunt in duodecima Catecheſi Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, in homilia de Pſeudo Prophetis ac falſis Docto-
Tom. 6. ribus Sanctus Joannes Chryſoſtomus, in litteris
Lib. 13. ad Cratonem Monachum, ac in litteris ad Caſ-
ſianum Diaconum Sanctus Iſidorus Peluſiotes,
Ep. 74. in Sancti Gregorii Nazianzeni vita Gregorius
Lib. 3. Presbyter, ac alii Patres. Laudatus Chryſoſto-
mus propriam de Sancto Joanne homiliam ſcri-
Ep. 42. pſit, eamque inſcripſit ſermonem de Sancto Joanne Theologo. Et ita orditur: *Joannes in Aſiæ urbe Epheſo, Joannes Aſiæ decus, vel potiùs orbis terrarum columna, Joannes dilectus Chriſti diſcipulus, Dei verbi tuba, Epheſiorum gloria, extremorum orbis finium Præco, Theologiæ cithara, Theologus meritò appellatur.* Verba, *Extremorum orbis finium Præco*, inſinuant Sanctum Joannem apud Parthos prædicaſſe. Nam ad ipſos ſcripta eſt ejus prima epiſtola. Chryſoſtomus ampliſſimè demonſtrat ejus Theologiam fuiſſe eminentiſſimam, ideoque ipſum eſſe dignum tanto titulo. In laudata de Pſeudo-Prophetis homilia addit ac demonſtrat omnes Apoſtolos fuiſſe ſummos Theologos, ita tamen ut Sanctus Joannes ex ſingularibus cauſis gerat iſtud elogium. Et in laudata ad Caſſianum Diaconum epiſtola Sanctus Iſidorus loquitur cum ſumma emphaſi: *Theologus ille, ac Deo carus Joannes, verè tonitrui filius, Deiloqua lingua, nam à Spiritu Sancto movebatur, Divini Verbi hypoſtaſim, æternitatem, & regnum prædicavit. Ac per id, quod ſæpius dixit*, Erat, *illud*, Ex non exſtantibus, *eliminavit*: Omnem Arianam blaſphemiam. Theologi titulus eſt tanti ponderis, ut Sanctum Gregorium Nazianzenum, qui inter omnes Eccleſiæ Patres unus illum meruit poſt Sanctum Joannem, meritò in-de extollat laudatus Presbyter Gregorius. Ejus radicem edicit in divino Officio Mater Eccleſia: *Iſte eſt Joannes, qui ſuprà pectus Domini in cœna recubuit. Beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt Secreta cœleſtia. Fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit.* Deſumpta hæc ſunt ex variis Eccleſiæ Patribus. Quòd Epheſi fuerit antiqua Baſilica Sancto Joanni Theologo dedicata, ac ipſam Imperator Juſtinianus reſtauraverit,
teſtatur in libris de ejus ædificiis Procopius Lib 5.
Cæſareenſis. cap. 1.

Quem loco ſuo filium Mariæ demandavit.

Hoc Domini factum laudat in Panario etiam Sanctus Epiphanius, & ex ipſo adversùs Cerinthum & Carpocratem concludit Jacobum, Joſeph, Judam, ac Simonem non fuiſſe Deiparæ
ex Joſepho filios: *Abſit ut id unquam dicamus.* Hæreſ.
Alioquin cùm in Cruce penderet, non Sancto Joanni, 28. c. 7.
qui & ipſe virginitatem ſervavit, matrem commendaret ſuam, cum ita locutus eſt, Ecce Mater tua. *Et illam alloquens*, Ecce filius tuus. *Hanc enim vel cognatis ſuis committere oportuit, vel Joſephi liberis, ſi quos ex ipſa ſuſtulerat.* Addit iſtos quatuor fuiſſe Joſephi ex priori uxore filios, ideoque Deiparam fuiſſe ipſorum novercam. Hoc ipſum docet & in alio iſtius operis libro, & proſe-
quitur: *Verùm cur non Petro potiùs, vel Andreæ,* Hæreſ.
vel Matthæo, vel Bartholomæo commendat? Nimi- 78 c. 10.
rùm Joanni propter virginitatem hoc tribuit. Ecce, *inquit*, Mater tua. *Quamquam ſi corpus conſideres, Joannis Mater non erat, ſed eam ipſam virginitatis eſſe Principem ſignificare voluit, quoniam ab illa vita proceſſit. Adhæc Joannem, licèt alienus, & minimè propinquus eſſet, verbis illis affatus eſt, ut Matrem honorandam eſſe monſtraret. Pergit Evangelium*: Ex illa die accepit illam diſcipulus in ſe-ſe. *Atqui ſi & virum haberet, & domum, & liberos, ad ſua potiùs, quàm ad alienum ſe conferret.* Ex iſto Domini facto Epiphanius affirmat tria. Primò, quòd Deipara ex Joſepho nullos acceperit filios. Secundò, quòd Joſephus Dominicæ Paſſionis tempore fuerit defunctus. Alioquin Deipara manſiſſet apud ipſum, nec opus fuiſſet eam Diſcipulo demandari. Affirmat ac demonſtrat fuiſſe defunctum ante inchoatam Domini prædicationem. Tertiò affirmat Joannem ſuper omnes Apoſtolos ac Domini cognatos fuiſſe dilectum à Domino. Et hoc ob perpetuam virginitatem.

Aliud cenſuit in litteris ad Sanctum Anyſium Theſſalonicenſem Metropolitam, ac alios Illyricianæ Diœceſis Antiſtites Siricius Pontifex. Perpetuam Deiparæ virginitatem demonſtrat adversùs hæreſiarcham Helvidium, ac proſequitur: *Et ubi eſt illud, quod ſcriptum eſt, dicente Domino ad Matrem de Joanne Evangeliſta*, Mulier ecce filius tuus? *Et rursùs ad Joannem*, Ecce Mater tua. *Quid ſibi vult, quòd cum in Cruce Dominus*

poſitus peccatum mundi tolleret, pronuntiavit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, niſi ut claudat ſua ora perfidia; obmuteſcat, ne Domini Matrem audeat aliquo temerare convitio? Teſtis eſt ergo idem arbiter, idem materni pudoris aſſertor, quod deſponſata fuerit viro tantummodò Joſeph, nullo tamen conjugalis coitus conſuetudine thori jura cognoverit. Neque enim eam ſuſcepturam ex Joſeph filios à viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parùm eſt, addidit teſtimonium Evangeliſta, dicens quòd ſuſcepit eam Diſcipulus in ſuam. Numquid ergo divortium fecit? Numquid à viro abduxit atque abſtulit? Ergo qui hoc legit in Evangelio, quomodo quaſi naufragus titubat & fluctuat? Hoc ergo teſtamentum filii eſt de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis conſummationis. Antiquus ac eruditus apud Sanctum Cyprianum de cardinalibus Chriſti operibus Author in ſermone de Domini Paſſione exponit: *Conſidero te in Cruce de matre ſollicitum, cui volenti loqui tecum cum evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes Spiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati Patris obtemperant. Nunc materno moveris affectu, & thalamum humanitatis tuæ Cubiculario dilecto commendans, & provides ſedulò Benedictæ inter mulieres Apoſtolicam clientelam, & obſequium virginis virgini diſcipulo tradis, ut jam non Joſeph tanti myſterii oneretur Præpoſitura, ſed Joannes. Quia jam exigebat ratio, ut conjugii removeretur opinio, nec ultra Pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenùs vicem Patris & conjugis tenuerat. Habebat Joſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognoviſſet carnalem maritum, ſed quia in Spiritu actum erat conjunctionis illius myſterium, paſſus eſt Joſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſervitio præponi, quem digniorem ſe judicabat, & ideò maximè, quia Magiſtri electio id negotium ordinabat.*

Conſonat in quinta ſuper Sancti Matthæi Evangelium homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Perpetuam, ac à Sancto Joſepho penitùs intactam Deiparæ virginitatem inſigniter prædicat, atque adjungit: *Si enim Joſeph cognoviſſet eam, & loco habuiſſet uxoris, quomodò illam Dominus quaſi abſque ſolatio, & neminem penitùs habentem diſcipulo commendare curaſſet, jubens ei, ut ipſam reciperet in ſua?* Et venerabilis Arnoldus Carnutenſis, Abbas Monaſterii in bona Valle, in Tractatu de Deiparæ laudibus ſcribit: *Ecce bone* JESU *coram te eſt Mater tua. Cur modò non dicis: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Modò matrem non abjicis, nec ignoras, ſed commendas Diſcipulo, & vicariam imponis ſollicitudinem illi, quem præcipuè diligis. Supererat Joſeph, ad quem uſque ad illud tempus præcipua obſequii ſpectaverat ratio, & cui ad hoc ipſum fuerat deſponſata: Et modò, quaſi hoc miniſterio cenſeatur indignus, Joannes aſſumitur. Hunc intellectum circumſtantia ſermonis videtur exigere. Verùm ſecretiori ratione virginitas virginitati commendatur, ut hoc teſtimonio jugulentur Bonoſus hæreticus & prophanus Helvidius, qui in ore fœtido auſi ſunt garrire, quod de utero virginali alius præter Chriſtum partus effuſus eſt, & poſt Salvatorem natum Joſeph eam licentia maritali contigerit. Ipſe Chriſtus de Cruce maternæ virginitatis eſt arbiter, idem & aſſertor. Suſcepit eam Joannes in ſuam, non abnuente Joſeph, nec aliquam calumniam referente. Suſcepit eam in ſuam, non quaſi maritus, ſed loco filii aſſecla, & cuſtos, & teſtis, & conſcius. Erant quidem ambo in miniſterio Mariæ, Joſeph, cedente tempore & cauſa, Joanne præpoſito.*

Omnes quatuor conſtanter affirmat Sanctum Joſephum Dominicæ paſſionis tempore adhuc fuiſſe ſuperſtitem, & ob tres rationes in materna tutela à Domino prætermiſſum. Primò, quòd Deiparæ Virginis fuiſſet dumtaxat ſponſus, non maritus. Deindè, quòd ad ejus nuptias nec perveniſſet unquàm, nec eſſet perventurus. Tertiò, quòd Dominus tunc omni mundo demonſtrare vellet ſe ejus non eſſe filium. Notanda ſunt Siricii Pontificis verba: *Neque eam ſuſcepturam ex Joſeph filios, &c.* Affirmant, quòd Helvidius garriverit Joſephum nonniſi poſt Domini Paſſionem ex Deipara genuiſſe. Et in iſto errore Pontifex fundat omnem ſuam epiſtolam. Utraque iſtorum Patrum ſententia habet ſuas anchoras. Attamen Sancti Epiphanii ſententia videtur verior ac firmior. Et ipſam in Sancti Matthæi commentariis tuetur etiam Sanctus Hilarius. Quorumdam de Mariæ ac Joſephi concubitu ſceleratam, quam quidam in Domini ab Evangelio memoratis fratribus fundabant, opinionem refutat, atque adjungit: *Qui Domini fratres ſi Mariæ filii fuiſſent, & non potiùs Joſeph ex priore conjugio ſuſcepti, numquam in tempore Paſſionis Joanni Apoſtolo tranſcripta eſſet in matrem; Domino ad utrumque dicente,* Mulier ecce filius tuus, Ecce Mater tua, *niſi quod ad deſolatæ ſolatium charitatem filii diſcipulo relinquebat.* Certè Sanctus Joſephus, ſi Domino ſupervixiſſet, à ſacræ Virginis tutela non fuerat excludendus. Qui adoleſcentulam cuſtodiverat & curaverat, poterat etiam grandævam citra ſuſpicionem cuſtodire. Quòd Sanctus Joſephus ante inchoatam à Domino prædicationem obierit, ideoque ſuam ſanctiſſimam Matrem moriens Dominus Joanni delegarit, demonſtrat in ſermone de Dominica Reſurrectione etiam Joannes Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis. Sermonem in utraque lingua nuper vulgavit Franciſcus Combefis. Quidquid interim ſit, etiam ex hac Deiparæ matris per Dominum delata curatela conſtat Sanctum Joannem fuiſſe ab ipſo ſingulariſſimè dilectum, adeoque & omni Theologica ſcientia illuſtratum. Sancti Patres eum appellant Aquilam inter Evangeliſtas.

Quid

Quid eos ignoraſſe voluit, &c.

Petro & Joanni Doctor adjungit & Sanctum Jacobum, hujus germanum. Et omnibus tribus nihil Theologicæ ſcientiæ defuiſſe probat ex monſtrato illis transfigurationis myſterio. Quòd illis tunc magna fuerint patefacta Arcana, eſt conſtans ſenſus omnium Patrum. Videatur Ori- Fol. 99. genes in ſecundo libro contra Celſum. Quidam Græcorum Patres cenſent illis fuiſſe oſtenſam ipſam Divinam eſſentiam. Et ipſorum ſenſum non penetrantes quidam ſchiſmatici ipſorum Doctores effulgentem è Chriſti Domini corpore fulgorem exiſtimarunt eſſe ipſam increatam Divinæ Majeſtatis lucem, adeoque & viſam oculis corporeis. Gregorii Palamæ Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopi de hac re nugas amplè exponunt Joannes Cantacuzenus, Georgius Francez, ac Leo Allatius. Et quidem tres iſtos Apoſtolos ſingulariter præ aliis frequenter commendat Evangelium. Et hinc ad decimum ſeptimum Sancti Matthæi caput ſcribit Beatus Hieronymus: *Quare Petrus, & Jacobus, & Joannes in quibuſdam Evangeliorum locis ſeparentur à cæteris, aut quid privilegii habeant extra alios Apoſtolos, crebrò diximus*. Omninò agit de Jacobo fratre Joannis. Quod idem Jacobus, adinſtar ſui fratris, perpetuùm virgo permanſerit, adeoque ſacræ ſcientiæ Hæreſ. 58. cap. 5. fuerit capacior, disertè affirmat Sanctus Epiphanius.

Ignoraverunt itaque & illi, quibus poſt Reſurrectionem, &c.

Doctor reſpicit duos diſcipulos, qui ipſa Dominica Reſurrectionis die iverunt Emmauntem. His enim Dominus Scripturas in itinere expoſuit. Et Cleophæ ſocius à quibuſdam creditur fuiſſe ipſe Sanctus Lucas. Expreſsè id affirmat in ſua ad ejus Evangelium præfatione Theophylactus. Et videtur loqui ex communi traditione Orientalis Eccleſiæ. Quidquid ſit, loquitur ex Sancti Dorothei Tyriorum Epiſcopi de ſeptuaginta Domini diſcipulis Synopſi: *Cleophas, qui & Simon, conſobrinus Domini fuit. Hic cùm unà cum Luca proficiſceretur, Dominum poſt Reſurrectionem ex mortuis vidit, & cum illo locutus eſt, quemadmodum in Evangelio ſcribitur, tandem alter Hieroſolymorum Epiſcopus factus eſt*. Res tamen non caret ſcrupulo. Etenim in Panario ſcri- Hæreſ. 51. cap. 11. bit Sanctus Epiphanius: *Lucas fuit unus è ſeptuaginta duobus diſcipulis, quos Chriſti ille ſermo diſſipavat, quem deinde Paulus Apoſtolus revocavit*: Sermo de ſacroſancta Euchariſtia. Si primùm Paulus Lucam revocaverit, certum eſt hunc fuiſſe Cleophæ ſocium, & Dominum illi non apparuiſſe. Et confirmat in Hebraicis quæſtionibus Sanctus Hieronymus: *Plerique tradunt Lucam* Fol. 39r. *Evangeliſtam, ut Proſelytum Hebraicas litteras ignoraſſe*. Et in commentario ſuper ſextum Sancti Iſaiæ caput ſcribit: *Veteres Eccleſiæ Tractatores tradunt Lucam Evangeliſtam Medicinæ artis fuiſſe ſcientiſſimum, & magis Græcas litteras ſciviſſe, quàm Hebræas. Undè & ſermo ejus, tam in Evangelio, quàm in Actibus Apoſtolorum, comptior eſt, & ſæcularem redolet eloquentiam. Magiſque teſtimoniis Græcis utitur, quàm Hebræis*. Et in vigeſimi octavi capitis Commentario: *Lucas magis Græcæ linguæ habuit ſcientiam*. Hinc dicit omnes Apoſtolos, dum ſua Scripta antiqui inſtrumenti teſtimoniis firmant, ſemper ex Hebraica veritate, ſolum Lucam citaſſe ex ſeptuaginta interpretibus. Et hinc lucet Lucam nec in die Pentecoſtes accepiſſe linguarum donum, ideoque nec fuiſſe cum diſcipulis. Quin immò nec per revocantis Pauli impoſitas manus fuiſſe impartitum iſto chariſmate. Etiam in illuſtrium virorum Catalogo ſcribit laudatus Hieronymus: *Lucas Evangelium, ſicut audiverat, ſcripſit; Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat ipſe, compoſuit*. Et iſtud ipſum de ſemet ipſe Lucas profitetur: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt. Viſum eſt & mihi aſſecuto omnia*. Palàm fatetur ſe ab initio non vidiſſe, ideoque nec fuiſſe cum Domino. Proindè quod Sancti Cleophæ ſocius non fuerit, exiſtimo non dubitandum. Et hinc in quarto contra Marcionem libro Septimius noſter affirmat illum fuiſſe non Apoſtolum, ſed dumtaxat Apoſtolicum, id eſt, Apoſtolorum diſcipulum. In ſecundo adversùs Celſum libro Ori- Fol. 98. genes conſtanter affirmat Cleophæ ſocium fuiſſe & 102. Simonem. Et addit ambos fuiſſe Domino fami- Fol. 103. liares. Etenim Cleophas fuit Sancti Joſephi frater, Domini per affinitatem patruus, adeoque & familiaris. Ejus filius fuit Simon, ſecundus poſt Jacobum Apoſtolum Hieroſolymæ Epiſcopus, atque ita hic poſſit fuiſſe ejus in via ſocius. Etiam hic, utpotè conſobrinus, fuit Domino familiaris. Et hinc Dorothei textus videtur mendoſus. Videtur legendum: *Cleophas, cui filius Simon*. Et ita ſuadent etiam finalia verba: *Alter Hieroſolymorum Epiſcopus factus eſt*. Utique Simon. Quidquid ſit, iſte Simon non fuit Simon Petrus, nec alius Apoſtolus. Lucet ex Sancto Luca: *In-* Cap. 24. *venerunt congregatos undecim*. Et hinc oritur quæſtio. Quomodo Septimius ex facta illis per Dominum ſacrarum Litterarum interpretatione confirmet plenam doctrinam omnium duodecim Apoſtolorum? Reſpondeo eſſe argumentum à minori ad majus. Deindè, Septimius poſſit eſſe memoria lapſus. Dum hæc ſcribebat, poſſit reſpexiſſe verba Sancti Lucæ: *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*. Poſſit utrumque ejuſdem capitis teſtimonium miſcuiſſe. Quidquid ſit, hic Evangeliſtæ locus magis faciebat ad ejus rem.

Dixerat planè aliquando, &c.

Quod Apoſtoli non ſciviſſent omnia, Gnoſtici probabant ex Dominicis apud Sanctum Joan-
Cap. 16. nem ad Apoſtolos verbis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Et Septimius reſpondet Dominum iſta ante ſuam Reſurrectionem & Spiritus Sancti donationem fuiſſe locutum, adeoque admittit Apoſtolos tunc plura ignoraſſe. Et rectè. Etenim apud Sanctum Athanaſium etiam antiquus ac eruditus quæſtio-
Qu. 71. num ad Antiochum Author ſcribit: *Auſim confirmare, atque ipſos beatos Chriſti Diſcipulos de ejus Deitate perfectam notitiam habuiſſe, priuſquam Spiritus Sanctus in Pentecoſte illis ſuperveniret.* Quod antea Patrem Filio majorem crediderint, adeoque cum Ario per ſimplicitatem ſenſerint,
Tract. 14. demonſtrat Sanctus Auguſtinus in Tractatibus
70. 121. ſuper Sancti Joannis Evangelio. Quin & ipſorum à reſuſcitato Domino interrogatio, *Si in*
Act. 1. *tempore hoc reſtitues Regnum Iſrael*, prodidit multum carnalem errorem. Verùm quæ ſunt iſta multa, quæ tunc Apoſtoli necdum ferre poterant, ideoque Dominus diſtulit aperire? Quomodo iſta ejus verba cohærent cum antecedenti-
Cap. 15. bus: *Omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis?* Sanctus Auguſtinus in laudatis Tractatibus affirmat eſſe difficilem quæſtionem,
Tract. 98. & enodat variis modis. Eam in libris contra Cel-
99. ſum inſigniter enodat Origenes: *Quærimus, quæ-*
Lib. 2. *nam ſint illa multa, quæ* JESUS *habebat dicenda Diſcipulis, ſed ea ferre tunc non poterant? Equidem dixerim, fortaſſis ut Judæis & educatis in Moſaicæ Legis littera Apoſtolis habebat quidem dicendum, quæ ſit vera lex, quarumve cæleſtium rerum umbris & ſignis conſtet cultus Judaicus, quorumve futurorum bonorum umbras contineat Lex de cibis & potibus, de Feſtis, Noviluniis, Sabbathis. Hujuſmodi multa erant, quæ habebat eis dicere, ſed videns perdifficile eſſe ea animo evellere penè connata, & uſque ad grandem ætatem coalita Dogmata, adeoque pro Divinis habita, ut amovere illa videretur impium, atque excellenti ſecundùm* JESUM, *id eſt, ſecundùm veritatem cognitione, eſſe ſtercora & detrimenta arguere, atque id ipſum auditoribus perſuadere, diſtulit hanc doctrinam in tempus opportunius poſt Paſſionem ac Reſurrectionem ſuam. Etenim reverà intempeſtivum erat adhibere eis remedium, cujus necdum capaces erant, quodque poterat receptæ* JESU *exiſtimationi officere, quod eſſet Chriſtus ille Dei viventis filius. Multæ ſunt legis ſpirituales interpretationes & declarationes, nec ullo modo eas portare potuiſſent Diſcipuli eo tempore, ut nati & educati inter Judæos.* Itaque omnia, quæ à Patre circa humani generis redemptionem audiverat, Dominus Diſcipulis nota fecit ante Paſſionem, verùm non omnes omnium exequendorum modos. Hæc ſunt alterius loci.

Oſtendit illos nihil ignoraſſe, &c.

Utique poſt ſuam Paſſionem, poſt acceptum Spiritum Sanctum. Et hinc oritur quæſtio, An omnium iſtorum multorum plenam notitiam Apoſtoli in Pentecoſte acceperint? Etenim de tunc accepto Sancto Spiritu agit Septimius. Affirmare videtur in trigeſima octava ſuper Sancti Joannis Evangelium homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Apoſtoli, accepta ſemel Spiritus gratia, repentè omnia & noverunt & potuerunt, quæ & ſcire & poſſe eos oportebat.* Origenes in laudatis contra Celſum libris conſtanter docet contrarium: *Juxtà promiſſionem* JESU *venit Spiritus veritatis in Petrum, dicens ad eum de quadrupedibus & reptilibus terræ, volatilibuſque cœli,* Surge Petre, macta, & manduca: *Et venit in eum etiam tum ſuperſtitione laborantem. Ait enim etiam poſt auditam Divinam vocem:* Nequaquam Domine, quia numquam comedi quidquam commune & immundum. *At tunc demùm doctus eſt de cibis veris & ſpiritualibus veram doctrinam, auditis illis verbis:* Quod Deus purificavit, tu cave commune dixeris. *Et poſt illam viſionem Spiritus veri-* Lib. 2.
tatis, deducens Petrum in omnem veritatem, multa ei dicebat, quæ non valuerat portare, tantiſper dum in carne verſaretur cum JESU. Affirmat quod uſque ad iſtum temporis articulum Sanctus Petrus, adeoque & alii Apoſtoli, ignoraverint duo. Primò, quòd legalia Sacramenta non eſſent ampliùs neceſſaria. Deindè, quòd Gentiles poſſent immediatè admitti ad Evangelii gratiam, neque priùs deberent fieri proſelyti. Quod utrumque eſt omninò verum. Etenim prior quæſtio indeciſa manſit uſque ad Apoſtolicam Synodum. Tunc Spiritus Sanctus omnes Apoſtolos, præſertim Petrum ac alios ad Circumciſionem miſſos, plenè induxit in hanc veritatem. Et hinc Sanctus Joannes Chryſoſtomus, aſſerens Apoſtolos in die Pentecoſtes fuiſſe edoctos omnia, rectè adjungit: *Quæ & ſcire & poſſe eos oportebat.* Per duodecim primos annos Apoſtoli prædicare debuerunt intra ſolam Judæam, aut certè ſolis Judæis, ideoque gentium vocatio, & ipſi neceſſaria Legalium ceſſatio non fuit tunc ſcitu neceſſaria.

Quæ de plena Apoſtolorum ſcientia diximus, intelligi debent de Theologica Divinarum rerum, non de ſignorum aut humanarum diſputationum ſcientia. Quod enim non tantummodò Sanctus Petrus, aut Sanctus Joannes, aut alii ex nautis vel piſcatoribus Apoſtoli, ſed etiam ipſe Sanctus Paulus fuerint ſermone & omni iſta oſtentatione imperiti, ſupra eſt amplè demonſtratum. Permanſerunt imperiti. Etiam poſt plenè acceptum Spiritum Sanctum. Et iſtud ipſum in libris adversùs Celſum variè confirmat Origenes. Affirmat Apoſtolos ſola Dominica,
quam nulla Græcanicæ ſapientiæ Dialectica ratio Lib. 1.
ſuffulciebat, doctrina contentos novaſſe ubique omnia,

omnia, ideoque ne temerè viderentur attentare, patraſſe virtutum miracula. Et eidem Celſo, Dominicæ doctrinæ diſſeminatores fuiſſe nequiſſimos Publicanos aut nautas improperanti, horum quædam concedit, quædam moderatur, atque proſequitur: *Ergò ad hæc reſpondeo eos, qui prudenter & candidè poſſint res Apoſtolorum examinare, facile perſpicere, quòd Divina virtute Chriſtianam religionem docuerint, tantoque ſucceſſu homines Dei verbo ſubjecerint. Non enim eloquentia & diſſerendi ratio, arteſque Græcorum Dialecticæ aut Rhetoricæ pollebant in eis ad ſubigendos Auditorum animos. Mihi ſanè videtur, ſi aliquos opinione vulgi ſapientes, idoneoſque ſapere & loqui ad multitudinis gratiam elegiſſet* JESUS, *quorum in docendo uteretur opera, non evaſurum fuiſſe juſtam ſuſpicionem, quaſi more Philoſophorum novam aliquam Sectam ſuo nomine vellet inſtituere, neque Promiſſum de Divinitate doctrinæ repræſentatum eſſet, quaſi ſermo Dei & prædicatio ejus eſſet in perſuaſione locutionis, & eleganti ac erudita ſtructura dictionum, & fides ad morem illius quam de ſuis dogmatibus habent Philoſophi ſæculi, eſſet in ſapientia hominum, non in virtute Dei. Nunc verò quis videns piſcatores atque publicanos, ac ne prima quidem litterarum ſcientes, confidenter non ſolùm Judæos alloqui de fide in* JESUM, *ſed & inter reliquas gentes eandem efficaciter prædicare, non quæreret unde nacti ſint tantam perſuadendi vim? Non enim erat vulgaris.* Hanc admirandam & incredibilem in imperitis hominibus doctrinam atque virtutem multis illuſtrat. Et demonſtrat locum habuiſſe in ipſis etiam Evangeliſtis.

Tanti enim eſt illos non habere, &c.

Ad hunc locum ſcribit eruditus Aurelianenſium Antiſtes Gabriel Albaſpinæus: *Hæc Tertulliani verba tam involuta ſunt, ut eorum ſententiam interpretes expiſcati non ſint. Ait igitur multa ab hæreticis doceri ac defendi, quæ tametſi veræ fidei conſentanea ſint, ad ea tamen ſtabilienda Scripturæ authoritate & præſidio eos uti nolle, ne ſcilicet ex eiſdem Scripturæ locis aut libellis eorum mendacia convellantur, & in lucem exponantur. Ita fieri ut libellum, quo Acta Apoſtolorum continentur, maximo cum incommodo recuſent. Illud enim,* Tanti, *hoc iſtic ſignificat. Quia ex hoc uno origo Eccleſiæ & formatio, quam fatentur, demonſtrari poteſt. Per traductiones enim cave depravationes*
intelligas cum Rhenano. Sed traductio apud Tertullianum eſt illuſtratio, demonſtratio, detectio. Nam apud eundem traducere eſt in lucem exponere, aperire, detegere. Ad Scapulam: Dæmones quotidiè traducimus. Traducta veritas: *In lucem expoſita. De fuga in perſecutione:* Deum nolo traduci, Cap. 12.
quod ſum confeſſus id eſſe, quod nolo traduci. *Hoc libro.* Nam & ſic facilius traducentur. *Et pluribus poſſem, ſi res majorem lucem deſideraret.* Conſonat Nicolaus Rigaltius, ad extrema Do- Cap. 33.
ctoris verba, *Ne pariter admittantur traductiones eorum, quæ mentiuntur*, ſcribens: *Hoc eſt, ne pariter admittere cogantur, quod mendacia ſua traducat in vulgus.*

Et quidem quod traducere ac traductio apud Tertullianum ſint idem quod detegere ac detectio, eſt longè certiſſimum. Ita enim de variis ejuſdem Propheticæ aut Evangelicæ Scripturæ ſenſibus ille ſcribit in libro de pudicitia: *Errorem omnem traducta*, id eſt, revelata ſeu detecta, *diverſitas evomet.* Et in ſecundo contra Marcionem libro affirmat Marcionitas eſſe ſepias, &
adjungit: *Ut traductionem*, id eſt, detectionem, Cap. 8.
ſui ſentiunt, tenebras hinc blaſphemiæ intervomunt. More ſepiarum. Et in quarto libro ſcribit: *Erubeſcunt de Magiſtro traducto.* Hoc eſt,
detecto & confuſo. Ita & in libro de jejuniis Cap. 10.
ſcribit Regium filium Jonatham qui agreſte mel Cap. 5.
virga guſtaverat, fuiſſe *de delicto traductum.* Hæc phraſis eſt Doctori admodùm frequens. Porro Apoſtolicorum Actuum liber docet nos varia.
Primò, adventum Spiritus Sancti, & per ipſum Cap. 11.
donata Eccleſiæ Chariſmata. Deinde, Catholicæ Eccleſiæ exordium, & varium progreſſum. Iſte liber eſt Chriſtianæ Religioni grande firmamentum. Et hoc omninò noverant etiam Marcionitæ. Attamen eorum nugas etiam patentiſſimè detegit & damnat. Hinc ipſorum aliqui, ne iſtas ſuorum mendaciorum traductiones cogerentur admittere, maluerunt aliquas eorum, quæ nobiſcum defendunt, probationes non habere, atque ita omnem iſtud librum exſufflare. Iſtas traductiones evadere erat illis tanti, ut contenti fuerint aliquarum probationum ſuſtinere jacturam. Rationes, ex quibus Marcion abjecit iſtum librum, edicit Doctor in quinto adversùs ipſum libro: *Cur reſpuatis Apoſtolorum Acta, jam apparet. Ut Deum ſcilicet non alium prædicantia quàm Creatorem, nec Chriſtum alterius quàm Creatoris, quando nec promiſſio Spiritus Sancti aliundè probetur exhibita, quàm de inſtrumento Actorum.* Primum ac ſecundum libri caput ſunt integrè legenda.

CAPUT XXIII.

Quomodo Petrus à Paulo reprehenſus.

PRoponunt ergo ad ſugillandam ignorantiam aliquam Apoſtolorum, quòd Petrus, & qui cum eo, reprehenſi ſint à Paulo. Adeò, inquiunt, aliquid eis defuit. Ut ex hoc etiam illud ſtruant, potuiſſe poſteà pleniorem ſcientiam ſupervenire, qualis obvenerit Paulo reprehendenti Anteceſſores. Poſſumus & hic Acta Apoſtolorum repudiantibus dicere: Prius eſt uti oſtendatis quis iſte Paulus, & quid ante Apoſtolum, & quomodo Apoſtolus: Quatenus & alias ad quæſtiones plurimùm eo utuntur. Neque enim ſi ipſe ſe Apoſtolum de perſecutore profitetur, ſufficit unicuique examinatè credenti; quando nec Dominus ipſe de ſe teſtimonium dixerit. Sed credant ſine Scripturis, ut credant adversùs Scripturas: Tamen doceant ex eo quod allegant Petrum à Paulo reprehenſum, aliam Evangelii formam à Paulo ſuperductam, citrà eam quam præmiſerat Petrus & cæteri. Quin demutatus in Prædicatorem de perſecutore, deducitur ad fratres à fratribus, ut unus ex fratribus, & ad illos ab illis qui ab Apoſtolis fidem induerant. Dehinc, ſicut enarrat, adſcendit Hieroſolymam cognoſcendi Petri cauſa, ex officio & jure ſcilicet ejuſdem fidei & prædicationis. Nam & illi non eſſent mirati, de perſecutore factum Prædicatorem, ſi aliquid contrarium prædicaret: Nec Dominum prætereà magnificaſſent, quia adverſarius ejus Paulus obvenerat. Itaque & dexteram ei dederunt, ſignum concordiæ & convenientiæ. Et inter ſe diſtributionem officii ordinaverunt, non ſeparationem Evangelii: Nec ut aliud alter, ſed ut aliis alter prædicaret; Petrus in Circumciſionem, Paulus in Nationes. Cæterùm ſi reprehenſus eſt Petrum, quod cùm convixiſſet Ethnicis, poſteà ſe à convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu: Utique converſationis fuit vitium; non prædicationis. Non enim ex hoc alius Deus, quàm Creator; & alius Chriſtus, quàm ex Maria; & alia ſpes, quàm reſurrectionis, annuntiabatur.

SCHOLION.

Quod Petrus, & qui cum eo, reprehenſi ſint à Paulo, &c.

EX his lucet quod in ſuperiori capite Doctor egerit in iſtos dumtaxat Gnoſticos, qui garriebant ſolum Apoſtolum Paulum plenè noviſſe faciendi Chriſtiani diſciplinam, ideoque ejus ſolius litteras & dogmata ſibi placere. Hi ergo ad ſugillandam cæterorum Apoſtolorum ignorantiam adduxerunt omnium Coryphæum Petrum fuiſſe circa dogma & prædicationem à Paulo reprehenſum atque correctum. Hinc inferebant Petro ac ejus apud Antiochiam collegis defuiſſe aliquid, adeoque pleniorem poſteà ſcientiam

tiam potuiſſe ſupervenire. Et ex Pauli correctione omninò ſuperveniſſe. Eodem argumento uti-Lib. 2. cap. 11. tur in libris de Republica Eccleſiaſtica Marcus Antonius de Dominis. Affirmat Petrum erraſſe in dogmate. Et urget Sancti Pauli verba in epiſtola Cap. 2. ad Galatas: *Non rectè ambulabant ad veritatem Evangelii*. Et concludit: *Quomodò ergò tota Eccleſia ſuper uno Petro dicenda eſt niti, qui adeò labilis eſt, ut in ipſo limine offendat?* Ab iſta Pauli reprehenſione exiſtimat everti omnem Petri Primatum. Loquitur ex Joanne Calvino, ſcribente ſuper caput ſecundum epiſtolæ: *Iſta reprehenſio ſignum eſt æqualitatis. Fateor quidem, Summos ab Infimis jure reprehendi. Itaque non ſequitur eos, qui quempiam reprehendunt, protinùs eſſe pares. Nam libertas hæc minoribus erga majores permittitur à Deo. Sed qualitas reprehenſionis hic notanda eſt. Neque enim ſimpliciter Paulus reprehendebat Petrum ut Chriſtianus Chriſtianum, ſed id faciebat ex officio, ut loquuntur, hoc eſt, pro jure Apoſtolicæ perſonæ, quam ſuſtinebat. Atque hic altero fulmine proſternitur Romanus Papatus. Præſertim verò coarguitur illa impudentia, quòd Romanus Anti Chriſtus immunem ſe jactat à reddenda ratione, & quod univerſo Eccleſiæ judicio ſe eximit. Hic unus homo non temerè, non illicita audacia, ſed pro conceſſa ſibi à Deo poteſtate Petrum coram tota Eccleſia caſtigat. Et Petrus obedienter correctioni ſe ſubmittit. Immò tota diſputatio duorum iſtorum capitum nihil aliud fuit, quam aperta everſio Tyrannici illius Primatus, quem Jure Divino fundatum garriunt Romanenſes.*

Eſt antiqua calumnia ſcelerati Porphyrii, de qua in præfatione commentariorum ſuper epiſtolam apud Galatas Sanctus Hieronymus: *Bataneotes & ſceleratus Porphyrius in primo operis ſui adverſùm nos libro Petrum à Paulo objecit eſſe reprehenſum, quod non recto pede incederet ad evangelizandum, volens & illi maculam erroris inurere, & huic procacitatis & in commune ficti dogmatis accuſare mendacium. Dum inter ſe Eccleſiarum Principes diſcrepent.* Etiam de graſſantibus apud Galatas Pſeudo-Apoſtolis addit Sanctus Hieronymus: *Aſſerebant Petrum quoque & Jacobum, & totius Judææ Eccleſias Evangelium Chriſticum lege miſcuiſſe. Ipſum etiam Paulum aliud in Judæa facere, aliud nationibus prædicare, & fruſtrà eos in Crucifixum credere, ſi id negligendum putarent, quod Apoſtolorum Principes obſervarent.* Qui Evangelium & legem miſcenda primus hæreticè ſanxit, fuit impius Cerinthus, ideoque & ejus diſcipuli Galatas conturbarunt. Horum de Sancto Petro & aliis apud Circumciſionem Apoſtolis calumniam Gnoſtici reſumpſerunt ut veram, atque ita garriverunt erraſſe Petrum, & à Paulo fuiſſe correptum atque correctum. Et hos magiſtros dilexit Marcus Antonius de Dominis.

Interim iſta Apoſtolicæ reprehenſionis ſpecies non caret ſcrupulis. Hinc de ipſa ſcribit in commentario ſecundi ad Galatas capitis laudatus Hieronymus: *Sunt qui Cepham, cui Paulus in faciem reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ſed alium de ſeptuaginta Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum. Et dicunt nequaquam Petrum à convictu gentium ſe potuiſſe ſubtrahere, qui & Centurionem Cornelium baptizarat. Maximè cum Lucas Scriptor Hiſtoriæ, nullam hujus diſſenſionis faciat mentionem, nec dicat unquam Petrum Antiochiæ fuiſſe cum Paulo. Et locum dari Porphyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum Principem confutaſſe credatur.* Eandem ſententiam refert in ſingulari de his Principum Apoſtolorum Actis homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Ita opinandi fundamentum dicit fuiſſe Sancti Pauli verba: *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Et illi commentabantur: *Quod dixit Apoſtolus*, Ita ut & Barnabas, *indicat fuiſſe multò mirabilius illud, quàm Petrum abductum fuiſſe. Sic enim locutus eſt, ut majorem illum cenſere videatur: Non modò Petrus, inquiens, ſed & Barnabas. Atqui Barnabas Petro illo major non erat.* Et quidem Petrum Barnaba majorem, itemque hujus ſimulationem fuiſſe illius ſimulatione fœdiorem admittit Sanctus Joannes, additque hæc duo quàm optimè cohærere. Et dat cauſam: Quod Barnabas non cum Petro in Circumciſionem, ſed cum Paulo eſſet ordinatus in gentes, ideoque longè plus quàm Petrus obligaretur è gentibus fideles non ſcandalizare, nec dare fomenta, ex quibus crederent Legalia eſſe ſibi neceſſaria. Nervosè demonſtrat iſtum Cepham ſeu Petrum fuiſſe Petrum Apoſtolum. Primus iſtius vanæ opinionis Auctor videtur fuiſſe in ſynopſi de ſeptuaginta duobus Domini Diſcipulis Sanctus Dorotheus: *Cephas. Hunc Apoſtolus Paulus Antiochiæ redarguit. Ejuſdem cognominis cum Petro. Epiſcopus Coniæ factus eſt.* Eſt opus parvi ponderis, & ſuſpectum de ſuppoſitione.

Et ad Gnoſticorum ac Marci Antonii argumentum optimè reſpondet Septimius: *Cæterùm* Cap. 20. *ſi reprehenſus eſt Petrus, quòd cum convixiſſet Ethnicis, poſteà ſe à convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, utique converſationis fuit vitium, non prædicationis.* Et in primo adversùs Marcionem libro ſcribit: *Marcionitæ & ipſum Petrum, cæteroſque, columnas Apoſtolatus, à Paulo reprehenſos opponunt, quod non recto pede incederent ad Evangelii veritatem. Ab illo certè Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans denique ne in vacuum cucurriſſet aut curreret, tunc primùm cum Anteceſſoribus Apoſtolis conferebat. Igitur ſi ferventer, ut adhuc neophytus, adversùs Judaiſmum aliquid in converſatione reprehendendum exiſtimavit, paſſivum ſcilicèt convictum, poſtmodùm & ipſe uſu omnibus omnia futurus, ut omnes lucrifaceret, Judæis quaſi Judæus, & eis qui ſub lege, tanquam qui ſub lege.* Denuò confirmat Petri lapſum non prædicationis fuiſſe, ſed ſolius converſationis vitium, ſcilicèt paſſivum convictum. Addit & quædam alia. Primò, quòd Paulus tunc adhuc fuerit in gratia rudis. Secundò, quod trepidaverit, ne ſua prædicatio in vacuum non cucurriſſet aut curreret. Tertiò, quòd ferventer, ut neophytus, Petrum reprehenderit. Quartò, quod poſtmodò Petri factum probaverit, ac fuerit imitatus. Certè

tè probat & firmat ſcelerati Porphyrii calumniam, qui Paulum arguit proeacitatis. Quin & Paulum erroris arguit, utpotè qui poſtmodò meliora edoctus eadem cum Petro fecerit. Nimius pro recta Petri prædicatione zelus abripuit Septimium. Et ex ipſo Sanctus Hieronymus mutuatus eſt ea omnia, per quæ cenſuit Pauli reprehenſionem fuiſſe diſpenſatotiam ſimulationem.

Iſtud Apoſtolorum factum memorat in epiſtola ad Quintum Mauritaniæ Epiſcopum etiam Sanctus Cyprianus: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de Circumciſione diſputaret, poſtmodùm ſibi vindicavit aliquid inſolenter aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari à novellis & poſteris ſibi potiùs oportere. Nec deſpexit Paulum, quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vendicabat, facilè conſenſit, documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris utiliter ac ſapienter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus.* Sanctus Papa Stephanus Sancti Cypriani de dato extra Eccleſiam Baptiſmo ſententiam proſcripſit ac damnavit, & ſuo Decreto juſſit per omnia parendum. Dixit ſe Epiſcoporum Epiſcopum, Primatem totius Eccleſiæ, ideoque ſine damnationis periculo à nemine ſpernendum. Hoc Papale Imperium Sanctus Cyprianus improbavit, ac durè notavit. Et ipſi oppoſuit humilitatem Sancti Petri, qui corripienti & recta docenti Paulo paruit & credidit, ipſumque voluit à Stephano imitandum. Etiam à ſe recta & legitima, à Stephano devia & falſa doceri credidit, ideoque & talia tradita fuiſſe à Sancto Petro. Petrum circa Dogma erraſſe. In Sancti Cypriani Synodo dixit etiam Zozimus Tharaſſæ Epiſcopus: *Petrus, qui prius circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti.*

Et hunc Sancti Cypriani ſenſum probat & firmat in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus. Adductum Sancti Cypriani locum ſuo libro plenè inſerit, & commentatur:
Lib. 1. *Commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scriptu-*
cap. 1. *ris ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quà veritas poſtulabat, de Circumciſione agere ſolitum, à poſteriori Apoſtolo Paulo eſſe correctum. Si ergo potuit Petrus non rectè in aliquo ingredi ad veritatem Evangelii, ita ut gentes cogeret judaizare; ſi potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſteà Eccleſia tenuit, cogere gentes judaizare, cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſteà tota Eccleſia tenuit, cogere hæreticos vel ſchiſmaticos denuò baptizari?* Diſertè ac lucidè aſſeverat, uti Cyprianum, ita & Petrum à prædicationis regula deviaſſe. Cyprianum circa Baptiſmum, Petrum circa Circumciſionem. Quod Cyprianus hæreticos & ſchiſmaticos ad novum Baptiſma, Petrus gentes coegerit ad circumciſionem. Hinc ſubjungit: *Si quiſquam nunc cogat circumcidi aliquem more Judaico, & ſic baptizari, multò ampliùs deteſtatur hoc genus humanum, quàm ſi cogatur rebaptizari. Quapropter cùm Petrus illud faciens à Paulo poſteriore corrigitur, quantò faciliùs & fortiùs, quod per univerſæ Eccleſiæ Statuta firmatum eſt, vel unius Epiſcopi authoritati, vel unius Provinciæ Concilio eſt præferendum?* Quod ipſum repetit in pluribus locis iſtius operis.

Reſpondeo Sanctum Cyprianum ſuo errori fomenta fuiſſe venatum undequaque, atque ita circa hanc Apoſtolorum quæſtionem fuiſſe patenter circumſcriptum. De circumciſionis aut alliua legalis Sacramenti neceſſitate nulla unquam fuit inter ipſos quæſtio, ſed ſola Sancti Petri circa Legalem victum ex advenarum Judæorum metu ſimulata converſatio Sancto Paulo non placuit, & fuit meritò reprehenſa. Et circumſcripti Cypriani veſtigia Sanctus Auguſtinus ſequitur, ac ex ipſis elicit magnam veritatem. Ex ipſis demonſtrat Sancti Cypriani circa Baptiſma lapſum non favere Donatiſtis, uti ſimilis Sancti Petri circa Circumciſionis neceſſitatem lapſus non favit hæreticis Nazaræis. An cenſuerit Sanctum Petrum iſto in puncto fuiſſe lapſum, ex eo loco non plenè conſtat. Videtur adductum à Cypriano exemplum nec probaſſe, nec diſcuſſiſſe, ſed ex ipſo, qualecumque eſſet, Donatiſtas duntaxat
reviciſſe. Ita præſertim inſinuat ejus Reſpon- Lib. 3.
ſum ad Synodale ſuffragium Zozimi Epiſcopi cap. 7.
Tharaſſenſis. Verùm in Commentariis epiſtolæ ad Galatas lucidè docet cum Sancto Cypriano, atque ita verius eſt, quòd & ipſe cenſuerit Petrum in dogmate erraſſe. Quidquid ſit, in ſeptimo laudati operis libro inſigniter exſufflat nugas Joannis Calvini, & Marci Antonii de Dominis. Uti Donatiſtarum ex Sancti Cypriani, ita Nazaræorum hæreſim affirmat natam ex Sancti Petri errore & lapſu, atque adjungit: *Sicut ergò Nazaræi, Petro in Primatu Apoſtolorum martyrii gloria coronato, in ſua perverſitate præciſi ab Eccleſia remanſerunt; ita Donatiſtæ, Cypriano per abundantiam charitatis in ſortem Sanctorum paſſionis charitate ſuſcepto, ſeipſos agnoſcunt exules veritatis.* Palàm affirmat Petri, licèt fuiſſet prædicationis, lapſum ejus Primatui non obfuiſſe. Quod ipſum lucidè confirmat in Commentariis epiſtolæ ad Galatas. Quia nempè Dogmatica infallibilitas non eſt Sancti Petri aut Succeſſorum perſonæ data à Chriſto Domino, ſed Romanæ Cathedræ. Ita dictavit Sanctus Gregorius ſeptimus. Et Dictatus veritatem Synodalia Scholia amplè demonſtrarunt. Interim Petrus circa Dogma non fuit lapſus. Ejus lapſus fuit ſolius converſationis. Et quòd Nazaræorum hæreſis ex ejus lapſu non traxerit originem, eſt facilè demonſtratu. Etiam inter ejus in Romano Epiſcopatu Succeſſores nemo unquam eſt lapſus in hæreſim. Sanctus Cyprianus ac Sanctus Auguſtinus hac in re non ſunt ſequendi.

Poſſi-

Poſſimus & hic Acta Apoſtolorum repudiantibus dicere, &c.

Doctor affirmat Apoſtolicorum Actuum librum ab illis Gnoſticis, qui ſolum Paulum blaterabant ſincera prædicaſſe, imprudentiſſimè exſufflari. Etenim Sancti Pauli Apoſtolatus nullum habet alienum Canonicum teſtimonium, niſi ab iſto libro. Ex quo lucet ſecundam Sancti Petri epiſtolam, quæ iſtum Apoſtolatum laudat, non fuiſſe Septimio Canonicam. Eodem tendunt hæc verba: *Priùs eſt uti oſtendatis, quis iſte Paulus, &c.* Affirmant Pauli converſionem, aliaque Divinæ gratiæ in ipſum ſingularia beneficia nonniſi ex iſto libro poſſe probari. Et dat rationem: *Neque enim ſi ipſe Apoſtolum de perſecutore profitetur, ſufficit unicuique examinatè credenti, quando nec Dominus ipſe de ſe teſtimonium dixerit.* Affirmat admirabilem Pauli converſionem ac Apoſtolatum firmari non poſſe ex ſolis ipſius litteris. Etenim his reponi poſſit, quod Domino ſe Dei Filium prædicanti repoſuèrunt Judæorum
Joan. 8. Principes: *Tu de temetipſo teſtimonium perhibes,*
Cap. 5. *teſtimonium tuum non eſt verum.* Et ipſe Dominus dixit: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Utique & Deus Pater, & ab ipſo miſſus Joannes Baptiſta, & omnis Lex atque Prophetæ. Hinc Septimius concludit etiam Sancto Paulo fuiſſe neceſſarium teſtimonium à libro Actorum. Quæ concluſio an ſit firma, eſt multæ quæſtionis. Notanda ſunt verba: *Examinatè credenti.* Affirmant fidei, ut temeraria non ſit, eſſe neceſſaria ſua motiva, & eorundem legitimum examen. Præſentem ſcopum reſpiciunt & hæc verba: *Sed credant ſine Scripturis, ut credant adverſùs Scripturas.* Affirmant iſti Gnoſticorum claſſi in Actorum librum fuiſſe odium adeò hoſtile, ut Sancti Pauli Apoſtolatum ac in ipſo eminentiam maluerint ſine Scripturis, adeoque & non examinatè credere, quàm iſtum librum admittere. Et addunt odii cauſam: Ut poſſint contra Scripturas credere. Ut Sancti Pauli cum àliis Apoſtolis, præſertim cum Sancto Petro, in doctrina unitatem, quam iſte liber manifeſtiſſimè demonſtrat, poſſent ſine redargutionis periculo impugnare. Videantur duo priora capita quinti libri contra Marcionem.

Tamen doceant ex eo, quod allegant, &c.

Doctor affirmat Gnoſticos ex repudiato Apoſtolicorum Actuum libro non pertingere ad finem ſuæ blaſphemiæ, garrientis aliter Petrum, aliter docuiſſe Paulum. Et amplè demonſtrat ex ipſa ad Galatas epiſtola, unico blaſphemantium fundamento. Demonſtrat eſſe pravum intellectum, ideoque caducum fundamentum, & concludit: *Inter ſe diſtributionem officii ordinaverunt, non ſeparationem Evangelii. Nec ut aliud alter, ſed ut aliis alter prædicaret: Petrus in Circumciſionem, Paulus in nationes.* Iſtam officii diſtributionem in commentario epiſtolæ ad Galatas inſigniter exponit Hilarus Romanæ Eccleſiæ Diaconus. Sancti Pauli verba, *Cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro Circumciſionis, qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes,* commentatur: *Petrum ſolum nominat Paulus, & ſibi comparat, quia Primatum ipſe acceperat ad fundandam Eccleſiam, ſe quoque pari modo electum ut Primatum habeat in fundandis gentium Eccleſiis, ita tamen, ut & Petrus gentibus prædicaret, ſi cauſa fuiſſet, & Paulus Judæis. Nam uterque invenitur utrumque feciſſe. Sed tamen plena authoritas Petro in Judaiſmi prædicatione data dignoſcitur, & Pauli perfecta authoritas in prædicatione gentium invenitur. Undè & magiſtrum gentium ſe vocat in fide & veritate. Unuſquiſque enim pro viribus ſuis diſpenſationem ſortitus eſt. Difficilius enim fuit eos, qui longè à Deo erant, ad fidem ſuam attrahere & ſuadere, quàm proximos.* Quod Judæi præ gentibus fuerint Domino Deo viciniores, adeoque ad Evangelicam veritatem converti faciliores, multis demonſtrat in quarto ſui operis libro Sanctus Irenæus, & concludit: *Quapropter plus laborabat, qui in gentes Apoſtolatum acceperat, quàm qui in Circumciſione præconabant filium Dei.* Cap. 41.
Ita intelligit Sancti Pauli ad Corinthios verba: *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi.* Et huc reſpicit præfatus Epiſt. 1. cap. 15.
Hilarus: *Unuſquiſque pro viribus ſuis diſpenſationem ſortitus eſt.* Apoſtolicæ prædicationis vires affirmat in Paulo fuiſſe majores, quàm in Petro. Quæ interpretatio indiget maturo examine. Quidquid ſit, Apoſtolus rectè ſubjungit: *Sive ego, ſive illi, ſic prædicamus.* Evertit præſentem Gnoſticorum blaſphemiam.

Pergit Apoſtolus in epiſtola ad Galatas: *Cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in Circumciſionem.* Et memoratus Hilarus: *Ab Apoſtolis, qui clariores inter cæteros erant, quos & firmitatis cauſa columnas appellat, quique cum Domino ſemper in Secretis fuerant, gloriam ejus digni in monte conſpicere, ab his probatum dicit donum quod accepit à Deo, ut dignus eſſet habere Primatum in prædicatione Gentium, ſicut & habebat Petrus in prædicatione Circumciſionis. Et ſicut dat Petro ſocios viros egregios inter Apoſtolos, ita & ſibi jungit Barnabam, qui Divino judicio ei adjunctus eſt, gratiam tamen Primatus ſibi ſoli vendicat conceſſam à Deo, ſicut & ſoli Petro conceſſa eſt inter Apoſtolos.* Supremum Petri Primatum non evertit Hilarus. Lucet ex ejus ſequentibus de Petri in ſimulationem

nem lapſu in verbis: *Quis eorum*, utique cæterorum Apoſtolorum, *auderet Petro primo Apoſtolo, cui claves Regni Cœlorum Dominus dedit, reſiſtere, niſi alius talis qui, fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem, conſtanter improbaret, quòd ille ſine conſilio fecerat?* Etiam affirmat ac demonſtrat Petri lapſum fuiſſe ſolius converſationis, non prædicationis. Porrò Petri Primatus apud omnes fuit ſemper adeò lucidus, ut antiquus gentilium Scriptor Phlegon Petrum cum Chriſto conſuderit. Utique cauſa Primatus. Ita in ſecundo contra Celſum libro teſtatur Origenes.

Non enim ex hoc alius Deus, &c.

Hi ſunt tres palmares cum Marcionitis & reliquis Gnoſticis controverſiæ articuli: De Deo Creatore, de ejus Filio JESU-CHRISTO, ac de carnis reſurrectione. Et Septimius dicit duo. Primò, quòd Sanctus Petrus non circa prædicationem ſit lapſus, ſed dumtaxat circa converſationem. Secundò, quòd ejus hic, licèt circa prædicationem fuiſſet, lapſus non patrocinetur Gnoſticis. Nec enim circa iſtorum trium articulorum aliquem fuit, ſed dumtaxat circa neceſſitatem Legalium. Affirmat omnes Apoſtolos circa iſtos tres articulos firmiſſimè & palàm concordaſſe. Lucidiùs & ampliùs hæc ſcribit in quarto libro adversùs Marcionem: *Porrò ſi reprehenſus eſt*
Cap. 3. *Petrus, & Joannes, & Jacobus, qui exiſtimabantur columnæ, manifeſta cauſa eſt. Perſonarum enim reſpectu videbantur variare convictum. Et tamen cum ipſe Paulus omnibus omnia fieret, ut omnes lucraretur, potuit & Petro hoc in conſilio fuiſſe aliquid aliter agendi, quam doceret. Proinde ſi & Pſeudo-Apoſtoli irrepſerant, horum quoque qualitas edita eſt, Circumciſionem vindicantium, & Judaïcos Faſtos. Adeò non de prædicatione, ſed de converſatione à Paulo denotabantur, æquè denotaturo, ſi quid de Deo Creatore aut ejus Chriſto erraſſent. Igitur diſtinguenda erunt ſingula. Si Apoſtolos prævaricationis & ſimulationis ſuſpectos Marcion haberi queritur uſque ad Evangelii depravationem, Chriſtum jam accuſat, accuſando quos Chriſtus elegit. Si verò Apoſtoli quidem integrum Evangelium contulerunt, de ſola convictus inæqualitate reprehenſi, Pſeudo-Apoſtoli autem veritatem eorum interpolaverint, & inde ſunt noſtra Digeſta, quod erit germanum illud Apoſtolicum inſtrumentum, quod adulteros paſſum eſt?*

Palmaris, quem utroque in loco Septimius impugnat, Marcionis error eſt paucis exponendus. Omnia quatuor præter ſuum, quod Sancti Lucæ dicebat, Evangelia garriebat ille vitiata & falſata. Quæſtio erat de falſationis authore. Et ajebat ille ipſos eſſe varios. Nempè non dumtaxat notatos frequenter à Sancto Paulo Pſeudo-Apoſtolos, ſed & ipſos Evangeliſtas. Etenim etiam ſupremos Apoſtolorum Principes ac Eccleſiæ columnas, Petrum, Joannem, ac Jacobum ajebat fuiſſe reprehenſibiles ac à Paulo reprehenſos, ideoque etiam Marcum & Matthæum potuiſſe deviare. Et Septimius purgat præſertim tres Primates Apoſtolos. Affirmat eos integrum Evangelium contuliſſe, & de ſola victus inæqualitate fuiſſe reprehenſos, ideoque ipſorum lapſum, ſi tamen lapſum, fuiſſe ſolius converſationis. Omnes de Deo Creatore & Domino JESU Chriſto conveniſſe, & per omnia idem prædicaſſe. Hinc ab iſta circa legales cibos diſceptatione nugaces Marcionis fabulas nihil adjuvari. Et quidem Septimius contra manifeſtum Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ contextum affirmat cum Petro lapſos fuiſſe etiam Joannem & Jacobum. Videtur Marcioniticæ calumniæ veſtigia inſecutus, ideoque hunc errorem retuliſſe dumtaxat, non probaſſe. Aut certè fuit memoria lapſus.

CAPUT XXIV.

Reprehendebant Apoſtoli quæ & ipſi ex cauſa committebant.

NOn mihi tam benè eſt, immò non mihi tam malè eſt, ut Apoſtolos committam. Sed quoniam perverſiſſimi iſti illam reprehenſionem ad hoc obtendunt, ut ſuſpectam faciant doctrinam ſuperiorem, reſpondebo quaſi pro Petro: Ipſum Paulum dixiſſe factum ſe eſſe omnibus omnia, Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, ut omnes lucrifaceret. Adeò pro temporibus & perſonis

perſonis & cauſis quædam reprehendebant, in quæ & ipſi æquè pro temporibus & perſonis & cauſis committebant: Quemadmodum ſi & Petrus reprehenderet Paulum: quod prohibens circumciſionem, circumciderit ipſe Timotheum. Viderint qui de Apoſtolis judicant. Benè quòd Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. Sed etſi in tertium uſque cœlum ereptus Paulus, & in Paradiſum delatus audiit quædam illic, non poſſunt videri fuiſſe, quæ illum in aliam doctrinam inſtructiorem præſtarent; cùm ita fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur. Quod ſi ad alicujus conſcientiam manavit neſcio quid illud, & hoc ſe aliqua hæreſis ſequi affirmat; aut Paulus Secreti proditi reus eſt, aut & alius poſteà in Paradiſum ereptus debet oſtendi, cui permiſſum ſit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit.

SCHOLION.

Non mihi tam benè eſt, &c.

DOctor jam datam de Petri lapſu doctrinam retractat. Quærit, An Petrus fuerit reverà lapſus, adeoque & reprehenſibilis? An à Sancto Paulo fuerit ſeriò reprehenſus? An iſti Apoſtolorum Primates reverà & ſeriò inter ſe diſceptaverint? Et ante omnia edicit cauſam, ex qua Marcionitæ ac alii Gnoſtici iſtam diſceptationem avidiſſimè apprehenderint, ac pertinaciſſimè ſuſtinuerint. Nempè *ut ſuſpectam facerent doctrinam ſuperiorem*. Ad quæ verba ſcribit eruditus Gabriel Albaſpinæus: *Plerique cum interpretibus exiſtimant hiſce verbis*, Doctrinam ſuperiorem, *ea intelligi debere, quæ Apoſtoli ante Pauli adventum prædicarant. Verùm ſi animadverterent ejuſmodi hæreticos non ſolam Petri, verùm etiam Pauli, cæterorumque Apoſtolorum doctrinam ſuſpectam habuiſſe, concederent mihi hæc de omni ea doctrina accipi debere, quã dicebant pleniorem poſtea ſupervenire poſſe.* Reſpondeo tamen Interpretes recta ſentire. Etenim Tertullianus agit adversùs Marcionem, & alios ejuſdem claſſis Gnoſticos, qui admittebant ſolas Sancti Pauli litteras. Qui Paulum cum aliis Apoſtolis committebant. Qui non ſolum Petrum, ſed etiam Joannem ac Jacobum dicebant à Paulo reprehenſos & correptos, ideoque hos poſt illius adventum cœpiſſe aliter prædicare. Et ſe fundabant in epiſtola ad Galatas.

Reſpondebo quaſi pro Petro, &c.

Eundem in ſenſum Doctor ſcribit in quarto
Cap. 3. libro adversùs Marcionem: *Et tamen cum ipſe Paulus omnibus omnia fieret, ut omnes lucraretur, potuit & Petro hoc in conſilio fuiſſe aliquid aliter agendi, quàm docebat.* Exponit in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Is qui eſt cognitione præditus, quidquid habet in mente, id etiam fert in lingua apud eos qui digni ſunt audire, ex aſſenſione & certa ſcientia ſimul dicens & vivens. Vera enim ſimul ſentit & dicit, niſi quando* Fol 730.
locum medicinæ, ut Medicus ad ægrotantes, ad eorum, qui laborant, ſalutem mentietur, aut ſaltem dicet, ut ajunt Sophiſtæ. Ecce enim Timotheum præclarus circumcidit Apoſtolus, cùm vociferaretur & ſcriberet Circumciſionem manufactam nihil prodeſſe, ſed ne repentè à lege avellens, ad eam quæ eſt ex fide cordis circumciſionem adhuc reluctantes eos qui audiebant Hebræos, à Synagoga ſeſe cogeret diſtrahere, ſe Judæis accomodans factus eſt Judæus ut omnes lucrifaceret. Gentilium Sophiſtarum ſenſum exponit apud Origenem Celſus Philoſophus: *Pro medicamento interdum permittitur uſus impoſturæ ac mendacii.* Et adjungit: *Sic & cum* Lib. 4: fol. 171.
inimicis agendum ad effugiendum periculum. Iſtam regulam probat Sanctus Clemens, affirmatque ipſa uſum fuiſſe etiam Sanctum Paulum in Circumciſione Timothei. Affirmat omnia legalia Sacramenta fuiſſe ab ipſo reprobata, quandoque tamen contra mentem accepta aut data ad carnalibus Judæis impartiendum quandam fraternæ compaſſionis medicinam. Eandem doctrinam ad Sanctum Petrum à quovis vitio plenè purgandum hic probat & aſſumit Septimius. Affirmat ipſum fuiſſe adeò alienum à prædicationis vitio, ut nec in converſationem impegerit. Affirmat Marcionem & alios Gnoſticos circa iſtam Principum Apoſtolorum diſceptationem adeò falli. Affirmat Petrum in iſto facto nec fuiſſe reprehenſibilem: Utpotè qui nihil fecerit, quòd non fecit etiam Paulus. Præſertim in Circumciſione Timothei. Affirmat utriuſque factum fuiſſe diſpenſatorium ac ſimulatorium: Medicinale mendacium. Lucidè ſemetipſum exponit in libro de Monogamia: *Paulus quædam adversùs formam* Cap. 14.
regulæ ſuæ pro conditione temporum geſſit, circumcidens Timotheum propter ſuperinductos falſos fratres, & raſos quoſdam inducens in templum propter obſervationem Judæorum. Ille qui Galatas, in lege volentes agere, caſtigat. Sed ita res exigebant, ut omni-

omnibus omnia fieret, quò omnes lucrifaceret. Affirmat Paulum egiſſe contra ſuum regulam, id eſt, contra ſuam mentem ſimulaſſe.

Et hinc ſurrexit alia quæſtio: Qua ratione Paulus Petrum corripuiſſet? Et in primo adversùs Marcionem libro Tertullianus reſpondit:

Cap. 3. *Nam & ipſum Petrum, cæteroſque, columnas Apoſtolatus, à Paulo reprehenſos opponunt, quòd non rectè pede incederent ad Evangelii veritatem. Ab illo certè Paulo, qui adhuc in gratia rudis, trepidans deniquè ne in vacuum cucurriſſet aut curreret, tunc primùm cum Anteceſſoribus Apoſtolis conferebat. Igitur ſi ferventer, ut adhuc Neophytus, adversùs Judaiſmum aliquid in converſatione reprehendendum exiſtimavit, paſſivum ſcilicet convictum, poſtmodum & ipſe uſu omnibus omnia futurus, ut omnes lucraretur; Judæis quaſi Judæus, & eis qui ſub lege tamquam ſub lege: Tu illam ſolius converſationis, placituræ poſteà accuſatori ſuo, reprehenſionem ſuſpectam, vis haberi etiam de prædicationis erga Deum prævaricatione.* Affirmat Paulum tunc in Apoſtolatus officio fuiſſe adhuc neophytum & rudem, adeoque poſtmodò meliora ſapuiſſe & docuiſſe. Quæ reſponſio palàm exorbitat, & eſt non toleranda. Dum ſtudet fumum fugere, incurrit in flammam. Notanda ſunt verba: *Cæteroſque à Paulo reprehenſos opponunt.* Edicunt quòd Gnoſtici non ſolùm aſſererent Petrum cum Barnaba, ſed etiam Jacobum & Joannem apud Antiochiam deliquiſſe. Eſt manifeſtus error. Et ipſum, ut Gnoſtici argumenti lineam inſequeretur, Septimius tranſire potiùs permiſit, quàm probavit. Ita omninò videtur. Notanda ſunt & hæc verba: *Etiam de prædicationis erga Deum prævaricatione.* Affirmant quòd ex illo Petri lapſu Gnoſtici intulerint ipſum etiam circa Deum Creatorem ac ejus Chriſtum potuiſſe labi ac eſſe lapſum. Et hanc præſertim calomniam evertit Septimius.

Eandem ſententiam ſequitur in Commentario epiſtolæ ad Galatas Sanctus Hieronymus: *Ex eo quod Petrus, antequam quidam de Hieroſolymis Antiochiam venirent, edebat cum gentibus, oſtenditur non eum oblitum fuiſſe Præcepti, nullum hominem communem & immundum dicere. Sed quia propter eos, qui adhuc legem obſervandam putabant, paulatim ſe à convictu ſubtraxerat gentium, hi qui Antiochiæ crediderunt ex gentibus, nec fuerant circumciſi, compellebantur ad legis onera tranſcendere, non intelligentes diſpenſationem Petri, qua Judæos ſalvari cuperet; ſed putantes ita ſe Evangelii habere rationem. Cum itaque vidiſſet Apoſtolus Paulus periclitari gratiam Chriſti; nova bellator vetus uſus eſt arte pugnandi: Ut diſpenſationem Petri, qua Judæos ſalvari cupiebat, nova ipſe contradictionis diſpenſatione corrigeret, & reſiſteret ei in faciem, non arguens Propoſitum, ſed quaſi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens reſiſtebat, hi qui crediderant ex gentibus ſervarentur. Quod ſi putat aliquis verè Paulum Petro Apoſtolo reſtitiſſe, & pro veritate Evangelii intrepidè feciſſe injuriam Prædeceſſori, non ei ſtabit illud, quod & ipſe Paulus Judæis Judæus factus eſt, ut Judæos lucrifaceret; & ejuſdem ſimulationis tenebitur reus, quando caput totondit in Cenchris, & facto calvitio oblationem obtulit in Hieruſalem, & Timotheum circumcidit, & nudipedalia exercuit, quæ utique manifeſtiſſimè ſunt de cæremoniis Judæorum. Si itaque & ipſe fecit aliqua, quæ contraria eſſent Evangelii libertati, ne ſcandalizaret Judæos, qua authoritate, qua fronte audet hoc in Petro reprehendere qui Circumciſionis Apoſtolus erat, quòd ipſe Apoſtolus Gentium arguitur commiſiſſe? Sed reſtitit ſecundùm faciem publicam Petro & cæteris, ut hypocriſis obſervandæ Legis, quæ nocebat eis qui ex gentibus crediderant, correptionis hypocriſi emendaretur, & uterque populus ſalvus fieret: Dum & qui Circumciſionem laudant, Petrum ſequuntur; & qui circumcidi nolunt, Pauli prædicant libertatem. Utilem verò ſimulationem, & aſſumendam in tempore, Jehu Regis Iſrael nos doceat exemplum, qui cùm non potuiſſet interficere Sacerdotes Baal, niſi ſe finxiſſet velle colere idolum. Et David, quando mutavit faciem ſuam coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit. Nec mirum, quamvis juſtos homines, tamen aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam & aliorum ſalutem, cum & ipſe Dominus noſter non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis aſſumpſerit, ut condemnans in carne peccatum, nos in ſe faceret juſtitiam Dei.*

A Domino præceptum fraternæ correptionis ordinem exponit, & proſequitur: *Et quomodo cum etiam de minimis fratribus hoc faciendum,* iſtum ſervandum ordinem, *Dominus juſſerit, Paulus eſt auſus Apoſtolorum maximum in publica facie tam procaciter, tam conſtanter arguere, niſi & Petro ſic placuiſſet argui, & Paulus non ei faceret injuriam. Aliquoties cum adoleſcentulus Romæ controverſias declamarem, & ad vera certamina fictis me litibus exercerem, currebam ad Tribunalia Judicum, & diſertiſſimos Oratorum tanta inter ſe videbam acerbitate contendere, ut omiſſis ſæpè negotiis in proprias contumelias verterentur, & joculari ſe invicem dente morderent. Si hoc illi faciunt, ut apud reos nullam ſuſpicionem prævaricationis incurrant, & fallunt populum circumſtantem, quid putamus tantas Eccleſiæ columnas, Petrum & Paulum, tanta vaſa ſapientiæ, inter diſſidentes Judæos atque gentiles facere debuiſſe? Niſi ut eorum ſimulata contentio fieret pax credentium, & Eccleſiæ fides ſancto inter eos jurgio concordaret?* Sancti Pauli de Sancto Petro verbum, *Quia reprehenſibilis erat,* feriit Sancti Hieronymi oculos: Et certè evertit iſta omnia. Hinc ille pergit. *Intelligamus non tam Paulo eum fuiſſe reprehenſibilem, quàm his fratribus, cum quibus anteà edens, ſe ab eis poſteà ſeparabat.* In litteris ad Sanctum Auguſtinum ſcribit ſe hæc docere ex Origene, Didymo Alexandrino, Apollinario Laodicenſi, Alexandro vetere hæretico, Euſebio Emiſeno, Theodoro Heracleote, ac Sancto Joanne Chryſoſtomo. Addere potuerat etiam Sanctum Clementem Alexandrinum.

Certè Sanctus Auguſtinus hanc doctrinam meritò improbavit. Eſt enim infecta variis erroribus. Primus eſt, quòd Sanctus Paulus non ſo-

lum-

ſummodò conſtanter, ſed etiam procaciter Sanctum Petrum reprehenderit. Eſt ſcelerati Porphyrii calumnia, non dumtaxat per Origenem damnata, ſed & per ipſum Sanctum Hieronymum. Secundus error eſt, quod Jehu idololatriam ſimulando non peccaverit. Et quòd iſtiuſmodi ſimulatio ex cauſis liceat. Id nulla ex cauſa licere eſt ſuprà demonſtratum. Tertius error eſt, quod Chriſtus Dominus babuerit ſimulationem carnis peccati. Habuit enim ejus ſimilitudinem, nullatenùs ſimulationem. Omnes infirmitates ac pœnalitates, ob quas ejus ſanctiſſima Caro fuit peccatricis carnis ſimilitudo, fuerunt veræ, nulla ſimulata. Quartus error eſt, quòd dicat utrumque Apoſtolum & verbo & exemplo egiſſe hypocriſim, ideoque fuiſſe mendacem. Quintus eſt, quòd dicat Sanctum Paulum etiam in ſuis Canonicis litteris diſpenſatoriè mentiri. Dicit enim Paulus Petrum fuiſſe & veraciter reprehenſibilem, & à ſe veraciter reprehenſum. Sanctus Hieronymus cenſet utrumque falſum. Sextus error eſt, quod dicat Apoſtolorum Principes in Evangelico miniſterio egiſſe hiſtrionico more, & cum forenſibus Rabulis circumſtantem populum, imò & ipſos ſuos clientes per ficta litigia decepiſſe, & ita ſe purgaſſe à ſuſpicione colluſionis aut prævaricationis.

Iſtorum omnium Scriptorum, ex quibus ſe docere affirmat beatus Hieronymus, Senſa diſcutere eſſet longum. Audire tamen juvat Senſa Sancti Joannis Chryſoſtomi. De hac Apoſtolorum diſceptatione ſcripſit ille ſingularem ſermonem; in ipſo exponit quid Sanctus Paulus intel- Tom. 5. ligat per *gentiliter vivere*, ac pergit: *Cum igitur Petrus ita viveret, deſcenderunt quidam à Jacobo Judæi, hoc eſt, ex Hieroſolyma, qui quod in Metropoli ſemper verſati eſſent, neque quemquam viderant ita viventem, adhuc anticipatam illam Judaicam opinionem retinebant, multaſque ex obſervationibus illis ſecum trahebant. Hos cum vidiſſet Petrus, qui à Jacobo & Hieroſolyma deſcenderant, qui adhuc infirmi erant, timeretque ne ſcandalum paſſi reſilirent à fide, mutatus eſt rurſùm, & omiſſa gentilis vitæ ratione ad priorem redit condeſcenſionem, & ciborum obſervationes cuſtodivit. Illum ergo Judæi cum vidiſſent, qui Antiochiæ verſabantur, id agentem, neque ejus mentem perſpectam haberent, qua id agebat, abducti ſunt & ipſi, & propter magiſtrum judaizare cogebantur. Atque hoc eſt quod Paulus reprehendit.* Nec ſoli ex Antiochena plebe Judæi, ſed & ipſorum Doctor Barnabas fuit Petri exemplo in iſtam ſimulationem circumſcriptus. Ita illi omnes Antiochenos ex gentibus fideles cogebant judaizare. Hæc eſt germana facti ſpecies. An ante Apoſtolicam de Legalibus Synodum contigerit, Sanctus Auguſtinus dubitat. Certum eſt antè contigiſſe. Nam poſt illam non ſoli Antiocheni, ſed etiam Hieroſolymitani Judæi plenè norant & gentilem & Judaicam vitam eſſe etiam ſibi indifferentem, ideoque ad hos non ſcandalizandos Petrus non debuiſſet è gentili vita ad Judaicam ſimulatoriè tranſire.

Laudatus Joannes affirmat eſſe difficilem facti ſpeciem, & circa ipſam eſſe duas ſententias. Prima affirmat reprehenſum Cepham non fuiſſe Sanctum Petrum, ſed neſcio quem è ſeptuaginta diſcipulis. Eam per adducta à nobis ſuperiùs verba refutat, affirmat fuiſſe ipſum Apoſtolorum Principem, atque proſequitur: *Rectè Petrum reprehendebat Paulus, quòd ultrà modum condeſcenſione uteretur. Nam qua ratione ipſe, cum eſſet Hieroſolymis, condeſcendebat Judæis, eadem quoque illum oportuit, cum Antiochiam veniſſet, non ad Judæos reſpicere, ſed ad eos qui crediderant ex gentibus. Ut enim cum omnes erant Judæi, etiam Paulus judaizare coactus eſt, ita cum plures erant ex gentibus, nec ullam civitas condeſcenſionis neceſſitatem afferebat, non oportebat propter paucos Judæos ſcandalo eſſe tot gentibus.* Huc uſque benè. Etenim & gentilis & Judaica vita erant tunc licitæ ac indifferentes fidelibus Judæis, & ipſi etiam Apoſtoli ex rationibus poterant uti utraque, & ob rationes fuerunt uſi. Verùm apud Antiochiam Sanctus Petrus ſuo iſto ſubito ab iſta ad hanc tranſitu dedit ſcandaloſum fundamentum, ex quo adſtantes ex gentibus fideles crederent iſtam libertatem non adveniſſe per Chriſtum Dominum, ſed perſeverare avitam Legalium ſervandorum, adeoque & ſuſcipiendi Proſelytiſmi neceſſitatem. Ita Petrus non verbo ſuadebat, ſed exemplo, atque ita cogebat gentes judaizare. Et hinc fuit verè & graviter reprehenſibilis, meritòque à Sancto Paulo reprehenſus. Iſtud ejus peccatum omninò fuiſſe mortiferum ſcribit Sanctus Augu- Cap. 30. ſtinus in libro de agone Chriſtiano.

At hoc Sancto Joanni Chryſoſtomo non placuit. Vult nec Petrum ſimulando, nec reprehendendo Paulum deliquiſſe. Hinc pergit: *Id potiſſimùm quærimus, quo pacto & hunc & illum reprehenſione liberemus. Quonam igitur pacto id fiet? Si qua mente unus increpaverit, & alter fuerit increpatus, diſcamus, & ſententiam illam explicemus.* Affirmat ac multis demonſtrat utrumque intellixiſſe alterum, & ſimulaſſe. Ait Petrum fuiſſe ſponte incuſatum, ut haberet campum ac fiduciam etiam Judæos increpandi. Audi exemplum: *Hoc etiam fit in contractibus ſæcularibus. Nam ſi quando nonnulli civilium Tributorum reliqua debebant, ac deinde illi, qui exacturi ſunt, non audeant, ſed erubeſcant vehementiùs illos urgere, ut majorem captent occaſionem ac facultatem illis vehementiùs inſtandi, à commilitonibus ſpoliari ſe iubeant, & conviciis affici, atque aliis innumeris vexari malis in conſpectu illorum, ut dum iſta fiunt, nequaquam ex ſe aut ſua ſponte, ſed impoſita à cæteris neceſſitate videantur illos urgere. Et illata à cæteris contumelia apud alios ipſis obnoxios excuſationis anſam ſuppeditat.* Eſt exemplum à forenſium Declamatorum exemplo, quo uſus fuit Sanctus Hieronymus, non abſimile. Diſertè Joannes ſcribit & Petri paſſivam & activam Pauli reprehenſionem fuiſſe diſpenſatoriam ac ſimulatam. In primo ſuper decimum Sancti Hieremiæ caput ſermone affirmat iſtam controverſiam & pugnam, quæ eſſe videbatur, fuiſſe quavis pace utiliorem. Quod ipſum tradit in commen- Tom. 3. tariis epiſtolæ ad Galatas. Eandem ſententiam hic ſequitur Septimius, atque ita adverſùm Marcio-

ſionitas concludit Petrum nec in converſationem deliquiſſe. Attamen cum formidine. Hinc adjungit: *Viderint qui de Apoſtolis judicant*. Etenim ſubditus nequit Principem aut ejus factum judicare. Et pergit Septimius; *Benè quod Petrus Paulo & in martyrio adæquatur*. Hinc concludit ipſum nec in prædicatione fuiſſe Paulo inferiorem.

Meritò loquitur cum formidine. Quod enim nec Petri lapſus, nec Pauli reprehenſio fuerint diſpenſatoriæ ſimulationes, adverſùs Sanctum Hieronymum conſtanter & frequenter demonſtrat Sanctus Auguſtinus. Demonſtrat Petrum ex Hieroſolymitanorum Judæorum, qui Legalium ceſſationem ac Evangelicam libertatem necdum plenè callebant, metu ac reverentia, non diſpenſatoriè, ſed prævaricatoriè ſimulaſſe, fuiſſe reverà lapſum ac reprehenſibilem, ideoque & veraciter ac meritò fuiſſe à Paulo reprehenſum. Demonſtrat idem ſenſiſſe ac docuiſſe etiam Sanctum Cyprianum. Plures à Sancto Hieronymo duras ſuſtinuit Invectivas, verùm tandem vicit patientia. Etenim de hac quæſtione Auguſtinus
Ep. 260. ſcribit ad nobilem virum Oceanum: *Sed quid hinc diutiùs? Cum de hac quæſtione inter nos ego & venerabilis frater Hieronymus ſatis litteris egerimus, & in hoc opere recentiſſimo, quod ſub nomine Critobuli adverſùs Pelagium modò edidit, eandem de re iſta geſta, Dictiſque Apoſtolicis ſententiam tenuit, quam Beatiſſimi Cypriani etiam nos ſecuti ſumus*. Tandem Hieronymus, quam ab Auguſtino humillimè ac inſtantiſſimè ſuaſam indigniſſimè tulerat, palinodiam ſpontè cantavit. Et hinc communem utriuſque tanti Doctoris ſententiam exinde amplexa eſt, & conſtanter tenet omnis Latina Eccleſia. Eandem non dumtaxat ſequitur, ſed inſuper priorem Sancti Hieronymi ac Sancti Joannis Chryſoſtomi ſententiam acriter reprehendit in commentario epiſtolæ ad Galatas etiam Joannes Calvinus. Hoc in puncto auſus non fuit Romanum judicium reprehendere.

Sed etſi in tertium uſque cœlum, &c.

Hoc eſt aliud quorundam Gnoſticorum, qui ſolius Pauli garriebant ſibi probari dogmata, pro ſua ſecreta doctrina argumentum. Garriebant ſecreta verba, quæ Paulus in raptu ac Paradiſo audiverat, eſſe ſua Dogmata, & ipſa per arcanos Pauli diſcipulos ad ſe ſolos deveniſſe. Nam quòd Valentinus jactarit Theodadem, Sancti Pauli familiarem, fuiſſe ſibi Magiſtrum, teſtatur in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens fol. 764.
Alexandrinus. Et iſtud ipſum, aut quid ſimile reſpiciunt hæc Septimii verba: *Quod ſi ad alicujus conſcientiam manavit, neſcio quid illud, & hoc ſe aliqua hæreſis ſequi affirmat*. Reſpiciunt Sancti Pauli revelationem ſeu Apocalypſim, de qua in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium beatus Auguſtinus: *Inter ipſos Spirituales ſunt* Tract. 98.
alii aliis capaciores atque meliores, ita ut quidam illorum ad ea pervenerit, quæ non licet homini loqui. Qua occaſione vani quidam Apocalypſim Pauli, quam ſana non recipit Eccleſia, neſcio quibus fabulis plenam, ſtultiſſima præſumptione finxerunt, dicentes hanc eſſe, undè dixerat raptum ſe fuiſſe in tertium cœlum, & illic audiviſſe ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Utcumque illorum tolerabilis eſſet audacia, ſi ſe audiſſe dixiſſet, quæ adhuc non licet homini loqui. Cùm verò dixerit, Quæ non licet homini loqui, *iſti qui ſunt, qui hæc audeant impudenter & infeliciter loqui?* Exponit Tertulliani verba: *Aut Paulus Secreti proditi reus eſt, aut & alius poſteà in Paradiſum raptus debet oſtendi, cui permiſſum ſit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit*. Eundem in ſenſum ſcribit in commentario poſterioris ad Corinthios epiſtolæ Theophylactus: *Paulus verba arcana aut ineffabilia audi-* Cap. 12.
vit, quæ humanis tantùm ſpirantibus, & nihil ſpiritale habentibus, non licet eloqui. Hinc liquidò apparet Apocalypſim Pauli dictam, falsò illi adſcriptam eſſe. Quomodo enim aliàs illa ineffabilia fuerint. Eadem habet Œcumenius. Iſtam Apocalypſim eſſe hæreticum figmentum ſcribit & Theo- Quæſt. 2.
dorus Balſamon in Reſponſis ad Marcum Patriarcham Alexandrinum. Sanctus Auguſtinus Ep. 112.
exiſtimat Sancto Paulo illic exhibitam fuiſſe ipſam Divinam eſſentiam. Quidquid ſit, non hauſit iſtic diverſam ab Evangelio doctrinam.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Non alia doctrina Apoſtolorum in ſecretò, quàm in publico.

SEd, ut diximus, eadem dementia eſt, cùm confitentur quidem nihil Apoſtolos ignoraſſe, nec diverſa inter ſe prædicaſſe; non tamen omnia volunt illos omnibus revelaſſe: Quædam enim palàm, & univerſis; quædam ſecretò, & paucis demandaſſe: Quia & hoc verbo uſus eſt Paulus ad Timotheum: *O Timothee, Depoſitum cuſtodi*. Et rursùm: *Bonum Depoſitum ſerva*. Quod hoc Depoſitum eſt tam tacitum, ut alteri doctrinæ deputetur? An illius denuntiationis, de qua ait: *Hanc denuntiationem commendo apud te, fili Timothee*. Item illius Præcepti, de quo ait: *Denuntiatio tibi ante Deum, qui vivificat omnia, & JESUM Chriſtum, qui teſtatus eſt ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, ut cuſtodias Præceptum*. Quod autem Præceptum, & quæ denuntiatio? Ex ſuprà & infrà ſcriptis intelligetur, non neſcio quid ſuboſtendi hoc Dicto de remotiore doctrina, ſed potiùs inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipſo. Et puto palàm: *Coràm multis*, inquit, *teſtibus*. Quos multos teſtes, ſi nolunt Eccleſiam intelligi, nihil intereſt, quando nihil tacitum fuerit, quòd ſub multis teſtibus proferebatur. Sed nec quia voluit illum hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei ſint & alios docere, id quoque in argumentum occulti alicujus Evangelii interpretandum eſt. Nam cum dicit, *Hæc*, de eis dicit, de quibus in præſenti ſcribebat. De occultis autem, ut de abſentibus apud conſcientiam, non *Hæc*, ſed *Illa* dixiſſet.

SCHOLION.

Eadem dementia eſt, &c.

HÆc eſt tertia Gnoſticorum claſſis. Fatebatur cunctos Apoſtolos noviſſe plenam faciendi Chriſtiani diſciplinam, nec diverſa inter ſe prædicaſſe, addebat verò ipſos omnibus non revelaſſe omnia. Quædam palàm & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandaſſe. Et hoc firmabat ex Depoſito, quod Timotheo diſcipulo Sanctus Paulus commendavit. Ipſum volebat eſſe ſuum clandeſtinum & ſceleratum Dogma. Et Septimius inſigniter evertit omnem fabulam. Demonſtrat per Depoſitum non remotiorem doctrinam aut clandeſtinum Evangelium fuiſſe intellecta à Sancto Paulo, ſed traditum Catholicæ ac publicæ prædicationis Dogma. Et ipſum eſſe juſſum adversùs omnem contrariam Sectam retineri integrum, & firmè, ac fidè cuſtodiri. Uti fides humana conſuevit in humanis Depoſitis. Eandem Gnoſticorum fabulam refert ac revincit Sanctus Irenæus: *Doctrina Apoſtolorum manifeſta eſt & firma, & nihil ſubtrahens, neque alia quidem in abſcondito, alia verò in manifeſto dicentium. Hoc enim fictorum eſt, & pravè ſeducentium, & hypocritarum molimen, quemadmodum faciunt hi qui à Valentino ſunt*. Iſtam in Apoſtolos calumniam ampliſſimè refutat. Lib. 3. cap. 15. Et iſtam arcanæ prædicationis impoſturam eſſe alieniſſimam à veris Doctoribus, ſoliſque hæreticis propriam, rectè adjungit idem Irenæus. Ea enim uſos fuiſſe etiam Arianos,

nos, Pelagianos, Neſtorianos, alioſque paſſim hæreticos eſt in comperto.

Depoſitum cuſtodi.

Hocce Depoſitum Apoſtolus non ſoli Timotheo, ſed cunctis Epiſcopis atque Doctoribus mandat firmè ac fidè cuſtodiendum. Quodnam hoc Depoſitum? Reſpondet Theodoretus: *Eximie Apoſtolum appellare Depoſitum, gratiam Spiritus Sancti, quam accepit Timotheus per Ordinationem*. At certum eſt reſponſionem eſſe deviam. Etenim illa gratia non adverſatur plenè, nec adæquatè repugnat prophanis vocum novitatibus. Rectè Primaſius Epiſcopus Uticenſis: *Fidei per me prædicatæ Depoſitum cuſtodi*. Cur verò Evangelicum ac Apoſtolicum Dogma appelletur Depoſitum, eleganter edicit Sanctus Vincentius Lerinenſis: *Quid eſt Depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum. Quod accepiſti, non quod excogitaſti. Rem non ingenii, ſed doctrinæ. Non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis. Rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua non author debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens.* Verbum, *Cuſtodi*, exponit æquè eleganter: *Cuſtodi propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminaverat Filius hominis in agro ſuo*. Hoc Depoſitum eſt ipſum JESU Chriſti Evangelium, quod Paulus à Chriſto, Chriſtus accepit à Deo. Quod idem Paulus tradidit Timotheo, Timotheus ſuis ſucceſſoribus, illi Patribus noſtris, Patres noſtri nobis. Quod nos tradimus noſtris filiis, & illi ſunt tradituri ſuis poſteris uſque ad ſæculi conſummationem. Ipſum per adulterinas claves involare tentarunt Gnoſtici, ac omnes ſemper hæretici, ipſum alterare per prophanas vocum novitates, ita nobis eas odientibus ereptum ſibi appropriare, ac tandem excluſis legitimis cuſtodibus ſemetipſos conſtituere Duces & Principes Chriſtiani populi. Hoc prævidens Apoſtolus Timotheo & omnibus ejus in Epiſcopatu Collegis ac Succeſſoribus præcepit, ut iſtud Depoſitum contra iſtos Latrones firmè & fidè cuſtodirent.

CAPUT XXVI.

Nihil ab Apoſtolis celatum, licet prudenter diſpenſatum.

POrrò conſequens erat, ut cui demandabat Evangelii adminiſtrationem, non paſſim, nec inconſideratè adminiſtrandum adjiceret, ſecundùm Dominicam vocem; ne margaritam porcis, & Sanctum canibus jactaret. Dominus palàm edixit, ſine ulla ſignificatione alicujus tecti Sacramenti. Ipſe præceperat, ſi quid in tenebris & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent. Ipſe per ſimilitudinem præfiguraverat, ne unam mnam, id eſt, unum verbum ejus, ſine fructu in abdito reſervarent. Ipſe docebat lucernam non ſub modium abſtrudi ſolere, ſed in candelabrum conſtitui, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Hæc Apoſtoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, ſi non adimpleverunt, abſcondentes aliquid de lumine, id eſt, de Dei verbo, & Chriſti Sacramento. Neminem, quod ſcio, verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum: Quò magis utique in Eccleſia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant. Immò neque Judæos convertere, neque Ethnicos inducere potuiſſent, niſi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multò magis jam credentibus Eccleſiis nihil ſubtraxiſſent, quòd aliis paucis ſeorſùm

sùm demandarent. Quamquam etſi quædam inter domeſticos, ut ita dixerim, differebant, non tamen ea fuiſſe credendum eſt, quæ aliam Regulam fidei ſuperducerent, diverſam & contrariam illi, quam Catholicè in medium proferebant: Ut alium Deum in Eccleſia dicerent, alium in hoſpitio; aliam Chriſti ſubſtantiam deſignarent in aperto, aliam in ſecreto; aliam ſpem reſurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos. Cùm ipſi obſecrarent in epiſtolis ſuis, ut idipſum & unum loquerentur omnes, & non eſſent ſchiſmata & diſſenſiones in Eccleſia, quia ſive Paulus, ſive alii, eadem prædicarent. Alioquin meminerant: *Sit ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non. Quod amplius, hoc à malo eſt.* Ne ſcilicet Evangelium in diverſitate tractarent.

S C H O L I O N.

Porrò conſequens erat, &c.

QUod per Depoſitum Apoſtolus intellexerit ſolemnem & Catholicam Evangelii doctrinam, pergit aſſeverare Septimius, & adjungit aliam cauſam, ex qua ipſum idem Apoſtolus omnibus Epiſcopis ac Doctoribus juſſerit fidè cuſtodiendum. Quia nempè non fuit paſſim aut inconſideratè adminiſtrandum. In ejus adminiſtratione ſervandam juſſit Dominicam regulam, quæ vetat Sanctum dari canibus, & noſtras margaritas ſpargi antè porcos. Ut ea cautè ab iſtiuſmodi injuriis cuſtodiamus. Dominicum præceptum inſigniter éxponit in primo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Affirmat omnem Chriſtiani Dogmatis Scriptorem ac prædicatorem debere eſſe ſimilem Iſaiæ Prophetæ, cujus Prædicatnti linguam igneo calculo purgavit Angelus, addit auditori aures eodem modo purgandas ac proſequitur: *Hæc mihi erant impedimento, quo minùs ſcriberem,*
Tol. 297. *& nunc adhuc vereor antè porcos jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & converſi nos frangant. Eſt enim difficile de vero lumine verè puros & perſpicuos declarare ſermones ſuillis & indoctis auditoribus. His enim vix poſſunt apud vulgus ulla magis ridicula audiri: Rursùs autem apud ingenioſos magis admirabilia, & Deum magis inſpirantia.* Laudat Domini verbum, *Quod in aurem audistis, prædicate ſuper tecta*, & pergit: *Arcanas traditiones veræ cognitionis, quæ excelsè & excellenter explicantur, Dominus jubet nos in aurem ſuſcipere. Et ſicut in aurem audimus, ita etiam tradere, quibus oportet non autem omnibus omnia paſſim tradere, quæ Apoſtolis in parabolis dicta erant, præcipiens.* Et in Sancti Matthæi commentariis ſcribit Sanctus Hilarius Pictavienſis: *Præceptis & Promiſſis Dei nihil pretioſus ſanctiuſque eſt, quæ ſanctificatis nobis immortalitatis theſaurum largiuntur. Horam igitur Sacramenta atque virtutes neque in gentes offerre, neque cum hæreticis conferre permittuntur. Canes enim de oblatrandi adversùs Deum rabie gentes ſunt nuncupatę. Porcorum verò hæreticis eſt nomen. Quia quamvis ungulæ biſidæ ſint, acceptam tamen Dei cognitionem non ruminando diſponunt.* Alexandrina Magni Athanaſii expurgatrix Synodus per canes etiam gentiles, per porcos autem intelligit non hæreticos, ſed Catechumenos. In vigeſima tertia ſuper Sancti Joannis Evangelium homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus quærit, quomodo hæc duo Dominica Mandata, *Nolite Sanctum dare canibus, & ne mittatis margaritas veſtras ante porcos*, &, *Quod in aure audistis, prædicate ſuper tecta*, ſibi mutuò cohæreant? Et reſpondet: *Sed ne hoc quidem Mandatum adverſatur priori, nec indifferenter omnibus prędicari juſſit, ſed his, quos doceri oportet, pręcepit cum fiducia prædicari.* Quem ſenſum probat ac ſequitur etiam Sanctus Hilarius. Pergit Chryſoſtomus: *Canes autem Dominus hic ſignificat homines in impietate viventes immedicabili, & ſpem converſionis in melius omninò non habentes. Porcos verò in luto effrænis luxuriæ jugiter commorantes, quos ſanè omnes hujuſmodi doctrina judicavit indignos.* Per canes & porcos Sanctus Joannes intelligit quoſvis carnales & animales homines, de quibus & Sanctus Paulus: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim eſt illi.* Et Joannes pergit: *Alibi quoque Apoſtolus corruptionem vitæ dixit cauſam, quominùs recipiantur perfectiora dogmata. Propter quod jubet, ne hujuſmodi hominibus fores pandamus. Fiunt quippe magis, poſtquam Secreta didicerint, feroces. His enim qui benigno atque prudenti ſunt animo, honeſtiſſima apparent, cum fuerint revelata; imprudentes verò ac imperiti ea ignorata magis reverentur. Quin verò diſcere illa naturali ratione non poſſunt, ſaltem præ ignorantia reverea ntur. Neque enim porcus aliquando novit cujas pretii ſit margarita. Et hoc quia neſcit, ideo nec videat, quæ non novit. Nihil enim hinc affertur ampliùs his qui ſunt hujuſmodi, niſi noxa cumulatior. Si quidem ab illis & Sancta temerantur, neſcientibus utique cujus illa ſint meriti, &*

ipſi deſperatiùs inſoleſcunt, contraque nos potiùs armantur. Hinc enim Dominus ſuo Præcepto adjunxit: *Ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos*. Sanctus Joannes interpretatur: *Modeſtiam enim ſimulant, ut Secreta diſcant; cum verò didicerint, repente alii ex aliis effecti irrident, inſultant, atque illudunt, quaſi quadam à ſe arte deceptis*. Elucidat hæc pluribus, & addit per canes & porcos intelligi præſertim gentiles atque hæreticos. Eadem elegantiſſimè tradit
Cap. 6. in primo libro de compunctione cordis. Et addit hoc Præceptum eſſe rigidiſſimæ obligationis. Videnda eſt etiam decima ſeptima ſuper Matthæum homilia operis imperfecti. Ejus Author per porcos intelligit homines, licèt fideles, immerſos luxuriæ. Et hæc omnia ſunt communis Patrum doctrina. Et ipſam præfiguravit lex, ſanciens animalia, quæ aut non ruminant, aut ungulam non dividunt, eſſe immunda. Præfiguravit ſignificatis per iſta vitiis obnoxios homines eſſe incapaces Divinorum Secretorum.

Proinde Dominus iſto ſuo Præcepto firmavit nobis legem Secreti, de quo Sanctus Auguſtinus ac alii Latini Patres frequenter dicunt: *Norunt fideles*. Et Joannes Chryſoſtomus & alii Græci: *Norunt Initiati*. Qui iſtam legem ad ſolam ſacro-ſanctam Euchariſtiam aut alia Sacramenta extendunt, graviter deviant. Extenditur enim etiam ad arcaniora Chriſtianæ fidei Dogmata. Ita diſertè affirmat, ac inſigniter demonſtrat laudata homilia imperfecti operis. Et conſonat in
Cap. 1. epiſtola ad Romanos Sanctus Paulus: *Deſidero videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis*. Palàm agit non de Sacramentorum, ſed de Arcanis Dogmatum. Et tamen Sanctus Clemens Alexandrinus in quinto Stromatum libro
Fol. 555. commentatur: *Non poterant apertè litteris ſcribi ejuſmodi dona*. Nempè ne canibus aut porcis, ſi forſan ab illis caperentur litteræ & iſta proderentur. Ex eadem lege idem Apoſtolus ſcripſit ad Corinthios: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Etenim idem Clemens commentatur; *Propheticam & verè antiquam occultationem confirmavit, à qua profluxerunt quæ apud Græcos fuere pulchra*. Rectè dicit iſtam occultationem, ſeu occultandi legem eſſe Propheticam & verè antiquam. Etenim loquitur cum eodem Apoſtolo, qui Dominicæ Incarnationis & humanæ Redemptionis Dogma frequenter appellat ſuperioribus ſæculis abſconditum, & nonniſi nuper mundo manifeſtatum myſterium. Quia nempè illud ante Domini in Carne adventum Divina Majeſtas occultavit legalibus Sacramentis, & ſolis Patriarchis, Prophetis, ac paucis hinc indè Spiritalibus patefecit. Rectè item Clemens dicit: *A qua profluxerunt quę apud Gręcos fuere pulchra*. Quia nempe myſticum & allegoricum docendi genus etiam viguit apud Pythagoricos, Platonicos, alioſque meliores gentilium Philoſophos: Et hi illud, uti & alia plura, ex noſtris ſacris Litteris fuere furati. Ita laudatus Clemens amplè ac variè demonſtrat. Hinc & ejus Stromatum libri Evangelica Dogmata nonniſi hinc indè inſperſa continent. Et dat ſui Propoſiti rationem: *Ut à quolibet eorum, qui myſteriis non ſunt initiati, ſanctę traditiones non facilè poſſint inveniri*.

Clementi, magno Alexandrinæ Scholæ Doctori, conſentit in Cathedra ſucceſſor Origenes. Etenim Celſo Philoſopho, noſtros non tantùm Conventus, ſed & doctrinam eſſe clancularia improperanti, reſpondit: *Coarguendum & hoc* Lib. 1.
quoque, quando per totum orbem notior eſt Chriſtianorum prædicatio, quàm Placita Philoſophorum. fol. 7.
Quis enim JESUM *è Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis Reſurrectionem ejus multis creditam, & denuntiationem judicii, reddituri pro dignitate pœnas peccatoribus, & juſtis præmia? Quin & Reſurrectionis futuræ myſterium vulgatum eſt, tametſi rideatur ab infidelibus. Quæ cùm ita ſe habeant, perabſurdum eſt doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod verò quædam inſunt, quæ non communicantur quibuſvis, id non ſolius Chriſtianæ doctrinæ eſt proprium, verùm etiam Philoſophiæ. Nam & illi exteriorem & penitiorem doctrinam habebant. Et alii Pythagoram audiebant, contenti ipſius authoritate. Alii ſecretò diſcebant rationes non evulgandas in prophanos, nondumque purgatos*. Etiam in tertio libro affirmat quædam noſtra Dogmata nonniſi ſanctis ac puris eſſe communicanda, atque proſequitur: *Cuicumque eſt anima jam diu nullius mali ſibi conſcia, præſertim ex quo acceſſit ad* Fol. 148.
ſerviendum Deo, is audiat etiam hos ſermones, quos JESUS *privatim locutus eſt germanis ſuis Diſcipulis*. Addit in eodem libro: *Chriſtiani, quan-* Fol. 141.
tùm poſſunt, præexaminant animos audire ſe cupientium, ac primò privatim eruditos, priuſquam in cœtum admittantur, ubi videntur eò profeciſſe, ut honeſtæ vitæ ſint cupidi, tum demum introducunt, diſtinctis ordinibus, altero recens admiſſorum, necdum aſſecutorum luſtrationis Symbolum, altero eorum, qui quantùm in ſe eſt demonſtrarunt ſibi propoſitum eſſe nihil aliud, niſi cum Chriſtianis velle & ſentire. Agit de admiſſione ad Catechumenatum. Olim eramus undequaque obnoxii Frumentariis & proditoribus. Quorumdam curioſitas erat tanta, ut nos exploraturi Catechumenatum mendaciter flagitarent. Hinc uti nunc ad Cœnobiorum, ita tunc ad Chriſtianitatis Noviciatum intromittendi diſcutiebantur rigidè, ac probabantur. Etiam illic ſervabatur Apoſtolicus Canon: *Nemini citò manus impoſueris*. Et illis ex noſtro Dogmate nihil, niſi vulgò notum, credebatur. Erant item varii Catechumenorum ordines & gradus. Et cuique gradui nonniſi proportionata credebantur Dogmata. Erant enim & gradus Dogmatum. Quam diſciplinam laudat etiam Author Apoſtolicarum Conſtitutionum.

Quòd iſtam diſciplinam etiam Sanctus Paulus cuſtodierit, Origenes inſigniter demonſtrat ex epiſtola ad Corinthios, ubi de futura reſuſcitati corporis gloria ille ſcribit: *Qualis cœleſtis, tales*
& cœleſtes. Audi Origenem: *Apoſtolus celat ar-* Lib 5.
cana quædam, captum ſimplicium excedentia, nec fol. 243.
convenientia rudibus, qui ad fidem etiamnum inſtituuntur. Et poſt quandam ſui arcani compendii expoſitionem Apoſtolus ſubdidit: *Ecce Myſte-*

rium

rium vobis dico. Et denuò Origenes: *Apoſtolus mox quaſi arcano ſcriptis ad poſteros prodito, haud ſecùs ac decuit eum, qui poſteris, quæ ſibi innotuiſſent deſcripta relinqueret*, ſubdit, Ecce myſterium vobis dico. *Quod dici ſolet de rebus ſecretioribus, nec cuivis è vulgo communicandis. Nam, ut in Tobia legitur, Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, cæterùm opera Dei magnificè diſpenſata ad utilitatem hominum, veraciter ad ipſius gloriam revelare bonum eſt*. Proindè per iſta verba, *Ecce myſterium vobis dico*, Apoſtolus quaſi ſe retinuit, ne arcana ultra limites enuntiaret. Et hinc vides Tobiæ librum apud Origenem fuiſſe Canonicum. Eidem Secreti regulæ ſubjacere noſtræ animæ incarnationem, ſeu modum quo anima in corpus à Domino Deo mittitur, ſcribit Orige-
Fol. 250. nes ibidem in quinto libro.

Et in ſexto libro inſignia ſunt hæc ejus verba:
Fol. 279. *Ezechiel accipit caput libri ſcriptum à fronte & à tergo in quo inerat Lamentum, & Canticum, & Væ. Et juſſus librum devorat. Ne eum ſcribat ac vulget indigais. De Joanne quoque ſcribitur quiddam ſimile eum vidiſſe & feciſſe. Sic & Paulus audivit verba ineffabilia, quæ non licèt proloqui apud homines. Et his omnibus major* JESUS *legitur Diſcipulis privatim locutus verbum Dei, præſertim in ſeceſſibus. Sed quid eis dixerit, non legitur. Non enim videbantur talia vulgò ſcribenda vel prædicanda. Quod ſi licèt verum de tantis viris dicere, aio meliùs Platone hos vidiſſe per gratiam Divinam ſibi conceſſam, tum quid ſcribendum aut quomodo, quid non ſcribendum nec evulgandum, tum quid prædicandum, quid non. Hanc ſcribendorum & non ſcribendorum differentiam docens nos Joannes ait ſe audiſſe tonitrua ſeptem, Arcana quædam indicantia, vetantiaque ne referrentur in litteras*. Etenim ſacer Apocalypſios Textus disertè addit:
Cap. 10. *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere*. Ex his Origenes rectè concludit ac demonſtrat Secreti legem eſſe Divinam ac antiquiſſimam: Servatam à Prophetis, Chriſto Domino, ac ejus Apoſtolis. Docet audita à Sancto Paulo in Paradiſo verba fuiſſe non ad omnes ineffabilia, ſed ad ſolos incapaces ac indignos.

Eadem diſciplina permanſit etiam poſt datam Eccleſiis ab Imperatore Conſtantino pacem. Etenim apud Magnum Athanaſium exſtat eruditus inter Orthodoxum & Anomæum dialogus, & Anomæus in ipſius exordio rogat: *An Chriſtianus es? Quid eſt Chriſtianiſmus?* Et Orthodoxus ad primum reſpondet affirmativè, atque adjungit de ſecundo: *Dicere quidem neceſſe fuit, quòd ſim ſervus Chriſti, dicere verò quid ſit Chriſtianiſmus, tutum non fuerit, niſi cognovero quiſnam ille ſit, qui hoc percunctatur, ne fortè comperiar canibus res ſanctas, & porcis margaritas projicere. Etenim ſi quid ex me quæras, & fueris ex fidelium numero, qui myſteriis initiantur, promptè id quod ego ſum, tibi dixero; quid ſit autem fidelem eſſe, non dixero, ne ſis fortè Judæus, qui me interrogas*. Iſtorum dialogorum authorem eſſe, qui ſeptimo ſæculo vixit, Sanctum Abbatem ac Martyrem Maximum, eſt ſuprà oſtenſum. Et an ejus tempore viguerit hæc diſciplina, eſt valdè ambiguum. Exiſtimo illum loqui juxta Anomæi ſeu Eunomiani ſæculi diſciplinam. Eandem formam ſecutus eſt Scriptor, qui Laodicenſem Sancti Athanaſii cum hæreſiarcha Ario diſputationem finxit. Etenim & Athanaſio & Ario, de Dei Verbi natura ac origine coram Probo Præfecto, quòd homo gentilis eſſet, diſputare recuſantibus ille reſpondit: *Hoc eſt utique, quod totis viribus cognoſcere cupio, quid ſit rectum & veridicum Dogma, in quo me oporteat occulti myſterii Sacramenta percipere. Neque enim modò mihi profunda myſteriorum Arcana patefieri deſidero; ſed illa nunc flagito demonſtrari, quæ in veſtra fide extrinſecùs habentur & publicè prædicantur, id eſt, quod unus ac idem verus Deus ſit viſibilium ac inviſibilium conditor rerum. Et quia hæc vos uno ore profiteri non neſcio, quæ cauſa extiterit, ut in tam varias dividamini Sectas. Quæ ſunt vera, & quæ ſunt falſa, intelligi omninò non poſſunt, priuſquam veſtro certamine, digno patientiæ moderamine habito, quid ſit congruum, diligentiùs cognoſcamus*. Ex his vides etiam Divini Verbi naturam ac originem fuiſſe unum illorum, quæ Dominica lex vetabat canibus & porcis aperiri. Et iſtam legem etiam Ariani tunc religioſè obſervabant.

Eandem diſciplinam conſtantiſſimè prædicavit ac tenuit Sanctus Gregorius Nazianzenus. Etenim in magni Athanaſii encomio arguit Seleucienſem Synodum, quòd *myſticas quæſtiones ſpectante vulgo tractaſſet*. Utique quæſtiones de Divini Verbi origine ac natura. Et in prima Theo- Orat. 23.
logica oratione ſcribit: *Cur Dei generationem & creationem, & Deum ex nihilo ortum, cur ſectiones, & diviſiones, & reſolutiones ille audit, qui ſævo atque offenſo animo hujuſmodi ſermones expendit?* Agit de gentili noſtras diſputationes audiente. Et Catholicos & Arianos arguit, quòd de Dei Verbi natura ac origine coram gentilibus diſceptarint. Iſtud ipſum culpat in carmine de ſua vita. Lamentatur à gentilibus magis philoſophica, quàm à nobis Divina æſtimari Dogmata. Et adjungit ſuæ lamentationis cauſam: *Gentiles iis,*
qui non iiſdem Sacris initiati ſunt, cruorem potiùs Orat. 33.
ſuum, quàm ſermones quoſdam impartirent. Iſtam noſtram loquacitatem demonſtrat eſſe obnoxiam graviſſimis incommodis. Et in Oratione in Sanctum Baptiſma ſcribit: *Habes quæ de myſterio fo-* Orat. 40.
ras exportare, atque ad vulgi aures afferre licet. Cætera intùs, Trinitate juvante, addiſces: Quæ etiam ipſam apud teipſum occulta & clauſa habebis. Palàm laudat Apoſtolicum Symbolum: Et affirmat quoſdam ejus articulos poſſe, quoſdam non poſſe vulgò propalari. Et in prima adversùs Im-
peratorem Julianum invectiva ſcribit: *Apud nos* Orat. 3.
quoque abditi quidam & abſtruſi ſermones ſunt. Nempè metaphoræ & allegoriæ, quibus Divinam Eſſentiam, quædam Attributa, & myſtica opera involvimus & occultamus. Ita exponit Elias Cretenſis. Et lucet ex ſequentibus Gregorii verbis: *Verùm quænam duplicis eorum ſenſùs eſt ratio, & quæ vis, ac facultas?*

Quòd inter iſtos arcanos ſermones fuerit etiam

Apo-

Apoſtolicum, & quodvis aliud Eccleſiæ Symbolum, diſertè tradit in ſuarum Catecheſeon præfatione Sanctus item Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, dicens ad Competentes: *Cum Catecheſis recitatur, ſi Catechumenus ea te quæſierit, Quid dicebant Doctores, nihil dicas externo. Myſteria enim tibi, & ſpem futuri ſæculi tradidimus. Cuſtodi hoc myſterium Retributori, & numquam audi aliquem dicentem: Quid obeſt ſi & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque poſtulant: Quod ſi intempeſtivè illis detur, phreneſim conciliat. Et duo naſcuntur mala. Nam & æger interit, & Medicus malè audit. Sic & Catechumenus, ſi audiat myſteria à fideli, phreneſim patitur. Neſcit enim quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, ac Dicta irridet; fidelis verò tamquam proditor condemnatur. Jam ergò tu in finibus noſtris conſtitutus cave ne quid effutias; non quod digna narratione non ſint ea, quæ ibi dicuntur, ſed quod indignus eſt ille audire, cui referres. Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque propoſita myſteria tibi enarrabantur. Quando autem ſublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plenè intelliges Catechumenos non eſſe dignos, qui ea audiant.* Loquitur ad eos, qui nomina dederant, hoc eſt, ad Competentes. Proindè per Catecheſes intelligit Symbolum eum ejus tunc fieri conſuetis expoſitionibus. Erant hæ ſolemniſſimæ. Etenim quinque earum libros ſcripſit Sanctus Auguſtinus. Et plures ſermones. Quod fecerunt & alii Patres. Et omnes ſuis Competentibus ſemper rigidiſſimè vetuerunt, ne Catechumenis, eorum paſſim curioſiſſimis, hæc myſteria ullatenùs enuntiarent. Eadem de cauſa Symbolum Competentibus non ſcripto, ſed viva dumtaxat voce tradebatur. Ne videlicet charta forſan veniret ad gentiles aut Catechumenos. Nam & hac de cauſa verbalem Chriſtianæ Confirmationis formulam Sanctus Papa Innocentius non fuit auſus inſerere ſuis litteris ad Decentium Epiſcopum Eugubinum.

Sanctus Cyrillus pergit etiam in ſexta Catecheſi: *Evangelium audiri ab omnibus expetitur. At Evangelii gloria ſolis Chriſti germanis tribuitur. Dominus in parabolis loquebatur eis quidem qui poterant audire. Diſcipulis verò privatim parabolas & ſimilitudines exponebat. Gloriæ fulgor eſt eorum, qui jam illuſtrati ſunt, excæcatio infidelium. Hæc myſteria & Sacramenta nunc Eccleſia patefacit ei, qui ex Catechumenis excedit. Nec moris eſt gentilibus exponere. Non enim gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana myſteria declaramus. Neque palàm apud Catechumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpè loquimur occultè, ut fideles qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, ne lædantur.* Inter Arcana, quæ gentilibus Catechumenis non poterant tradi, & Competentibus tradi incipiebant, affirmat eſſe etiam Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium. Item Sacramentum Dominicæ Incarnationis. Hinc laudatæ ſuæ præfationi ſubiungit hanc proteſtationem: *Catecheſes iſtas illuminatorum accedentibus quidem ad Baptiſma, & qui hoc Lavacrum habent jam fidelibus, legendas exhibeas; Catechumenis verò, & aliis qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis. Alioquin redditurus es Domino rationem.* Hæ Catecheſes aliud non ſunt quàm expoſitio Symboli, ſeu Fidei noſtræ in Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, ac in Dei Filii œconomica myſteria. Et tamen legi non poterant à Chriſtianis aut Catechumenis, ſed à ſolis Competentibus aut Fidelibus. Sanctus Cyrillus fuit unus è Conſtantinopolitanæ Synodi Patribus, ideoque cum ejus ſeptimo Canone loquitur, ac diſtinguit tres Novitiorum noſtrorum claſſes: Chriſtianos, Catechumenos, Competentes. Cunctis uſque ad competentiam Catechumenis tradebantur ſola naturalis cognitio Dei, & ſola moralia documenta. Proximè antè Competentiam in ipſis celebrabatur Sacramentum apertionis, de cujus fonte dicit Evangeliſta: *Dominus Diſcipulis aperuit ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Catechumenis aures ad Symbolum & omne humanæ Redemptionis myſterium intelligendum iſto Sacramento aperiebantur.

Inſigniter hæc apud Photii Bibliothecam elucidat Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus: *Earum quæ in Eccleſia ſunt à verbi miniſtris traditæ doctrinæ, quædam Dogmata ſunt, quædam præconia & differentia. Dogmata cum occultatione & ſapientia declarantur, & obſcuritati de induſtria ſepè involvuntur, ne prophanis ſint Sancta expoſita, & margaritę porcis objiciantur. Pręconia ſine ulla obſcuritate dicuntur, & ea pręſertim quę de Pręceptorum ac Divinę reverentię obſervatione tractant. Sunt pręterea Dogmata quędam obſcuriora, quę omninò, ut ita dixerim, tacentur; ſolis verò illis myſticè traduntur, qui fideles habent ſpiritualem ſapientiam per verbum vivum.* Quæ omnia docuit Magnus Baſilius, Sanctus Gregorius Niſſenus, Apoſtolicarum Conſtitutionum Author, vulgaris Dionyſius Areopagita, Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, & alii Græcorum Patres. Præſertim Sanctus Joannes Chryſoſtomus. In quadrageſima ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia inter iſta Secreta ponit Symbolum. Et videtur loqui de Conſtantinopolitano. Hoc enim ſuis Competentibus tunc paſſim tradebat Orientalis Eccleſia. Et de Cherubim ac Seraphim, aliiſque Sanctorum Angelorum ordinibus & hierarchiis concionaturus præfatur: *Nemo prophanus adſit, nemo piacularis, immundus nemo, & hac auditione indignus.* Et dat Tom. 5. fol. 886. cauſam: *Myſticę nobis ſuſcipiendę ſunt narrationes.* Deſumpſit hanc formam ex Origenis ſexto libro contra Celſum. In vigeſima quarta homilia ſuper Apoſtolorum Actus affirmat Divinam Providentiam eſſe Sacræ Scripturæ abyſſum, ac ejus expoſitioni etiam præfatur: *Donec pollicearis mihi quòd illumineris, quòd illuminatus rectè vivas, non licèt mihi talia invulgare.* Septima ſuper laudatam ad Corinthios epiſtolam homilia eidem legi ſubjicit myſterium Dominicæ Incarnationis. Vigeſima ſeptima ſuper Geneſim homilia videtur idem ſentire de oratione Dominica. Et certè etiam hæc tradebatur ſolis Competentibus. Et

qui-

quidem poſt traditum Symbolum. Et dici non poterat, niſi à Regeneratis ac juſtificatis. Quidquid ſit ſextadecima ſuper Geneſim homilia affirmat primum Diabolicæ in humanum genus invidiæ Delictum fuiſſe verba: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Et primum Evæ Delictum fuiſſe Reſponſum: *De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo, veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Circumſcripta mulier curioſo Diabolo enuntiavit omne Divini Mandati myſterium. Hoc ejus delictum Sanctus Joannes graviter & meritò exaggerat. Adeò antiqua eſt iſta Secreti lex. Eſt in Paradiſo data, renovata in Patriarchis ac Prophetis, ac per ipſum Chriſtum Dominum introducta in Eccleſias.

Quod ipſum conſtanter docuerunt Latini Patres. In libro de Synodis Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus neceſſe habuit adducere Nicænum Symbolum. Attamen non præſumpſit niſi præmiſſa apologia: *Et ipſam quidem tunc religioſè conſcriptam fidem, nunc quoque huic ſermoni noſtro non irreligiosè inſeremus.* A lectoribus poſtulat inferendi veniam, & ob neceſſitatem ſperat ſe non acturum irreligiosè, ſeu contra Evangelicum Canonem. Et in Sancti Matthæi Commentariis ſcribit: *Ergò & incorporationem Verbi Dei, & Paſſionis myſterium, & virtutem Reſurrectionis non promiſcuè tractare nos convenit, neque imperitè injurioſeque proferre, ne ignorantiam noſtram, ſi perfectæ ſcientiæ deſit inſtructio, proterant canes & porci, atque conculcent, & infirmitatem Paſſionis in Deo irrideant, converſique in nos contradictionum aculeis imperitiam noſtram fidemque diſrumpant.* Sub iſto Evangelico Secreti Præcepto affirmat contineri hæc præſertim myſteria. Ea enim & Apoſtolus dixit gentilibus videri ſtultitiam. Quod rerum ſpiritualium Sacramenta publicari non valuerint, etiam docet in primæ ad Theſſalonicenſes epiſtolæ commentario Hilarus Diaconus: Et per ipſa intelligit Divinam Eſſentiam, Attributa, ac ſanctiſſimam Trinitatem. In primo de adulterinis conjugiis libro Sanctus Auguſtinus quorumdam, exiſtimantium iſto Domini Præcepto indignos arceri ab Eccleſiæ Sacramentis, ſententiam refert, & licèt non plenè improbet, adjungit: *Cùm hoc diceret Dominus, credendum eſt ſignificare voluiſſe, quod lucem intelligentiæ ſpiritualis immunda corda non portant. Et ſi portanda Doctor ingeſſerit, quæ non rectè accipiunt, quia non capiunt, vel reprehenſionis morſibus lacerant, vel contemnendo conculcant.* Affirmat Apoſtolum hac regula non dumtaxat adversùm gentiles & Catechumenos, ſed etiam ad fideles fuiſſe uſum, & probat ex ejus ad Corinthios verbo: *Lac vobis potum dedi, non eſcam.* Quòd ſolidam ſublimis veritatis eſcam illi nondum poſſent ferre. Eſt enim cibus Grandium. Addit Auguſtinus ipſum Dominum ex eadem regula dixiſſe ad electos Diſcipulos: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Quod ipſum docet in noni

Cap. 26. 27.

Pſalmi commentario, in libro de utilitate credendi, ac in aliis locis. Cap. 10.

Ergò per canes & porcos Dominus intellexit præſertim gentiles & Catechumenos. Intellexit etiam adhuc carnales aut animales fideles. Porrò poſt datam Eccleſiis à Magno Conſtantino pacem ac libertatem publicis Divini verbi per Epiſcoporum aut Presbyterorum conciones expoſitionibus non ſoli fideles & Competentes ſed quivis Catechumeni aderant. Quin etiam Judæi atque Pagani. Ita Majores noſtri ad omne imperium Domino Deo ac ejus Evangelio ſubjugandum crediderunt expedire. Attamen Secreti lex permanſit integra. Hinc noſtri Doctores in publicis iſtis concionibus ſola ad Chriſtianæ legis ac Divinæ Reverentiæ obſervationem ſpectantia moralia Præcepta, necnon & clara ac vulgò nota Chriſtianæ fidei Dogmata paſſim tradebant ſine involucro. Ad quemvis alicujus Sacramenti aut arcanioris articuli intercurſum adhibebant verborum vela, & adjungebant: *Norunt fideles. Norunt initiati.* Ita noſtris Arcanis ſartatecta erat ſua reverentia, & non intelligentibus accenſa curioſitas multos ad Eccleſiam invitabat, immò & compellebat. Ita in oratione ad moroſos Baptiſmi dilatores Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus exclamat ad ſenes Catechumenos: *Me tui pudet, quod cùm conſenueris, adhuc ejiceris cum Catechumenis, tamquam inſipiens puellus, qui Arcana ſilere non poteſt, cum dicendum eſt myſterium. Unire populo myſtico, & arcanos diſce ſermones.* Quæ adhortandi forma omnibus tunc Doctoribus fuit familiaris. Et quidem ipſam non invenies in habitis ante Conſtantini tempora concionibus. Nec item hanc parœmiam: *Norunt fideles.* Reperies quidem in Patrum libris, at non in dictis ad populum ſermonibus: Quod tunc ſolis fideles adeſſent. Dominicam igitur hujus Secreti legem laudat in præſenti loco Septimius, & Evangelicum Dogma affirmat ejus cauſa appellatum fuiſſe Depoſitum. Quòd nempè, tamquam noſtræ fidei commiſſus theſaurus, non poſſit paſſim monſtrari & vulgari. Quia ſpoliari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.

Dominus palàm edixit, &c.

Doctor affirmat eum ipſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui porcis margaritas, & canibus Sanctum projici vetuit, palàm & ſine ulla alicujus tecti Sacramenti ſignificatione edixiſſe & mandaſſe Apoſtolis, ut omnia & ſingula ubique gentium plenè prædicarent. Et hoc utrumque ejus Mandatum eſſe pariter Divinum, ideoque pariter obſervandum. Et adjungit hoc poſterius Edictum eſſe fundatum in myſtica ac parabolica ejus prædicatione. Et probat triplici teſtimonio. Hunc eſſe præſentis loci ſenſum evincunt mutata tempora in verbis: *Edixit, Præceperat, Præfiguraverat, Docebat.* Verba, *Palàm edixit,* videntur reſpicere Mandatum: *Docete omnes gentes, docen-*

docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis. Hocce Edictum Doctor affirmat ſuiſſe datum non dumtaxat poſt Reſurrectionem, ſed & frequenter anteà. Dum ſcilicet Dominus præceperat andita in tenebris prædicari in luce & è tectis, dum vetuerat mnam in ſudario abſcondi: Dum prohibuerat lucernam poni ſub modio. Hæc omnia Mandata affirmat ab Apoſtolis ſuiſſe benè intellecta, & non neglecta, ſed adimpleta pleniſſimè, ideoque ipſos nullibi mutila prædicaſſe. Utrumque jam dictum Domini Mandatum ſuiſſe ab ipſis expletum: Ubique ſuis temporibus, locis, ac perſonis. Et quòd hæc Domini Præcepta cum Secreti lege quàm optimè concordent, ſuprà oſtenderunt Sanctus Clemens Alexandrinus, Sanctus Hilarius Pictavienſis, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Videatur & beatus Hieronymus in commentario Sancti Matthæi.

Neminem, quod ſcio, verebantur, &c.

Pravæ prædicationis fontes ſunt tres: Ignorantia, doloſa malitia, & humanus timor. Duos primos non ſuiſſe in Apoſtolis demonſtravit Doctor, ideoque nunc pergit ad tertium: Porrò prima Chriſtianæ Religionis exordia habuerunt duos terribiles Adverſarios: Hebræorum Rempublicam, & Imperium Romanorum. Quod neutrum timuerint, ideoque ex neutrius metu mutila prædicaverint Apoſtoli, affirmat Septimius: Quod non tantùm in Eccleſiis ſeu Eccleſiaſticis fidelium conventibus, ſed etiam in infideliom & contradicentium Judæorum Synagogis, ac aliis gentilium publicis locis liberrimo ore ac animo prædicaverint omnem veritatem. Quis enim novis Dogmatibus terribilior locus, quàm Areopagus Athenienſium? Quod enim iſtic Anytus & Melitus Socratem de prædicatis novis Dæmoniis accuſaverint, & quod ipſum, licèt proprium civem, iſte Senatus ea de cauſa ad bibendam mortiferam cicutam damnaverit, teſtatur in quarto contra Celſum libro Origenes. Fol. 108.
Et quanta libertate iſtic Sanctus Paulus prædicaverit, refert Sanctus Lucas in Actis. Cap. 17.
Hinc intellige, cur quidam Athenienſes illum dixerint novorum Dæmoniorum annuntiatorem, atque ita accuſatum duxerint ad Areopagum. Quia nempè cenſebant eſſe novum Socratem, ideoque & pari cicuta dignum. Quod pari conſtantia alii etiam Apoſtoli ubique docuerint, & Evangelium ſuo tandem ſanguine ſigillaverint, eſt omnibus notum. Hinc & notum eſt, quod neque fundandis, neque jam fundatis Eccleſiis aliquid Evangelici dogmatis potuerint ſubtrahere, & paucis ſeorſim demandare. Neque apud gentes, neque apud Judæos.

Quamquam etſi quædam inter domeſticos, &c.

Per Apoſtolorum domeſticos Doctor intelligit ipſorum in fundandis ac viſitandis Eccleſiis adjutores & ſocios. Quales Sancto Paulo Lucas & Barnabas, Sancto Petro fuerant Marcus & Glaucias. Et alii aliis. Et quòd his illi ſingularia & arcana tradiderint, non eſt dubitandum. His omnibus dixerunt, *Depoſitum cuſtodi*. Attamen abſit, ut illis aliam fidei regulam, ſeu aliud Symbolum ſuperduxerint. Capitales, cum Marcionitis ac aliis Gnoſticis controverſi, in Symbolo Articuli ſunt tres: De Deo rerum omnium Creatore, de Domino noſtro ac ejus filio JESU Chriſto, ac de Reſurrectione Carnis. Doctor affirmat quod omnes Apoſtoli circa hæc tria ſemper & ubique idem docuerint. In Eccleſia, in hoſpitio, in aperto, in ſecreto, apud omnes, apud paucos, in prædicationibus, in epiſtolis, ac aliis ſcriptis. Et iſtud ipſum fundatis à ſe Eccleſiis, & illic à ſe conſecratis Epiſcopis rigidiſſimè injunxerunt: *Ne ſcilicet Evangelium in diverſitate tractarent*. Omnes in diverſitate tractaturos proſcripſerunt ad hæreſes & ſchiſmata. Juſſerunt ab omnibus *Catholicè* doceri.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Ejuſdem fidei Eccleſiæ ab Apoſtolo correptæ ac laudatæ.

SI ergò incredibile eſt, vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem Regulæ omnibus edidiſſe, videamus ne forté Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè, Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint quàm Apoſtoli proferebant. Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta invenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apoſtolo Eccleſias: *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit?* Et, *Tam bene currebatis, quis vos impediit?* Ipſumque principium: *Miror quod ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam ad aliud Evangelium.* Item ad Corinthios ſcriptum, quòd eſſent adhuc carnales, qui lacte adhuc educarentur, nondum idonei ad pabulum; qui putarent ſe ſcire aliquid, quando nondum ſcirent quemadmodum ſcire oporteret. Cum correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas. Sed & illas recognoſcant, de quarum fide & ſcientia & converſatione Apoſtolus gaudet, & Deo gratias agit: Quæ tamen hodiè cum illis correptis unius inſtitutionis jura miſcent.

SCHOLION.

Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperunt, &c.

QUòd Apoſtoli germanam faciendi Chriſtiani diſciplinam ignoraverint, aut ipſam ex nequitia vel humano metu mutilam prædicaverint, eſt adeò fœda calumnia, ut plures etiam Gnoſtici de ipſa erubuerint. Hinc quod illi iſtam diſciplinam plenè & ſciviſſent & prædicaſſent, ſunt profeſſi, attamen ad firmandam ſuam Sectam addiderunt, quòd Eccleſiæ ipſos non intellexiſſent, ideoque ſuo vitio accepiſſent aliter, quàm illi protuliſſent. Quòd Gnoſticorum quidam ita ſenſerint, affirmant ſequentia verba: *Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta invenias prætendi ab hæreticis.* Et ſuam ſcrupuloſitatem probabant ex Galatis & Corinthiis, quorum Dogmata Sanctus Paulus corripuit, ideoque cenſuit illa devia, & ſe ab iſtis pravè intellectum. At Septimius reponit: *Cum correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas.* Hinc concludit ex iſtarum Eccleſiarum lapſu nullum ſecretis Gnoſticorum Dogmatibus præberi fundamentum aut fomentum. Et profecto iſtæ Eccleſiæ Apoſtolicam prædicationem non malè intellexerant, ſed ab ipſa benè intellecta fuerant deturbatæ per Pſeudo-Apoſtolos & ſeductæ. Apertiſſimè lucet ex Apoſtolicis ad ipſos litteris. Et quod per Sanctum Paulum correctæ ac reductæ fuerint, inſigniter oſtendit Septimius: *Sed & illas recognoſcant, de quarum fide, & ſcientia, & converſatione Apoſtolus gaudet, & gratias agit, quæ tamen hodiè cum illis correptis unius inſtitutionis jura miſcent.* Nempè *communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & conteſſerationem hoſpitalitatis. Quæ jura non alia ratio regit, quam ejuſdem Sacramenti una traditio.* Hinc lucet iſtas Eccleſias fuiſſe correctas ac reductas.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Quod apud multos unum eſt, non eſt erratum, ſed traditum.

AGe nunc omnes erraverint, deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo quibuſdam. Nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, uti eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, ut eſſet Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm quod ipſe per Apoſtolos prædicabat. Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergò aliquis dicere illos erraſſe qui tradiderunt.

SCHOLION.

Age nunc, omnes erraverint, &c.

DOctor affirmat hanc Gnoſticorum de Eccleſiis calomniam ſibipſi non cohærere, incidere in turpiſſimas ineptias, eſſe belluam quæ ſemetipſam devoret. Incidit in ſeqnentes ineptias Prima eſt, quod omnes per Apoſtolos fundatæ Eccleſiæ erraverint. Etenim ſi ſoli Gnoſtici recta doceant, clarum eſt omnes Catholicas Eccleſias erraſſe. Secunda ineptia eſt, quod ita etiam Sanctus Paulus erraverit in reddendo quibuſdam Eccleſiis teſtimonio: Nempè *de quarum fide & ſcientia, & converſatione gaudet, & Deo gratias agit*. Ita illi etiam Paulum, quem ſolum garriebant irreſragabilem, profitebantur deviaſſe. Tertia ineptia eſt, quod Spiritus S. nullam Eccleſiam reſpexerit, ut eam in veritatem deduceret, atque ita etiam ille neglexerit ſuum officium. Etenim officium, cui eum Chriſtus Dominus à Deo Patre rogavit, & ad quod ipſum in Pentecoſte ſuis Diſcipulis miſit, erat Eccleſias deducere in omnem veritatem. Erat Dei villicus, exaltati ad Patris dexteram Chriſti in docendo vicarius. Nec dumtaxat officium ſuum ſic ille neglexit, ſed eſt inſuper prævaricatus. Etenim Eccleſias aliter intelligere & credere permiſit, quàm ipſemet per Apoſtolos prædicaret. Officium, quo juſſus erat eſſe veritatis Doctor, eſt prævaricatus. Hæc ſunt ſplendida Dogmata Gnoſticorum.

Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint, &c.

Doctor demonſtrat calumniam ſibi ipſi non cohærere, ſed vorari à ſemetipſa. Eò quòd garriat rem manifeſtè falſam, immò & impoſſibilem. Garrit enim omnes ſub cœlo Eccleſias Apoſtolicam prædicationem malè intellexiſſe, atque ideò erraſſe. Septimius affirmat id eſſe impoſſibile. Eò quòd omnes ſub cœlo in quibuſcumque gentibus Eccleſiæ conſtanter teneant ac ſemper tenuerint eandem fidem, ideoque impoſſibile ſit iſtam uniformem fidem eſſe errorem. Et dat impoſſibilitatis cauſam: *Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*. Hinc concludit Gnoſticorum calumniam ſibi ipſi non quadrare. Et adjungit: *Audeat ergò aliquis dicere illos erraſſe qui tradiderunt*. Hoc eſt, eundem in errorem cecidiſſe & conveniſſe non poſſunt omnes ſub cœlo Eccleſiæ, niſi illum eundem Apoſtoli ubique prædicaverint, atque ita erraverint & ipſi: Quod iſta Gnoſticorum claſſis erubeſcit dicere.

Cunctæ per orbem gentes habent diverſos mores, linguas, veſtes, leges: Et quævis ſuarum, licèt ineptiſſimarum, legum eſt tenaciſſima. Quarè non malè dixit Pindarus *legem eſſe Regem omnium*: Regem cujuſque gentis. Nam & Reges

ges debent ſecundùm leges vivere & regere. Quid ineptius & barbarius, quàm defunctos parentes devorare? Et tamen iſtiuſmodi legem habentes Indi, quos Callatias appellunt, à Dario Perſarum Rege rogati, quantum mereri vellent, ut defunctos parentes, Græcorum more, deinceps rogo cremarent, fuerunt attoniti, & Regem rogarunt, ut dignaretur bona verba canere. Ita habes apud Herodotum. Quòd gentes olim perire, quàm in alienos mores aut leges tranſire maluerint, doceri poſſit multis exemplis. Et hinc quòd omnes ſub cœlo gentes receſſerint à ſuis Dogmatibus & legibus, & unicum Chriſti Domini Dogma, unicum Evangelii legem admiſerint, eſt incomprehenſibile miraculum, palàm Divinum opus. Ipſum inſigniter
Lib. 1 cap. 3. exponit ac prædicat Sanctus Irenæus. *Hanc prædicationem cùm acceperit, & hanc fidem Eccleſia, & quidem in univerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit eis, videlicet quaſi unam animam habens, & unum cor, & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: Neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hę quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut Sol, creatura Dei, in univerſo mundo unus & idem eſt; ſic & lumen, pędicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valdè pręvalet in ſermone, ex iis qui pręſunt Eccleſiis, alia quàm hęc ſunt, dicet. Nemo enim ſuper Magiſtrum eſt. Neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cùm enim una & eadem fides ſit, neque is, qui multum de ea poteſt dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat.* Hanc unitatem affirmat eſſe irrefragabilem ac evidentem characterem Divinæ veritatis.

Ex eadem regula affirmat omnem in Dogmate diverſitatem eſſe manifeſtum erroris indicium. Etenim adversùs Gnoſticos, ex ſuperiùs laudati Secreti ſceleratiſſimo abuſu garrientes ſe loqui ſapientiam inter perfectos, ſcribit in tertio libro:
Cap. 2. *Et hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſa adinvenit, fictionem videlicet, ut dignè ſecundùm eos ſit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deindè in Baſilide. Fuit autem & in illo, qui contra diſputat, qui nihil ſalutare loqui potuit. Unuſquiſque enim ipſorum omni modo perverſus ſemetipſum regulam veritatis depravans, prędicare non confunditur.* Etenim veritas eſt una ſemper & eadem, ideoque nequit in variis eſſe varia. Hoc ipſum Irenæus nervosè demonſtrat
Cap. 20. in quinto libro, atque concludit: *Et Eccleſię quidem prędicatio vera & firma eſt, apud quam una eadem ſalutis via in univerſo mundo oſtenditur.* Hinc præſcribit apud Gnoſticos, quibus ſunt tot Dogmatum adverſa Placita, quot hominum capita, non eſſe veritatem.

Eadem præſcriptione adversùm Arianos utitur in libro de Nicænæ fidei Decretis Sanctus Athanaſius: *Eſt ibi, ut Patres tradiderunt, verę diſciplinę & Magiſterii argumentum, ubi eadem confitentur, nec ab invicem, nec à Majoribus diſſentiunt. Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potiùs, quàm veri Pręceptores appellari debent. Certè Ethnici, cùm nec eadem profiteantur, ſed inter ſe diſcrepent, veram diſciplinam non habent. Sancti contra ſunt ſincerę veritatis pręcones, eò quod inter ſe ſententiis conveniunt, & nullo diſſidio laborant.* Eadem præſcriptione adversùm eoſdem hæreticos utuntur Sanctus Baſilius, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & alii paſſim Patres. Etenim Ariani, non minùs quàm Gnoſtici, ſtatim fuerunt lacerati in plurima fruſta, omnia ſibi invicem contraria, & ſeſe mutuò mordentia. Fuiſſe Divinæ Providentiæ, quæ mendacium toti mundo ita pateſacere voluit, opus affirmant laudati Patres. Ab eadem providentia Donatiſtas fuiſſe ad eundem finem laceratos in Primianiſtas, Maximianiſtas, Rogatiſtas, Claudianiſtas, Urbaniſtas, & alia id genùs monſtra, frequenter affirmat Sanctus Auguſtinus. Idem evenit Apollinariſtis, Pelagianis, Neſtorianis, Eutychianiſtis, & cunctis paſſim aliis. Et iſtud ipſum hodiè videmus in Lutheranis, ac præſertim in Calviniſtis. Ipſos ut ad unicæ matris gremium redeant, ita hortatur Divina Clementia.

Eſt præſcriptio adeò manifeſta, ut eadem gentiles, qui cunctos cum Catholicis hæreticos cenſebant eſſe unicum Chriſtiani dogmatis corpus; ſint adversùm nos uſi. Ita teſtatur in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus: *Gentiles primum hoc adversùm nos addu-* Fol. 753. *cunt, dicentes non oportere credere propter diſſenſionem hæreſeon. Retardatur enim ac differtur veritas, dum alii alia conſtituunt dogmata.* Etiam in alio ejuſdem libri loco ſcribit: *Cùm unus ſit Deus,* Fol. 765. *& unus ſit Dominus, propterea id etiam quod eſt ſummè venerabile, & ex eo quòd ſit ſolum laudatur, ut quòd ſit imitatio principii quod eſt unum. In unius ergò naturę ſortem cooptatur Eccleſia, quę eſt una, quam conantur hęreſes in multas diſcindere.* Addit Eccleſiam eſſe unam *propter unitatem unius fidei, quę eſt ex propriis teſtamentis, vel potiùs ex teſtamento, quod eſt unum diverſis temporibus.* Et in libro Anchorato ſcribit Sanctus Epi- Cap. 83. phanius: *Noſtra profeſſio jam tum à Lege, Prophetis, Evangeliis, Apoſtolis, ac Apoſtolicis temporibus ad hęc noſtra in Eccleſia Catholica incorrupta ſervatur, quæque per invidiam ac turbas adversùs unam ac veram fidem concitatas ſingulis quibuſque temporibus, variarum hęreſion inſectatione jactata, ac multis incommodis earum importunitatem conflictata; illa, inquam, ipſa fides, ſpes, ac ſalus noſtra in ſua veritate perſtitit, cùm ex adverſo hęreſes identidem ſua ſe labe contaminent, & ab Eccleſię ſocietate ſeparentur.* Eſt opus manifeſtè Di-

vinum, ideoque firmiſſima præſcriptio. Eaodem in nos frequenter apud Origenem detorſit Celſus Philoſophus. Eadem hodiè in nos, quod diverſas & adverſas Doctorum Scholaſticorum ſententias permittamus, utuntur Lutherani & Calviniſtæ. Aſt aliud eſt circa fundamentale & neceſſarium dogma, aliud circa quæſtiones diſſentire. In his unuſquiſque, dummodo iſtam fundamentalem ac immutabilem non lædat regulam, poteſt in ſuo ſenſo abundare. Circa regulam eſt una fides, quia unus illius author Deus.

CAPUT XXIX.

Error veritate ſemper eſt poſterior.

QUoquo modo ſit erratum, tam diu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat: Intereà perperàm evangelizabatur, perperàm credebatur. Tot millia millium perperàm tincta, tot opera fidei perperàm adminiſtrata; tot virtutes, tot Chariſmata perperàm operata; tot Sacerdotia, tot miniſteria perperàm functa: Tot denique martyria perperàm coronata. Aut ſi non perperàm, nec in vacuum, quale eſt, ut ante res Dei currerent, quàm cujus Dei notum eſſet? Antè Chriſtiani, quàm Chriſtus inventus? Antè hæreſis, quàm vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit; poſt rem ſimilitudo ſuccedit. Cæterùm ſatis ineptum, ut prior doctrina hæreſis habeatur; vel quoniam ipſa eſt quæ futuras hæreſes cavendas prænuntiabat. Ad ejus doctrinæ Eccleſiam ſcriptum eſt, immò ipſa doctrina ad Eccleſiam ſcribit: *Etſi Angelus de cælo aliter evangelizaret citra quàm nos, anathema ſit.*

SCHOLION.

Quoquo modo ſit erratum, &c.

SEnſus eſt hic, permittamus primitivam ſub Apoſtolis Eccleſiam erraſſe. Demus hoc Gnoſticis. Erraſſe ex quavis tandem cauſa: Sive ex Apoſtolorum ignorantia aut nequitia, ſive ex Eccleſiarum devio intellectu. Si ita ſit, *tandiu utique regnavit error, quamdiu hæreſes non erant.* Doctor affirmat rem hanc eſſe paradoxam, quòd Divina Clementia primitivas ſub omni cœlo Eccleſias generatim deviare permiſerit, ac ipſis non miſerit verum doctorem & correctorem. *Aliquos Marcionitas aut Valentinianos liberanda veritas exſpectabat.* Eſt digniſſimus ſarcaſmus in iſtos fabulones, cenſentes ſe è cœlo lapſos ad veritatem, quam Apoſtoli noluerant aut non potuerant prædicare, ex ipſorum erroribus & quaſi captivitate vindicandam ac liberandam. Eodem ſarcaſmo Doctor utitur in primo adversùs Marcionem libro: *Ajunt Marcionem non tam novaſſe regulam, quam retrò adulteratam recuraſſe. O Chriſte patientiſſime Domine, qui tot annis interverſionem prædicationis tuæ ſuſtinuiſti, donec ſcilicet tibi Marcion ſubveniret.* Adversùs ſimilem Novatianenſium de ſuo Novatiano præſumptionem ſcribit ad Symphorianum Sanctus Pacianus Barchinonenſis Epiſcopus: *Ergò à Chriſto uſque ad Decii, ſub quo Novatianus eſt Eccleſia egreſſus, Principatum nullus intelligens. Novatiano vindice Juſtitia liberatur: Authore corrigitur, quidquid erravit.* Cap. 20.

Notanda ſunt Tertulliani verba: *Retrò adulteratam recuraſſe. Interverſionem prædicationis tuæ.* Videntur aſſerere, quòd Marcion non

pri-

primitivam Apoſtolorum prædicationem aut Eccleſiarum fidem improbaverit, ſed dumtaxat dixerit poſtmodò adulteratam ac interverſam, ideoque oportuiſſe recurari. Quidquid de Marcione ſit, ita de ſe cenſuit Novatianus. Suum de Lapſis non danda Pace dogma dixit Apoſtolicum, ſemper viguiſſe in Eccleſiis, priùs à Cornelio Papa adulteratum, ideoque ſe fuiſſe adſtrictum ad iſtud recurandum. Garrivit deviaſſe omnem Eccleſiam, ideoque & à ſe fuiſſe reductam. Eadem ſenſit Hæreſiarcha Artemon, de quo ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Lib. 5. cap. 27. Cæſareenſis: *Ajunt iſti omnes noſtros Majores, & omnes Apoſtolos, ea quæ ipſi jam affirmant, non modò à Domino accepiſſe, verùm etiam alios eadem docuiſſe, & veram prædicationis rationem uſque ad Victoris tempora, qui decimus tertius à Petro fuit Romæ Epiſcopus, integrè ſervatam illam quidem, ſed à Zephyrino illius Succeſſore penitus corruptam fuiſſe ac depravatam.* Idem docuerunt Donatiſtæ. Dixerunt omnem Eccleſiam eſſe factam meretricem, & obſcuram ſeu eclipſatam Lunam, ideoque Dominum dixiſſe, quòd ad ſæculi finem fides vix eſſet invenienda. Quòd invenienda eſſet apud ſolos Donatiſtas. Iſtud ipſum garrivit ad Montanum delapſus noſter Septimius. Quin & Ipſus Lucifer, magnus ille Doctor atque Epiſcopus, garrivit Eccleſiam eſſe contractam ad ſolam Maſtruesm Sardorum. Ita ad ſuum è Dei familia exitum fucandum garriverunt, & garrire debuerunt atque debebunt omnes ſemper hæretici. Ita Joannes Wicleffus garrivit auricularem confeſſionem & Euchariſticam tranſelementationem eſſe errores inductos ab Cap. 1. Innocentio tertio. Teſtatur hoc Thomas Waldenſis in præfatione ad libros de Sacramentis. Calumniam de Sacramentali confeſſione reſumpſit in tertio Inſtitutionum libro Joannes Calvi- Cap. 4. n. 7. nus. At verò in quarto libro de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento dogmatizans, ſcribit Magnum Gregorium fuiſſe poſtremum Romanæ Cap. 17. n. 49. Eccleſiæ Epiſcopum: Utpotè qui poſtremus recta dogmatizaverit. Alii ſtatim poſt Chalcedonenſe Concilium, alii non niſi ad ſeptimi Gregorii tempora volunt Eccleſiam & recta Chriſti dogmata cecidiſſe. Non ita pridem vidimus phyſicas concluſiones, garrientes veram corporeæ creaturæ notitiam latuiſſe uſque ad felices natales Renati Carteſii. In omnes hujuſmodi nugivendas doctrinas declamari poſſit cum noſtro Septimio: O Chriſte patientiſſime Domine, qui veritatem latere tolerasti, donec tibi Wicleffus, Lutherus, aut Calvinus ſubveniret. Semetipſos evertunt. Etenim adversùs talia garrientem Parmenianum ac alios Donatiſtas rectè Lib. 3. cap. 2. ſcripſit Sanctus Auguſtinus: *Quid ſe ipſi jactant, quòd habeant aliquam Eccleſiam, ſi jam illis temporibus eſſe deſtitit? Dicant undè natus eſt Majorinus aut Donatus, ut per eos naſcerentur Parmenianus atque Primianus.* Eo argumento frequentiſſimè utitur, & rogat de Donato: E quo pelago emerſit, è qua terra ebulliit, è quo cœlo eſt delapſus? Etenim ſi tota Eccleſia perierit, periit & tota, ſine qua nullum Sacramentum operari poteſt, Sanctorum Communio, atque ita omnes iſti Eccleſiæ reparatores ex ſacro Chriſti Domini fonte prodiiſſe non poſſunt, ſed debent ex humo aut mari germinaſſe, aut eſſe lapſi de cœlis.

Intereà perperàm evangelizabatur, perperàm credebatur, &c.

Doctor propoſitionem, quam gratis tranſire permiſerat, jam revocat. Affirmat eſſe impoſſibile, ut ab Apoſtolicæ prædicationis exordio uſque ad exortas hæreſes fuerit erratum. Et dat cauſam: Quia eſt impoſſibile, ut tanto tempore fuerit perperàm evangelizatum aut creditum. Et hoc etiam probat per varia media. Primum eſt: *Tot millia millium perperàm tincta.* Quia nempè, ſi tunc non fuerit recta fides, nec vera fuit Eccleſia, ideoque nec Sanctorum communio: Et ſic Baptiſmatis Sacramento defuit neceſſarium adjutorium, proindeque nemo per ipſum potuit in Dei Filium regenerari. Omnes fuerunt perperàm ac in vacuum baptizati. Doctor confirmat jam laudatam doctrinam Sancti Auguſtini, abundè expoſitam in Scholiis ad Dictatum Sancti Gregorii ſeptimi. Doctor loquitur ex priori ad Corinthios epiſtola: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ergo omnia perperàm facio, & in vacuum. Nec enim fructus eſt bonus, qui de radice charitatis non ſurgit. Quævis iſtam radicem non habentia bona opera ſunt folia ſine fructu. At verò ſi uſque ad exortas hæreſes in Eccleſiis non fuerit recta fides, non poſſit fuiſſe charitas: Atque ita *tot millium millia fuerunt perperàm tincta, tot Chariſmata perperàm adminiſtrata, tot Sacerdotia, tot miniſteria perperàm functa, tot denique martyria perperàm coronata.* At verò quis non videat hoc eſſe abſurdiſſimum ac monſtroſiſſimum? Quare hinc Septimius rectè concludit toto iſto tempore non eſſe in cunctis ſub cœlo Eccleſiis malè evangelizatum aut creditum.

Aut ſi non perperàm, ac in vacuum, &c.

Iſta aſſertio erat adeò abſurda atque monſtroſa, ut de ipſa etiam Marcionitæ ac alii Gnoſtici erubeſcerent, ideoque admitterent iſto medio tempore fuiſſe & rectè creditum & evangelizatum. Hinc Tertulliaous vertit vela in ipſos, demonſtrat boc juxta ipſorum confeſſionem eſſe impoſſibile, ideoqne eos debere aut ſuo ſcelerato dogmati valedicere, aut iſtaa monſtroſiſſimas fabulas admittere. Etenim *quale eſt, ut ante res Dei currerent, quàm cujus Dei notum eſſet? Antè Chriſtiani, quàm Chriſtus.* Primarium ac penitùs oeceſſarium rectæ prædicationis ac fidei fundamentum eſt notitia veri Dei, & veri Chriſti. Ante aut citra banc ootitiam eſſe non poſſit vera religio, vera prædicatio, vera fides, verus Chriſtianus. At verò juxta Marcionitas & alios Gnoſticos nequaqnam cœli & terræ Cooditor, ſed neſcio quia alius inviſibilis, innominabilis, ac otioſus Pater eſt verus Deus: Item non veram è Virginis ſubſtantia aſſumptam carnem iodutus Dei Creatoria Filius, ſed oeſcio qnod uliud ab inviſibili Patre miſſum imaginarium ſpectrum eſt verus Chriſtus. Et hæc omnia ignorabaotur uſque ad Baſilidem, Valentinum, Cerdonem, aut Marcionem: Nullus iſta aut prædicaverat, aut intellexerat. De bac Marcionitica fabula Doctor inſigniter ſcribit in tertio adversùs ipſam libro: *Satis præjudicatum eſt Chriſtum non alterius Dei intelligendum, quàm Creatoris, cum determinatum eſt altum Deum non credendum præter Creatorem, quem adeò Chriſtus prædicuverit, & dcincept Apoſtoli non alterius Chriſtum unnuntiuverint, quàm ejus Dei, quem Chriſtus prædicavit, id eſt, Creutoris, ut nullu mentio alterius Dei, atque itu nec alterius Chriſti agitatu ſit ante ſcandalum Marcionis. Fucillimè boc probatur Apoſtolicarum & bæreticarum Eccleſiarum recenſu.* Ergò ante iſtorum nebulonum fabuloſas blaſpbemias nemo fuerat verus Cbriſtianus. Ergò uſque tunc omnia Sacramenta, bona opera, Cbariſmata, Sacerdotia, Martyria perperàm & in vacuum cucurrerunt. Ergò iſta fœdiſſima fæx debet aut ſuas fabnlas abjicere, aut has monſtroſitates admittere.

Antè hæreſis, quàm vera doctrina.

Hoc eſt alind argumentum, ex quo Doctor demooſtrat non eſſe poſſibile, ut iſto primitivo tempore ſit ubiqne perperàm creditum aut prædicatum. Quia nempè hæreſis nequir veram doctrinam antecedere. Et Doctor udducit duas bujus rei rationea. Primu eſt: Quia *in omnibus veritut imaginem antecedit, poſt rem ſimilitudo ſuccedit.* Deindè vera doctrina *futuras bæreſes cavendas prænuntiat*, ac prænuntiare debet, ideoque deber & præcedere. Hunc locum reſpicit, ac inſigniter elucidat Tertullianus in ptimo libro adversùs Marcionem: (Cap. 1.) *Marcion Deum, quem invenerat, extincto lumine ſuæ fidei amiſit. Non negabunt Diſcipuli ejus primam illius fidem nobiſcum fuiſſe, ipſius litteris teſtibus: Ut binc jum deſtinari poſſit bæreticus, qui deſerto quod priùs fuerat, id poſteà ſibi elegerit quod retrò non erat. In tantum enim bæreſis deputabitur quod poſteà inducitur, in quantum veritas babebitur quod retrò & à primordio traditum eſt. Sed alius libellus bunc gradum ſuſtinebit adversùs bæreticos, etiam ſine retractatu doctrinarum revincendes, quòd boc ſint de præſcriptione novitatis.* Et io ſecundo libro: *Illic pronuntianda eſt regulæ interverſio, ubi poſteritas invenitur.* (Cap. 1.) Et io quinto libro: *Soleo in præſcriptione adversùm hæreſes omnes de teſtimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam noſtram omni hæretica poſteritate.* (Cap. 19.) Et præſcriptionis firmitatem demonſtrat ex Apoſtolo. Eadem præſcriptione utitur adversùs hæreſiarcham Hermogenem: *Solemus hæreticis, compendii gratia, de poſteritate præſcribere.* (Cap. 1.) *In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreſes prænuntiavit, in tantum poſteriores quæque doctrinæ hæreſes præjudicabuntur, quia ſunt quæ futuræ veritatis antiquiore regula prænuntiabantur. Hermogenis autem doctrina eam novella eſt. Denique ad bodiernum bomo in ſæculo.* Et in libro adversùs Praxeam laudat Apoſtolicum Symbolum, ac pergir: *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurriſſe, etiam ante priores quoſque bæreticos, nedum ante Praxeam beſternum, probabit tam ipſa poſteritas omnium bæreticorum, quàm ipſa novellitas Praxeæ beſterni. Quo peræquè adversùs univerſas bæreſes jam binc præjudicatum ſit, id eſſe verum quodcumque primum, id eſſe adulterum, quodcumque poſterius.* (Cap. 2.) Addit eſſe firmiſſimam præſcriptionem.

Eadem utitur in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Demooſtrat Baſilidem, Valentinum, ac Marcionem fuiſſe poſteriores Apoſtolis, affirmat ipſos non relaxato Evangelicæ traditionis velo, ſed per falſam ac averſam clavem reſerato, immò exciſo oſtio, aut perfoſſo Eccleſiæ muro irrupiſſe in Magiſterium ac Principatum, atque proſequitur: (Fol. 764.) *Quæ cùm ita ſe habeant, clarum eſt ex antiquiſſima & veriſſima Eccleſia bas recentiores, & quæ bis ſunt adbuc inferiores, tempore fuiſſe innovatas adulterinæ notæ bæreſes. Ex iis quæ dicta ſunt, manifeſtum eſſe exiſtimo unam eſſe veram Eccleſiam, quæ verè eſt antiqua, in cujus catalogum referuntur ii, qui ſunt juſti ſecundùm Propoſitum.* Et ſtatim inſtà: *Et ſubſtantia ergò, & cogitatione, & principio, & excellentia ſolam eſſe dicimus antiquam & Catholicam Eccleſiam.* Conſonat Sanctus Irenæus: (Lib. 4. cap. 63.) *Agnitio vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo, & character corporis Chriſti, ſecundùm ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque ad nos, cu-*

ſtodita

ſtodita ſine fictione Scripturarum tractatione pleniſſima, neque additamentum neque ablationem recipiens, & lectio ſine falſatione, & ſecundùm Scripturas expoſitio diligens ac legitima. Notat Cerinthum, Valentinum, & Marcionem, qui ſacras litteras abjecerunt, falſarunt, aut ſunt pravè interpretati. De iiſdem ſcribit & in alio loco:
Lib. 5. cap. 20. *Omnes hæretici valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias. Et hoc in tertio libro cum omni diligentia manifeſtavimus*.

Ex eadem præſcriptione Sanctus Epiphanius laudat Apoſtolicas Conſtitutiones, & pergit adverſùs hæreſiarcham Ætium:
Hær. 75. cap. 6. *Jam verò utri tandem illorum peritiores ſunt? An errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emerſit, & adhuc hodiè ſuperſtes eſt? An qui ante nos teſtes extiterunt, & eandem traditionem in Eccleſia tenuerunt, quam & ipſi à parentibus ſuis acceperant, & ipſorum parentes à Majoribus ſuis didicerant, quemadmodum Eccleſia, quam à Patribus ſuis accepit, rectam & ſinceram fidem cum traditionibus ad hunc diem obſervat?* Laudat avitam regulam: *Eccleſia credit quod accepit ab Epiſcopis, Epiſcopi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo*. Quod etiam hæreſiarcha Ætius eadem præſcriptione adverſùm nos uti, atque ideò nos Chronitas ſeu temporarios appellare præſumpſerit, teſtantur idem Epiphanius, ac in ſecundo dialogo Sanctus Abbas Maximus. Norat enim veritatem eſſe æternam, ideoque omne temporarium ſeu poſterius eſſe falſum. Hoc retorquet in ipſum Epiphanius, ac proſequitur: *Etenim ſacroſancta Dei fides ac Religio cum ab initio atque ab ultima vetuſtate extitit, licèt non obſoleſcat aut inveteretur unquam, tum perpetuò ſtat, ſolidiſſimo fundamento nixa, cujus Dominus extra omne tempus eſt conſtitutus. Quocirca neque ipſa tempori ſubjacet, ſed cum Angelis verſatur aſſiduè, ſanctoſque per ſingulas generationes exornat. Tu verò temporarius multò magis appellandus es, qui & in errorem abductus es, & faſtu ac arrogantia diſtentus, & gregis tui pecudes paſſim per dumis ac ſpinis conſita paſcua propuliſti. Nemo enim eadem tecum ex veteribus ſenſit: Temporarios ſcriptis tuis laceſſens, temporarius at recens ipſe*. Hær. 76. cap. 1.

CAPUT XXX.

Hæretici poſt fidem intruſi.

UBi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicæ ſtudioſus? Ubi Valentinus, Platonicæ Sectator? Nam conſtat illos neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè Principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, ſub Epiſcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterùm ejecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminaverunt. Poſtmodùm idem Marcion pœnitentiam confeſſus, cùm conditioni ſibi datæ occurrit, ita Pacem recepturus, ſi cæteros quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt. Oportebat enim hæreſes eſſe. Nec tamen ideò bonum hæreſes, quia eas eſſe oportebat. Quaſi non & malum oportuerit eſſe. Nam & Dominum tradi oportebat, ſed væ traditori: Ne quis etiam hinc hæreſes defendat. Si & Apellis ſtemma retractandum eſt, tam non vetus & ipſe, quàm Marcion inſtitutor & præformator ejus: Sed lapſus in fœminam, deſertor continentiæ Marcionenſis, ab oculis ſanctiſſimi Magiſtri Alexandriam ſeceſſit. Indè poſt annos regreſſus non melior, niſi tantùm quia jam non Marcionites, in alteram fœminam impegit, illam Virginem Philumenen, quam ſuprà edidimus, poſteà

verò immane Proſtibulum & ipſam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit Phaneroſeis ſcripſit. Adhuc in ſæculo ſuperſunt, qui meminerint eorum, etiam proprii Diſcentes & Succeſſores ipſorum, ne ſe poſteriores negare poſſint. Quamquam & de operibus ſuis, ut dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion novum Teſtamentum à vetere ſeparavit, poſterior eſt eo quod ſeparavit, quia ſeparare non poſſet, niſi quod unitum fuit. Unitum ergò antè quàm ſepararetur, poſteà ſeparatum, poſteriorem oſtendit ſeparatorem. Item Valentinus, aliter exponens, & ſine dubio emendans, hoc nomine quidquid emendat, ut mendoſum retrò, anterius fuiſſe demonſtrat. Hos ut inſigniores & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterùm & Nigidius neſcio quis, & Hermogenes, & multi alii qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo ejus Dei rebus & litteris & nominibus utuntur, adversùs quem prædicant? Si eundem, quomodo aliter? Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: Dicant Chriſtum iterùm deſcendiſſe, iterùm ipſum docuiſſe, iterùm crucifixum, iterùm mortuum, iterùm reſuſcitatum. Sic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis prætereà virtutem, eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferri: Niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt.

S C H O L I O N.

Ubi nunc Marcion, Ponticus naucletus?

MArcionem fuiſſe Ponticum affirmat Septimius etiam in primo adversùs illum libro, ac iſtam Regionem deſcribit fœdis coloribus: *Pontus qui dicitur Euxinus, natura negatur,* Cap. 1. *nomine illuditur. Cæterùm hoſpitalem Pontum nec de ſitu æſtimes. Ita ab humanioribus noſtris fretis, quaſi quadam barbariæ ſuæ pudore, ſeceſſit. Gentes ferociſſimæ inhabitant: Si tamen habitatur in plauſtrò. Sedes incerta, vita cruda, libido promiſcua, & plurimùm nuda, etiam cum abſcondunt, ſuſpenſis de jugo pharetris indicibus, ne temerè quis intercedat. Ita nec armis ſuis erubeſcunt. Parentum cadavera cum pecudibus cæſa convivio convorant. Qui non ita deceſſerint, ut eſcatiles fuerint, maledicta mors eſt. Nec fœminæ ſexu mitigantur ſecundùm pudorem. Ubera excludunt, penſum ſecuribus faciunt: Malunt militare, quàm nubere. Duritia de cœlo quoque. Dies numquam patens. Sol numquam libens. Unus aer nebula eſt. Totus annus hibernum. Omne quod flaverit, Aquilo eſt. Liquores ignibus redeunt: Amnes glacie negantur. Montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent. Nihil illic niſi feritas calet. Illa ſcilicet quæ fabulas ſcenis dedit de ſacrificiis Taurorum, amoribus Colchorum, & crucibus Caucaſorum. Sed nihil tam barbarum ac triſte apud Pontum, quàm quod illic Marcion natus eſt, Scbyta tetrior, Hamaxobio inſtabilior, Meſſageta inhumanior, Amazona audacior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior.*

Marcionem fuiſſe Ponticum teſtantur etiam in ſecunda Apologia Sanctus Martyr Juſtinus, in Fol. 70. primo adversùm hæreſes libro Sanctus Irenæus, cap. 20. in tertio Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus, in primo hæreticarum fabularum li- Fol. 436. cap. 24. bro Theodoretus, ac in Panario Sanctus Epiphanius, qui & adjungit: *Marcion fuit genere* Hær. 42. *Ponticus ex ea parte quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope, quemadmodum frequenti de eo fama percrebuit.* Hæc eſt illa civitas, de qua ad Sanctum Seleucum Amaſenum Epiſcopum, Helenoponti Metropolitam, in Epheſino Latrocinio dixit per contumeliam Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus: *Non erat Amaſææ Epiſcopus, non erat Amaſææ; Sinopis erat.* Erat dura contumelia. Ipſam expoſui in Scholiis ad Synodum Chalcedonenſem. Quod in Helenoponti Provincia, quam à Ponto Polemoniaco diviſit Magnus Conſtantious, fuerit Sinopenſis civitas,

lucet

lucet ex laudati Seleuci Synodalibus ad Impera-
torem Leonem litteris, exſtantibus poſt lauda-
tam Synodum Chalcedonenſem. Genuit & aliud
monſtrum: Diogenem Cynicum. Quòd Pon-
tus fuerit duri ac frigidi aeris Provincia, lucet
ex variis locis Sancti Baſilii, Sancti Gregorii
Nyſſeni, ac Sancti Joannis Chryſoſtomi. Fuit
vaſtiſſima diœceſis, ideoque & varii aeris. Ex
Marcionis odio Tertullianus omnium climatum
vitia conglomerat, & imitatur Ovidium Naſo-
nem in libris de Ponto.

Marcionem fuiſſe nauclerum ſcribit Septimius
Cap. 6. etiam in tertio contra ipſum libro: *Scilicet nau-
clero illi non quidem Rhodia Lex, ſed Pontica cave-
rat*. Rhodus fuit nauticæ artis peritiſſima, ideo-
que & habuit optimas illius directrices leges.
Cap. 1. Et in quinto libro ſcribit Septimius: *Pontice
nauclere, ſi numquam furtivas merces, &c.* Et
apud Eccleſiaſticam Euſebii Cæſareenſis hiſto-
riam Sanctus & antiquus Eccleſiæ Scriptor Rho
Lib. 5. don: *Ipſe nauta Marcion duo principia introducit*.
cap. 13. Et frater Georgius Cappucinus Ambianenſis:
Tam verè nauclerus, quàm Ponticus. Aliter ſcri-
bit Beatus Rhenanus; *Eſt jocus in gentem. Nam
Marcion Epiſcopi filius fuit. Ut tamen poſſibile ſit
Majores ejus naucleros exſtitiſſe*. Marcionem fuiſſe
Epiſcopi, & quidem ſanctiſſimi viri degenerem
filium, teſtantur etiam præſentis libri appendix,
ac Sanctus Epiphanius. Utique Epiſcopi Sino-
penſis. Hæc enim omninò fuit Epiſcopalis,
magna, & opulenta civitas. Sanctus Optatus
Milevitanus Antiſtes affirmat & ipſum Marcio-
nem fuiſſe Epiſcopum. At ſolus ita loquitur,
ideoque videtur memoria lapſus. Sunt tamen qui
exiſtimant Marcionem ſub patre Amaſeno Epi-
ſcopo, ac totius Provinciæ Metropolita fuiſſe
Sinopenſem Epiſcopum, & ab illius Synodali,
qua degradatus fuerat, ſententia Romam appel-
laſſe. Fundant ſe in referendis infrà ex Sancto
Epiphanio. Eſt conjectura ſine anchoris. Quid-
quid ſit, illum fuiſſe ardentis ingenii, à natura
dotatum inſigniter, ac inſuper egregiè doctum
teſtatur in Oſeæ Prophetæ Commentariis Sanctus
Hieronymus. Fuiſſe Stoicæ Philoſophiæ Secta-
torem, eſt ſuprà demonſtratum. Quòd tamen
ingratè & indoctè hauſerit quædam dogmata
Fol. 434. etiam ex Platone, teſtatur in tertio Stromatum
libro Sanctus Clemens Alexandrinus.

Ubi Valentinus, Platonicæ Sectator:

Lucidiùs de Valentino loquitur Doctor in li-
Cap. 4. bro contra Valentinianos: *Speraverat Epiſcopa-
tum Valentinus, quia & ingenio poterat, & elo-
quio, ſed alium ex martyrii Prærogativa loci poti-
tum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ ab-
rupit, ut ſolent animi pro Prioratu exciti præſum-
ptione ultionis accendi, ad expugnandam converſus
veritatem, & cujuſdam veteris opinionis ſemen na-
ctus, Colobarſo viam delineavit*. In libro de car-
ne Chriſti Apellem ſcribit Marcionis diſcipulum
ac deſertorem, Valentinum autem fuiſſe ejus
condiſcipulum & condeſertorem. Quod non de Cap. 1.
Marcionis magiſtri, ſed de Marcioniici dog-
matis condiſcipulatu & condeſertione debet in-
telligi. Fuiſſe virum doctiſſimum teſtatur in Cap. 10.
Oſeæ Prophetæ commentariis Sanctus Hierony-
mus, ideoque de ejus Secta pergit in laudato Cap. 1.
contra Valentinianos libro Septimius: *Valenti- Cap. 23.
niani, frequentiſſimum planè collegium inter hæreti-
cos*. Eoſdem in libro de anima vocat *Examen
Valentini*. Ipſum eſſe Gnoſticorum primum, &
ab ipſo enatam delirorum Peponum vaſtam mul- Lib. 1.
titudinem ſcribit Sanctus Irenæus. Ejus patriam cap. 1.
eſſe incertam affirmat Sanctus Epiphanius, ex
fundamentis tamen arbitratur fuiſſe *Phreboniten
Ægypti maritimum*, ac Alexandriæ inſtitutum
Græcorum litteris. Tempore apoſtaſiæ habitaſſe
in Cypro teſtatur Sanctus Philaſtrius. Quare
& deſideratus ab ipſo Epiſcopatus videtur ibi-
dem fuiſſe.

Conſtat illos neque adeò olim fuiſſe, &c.

Quòd Marcion ſub Antonini primi Imperio
fuerit, affirmat Doctor etiam in primo adversùs
ipſum libro; *Anno quinto decimo Tiberii Chriſtus Cap. 19.
JESUS de cœlo manare dignatus eſt, Spiritus ſalu-
taris. Marcionis ſalutem, qui ita voluit, quoto
quidem anno Antonini majoris de Ponto ſuo exhala-
verit aura canicularis, non curavi inveſtigare. De
quo tamen conſtat, Antoninianus hæreticus eſt, ſub
Pio impius. A Tiberio autem uſque ad Antoninum
anni ferè centum & quindecim, & dimidium anni
cum dimidio menſis. Tantundem temporis ponunt
inter Chriſtum & Marcionem*. Etiam aliis in locis
affirmat Marcionem eſſe hæreticum Antoninia-
num, id eſt, Antoniniani Imperii. Et in quar-
to Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro Euſebius Cæſa-
reenſis laudat Pii, Aniceti, ac Eleutherii Pon-
tificatum, addit eiſdem annis Romæ floruiſſe
Sanctum Juſtinum Philoſophum, ac de ipſo pro-
ſequitur: *Juſtinus in libro, quem contra Marcio- Cap. 18.
nem ſcripſit, memorat eo ipſo tempore, quo iſtum
librum contexuit, vitam Marcioni ſuppetiiſſe*. Hæc
ſunt iſtius libri verba: *Marcion quidem Ponticus,
qui adhuc ſuperſtes eſt, illos qui ejus obſequuntur
ſententiæ, docet alium quemdam nominare Deum
majorem, quàm mundi Opificem*. Quem librum
laudat, ac quædam ejus verba adducit etiam San-
ctus Irenæus. Eadem ferè illius verba habet San-
ctus Juſtinus in ſua Apologia ſcripta ad Anto- Lib. 4.
ninum Pium Imperatorem: *Marcion Ponticus ho- cap. 14.
diè etiam diſcipulos ſuos docet*. Et affirmat tunc Fol. 70.
cucurriſſe à Chriſto Domino nato annum cente-
ſimum quinquageſimum. Erat Antoniniani Im-
perii annus undecimus. Iſta Apologia, licèt paſ-
ſim dicatur ſecunda, eſt tamen prima. Quæ
enim vulgò prima dicitur, ſcripta eſt ad Anto-
nini Succeſſores, Marcum Aurelium, ac Lu-
cium Verum, & omnem Senatum, anno ejuſ-
dem

dem ſæculi ſexageſimo qoarto. Porrò undecimus Antonioianus erat Sancto Teleſphoro Pontifici nonua, utque ita Marcion tune palàm delirabat ac prædicabat. Teleſphorus ſedit aonis duodecim, & illi per quatuor annos ſucceſſit Sanctus Hyginus. Atque de iſto tempore ſcribit Sanctus

Lib. 3. Cap. 4. Irenæus : *Cerdon , qui ante Marcionem fuit ſub Hygino, qui fuit octavus Epiſcopus, ſæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologeſim faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his quæ docebat malè, & abſtentus à religioſorum hominum conventu. Marcion autem illi ſuccedens invaluit ſub Aniceto, decimum locum Epiſcopatus tenente*. Tunc invaluit in Sectæ Magiſtrum ac Præſidem, antea ſub Teleſphoro corruptus ac ſeductus, itemque corrumpens ac ſeducens. Addit Irenæus Sanctum Polycarpum, Smyrnenſem Epiſcopum, ac Sancti Joannis Apoſtoli diſcipulom, ſub Aniceti Papatu veniſſe Romam, & multos Marcionitas convertiſſe, atque proſequitur : *Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti, Cognoſce nos, reſpondit, Cognoſco te Primogenitum Satanæ*. Eadem de re ad Pompeium Sabrateoſem Epiſcopum ſcribit Sanctus

Ep. 74. Cyprianus: *Marcion de Ponto emerſit, cujus Magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion ſecutus, additis ad crimen augmentis, impudentiùs cæteris & abreptius in Deum Patrem Creatorem blaſphemare inſtituit, & hæreticum furorem ſacrilegis armis contra Eccleſiam rebellantem ſceleratiùs & graviùs armavit*. Videtur Cerdon agendæ aut ſimulandæ pœnitentiæ cauſa Romam veniſſe. Et ante ipſum videtur iſtic fuiſſe Marcio, palàm inſaniens ac blaſphemans. Quarè verba, *Quem Marcion ſecutus*, non de Romani itineris, ſed de ſcelerati dogmatis ſequela oportet intelligi. Proindè Marcio non Romæ, ſed alibi fuit à Cerdone corruptus. Antequam Cerdon Romam accederet. Etiam antequam accederet Marcion. Quarè hic videtur non pœnitentiam acturus, ſed ſeducturus Romam veniſſe. Conſonat in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexan-

Fol. 764. drinus 1. *Domini quæ fuit in adventu doctrina, cùm cœpiſſet ab Auguſto, medio tempore Tiberii conſummatur. Apoſtolorum autem ejus doctrina uſque ad Pauli miniſterium, Neronis tempore conſummatur. Inferiùs autem circa tempora Adriani Imperatoris fuerunt qui hæreſes excogitarunt, & pervenerunt uſque ad ætatem Antonini natu majoris. Sicut Baſilides, etiamſi Glauciam ſibi adſcribat Magiſtrum, ut ipſi gloriantur, qui fuit Petri Interpres. Similiter autem Valentinum dicunt audiviſſe Theodadem. Is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim, cum natus eſſet eadem, qua ipſi, ætate, verſabatur ut ſenex cum junioribus. Poſt quem Simon Petrum audiit paululùm prædicantem*. Dicit varia. Primò, quòd Sanctorum Petri ac Pauli prædicatio finem acceperit ſub Imperio Neronis.

Lib. 3. cap. 3. Addit Sanctus Irenæus: *Epheſi Eccleſia à Paulo fundata eſt, Joanne autem permanſit apud eos uſque ad Trajani tempora*. Quod ipſum in virorum illuſtrium catalogo ſcribit Sanctus Hieronymus, addens defunctum anno ſexageſimo octavo poſt Domini Paſſionem, qui fuit ab ejus nativitate centeſimus ſecundus. Sanctus Clemens ſecundò dicit, quòd Baſilides, Valentinus, ac Marcion fuerint coævi, & omnes cœperint ſub Imperio Adriani. Quæſtio eſt, Quid cœperint? An vitam, an hæreticam prædicationem? Reſpondeo quod hæreticam prædicationem. Etenim Baſilidem ſub Adriani Imperio prædicaſſe, disertè ſcribit Sanctus Hieronymus in encomio illuſtris viri Agrippæ Caſtoris. Verùm adjungens ipſum ſub eodem Imperio defunctum Alexandriæ, deviat à Sancto Clemente, palàm aſſerente ipſum pertigiſſe uſque ad Antonini majoris Imperium, adeoque videtur erraſſe. Etenim circa res Alexandrinas potiùs videtur deferendum Clementi, quàm Sancto Hieronymo. At verò omnes jam adducti Patres conſtanter aſſerunt Marcionem eſſe hæreticum Antoniniani temporis. Quod ipſum ſcribunt de Valentino. Quarè Sanctus Clemens, aſſerens omnes iſtos tres Hæreſiarchas fuiſſe coætaneos, eſt cum ſalis grano accipiendus: Quòd nempè ſibi mutuò convixerint. Proindè Baſilides eſt defunctus ſub Antonini Imperio, Valentinus ac Marcion ipſum etiam exceſſerunt. Etenim præſenti in capite Septimius conſtanter affirmat ipſos perveniſſe uſque ad Pontificatom Eleutheri, adeoque & uſque ad Imperium Commodi. Quarè Sanctus Clemens ſcribens omnes tres ſub Adriano cœpiſſe, & uſque ad Antoninum perveniſſe, non de ſingulis, ſed de omnibus copulatim loquitur. Quòd nempè unus poſt alium cœperint intra iſtud tempus delirare.

Sanctus Clemens tertiò dicit Marcionem fuiſſe verſatum ut ſenem cum junioribus. Non cum Baſilide ac Valentino, quibus fuit coætaneus, ſed cum ſuis diſcipulis. Affirmat ipſum fuiſſe longævum. Ita mihi videtur. Contextus enim eſt admodum obſcurus. Difficultatem præſertim habent hæc Clementis verba: *Poſt quem*, utique Marcionem, *Simon Petrum audiit paululùm prædicantem*. Videntur aſſerere Marcionem fuiſſe Simone Mago ſeniorem. Quod ſi verum ſit, ille non tantùm cum ſuis ſequacibus, ſed etiam cum ſuo Baſilide ac Valentino verſatus eſt ut ſenex cum junioribus. Eadem de cauſa poſſit ipſum Sanctus Polycarpus appellaſſe Primogenitum Satanæ. Quod nempè eſſet primus ac Primas omnium hæreticorum. Reſpondeo hæc nullo modo ſubſiſtere. Etenim certiſſimum eſt primum in novo Teſtamento hæreticum fuiſſe Simonem Magum, & ex ipſo, uti fungos è terra, ebulliiſſe omnem fæcem Gnoſticorum. Ita ſcribit Sanctus Irenæus. Proindè Sancti Clementis tranſlatio, *Poſt quem*, corrigenda videtur, & dicendum, *Juxta quem*. Græcus enim textus unius litteræ mutatione fert iſtam correctionem. Porrò Simon Magus, licèt longè prior, rectè dicitur Sanctum Petrum audiviſſe juxta Marcionem, quia illum ea ipſa ſcelerata mente audiit, qua Marcion credidit & docuit. Etenim quòd Simon Magus

cœpe-

Digitized by Google

cœperit primus blaſphemare Deum Creatorem, & mundum garrire creatum ab Angelis; quòd
Lib. 1. item omnis duplicis Divinitatis ſcelerata fabula
cap. 9. hinc duxerit exordium, diſertè affirmat Sanctus
Irenæus. Quòd hanc Cerdon à Simone acceperit, ac ipſam Marcioni tradiderit, affirmat in alio lo-
Lib. 3. co. Iſtud ipſum confirmat Euſebius Cæſareenſis.
cap. 28. In ſcripta ad Imperatorem Antoninum apologia
29. etiam Sanctus Martyr Juſtinus affirmat ſcabiem à Simone in Menandrum, à Menandro manaſſe in Marcionem. Utique per medium Cerdonem. Quæ omnia teſtatur etiam Sanctus Epiphanius.
Hæſ. 21. Addit Simonem iſtum eſſe fontem omnium ſce-
cap. 4 leratiſſimorum Gnoſticorum. Hinc igitur Sanctus Clemens dicit, Quòd Simon Petrum audiverit juxta Marcionem. Quare Sanctus Epiphanius, dicens Marcionem non niſi poſt Sancti Hygini mortem, ſeu ex ejus morte vacantem Sedem, iviſſe ex Ponto Romam, manifeſtè labitur. Etenim quòd ſub Theleſphoro palàm inſaniverit, ideoque & Romæ fuerit, ſuprà audivimus à Sancto Juſtino.

Apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti.

Benedictus erat apud primitivos Chriſtianos eminens titulus. Eum Septimius Romano Pon-
Cap. 13. tifici adſcribit etiam in libro de Pudicitia: *Bonus Paſtor, & Benedictus Papa concionaris*. Et librum ad Martyres incipit: *Benedicti Martyres*: Et in libro de Baptiſmo ſcribit ad recentiſſimos, ideoque & puriſſimos, è ſacro fonte adſcendentes
Cap. 14. Neophytos: *Benedicti quos gratia Dei exſpectat*.
Cap. 4. & 5. Et in libro de fœminarum cultu dicit ad fideles mulieres: *Securæ eſtote Benedictæ. Credite Benedictæ. Ergò Benedictæ*. Etiam Romanæ Eccleſiæ Clerus ſcripſit ad Clerum Eccleſiæ Carthaginen-
Epiſt. 3. ſis: *Didicimus Benedictum Papam Cyprianum*. Et
Epiſt. 22. Lucianus Martyr ad Martyrem Celerinum: *Benedictus Martyr Paulus*. Et Sanctus Paulinus Nolæ Epiſcopus de Paſchaſio Rothomagenſis Eccle-
Epiſt. 28. ſiæ Diacono ſcripſit ad ejus Epiſcopum Sanctum Victricium: *Benedictus Diaconus frater noſter Paſchaſius*. Titulus videtur deſumptus ex ſalutatione Angelica: *Benedicta tu inter mulieres*. Et ex ſalutatione ſanctæ Eliſabethæ: *Benedicta tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui*. Quidquid ſit, fuit olim titulus eminentiſſimus.

Quòd Valentinus fuerit primùm Catholicus, & ob Epiſcopatus repulſam ſit factus Apoſtata hæreticus, Tertullianus teſtatur etiam in libro contra Valentinianos. Idem ſcribit Sanctus Philaſtrius: *Valentinus imprimis fuit in Eccleſia, elatior autem factus poſtmodùm errore non parvo deceptus eſt, degenſque in Cypri Provincia cœpit hoc definire*. Utique ſuos errores. Quòd Romæ Chriſtianam fidem acceperit, unicus teſtatur noſter Septimius. Scribit verò Sanctus Irenæus: *Valentinus venit Romam ſub Hygino, increvit verò ſub Pio, & propagavit tempus uſque ad Anicetum*. An gentilis, an catechumenus, an fidelis, an hæreticus Romam venerit, non exprimitur. Videtur veniſſe hæreticus. Utique ex Cypro. Videtur enim veniſſe talis, qualis poſtmodo increvit. Et quòd ſit Antoninianus hæreticus, teſtatur in primo hæreticarum fabularum libro etiam Theodo-
retus: *Valentinus hæreſim condidit tempore Antonini* Lib. 3.
primi. Septimius affirmat illum non dumtaxat Cap. 4.
uſque ad Anicetum, ſed etiam uſque ad Eleutherum Pontificem manſiſſe Romæ, & tunc necdum fuiſſe mortuum, ſed perpetuo percuſſum anathemate. Videtur aſſerere, quòd Marcion ante ipſum obierit. Et videtur quod poſt mortem Sancti Eleutheri.

Interim etiam Marcionem fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ apoſtatam Septimius conſtanter affirmat in primo adversùs ipſum libro: *Non negabunt di-*
ſcipuli Marcionis primam illi fidem nobiſcum fuiſſe, Cap. 1.
ipſius litteris teſtibus. Et in quarto libro: *Evangelium Lucæ, quod eſt ſecundùm nos, adeò antiquius Marcione eſt, ut & ipſe illi Marcion aliquando crediderit, cum & pecuniam in primo calore fidei Catholicæ Eccleſiæ contulit, projectam mox cum ipſo, poſteaquam in hæreſim ſuam à noſtra veritate deſci-*
vit. Quid nunc ſi negaverint Marcionitæ primam Cap. 4.
apud nos fidem Marcionis adversùs epiſtolam quoque ipſius? Quid ſi nec epiſtolam agnoverint? Certè antitheſes non modò fatentur Marcionis, ſed & præferunt. Ex his mihi præfatio ſufficit. Notanda ſunt verba: *In primo calore fidei*. Palàm edicunt primam Marcionis fidem fuiſſe Romæ acceptam. Etenim agunt de ducentis ſeſtertiis, quæ Marcion intulerat Eccleſiæ Romanenſi. Affirmant ea in primo fidei calore fuiſſe illata. Notanda ſunt & verba: *Projectam mox cum ipſo*. Affirmat Marcionem cum Romana fide non rediiſſe in Pontum, ſed in ipſa alma urbe fuiſſe deceptum à Cerdone, apoſtataſſe ad ipſum, & cum ſuis ſeſtertiis ejectum.

Verùm longè aliter ſcribit Sanctus Epiphanius:
Marcion initio vitæ, ſcilicet caſtitatem præ ſe ferens, Hær. 42.
Monachorum Inſtituta profeſſus eſt, Parente natus cap. 1.
Catholicæ communionis Epiſcopo. Poſteà cùm virginem quamdam adamaſſet; ac fraudibus pellexiſſet, abs ſpe vitæ cœleſtis illam juxta ac ſemetipſum dejecit. Ob hunc igitur inceſtum Eccleſia ab ipſo Parente pulſus eſt, viro cumprimis religioſo, & amore veritatis flagrantiſſimo, & in hac Epiſcopalis muneris adminiſtratione præſtanti. Cùm enim Marcion diu ac multùm ſupplicaſſet, ac pœnitentiam poſtulaſſet, hanc à Patre precibus nullis obtinuit. Vehementem quidem ex ea re dolorem optimus ſenex & Epiſcopus ceperat, quòd non ſolùm ille excidiſſet, ſed & ignominiam ſibi ac dedecus impoſuiſſet. Ergò ubi ſe nullis artibus eblandiri poſſe quod cuperet animadvertit, popularium ſuorum probra ac ludibria non ſuſtinens, clam ab oppido ſeceſſit, & Romam poſt Hygini Papæ obitum ſe contulit, qui à Petro ac Paulo Apoſtolis nonus Eccleſiæ præfuerat. Eò ſtatim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut ab eis in communionem admitteretur, fruſtrà petiit. Quamobrem

exſti-

conſtimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Eccleſiæ quidem aditum impetraſſet, ad impoſtoris Cerdonis hæreſim confugere in animum induxit. Exponit Marcionis cum Romanæ Eccleſiæ Preſbyteris ac Doctoribus hæreticas diſputationes, atque adjungit hanc ejus interceſſionem: *Cur me recipere noluiſtis? Reſponderunt illi: Nobis injuſſu Venerandi Patris tui facere illud non licet, una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio. Neque contra ſpectatiſſimum Collegam Patrem tuum moliri quidpiam poſſumus. At ille vehementiùs excandeſcens, ac ſuperbia & invidia percitus, ſchiſma conflavit, ac privatam hæreſim architectatus eſt. Et adjecit: Eccleſiam veſtram ego diſſecabo, & in ipſam Schiſma ſempiternum immittam. Quod ille reverà nec mediocre quidem injecit. Non ita tamen ut Eccleſiam, ſed ut ſe potiùs ac ſuos diſcluderet.* Ita & Martinus Lutherus minatus eſt Papatum evertere. Ac ſuo ſepulchro inſcribi juſſit hoc Epitaphium: *Peſtis eram vivens, moriens tua mors ero Papa.* Et ipſum quidem Papatum, uti & Marcion, læſit; at dumtaxat ſemetipſum ac ſuos evertit. Hic eſt ſpiritus omnium hæreticorum. Et quidem in hac ſummi momenti re Epiphanius ac Tertullianus ſibi mutuò adverſantur graviſſimè, nec ſcio cui ſit adhærendum.

Duo Epiphanii Aſſerta ſunt diſcutienda. Primum eſt, An Mareioo fuerit Monachus? Et poſſit fuiſſe. Attamen Anachoreta, non Cœnobita. Quòd enim Sanctus Antonius Cœnobia primus induxerit, eſt conſtans traditio omnium Patrum. Quod ille Anachoreſim à neſcio quo Seniori addidicerit, teſtatur in ejus vita Magnus Athanaſius, & adjungit: *Antonius, cùm ad Senem illum priſtinum rediiſſet, ſimul in deſerto ut eſſent rogavit. Ille autem & propter ætatem recuſante, & propter rei novitatem, è veſtigio in montem ſe proripit.* Cœnobitica vita erat tunc adeò incognita, ut nec duo Monachi poſſent cohabitare. Et quòd primi illius in Ponto authores fuerint Magnus Baſilius, & Euſtatius Sebaſtenſis in Armenia Epiſcopus, eſt omnibus notum. Iſtud de ſemetipſo teſtatur Baſilius in litteris ad dictum Euſtatium. Proindè Marcion, ſi Monachus fuerit, fuit Anachoreta. Quidam cenſent illum ex Monacho factum Epiſcopum Sinopenſem, tunc fuiſſe carne lapſum, & à Patris Amaſeni Metropolitæ judicio provocaſſe ad Romanam Eccleſiam. Et huic opinioni favent adducta verba Sancti Epiphanii: *Quod non principem illic locum impetraſſet.* Id eſt, Epiſcopalem communionem & locum.

Alterum diſcuſſione dignum Sancti Epiphanii Aſſertum eſt, quòd carne lapſus Marcion à Patre Epiſcopo communionem impetrare non potuerit, immò nec pœnitentiam. Nempè Canon, qui omni, præſertim ſacrilegæ mœchiæ Sacramentalis Reconciliationis communionem & Pacem negabat, tunc vigebat apud omnem Eccleſiam. Relaxatus primùm fuit per Sanctum Pontificem Zephyrinum. Et hinc noſter Septimius accepit anſam ſui lapſus. Verùm qua ratione, & qua fronte lapſus Marcion communionem à Patre petiit, quam ex Eccleſiæ diſciplina noverat impoſſibilem? Forſan quòd Epiſcopi filius de Patris miſeratione confideret. Quibuſdam enim in caſibus fuit miſerationi ac diſpenſationi locus. Ex iſta interim diſciplina dixerunt ad Marcionem Romani Presbyteri ac Doctores: *Una fides eſt,* Hær. 42.
& una animorum conſenſio. Hoc eſt, una per om- cap. 3.
nem Eccleſiam viget diſciplina. Hinc item de Marcionis erroribus ſcribit Sanctus Epiphanius: *Baptiſmo non ſemel, ſed tertiò apud Marcionitas initiantur. Quod fieri Marcion idcircò conceſſit, quòd à diſcipulis ſuis, quibus fuerat cognitus, ob delictum illud ac virginis ſtuprum eſſet ludibrio habitus. Nam cùm virginem in Patria conſtupraſſet, & ingentis flagitii convictus aufugiſſet, alterum ſibi circumforaneus iſte Baptiſmum adſcivit, licere pronuntians ter omninò aquis elui, ac Baptiſmo ad peccatorum condonationem expiari. Ut ſi quis poſt uſurpatum priorem peccaret, ad ſecundam cum pœnitentia confugeret. Similiter ad tertium, ſi poſt ſecundum etiam ſe delictis obſtrinxerit. Quod ad infamiæ ſuæ remedium excogitavit, quo ſe rursùs poſt facinus purgatum, & inter innocentes numerandum eſſe perſuaderet.* Mœchiam, quam per ſacras claves tunc reconciliare nolebat, Eccleſia purgabat Baptiſmo: Hinc Marcion garrire cœpit Baptiſmum poſſe tertiò iterari. Quò nempè quis non ſemel, ſed bis poſſet liberè fornicari. Rigida illa in Mœchos diſciplina tunc & apud Pontificem & apud Romanam Eccleſiam erat in tanta obſervantia ac reverentia, ut ipſam tangere non præſumens Marcion, maluerit Rebaptiſmum inducere, ac Divinam legem violare. Eandem diſciplinam tunc viguiſſe in Aſiatica Eccleſia, teſtatur Sanctus Irenæus. Refert cujuſdam iſtic Diaconi uxorem à Gnoſticorum ſceleratiſſimo Marco Ægyptio fuiſſe ſeductam in ſtupra, & abductam, ac de tandem converſa & pœnitente ſubjungit: *Om-* Lib. 1.
ne tempus in exomologeſi conſummavit. Quod ip- cap. 9.
ſum feciſſe ait & alias, non tantùm Aſiaticas, ſed etiam Rhodunenſes mulieres, atque ita affirmat iſtam diſciplinam viguiſſe etiam in Galliis. Quòd etiam in Africa viguerit, lucidiſſimè docet noſtri Tertulliani lapſus, ac poſt hunc ſcriptus liber de pudicitia. Quin & ipſam quædam Africanæ Eccleſiæ conſtanter retinuerunt etiam poſt Decretum Sancti Zephyrini. Lucet ex San- Ep. 48.
cti Cypriani epiſtola ad Antonianum Epiſcopum, & ex Sancti Auguſtini litteris ad Vincentium Cartennenſem in Mauritania Epiſcopum ad Rogatiſtam. Etiam Dooatiſtæ iſtam diſciplinam pertinaciter retinuerunt. Quòd item apud Hiſpanos viguerit, demonſtrant Canones Eliberini. Ex iiſdem lucet, quòd in certas mœchiæ ſpecies viguerit uſque ad Nicænum Concilium. Et uſque ad Pontificis Siricii Decretum omnia ſub cœlo Eccleſia eandem legem ſervavit in relapſos mœchos. Nicæna enim clementia fuit in ſolos lapſos. Et quidem Pontica Eccleſia fuit hic rigidiſſima. Etenim primitivum cigorem non dumtaxat poſt Zephyrini Decretum, ſed & poſt Nicænum Canonem diu retinuit. Lucet ex Sancto Amphilo- Cap. 16.
chio in vita Sancti Baſilii, ac ex Eccleſiaſtica hi- lib. 5.
ſtoria cap. 21.

ſtoria Socratis. Scio illos loqui de ſola Cæſareenſi Eccleſia, Metropoli Ponticæ Diœceſios. Veſùm quis credat illam ſolam ſuiſſe rigidam? Quis credat nullas filias ſuiſſe ipſam imitaras? Ex his vides cauſam, ob quam nec Pater Epiſcopus, nec Romana Eccleſia voluerit mœchum Marcionem recipere ad Pacem Sacramentalis Reconciliationis. Et ita corruunt omnia, quæ adversùs Divinam Romanæ Cathedræ in aliarum Eccleſiarum Pœnitentes poteſtatem ſcripſit Joannes Launojus. Plura dixi in Scholiis ad Dictatum Sancti Gregorii ſeptimi. Et quidem circa Marcionem conſonat Sancto Epiphanio præſentis libri appendix: *Poſt Cerdonem diſcipulus ipſius emerſit Marcion quidam nomine, Ponticus genere, Epiſcopi filius, propter ſtuprum cujuſdam virginis ab Eccleſiæ communicatione ejectus.* Et plane exiſtimo rem ita ſe habere.

Etiam quæ de illatis à Marcione in Romanam Eccleſiam ſeſtertiis narrat Septimius, video non ſubſiſtere. Etenim quòd olim fideles, dum Cleto inſcriberentur, omnes ſuas facultates aut ipſarum partem inferrent ſuæ titulari Eccleſiæ, poſſit authenticè demonſtrari. Erat conſuetudo potiùs, quàm lex. Verùm quòd quis in Baptiſmate iſtud fecerit, nullo poſſit exemplo firmari. At verò Septimius affirmat Marcionem non Clero inſcriptum, ſed dumtaxat crediditſſe, ſeu fuiſſe baptizatum apud Romanenſem Eccleſiam: Atque ita tunc ille nulla ſeſtertia poſſit intuliſſe. Interim quia hoc conſtanter, & quidem in duobus locis, affirmat Septimius, hæreo & ceſpito, & quòd certus dicam non habeo. Interim de toties iterato Marcionis lapſu ac relapſu Sanctus Irenæus nullam facit mentionem. At verò ſcribit de ejus Magiſtro Cerdone: (Lib. 3. cap. 4.) *Cerdon, qui ante Marcionem, & hic ſub Hygino, ſæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologeſim faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his quæ docebat malè, & abſtentus eſt à religioſorum hominum conventu.* Etiam de Valentini lapſu ac relapſu nec verbum facit. Quid ſi igitur Septimius ſolius Cerdonis opera tranſcribat in Marcionem ac Valentinum? Judicent Peritiores. Quidquid ſit, notanda ſunt ejus verba: *Marcion quidem cum ducentis ſeſtertiis, &c.* Edicunt antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ ejecto ob crimen Clerico reddebat illatum patrimonium. Eam poſtmodò Imperator Juſtinianus mutavit, ſanciens ejectorum aut Apoſtatarum Clericorum aut Monachorum bona manere Eccleſiis ac Monaſteriis.

Ad iſta ſeſtertia commentatur Jacobus Pamelius: *Ad antiquum Chriſtianorum morem pertinet, qui non ſe tantùm, ſed ſua ſimul offerebant Eccleſiæ, in communi fratrum ſodalitio viventes.* Reſpondeo morem iſtum, qui in ſola Hieroſolymitana ac Alexandrina Eccleſia viguit ad paucos annos, numquam fuiſſe ſervatum in Romana Eccleſia. Nullo id poſſit teſtimonio probari. Et hinc quidam alii cenſent Eccleſiam, cui Marcion ſua ſeſtertia contulit, fuiſſe Sinopenſem. Contuliſſe, dum fuit adſcriptus in ejus Clerum. Et degradato ac ejecto fuiſſe reſtituta. Verùm & iſte commentarius non ſubſiſtit. Septimius enim diſertè ſcribit hæc facta fuiſſe apud Eccleſiam Romanenſem. *Ducenta ſeſtertia*, inquit Beatus Rhenanus, *faciunt quinque millia coronatorum.* Quod ipſum ex Budæo demonſtrat Jacobus Pamelius. Et adjungit adversùm noſtri temporis hæreticos: *Gnoſtici calumniatores hic mihi reſpondeant, qui mentiri non erubeſcunt Eccleſias illas primitivas, noſtrarum matrices, adeò vixiſſe pauperes, immò tam tenues, indigas, & mendicas exſtitiſſe, tumque nihil habuiſſe proprium vel ſuum, ut oſtiatim penè compellerentur quæritare cibos. Hic vides auri pondo multa donata Eccleſiæ, atque reddita non cunctanter, ſed mox atque repopoſcit is qui donaverat.* Per Gnoſticos calumniatores intelligit Lutheranos & Calviniſtas. Et rectè. Habent enim plura Dogmata ab antiquis Gnoſticis. Et cum Arnaldo Brixienſi Eccleſiaſticas poſſeſſiones, quas in ſe diligunt, in nobis peſſimè oderunt. Attamen antiqua Eccleſiarum opulentia demonſtrari poſſit multis teſtimoniis, palamque lucet ex centum millibus ſeſtertiis, quæ ex una Carthaginenſi Eccleſia ad fideles Numidas è barbarorum captivitate liberandos miſit Sanctus Cyprianus. (Ep. 60.)

In epiſtola ad Cteſiphontem Sanctus Hieronymus affirmat cunctis hæreſibus, & cunctis ipſarum authoribus fuiſſe adjutrices mulieres, & demonſtrando adjicit quidpiam ſingulare de Marcione: (Cap. 3.) *Simon Magus hæreſim condidit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos animos ſibi præpararet. Apelles Philumenam ſuarum comitem habuit doctrinarum.* Hæc nec Tertulliano conſonant, nec Sancto Epiphanio. Etenim ſi Marcion Romam præmiſerit ſuarum fabularum obſtetricem mulierem, nec fidelis, nec Catechumenus, nec pœnitens eò venit, ſed prava docturus, ac ſeducturus. Sancti Juſtini Martyris adversùs Marcionem libri magno Chriſtianæ eruditionis damno perierunt aut latent. Ille Marcionenſis apud Romam tragœdiæ fuit oculatus ſpectator. Nec dubium eſt, quin ipſam plenè tranſcripſerit ad poſteros. Donec iſtud lumen nobis affulgeat, de Marcionis exordiis non valeo quid certum definire. Quod Marcellina fuerit à Valentinianis Romam miſſa, & ſub Sancti Aniceti Papatu multos ibi corruperit, teſtantur Sanctus Irenæus & alii antiqui Scriptores. (Lib. 5. cap. 24.) De Marcionis Emiſſaria nemo penitùs meminit. Cur Sanctus Hieronymus nequeat eſſe memoria lapſus, & Marcellinam à Valentino tranſcripſiſſe in Marcionem? Certè tempora non obſtant. Interim quòd Marcion ſeducturus venerit Romam, ſupra audivimus à Sancto Cypriano. Quare poſſit & præparatricem fœminam præmiſiſſe. Eſt res obſcura.

Sub

Sub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti.

Hunc textum eodem modo legit beatus Rhenanus. At verò Jacobus Pamelius ſic legit: *Donec ſub Epiſcopatu Eleutheri Benedicti, &c.* Exiſtimat aliter verificari non poſſe hæc ſuperiùs laudata noſtri Doctoris verba: *Marcion Antoninianus hæreticus eſt, ſub Pio impius.* Et rectè exiſtimat. Etenim quod Marcio ſub Antonino Pio inſanire cœperit, eſt res certiſſima, ſuperiùs abundè demonſtrata. At verò Eleutherus Romanam Cathedram adſcendit decimo ſeptimo anno poſt mortem Antonini. Proindè Septimius, niſi textum hoc modo formaveris, ſibi palàm contradicit. Igitur affirmat & Marcionem & Valentinum ob inquietam ſemper curioſitatem, ac frequentes lapſus & relapſus fuiſſe à Sancto Eleuthero noviſſimè relegatos in perpetuum diſcidium. Quid porrò ſit perpetuum diſcidium, & quomodo à ſimplici damnatione aut excommunicatione differat, exponit Sanctus Syneſius, Ptolomaidis in Pentapolitana Provincia Epiſcopus, in litteris ad neſcio quem Cyrillum: *Vade ad matrem Eccleſiam, à qua minimè abſciſſus, ſed ad tempus ſeparatus es, quod pro criminum merito definiri ſolet.* Perpetuum diſcidium eſt abſciſſio ſeu ſeparatio illa, quam Apoſtolus anathema, Conſtantinopolitani Concilii ad Imperatorem Theodoſium Relatio extremam execrationem ac deteſtationem, Sardicenſis Synodus, ac alii plures Canones & Patres appellant ſeparationem, non ſolum à communicatione Eccleſiaſtica, ſed etiam à Chriſtiano nomine, ac omni ſorte & commercio Chriſtianitatis. Hinc pertinaces improbos, qui excommunicatione non corriguntur, Eccleſia conſuevit anathematizare. Ita de Eccleſiaſticarum poſſeſſionum direptoribus dixit ſecunda Turonenſis Synodus: *Non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur, & cœleſti gladio feriatur.* Hæc dicit eſſe extrema Eccleſiæ arma, & *maledictionem quæ ſuper Judam venit.* Erat maledictio, quæ hominem Diabolo projectum omni Chriſtianæ benedictionis Sacramento exautorabat, & in Eccleſiæ gremium ſtatuebat deinceps non admittere. Hinc dicitur relegatio in perpetuum diſcidium.

Epiſt. 2. Can. 2.

Doctrinarum ſuarum venena diſſeminaverunt.

Marcionis diſſeminationem audi à Sancto Epiphanio: *Hæreſis etiam nunc eſt Romæ & in Italia, in Ægypto, Paleſtina, Arabia, Syria, Cypro item, atque Thebaide. Quin & in Perſide, & aliis locis reperitur.* Suo etiamnum tempore fuiſſe in Syria, ac præſertim in ſua Diœceſi graſſatam, frequenter teſtatur Theodoretus, in Euphrateſia Provincia Epiſcopus Cyrenſis. Ejus Diœceſis erat modica, & tamen ſcribit ad Nomum Conſulem: *Vicos octo Marcionis hæreſi corruptos unà cum vicinis locis ad veritatem perduxi volentes.* Etiam affirmat in ſua diœceſi fuiſſe plurimos Valentinianos. Audi cauſam: *Omnibus omnes patent civitates non Arii modò ac Eunomii ſectatoribus, ſed etiam Manichæis, Marcionitis, Valentini ac Montani morbo laborantibus, atque adeò gentilibus & Judæis.* Nempe regnabat tunc Theodoſius ſecundus, Princeps nullius ponderis. Et ſuum contra Valentinianos librum ſic inchoat Septimius: *Valentiniani, frequentiſſimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex apoſtatis veritatis.* Etenim uti fuci ad fucum, ita apoſtatæ ad apoſtatam ſolent adglomerari. Similia exordia etiam fuerunt apoſtatis Martino Luthero ac Joanni Calvino. Et Sanctus Irenæus ſcribit: *Valentini ſcholam eſſe Lernæam Hydram, Feram multiplicem capitibus.*

Hær 42. cap. 1. Ep. 81.

Poſtmodum idem Marcion pœnitentiam confeſſus, &c.

Hæc potiùs in Cerdonem, quàm in Marcionem quadrare videntur. Certè non cohærent cum Aſſertis Sancti Epiphanii. Quidquid ſit, hinc diſcimus tria. Primò, quòd non hæreſis, ſed ſola Idololatria olim fuerit inter crimina, quibus Sacramentalis Pacis ſeu Reconciliationis Viaticum negabatur in exitu. Et natos & lapſos hæreticos poſt expleta pœnitentiæ tempora ad Pacem ſemper admiſit Eccleſia. Verùm ad ſolam laicæ communionis Pacem. Secundò diſcimus, quòd etiam relapſos hæreticos Eccleſia ſemper admiſerit. Quarè ſecundam pœnitentiam ac Pacem excludens Canon videtur eſſe Nicæna Synodo poſterior: Eſſe interpretatio ac moderatio decimi tertii Nicæni Canonis, qui cunctis lapſis juſſit in exitu per Pacis Viaticum ſubveniri. Diſcimus tertiò, quòd Hæreſiarcha olim nequiverit, ac etiamnum hodiè nequeat ſperare Pacem, niſi & ſuos ſeductos ſecum reduxerit. Ita de Trophymo in Idololatriam lapſo, ac per Sanctum Cornelium Papam ad laicam Pacem admiſſo Epiſcopo, ſcribit ad Antonianum Epiſcopum Sanctus Cyprianus: *Sicut Anteceſſores noſtri ſæpè fecerunt, colligendis fratribus noſtris, chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit. Et quoniam cum Trophymo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophymo, & ſatisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces, & in Eccleſiam Domini non tam Trophymus, quàm maximus fratrum numerus, qui cum Trophymo fuerat, admiſſus eſt.* Eandem regulam Eccleſia ſemper ſervavit in Hæreſiarchis, & ſchiſmatum auctoribus. Immò & in cunctis hæreſeon aut ſchiſmatum Hierarchis atque Doctoribus. Hinc ad Anti-

Ep. 52.

Anti-Papam, qui plurimos ab Eccleſia ſecum abſtraxerat, Novatianum hortando ſcribit Sanctus Dionyſius Patriarcha Alexandrinus: *Jam ergò ſi vel ſuadendo, vel quaſi vi compellendo fratres ad Eccleſiæ concordiam redire efficias, culpæ magnitudinem correctionis modus facilè ſuperabit*. Similiter Maximum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, & alios quoſdam Confeſſores, dictum Anti-Papam ſequentes, in communionem & gradum admiſit Sanctus Pontifex Cornelius, *quod pleriquæ fratres, qui ſe eis adjunxerant*, unà redirent, & reliqui omnes redituri ſperarentur. Ita habemus in iſtius Pontificis litteris, exſtantibus in Regeſto Sancti Cypriani. Iſtiuſmodi ſeductores ad ſuos ſeductos reducendos adhibere obligantur extremum conatum, & tunc ſemetipſos poſſint ſolari ex laudati Dionyſii ad memoratum Anti-Papam conſequentibus verbis: *Quod ſi illi*, fideles per te perverſi, *adeò contumaces, & animo obſtinato fuerint, ut nihil omninò te poſſe apud illos exiſtimes, tu tamen tuam ipſius animam ſervato*. Exſtat hæc epiſtola in ſexto libro Euſebii Cæſareenſis. Et iſta omnia fundantur in naturalis juris regula: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt*. Etenim fideles ſecum ſeducens hæreticus, aut quivis alius criminoſus, eſt veri plagii reus, Domino Deo abſtulit ſuam poſſeſſionem, adeoque obſtrictus eſt reſtitutioni. Et omnem hanc regulam, uti neceſſariam & communem, laudat Sanctus Augu- Ep. 43. ſtinus in epiſtola ad Vincentium Cartennenſem Epiſcopum Rogatiſtarum. Hinc ipſam Romana Eccleſia ſervavit & in Marcione, ſeu Cerdone. Et ille, dum conditioni ſibi datæ occurrit, fuit morte præventus. Et hinc de ipſo dici poſſit, quod de ſeipſo dixit moriens ac pœnitens Hæreſiarcha Berengarius: *Hodiè apparebit mihi Dominus meus* JESUS *Chriſtus, propter pœnitentiam, ſpero, ad gloriam. Propter alios*, utique ab ipſo perverſos, *ut timeo, ad pœnam*. Defunctus enim fuit in feſto Dominicæ Apparitionis, ſeu Epiphaniæ. Habes iſta apud Guilielmum Bibliothecarium Monaſterii Malmesberienſis. Et quidem an Marcion, aut etiam Cerdon iſtiuſmodi pœnitentiam egerit, ac datæ conditioni ſtuduerit occurrere, eſt valdè incertum. Unicus hoc ſcribit Septimius. Reliqui Patres ſupponunt in hæretica pertinacia defunctum deſcendiſſe ad Inferos. Quidquid ſit, iſtud etiam Septimius ſupponit de Valentino. Porrò per *Pacem* intelligit ſacramentalem Reconciliationem. Hæc enim eſt vera noſtra cum Deo pax. Quia ſola peccata ſeparant inter Deum & hominem. Eſt vocabulum etiam Sancto Cypriano, ac aliis antiquis Patribus frequentiſſimum.

Si & Apellis ſtemma retractandum eſt, &c.

De Marcionis factione ſcribit in primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus: Cap. 25. *Hic quoque cœtus multas in partes diviſus eſt.* Sic enim cunctis, quod quiſque velit eſſe ſuo Symmiſta major ac doctior, hæreſibus ſemper evenit atque eveniet. Et primum Marcionis apoſtatam Septimius dicit fuiſſe Apellem. Quod ipſum ſcribit in libro de Cap. 1. Carne Chriſti: *Apelles diſcipulus, & poſteà deſertor Marcionis*. Et in alio ejuſdem libri loco: *Quidam* Cap. 5. *Diſcentes Marcionis Pontici, ſupra Magiſtrum ſapere compulſi, concedunt Chriſto carnis veritatem, ſine præjudicio tamen renuendæ nativitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omninò non natam. Pervenimus igitur de calcaria in carbonariam, à Marcione ad Apellem, qui poſteaquam à diſciplina Marcionis in mulierem carne lapſus, de hinc in virginem Philumenam ſpiritu everſus eſt, ſolidum Chriſti corpus, ſed ſine nativitate, ſuſcepit ab ea prædicare. Et Angelo quidem illi Philumenes eadem voce Apoſtolus reſpondebit, qua illum ipſum tunc præcinebat: Etiamſi Angelus de cœlis aliter evangelizaverit vobis, quàm nos evangelizavimus, anathema ſit*. Et in tertio adversùs Marcionem libro: *Nam & Philumene illa perſuaſit Apelli, cæteriſque deſertoribus Marcionis, ex fide quidem Chriſtum circumtuliſſe carnem, nullius tamen nativitatis, utpotè de elementis eam mutuatum*. Apellem fuiſſe Marcionis familiarem, & novæ cujuſdam hæreſis authorem, in quinto contra Celſum libro teſtatur etiam Origenes. Marcionis factionem fuiſſe in plura fruſta laceratam Fol. 267. affirmat in Eccleſiaſtica Euſebii Cæſareenſis hiſtoria etiam Sanctus & antiquus Scriptor Rhodon, & adjungit: *Ex eodem grege unus Apelles*, Lib. 5. *vitæ Inſtituto & provectæ ætatis ratione valdè ſeve-* cap. 13. *rus & gravis*. Nec obſtat in famoſa ad Sanctum Cyprianum epiſtola Sanctus Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus, dicens Apellem Marcioni conſentire. Etenim mox adjungit: *Multa alia nova & graviora fidei ac veritati inimica addidit*. Et hinc in epiſtola ad Jubajanum Epiſcopum lau- Ep. 73. datus Cyprianus, Apellecianos hæreticos ponens ante Marcionitas, eſt abuſus ordine temporum. De eodem Apelle ſcribit in Panario Sanctus Epiphanius: *Lucianum proximè ſequitur Apelles. Non* Hæ. 43. *ille ſanctus, & ab Apoſtolo commendatus, ſed di-* Cap. 1. *verſus ab eo quidam, à quo Apellejani ſunt cognominati. Hic Luciani condiſcipulus, & Marcionis auditor fuit. Quemadmodum ſæpè fit ut ſpinoſi frutices multi ex una radice luxuriantes pullulent. Quamquam ille diverſa ab aliis quamplurima ſtatuit. Nam & adversùs Magiſtrum ſuum, & adversùs ipſam veritatem armaſſe ſe videtur: Quo in errore verſantium hominum privatim ſibi ipſe ſcholam quæreret*. Hunc Lucianum noſter Septimius appellat Lucanum. Ejus errorem ſuprà expoſuit. Conſonat Sanctus Philaſtrius: *Fuit Apel-*

les Luciani diſcipulus, Marcioni ſimilia in quibuſdam prædicans. Qui interrogatus à quibuſdam, quonam modo de fide putaret, reſpondit: Non mihi opus eſt diſcere à Marcione, ut duo Principia aſſeram coæterna. Ego enim unum Principium eſſe prædico. Aſſerit Apellem non proximè Marcionis, ſed Luciani fuiſſe diſcipulum. Et adjungit: *Hæ ſub Apoſtolis fuerunt hæreſes per ordinem.* In quibus duobus eſt memoria lapſus.

Deſertor continentiæ Marcionenſis.

Marcionenſem continentiam deſcribit Doctor Cap. 29. in primo adversùs Marcionem libro: *Apud Marcionem non tingitur caro, niſi virgo, niſi vidua, niſi cœlebs, niſi divortio Baptiſmum mercata, quaſi non etiam ſpadonibus ex nuptiis nata. Sine dubio ex damnatione conjugii inſtitutio iſta conſtabit.* Errorem multis refutat, & concludit: *Non erit immanior durities Pharaonis, naſcentium enecatrix. Nam ille animas adimit, Marcion non dat. Ille aufert de vita, hic non admittit ad vitam. Nihil apud ambos de homicidio differt. Sub utroque homo interficitur: Sub altero jam editus, ſub altero edendus.* Cap. 31. Et in quarto libro: *Nuptias non conjungit Marcion, conjunctas non admittit. Neminem tingit, niſi cœlibem aut ſpadonem: Morti aut repudio Baptiſma reſervat.* Conjugatos divertere ac dirimere recuſantes, uti in crimine pertinaces, non baptizabat niſi in articulo mortis. Pergit Doctor Cap. 34. in eodem libro: *Quomodo tu nuptias dirimis, nec conjungens marem & fœminam, nec alibi conjugatos ad Sacramentum Baptiſmatis & Eucharistiæ admittens, niſi inter ſe conjuraverint adversùs fructum nuptiarum!* Hoc eſt, niſi conjuraverint imitari flagitioſum Onan, fruſtrare naturam. Hinc Septimius meritò dixit Marcionis dogma eſſe æquale immanitati Pharaonis. Quod flagitioſiſſimum facinus etiam dogmatizarunt Manichæi ac Priſcillianiſtæ. Hac ſceleratiſſima continentia Marcion ſuum lapſum purgare ſtuduit & fucare. Et interim ſcortari permiſit uſque ad tertium Baptiſma. Sceleratæ continentiæ radicem exponit in quarto Stromatum libro Sanctus Clemens Ale- Fol. 431. xandrinus: *Marcionitæ dicunt malam eſſe naturam ex mala materia, & à juſto factam opifice & Creatore. Qua quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus eſt à Creatore, volunt abſtinere à nuptiis, reſiſtentes ſuo Creatori, & contendentes ad Bonum qui vocavit, ſed non ad Deum, qui, ut dicunt, Deus eſt alio modo. Undè cùm nihil hic velint relinquere proprium, non ſunt ex electione & inſtituto continentes, ſed propter odium conceptum adversùs eum, qui creavit, nolentes iis uti, quæ ab ipſo ſunt creata. Sed & hi quidem, qui propter impium, quod cum Deo gerunt, bellum immoti ſunt ab eis cogitationibus, quæ ſunt ſecundùm naturam, Dei longanimitatem contemnentes & benignitatem, & ſi nolint uxorem ducere, cibis tamen utuntur creatis, & aerem reſpirant Creatoris, ut qui & ejus ſint opera, & in eis, quæ ſunt ejus, permaneant, & novam quamdam ac alienam, ut ajunt, annuntiant cognitionem, etiamſi hoc nomine mundi Domino deberent agere gratias, quòd hic acceperint Evangelium.* Tanto in Dominum Deum Creatorem ac ejus creaturas odio inſanierunt Marcionitæ, ut in primo hæreticarum fabularum libro ſcribat Theodoretus: *Novi ex Marcionitis Presbyterum* Cap. 20. *quemdam, qui manè cùm ſurgeret, ſputi excremento faciem ſuam lavabat, cauſamque rogatus reſpondit ſe nolle opùs habere Creatore, nec aquam, quæ ex ejus operibus eſt, uſurpare. Et cùm dicerent qui aderant: Quomodo igitur comedis, quomodo bibis, & veſtiris, & dormis, & ſolita myſteria percipis? Reſpondens neceſſitate adactum id ſe facere dixit, quod nec vivere aliter poſſet, nec myſteria celebrare. Confeſſuſque eſt amens, vel inſipiens, nihil habere illum, quem Bonum vocant, ſed omnibus bonis frui ex operibus Creatoris.* Hæreſis facit homines adeò ſolemniter inſanire. Marcionitas eſſe in Fol. 436. Divinam Majeſtatem pugnantes Titanas rectè ſcribit in memorato libro laudatus Clemens. Et demonſtrat errorem ex Heraclito, Empedocle, aliiſque id genùs Gentilium Philoſophis eſſe deſumptum. Marcionenſis continentiæ meminit etiam Sanctus Epiphanius: *Cæterùm virginitas à Marcione prædicatur.* Virginitas impudiciſſima, de qua ad Timotheum ſcripſit Sanctus Paulus: *Attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, prohibentium nubere.* Ex quo vides hunc locum à Lutheranis & Calviniſtis peſſimè aſſumi adversùs noſtrorum Clericorum & Monachorum ſpontaneò profeſſam continentiam. Ad illos in quinto contra Marcionem libro eleganter dicit ex Apoſtoli ac totius Eccleſiæ perſona Septimius: *Deſtructores Dei nuptiarum, non Sectatores* Cap. 15. *caſtitatis retundo.* Hanc ſceleratam continentiam prævaricatus Apelles eſt lapſus in fœminam, atque ita ex Magiſtri metu ac reverentia fugit Alexandriam. Conſonat hujus libri appendix: *Apelles diſcipulus Marcionis, poſtenquam in carnem ſuam lapſus eſt, à Marcione ſegregatus eſt.* Uti ob ſimilem lapſum Marcion à Patre & è Patria fugit, ita Apelles à Marcionis facie & dogmate. Iſtam Marcionis continentiam docuerunt ac exegerunt etiam Julius Caſſianus, Tatianus, Manichæus, ac Priſcillianus.

Niſi tantùm quia jam non Marcionites.

Articulos, in quibus Marcionem deſeruit & correxit Apelles, adducit præſentis libri appendix: *Apelles introducit unum Deum infinitis ſuperioribus partibus. Hunc Poteſtates multas, Angeloſque feciſſe. Propterea & aliam Virtutem quam dicit, Dominum dicit, ſed Angelum ponit. Ab hoc vult videri mundum inſtitutum ad imitationem mundi ſuperioris, cui mundo permiſcuiſſe pœnitentiam, quia non illum tam perfectè feciſſet, quàm ille ſuperior mundus inſtitutus fuiſſet. Legem & Prophetas repudiat. Chriſtum neque in phantaſmate dicit fuiſſe,*

ſicut

ſicut Marcion, neque in ſubſtantia veri corporis, ut Evangelium docet, ſed eò quod è ſuperioribus partibus deſcenderet, ipſo deſcenſu, ſideriam ſibi carnem & aeriam contexuiſſe. Hunc in Reſurrectione ſingulis quibuſque elementis, quæ in deſcenſu ſuo mutuata fuiſſent, in adſcenſu reddidiſſe: Et ſic diſperſis quibuſcumque ſui corporis partibus, in cœlo Spiritum Sanctum reddidiſſe. Hic carnis Reſurrectionem negat. Solo utitur & Apoſtolo, ſed Marcionis, id eſt, non toto. Animarum ſolarum dicit ſalutem.

Proindè primus articulus, in quo Marcionem correxit, fuit unum primum Principium. Duo Marcionis contraria Principia Apelles refutavit: Ejus Senſa exponit in laudato Euſebii loco Sanctus Rhodon: *Apelles unum Principium fatetur quidem, ſed Prophetias noſtras eo Spiritu contrario, & ſibi repugnante editas conſtanter aſſeverat.* Et infra: *Opinio de Deo, quæ eſt omninò certiſſima ac apertiſſima, ab Apelle ad eum modum ſtatuitur. Ait unum eſſe Principium, ſicut & noſtra tuetur doctrina.* Et iterum: *Cum ego dicebam ad illum, Dic nobis quæſo Apelles, unde iſta tibi ſuppetat demonſtratio, aut qui poſſis unum affirmare Principium? Reſpondit ille, Prophetias ſe inter ipſas refellere, & propterea nihil omninò verè prædixiſſe. Nam diſcrepant, inquit, inter ſe, commentitiæ ſunt, & ſibi ipſis repugnant. Verùm quo pacto unum ſit Principium, ſe ignorare fatebatur, & ita dicere ſolùm ſua ipſius animi inductione commotum. Deindè cum ego jurejurando ab eo extorquerem, ut verum diceret, ſanctè dejeravit ſe verum dicere? Nempe ſe omninò neſcire, qua ratione unus eſſet Deus ingenitus; illud tamen ita eſſe ſe credere. Ego ſubridens illum levitatis ideò arguebam, quod cum ſe Doctorem fateretur, neſciret tamen doctrinam à ſe propoſitam ratione defendere.* Inter fundamenta, ex quibus Marcion fabulatus eſt duo Principia, fuit Novi & Antiqui Teſtamenti credita ab ipſo contrarietas: Evangelica ac Apoſtolica Dogmata cenſuit legalibus ac Propheticis contrariari, ideoque illa ex alio Deo promanaſſe. Hinc Apellem, qui Prophetias dicens Evangelio adverſari unum Principium doceret, Sanctus Rhodon credidit ſibi ipſi refragari. Et meritò. Attamen iſtam Marcionenſis doctrinæ portionem Apelles adeò pertinaciter retinuit, ut ſcribat Euſebius Cæſareenſis: *Iſte Apelles infinita probra contra libros le-*
Lib. 5. cap. 13. *gis Moſaicæ impiè effutivit, & multis libris Divinas & ſacras illas leges maledicè inſectatus eſt, atque adeò ad eas non tantùm coarguendas, ſed penitus*
Fol. 267. *evertendas multùm operæ ac laboris contulit.* Quod Judæorum literas pro fabulis habuerit, ſcribit Origenes in quinto libro contra Celſum. Quare ipſas ſceleratiùs blaſphemavit quàm Marcion.

Ejus fabuloſum errorem clariùs exponit Sanctus Epiphanius: *Apelles & cuncta ejus factio ita ſentit. Non eſſe Principia tria neque duo, ut Lucano & Marcioni videtur, ſed unum eſſe ſummum Deum, unumque Principium, ac Virtutem unam, nominis expertem. Qui quidem Deus unus, unumque Principium, nullam eorum quæ in hoc mundo geruntur curam ſuſcipit. Cæterùm idem ille Sanctus & bonus Deus, qui à principio Deus eſt ac bonus, alium produxit Deum. Ab hoc univerſa condita ſunt: Cœlum videlicet ac terra, cæteraque quæ in hoc mundo cernimus. Sed hic minimè bonus evaſit, ejuſque opera omnia non bene facta, at pro mala illius mente ſunt ab illo fabricata.* Et in hæreticorum catalogo Sanctus Auguſtinus: *Apelles duos quidem introducit Deos, unum bonum, alterum malum, non tamen in duobus diverſis atque inter ſe adverſis eſſe Principiis, ſed unum eſſe Principium. Deum ſcilicet bonum, & ab illo factum alterum. Qui cum malignus eſſet; inventus eſt in ſua malignitate mundum feciſſe.* Et Sanctus Philaſtrius: *Apelles à quibuſdam interrogatus, quonam modo de fide ſentiret, reſpondit, Non mihi opùs eſt diſcere à Marcione, ut duo Principia aſſeram coæterna. Ego enim unum principium eſſe prædico, quem Deum cognoſco. Qui Deus fecit Angelos. Fecit etiam alteram Virtutem, quem Deum ſcio eſſe ſecundum, qui & Virtus Dei eſt, qui fecit illum. Hic autem Deus, qui fecit mundum, non eſt bonus, ut ille qui fecit illum. Subjectus eſt autem Deo illi, à quo & factus eſt iſte, qui & nutui, & juſſioni, & Præceptis paret illius in omnibus. Cujus Ariani nunc conſortes ſunt atque fautores, ſic prædicantes atque ſentientes.* Marcion ergo non dumtaxat duos Deos, ſed etiam duo ingenita Principia docuit; Apelles autem duos Deos, at unum Principium. Docuit Deum infectum, & Deum factum. Et in hoc convenit cum Arianis. Cum his etiam docuit per Deum factum eſſe facta alia omnia. At ipſe eum malum, Ariani dixerunt bonum. Et hinc cum Marcione iſtud unicum ingenitum Principium garrivit eſſe Epicuri Deum, utpotè qui licet quædam crearit, nullius tamen curam gerat, ſed otioſus permittat omnia fortuitò volvi ac revolvi, ſurſum deorſum. Et hinc Sancto Rhodoni roganti fundamenta, ex quibus iſtiuſmodi Deum aſtereret, Apelles nullum valuit adducere. Et huc reſpicit in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Rhodon refert Apellem, ſenem hæreticum, à ſe quondam fuiſſe conventum & riſui habitum, eò quòd Deum, quem coleret, ignorare ſe diceret.* Et hinc ejuſdem Rhodonis hæc verba, *Apelles ait unum eſſe Principium, ſicut & noſtra tuetur doctrina*, debent cum grano ſalis intelligi. Iſte enim Deus eſt incurius & inefficax, ideoque & ipſum Sanctus Irenæus diceret eſſe Deum Epicuri. In ipſum quadrant omnia, quæ in Mahometis Deum ſtarui juſſit Imperator Emmanuel Comnenus. Eſt non verus Catholicæ Eccleſiæ Deus, ſed figmentum ac idolum Apellis.

Errorem hunc in Origenis Apologia inſigniter exponit Euſebius Cæſareenſis: *Apelles, licet non omnibus modis Dei eſſe legem & Prophetas deneget, tamen & ipſe hæreticus deſignatur, quoniam Deum, qui hunc mundum condidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum conſtruxiſſe pronuntiat, illum autem ingenitum Deum in conſummatione ſæculi miſiſſe* JESUM *Chriſtum ad emendationem mundi, rogatum ab eo Deo, qui eum fecerat, ut mitteret filium ſuum ad mundi correctionem.* Hic enim, juxta Apellem, Deus in mundi creatione, & quidem per malignitatem, erraverat, & bonis mala miſcuerat, ideoque obſtrictus fuit à bono ac

ingenito Deo correctorem flagitare ac impetrare. Eundem errorem reſpicit ac elucidat in præfatione Commentariorum ſuper epiſtolam ad Philemonem Sanctus Hieronymus: *Quod ſi non putant eorum eſſe parva, quorum & magna ſunt, alterum mihi Conditorem, juxta Valentinum, Marcionem, & Apellem, formicæ, vermium, culicum, locuſtarum, alterum cæli, terræ, maris, & Angelorum, debent introducere.* Affirmat ab omnibus tribus illis Hæreſiarchis aſſeri, quod Creator Deus in diverſorum creatione ſit uſus miniſterio diverſarum Poteſtatum ſeu Angelorum. Solus Valentinus videtur iſtud aſſeruiſſe.

Alter articulus, in quo Marcionem Apelles correxit, fuit Dominica caro. Hanc enim Marcion phantaſticam ac imaginariam, ideoque nec natam nec paſſam, Apelles aſſeruit veram, attamen non ex utero & ſanguinibus benedictæ Virginis, ſed ſumptam ex elementis, ideoque nec natam. Hujus dogmatis teſtimonia jam audivimus à Septimio. Et conſonat Sanctus Epiphanius, adducitque hæc ipſa Apellis verba: *Cum Deus è cælo delapſus eſſet in terram, corpus ſibi ex quatuor elementis affinxit.* Et Sanctus Philaſtrius: *Apelles dicit Chriſtum in carne apparuiſſe, non tamen ſicut Valentinus, de cælo carnem deſumpſiſſe. Ait etiam poſt paſſionem non carnem ſurrexiſſe, ſed de quatuor elementis, quæ de mundo acceperat, ea in terram demiſiſſe, ipſum in cælum ſine carne adſcendiſſe aſſerit.* Proindè fatetur illum in carne paſſum fuiſſe ac mortuum. Et hic eſt tertius articulus, in quo receſſit à Marcione. Eadem ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Apellem dicunt quidam etiam de Chriſto tam falſa ſenſiſſe, ut diceret eum, non quidem carnem duxiſſe de cælo, ſed ex elementis mundi accepiſſe, quæ mundo reddidit, cum ſine carne reſurgens in cælum adſcendit.* Et Theodoretus: *Apelles Chriſto corpus attribuit, non humanum, ſed de mundi ſubſtantia.* Quoad cætera ille permanſit Marcionites. Et hinc manifeſtum errorem continent hæc Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi
Cap. 5. in octavo originum libro verba: *Apelles dixit Chriſtum non Deum veritate, ſed hominem in phantaſia apparuiſſe.* Pluries in iſto capite tantus Doctor eſt lapſus. Iſtum Apellis errorem memorat & Sanctus Hieronymus in litteris ad
Epiſt. 61. Cap. 8 Pammachium: *Marcion, Apelles, Valentinus, & carnis & corporis reſurrectionem penitùs negant, & ſalutem tantùm animæ tribuunt. Ajunt nos fruſtrà dicere ad exemplum Domini reſurrecturos, cùm ipſe quoque Dominus in phantaſmate reſurrexerit, & non ſolùm Reſurrectio ejus, ſed & ipſa Nativitas putativè viſa ſit magis, quàm fuerit.* Attamen Apelles admiſit veram carnem.

Sed in alteram fœminam impegit &c.

Alter hujus libri locus, qui Philumenæ meminit, eſt hic: *Providerat jam tunc Spiritus Sanctus futurum in Virgine quadam Philumene Angelum ſeductionis, transfigurantem ſe in Angelum lucis, cujus ſignis & præſtigiis Apelles inductus novam hæreſim induxit.* Ejuſdem meminit in libro de anima: *Apelles, non pictor, ſed hæreticus, ante corpora conſtituens animas viriles ac muliebres, ſicut* Cap. 36.
à Philumena didicit, utique carnem, ut poſteriorem, ab anima facit ſexum accipere. Ecce aliud quod Marcion videtur non habuiſſe, Apellis dogma. Et in tertio adversùs Marcionem libro: *Nam & Philumene illa magis perſuaſit Apelli, cæteriſque deſertoribus Marcionis, ex fide quidem Chriſtum circumtuliſſe carnem, nullius tamen nativitatis, utpotè de elementis eam mutuatum.* Hinc vides quòd Philumene non ſolùm Apellem, ſed & alios diſcipulos Marcioni abſtulerit. Et apud Euſebium Cæſareenſem ſcribit Sanctus Rhodon: *Apelles* Lib. 5.
argutè & ſubtili ſententiæ virginis, nomine Philumene, Dæmonio quodam agitatæ, obſecutus eſt. Cap. 13.
Et præſentis libri appendix habet: *Apelles prætereà habet privatas, ſed extraordinarias lectiones ſuas, quas appellat Phaneroſes Philumenes cujuſdam puellæ, quam quaſi Prophetiſſam ſequitur. Habet prætereà ſuos libros, quos inſcripſit ſyllogiſmorum, in quibus probare vult, quod omnia, quæcumque Moyſes de Deo ſcripſerit, vera non ſint, ſed falſa.* Iſtas ergò Philumenæ Prophetias Apelles redegit in ſcriptum. Et hunc librum memorat Theodoretus: *Apelles librum à ſe compoſitum Philumenæ Prophetiam appellavit.* Proprios Apellis libros, quibus omne antiquum Dei inſtrumentum ſtuduit evertere, ſuprà audivimus ab Euſebio Cæſareenſi. Et hoſce libros videtur Sanctus Rhodon refutaſſe. Quòd ille & proprium Evangelium habuerit, affirmat Sanctus Hieronymus in præfatione Commentariorum ſuper Sanctum Matthæum. Uti Priſcilla ac Maximilla Montanum, ita Philumena per falſas Angelorum apparitiones ac revelationes ſeduxit Apellem. Cujus poſtmodò ſit facta proſtibulum, ignoro. Videtur omnibus ſe expoſuiſſe. Hoc enim importat vox, *Proſtibulum*. Porrò ab ipſa non ſolùm Apellem, ſed alios inſuper Marcionitas fuiſſe circumſcriptos ac ſeductos, diſertè teſtatur in hæreticorum catalogo Sanctus Auguſtinus: *Severus* Marcionis diſcipulus, *Philumenam quamdam puellam dicebat inſpiratam Divinitùs ad prænuntianda futura, ad quam ſomnia atque æſtus animi ſui referens, Divinationibus, ſeu præſtigiis ejus ſecretim erat ſolitus præmoneri, eodem phantaſmate eidem Philumenæ pueri habitu ſe demonſtrante, qui puer apparens Chriſtum ſe aliquando, aliquando aſſereret eſſe Paulum. A quo phantaſmate ſciſcitans, ea ſoleret reſpondere, quæ ſe audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula ope-*

rari

Digitized by Google

vari ſolitàm, inter quæ illud præcipuum, quod in anguſtiſſimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis levare ſoleret illæſum, eoque ſolo, quaſi Divinitùs ſibi dato cibo, fuiſſet contenta. Quibuſdam tamen Sanctus Auguſtinus videtur fuiſſe memoria lapſus, & Apellis nugas in Severum tranſcripſiſſe.

Adhuc in ſæculo ſuperſunt, &c.

Doctor edicit cauſam, ob quam hæc omnia dixerit de Valentino, Marcione, atque Apelle. Nempè ut verificaret ſua prioris capitis verba: *In omnibus veritas imaginem antecedit, poſt rem ſimilitudo ſuccedit. Ineptum eſt ut prior doctrina hæreſis habeatur*. Demonſtrat Valentinum & Marcionem, ſolemnium hæreticorum vetuſtiſſimos, olim fuiſſe Catholicos, ipſos ab Eccleſia apoſtataſſe, immò ob crimina fuiſſe ejectos: Hinc concludit Apoſtolicam veritatem eſſe ipſis anteriorem, atque ita eos eſſe palàm hæreticos. Idem concludit de Apelle. Quòd nempè hic non ex Eccleſia, ſed de Marcionis Synagoga exiverit, adeoque ejus hæreſis ſit recentior, ac longè manifeſtior. Baſilides & Valentino & Marcione eſt multò antiquior: Et ipſum etiam fuiſſe noſtrum apoſtatam, diſertè ſcribit in quarto Stro-
Fol. 539. matum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Hinc mirum eſt, quòd Septimius etiam ipſum non expreſſerit. Dicit Valentinum, Marcionem, ac Apellem eſſe adeò recentes, ut ipſorum diſcipuli adhuc vivant: Hinc evincit ipſos eſſe novatores hæreticos. Eodem modo ſcribit contra Hermogenem: *Hermogenis doctrina tam novella eſt, ad hodiernum homo in ſæculo*. Et infrà in præſenti capite: *Nigidius, & Hermogenes, & multi alii adhuc ambulant*. Etiam Praxeam appellat *hæreticum heſternum*. Marcion ab Eleuthero Pontifice in perpetuum ab Eccleſia diſcidium cum Valentino relegatus fuit, & ſub ejus proximis Succeſſoribus Victore & Zephirino floruit, ac Romæ vixit Septimius, atque adeò non dumtaxat Apelli, ſed etiam Marcioni ac Valentino omninò convixit. Et Apellem fuiſſe ſenem, jam audivimus à Sancto Rhodone. Videtur Romæ, ubi Marcion & Valentinus videntur mortui, apoſtataſſe, ac inde fugiſſe Alexandriam. Hinc ipſum non vidit Septimius.

Eodem argumento utitur in ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus. Demonſtrat Baſilidem, Valentinum, ac Marcionem eſſe Apoſtolicis temporibus poſteriores, &
Fol. 764. concludit: *Quæ cum ita ſe habeant, clarum eſt ex antiquiſſima & veriſſima Eccleſia has recentiores, & quæ his ſunt adhuc inferiores, tempore fuiſſe innovatas adulterinæ notæ hæreſes. Ex iis manifeſtum eſſe exiſtimo unam eſſe veram Eccleſiam, eam quæ verè eſt antiqua, in cujus catalogum referuntur ii, qui ſunt juſti ſecundum Propoſitum*. Et Sanctus Ire-
Lib. 5. næus ſcribit de cunctis generatim Gnoſticis: *Om-*
Cap. 20. *nes ii valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias*. Et in famoſa ad Sanctum Cyprianum epiſtola Sanctus Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus: *Ipſas hæreſes damnabiles ac execrandas conſtat poſteà extitiſſe*. Utique poſt tempora Apoſtolorum. *Cum & Marcion Cerdonis diſcipulus inveniatur ſerò poſt Apoſtolos, & poſt longa ab eis tempora, ſacrilegam adversùs Deum traditionem induxiſſe. Apelles quoque blaſphemiæ ejus conſentiens, multa alia nova & graviora fidei & veritati inimica tradiderit. Sed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem adversùs Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellaverint. Cæteroſque quoque hæreticos conſtat pravas ſuas Sectas, & inventiones perverſas, prout quiſque errore ductus eſt, poſteà induxiſſe. Quos omnes manifeſtum eſt à ſemetipſis damnatos eſſe, & ante diem judicii inexcuſabilem ſententiam adversùs ſemetipſos dixiſſe*. Quia nempè alterarunt regulam, quam ipſi in Eccleſia à ſuis Epiſcopis, Epiſcopi ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto acceperant, Chriſtus à Deo. Quia ex iſta indiviſibili ac immutabili veritatis ſemita exorbitaverant. Eadem præſcriptione adversùs Cerinthum & Ebionem utitur Sanctus Joannes Apoſtolus: *Ex nobis prodierunt, ſed non* Epiſt. 1. cap. 2.
erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Et Sanctus Paulus, ad Timotheum ſcribens de Hymenæo ac Phileto: *Circa fidem naufragaverunt*. Et iterum: *A verita-* Epiſt. 1. cap. 2.
te exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam. Ex eadem præſcriptione damnat quaſvis vocum novitates. Eas damnat, quod ſint veritate poſteriores.

Quamquam & de ſuis operibus, &c.

Marcionem ac Valentinum fuiſſe novos homines, ac Novatores hæreticos, Doctor affirmat lucere non dumtaxat ex temporum computu, ſed ex ipſorum etiam ſceleratis facinoribus, quibus prima Evangelici dogmatis fundamenta attentarunt transferre ac demutare. Et hanc præſcriptionem affirmat eſſe non ſolummodò authenticam, ſed & Dominicam. Etenim de ovinas lanas indutis lupis, id eſt, novi teſtamenti Pſeudo-Prophetis ſeu hæreticis Dominus dixit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Audi verò Marcionis facinus: *Si enim Marcion novum teſtamentum à vetere ſeparavit, poſterior eſt eò quod ſeparavit, quia ſeparare non poſſet, niſi quod unitum fuit. Unitum ergo antequam ſepararetur, poſtea ſeparatum, poſteriorem oſtendit ſeparationem*. Hocce argumentum Doctor noſter inſigniter illuſtrat in quarto libro contra Marcionem: *Si Evangelium,* Cap. 4.
quòd Lucæ refertur, ipſum eſt quod Marcion per antitheſes ſuas arguit ut interpolatum à protectoribus Judaiſmi, utique non potuiſſet arguere, niſi quòd invenerat. Nemo poſt futura reprehendit, quæ ignorat futura: Emendatio culpam non antecedit. Emendator ſanè Evangelii, à Tiberianis uſque ad Antoniniana tempora everſi, Marcion ſolus

& primus advenit, exſpectatus diu à Chriſto pœnitente jam quod Apoſtolos præmiſiſſe properaſſet ſine præſidio Marcionis. Niſi quod humanæ temeritatis, non Divinæ auctoritatis negotium eſt hæreſis, quæ ſic ſemper emendat Evangelia, dum vitiat. Etiamſi Angelus Marcion, citiùs anathema dicendus, quàm Evangelizator, quia aliter evangelizavit. Itaque dum emendat, utrumque confirmat: Et noſtrum anterius, id emendans quod invenit; & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens, ſuum & novum fecit. In ſumma, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod ab initio, ab initio quòd ab Apoſtolis, pariter quoque conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quòd apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Quod Marcion antiquum teſtamentum blaſphemare, damnare, & malo Principio adſcribere primus præſumpſerit, vario teſtimonio eſt ſupra demonſtratum. Samaritani quidem, Saducæi, Nazaræi, ac alii quidam Judæorum Hæretici, quoſdam veteris inſtrumenti libros ante Marcionem abjecerunt, ipſorum tamen nullus ipſos adſcripſit pravo Principio. Duplicis Divinitatis fabula eſt ſcelus Marcionis, aut certè Cerdonis.

Sceleris radicem exponit in Philocalia Origenes: *Hæretici legentes*, Exarſit ignis in ira mea; Ego ſum Deus æmulator, reddens peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem; Pœnitet me unxiſſe Saul in Regem; Ego Dominus faciens pacem, & creans mala; Non eſt malum in civitate, quod non fecit Dominus; Deſcenderunt mala à Domino in portas Hieruſalem; Spiritus malus à Deo ſuffocabat Saul: *& infinita propemodum his ſimilia, Fidem omnem abrogare, ut Divinis Scripturis, auſi non ſunt, ſed credentes eas eſſe Creatoris ejus, quem Judæi colunt, quaſi mancus nec bonus eſſet ille Conditor, arbitrati ſunt adveniſſe Servatorem, qui perfectiorem Deum annuntiaret, quem dicunt non eſſe opificem.* Divinæ Majeſtatis in vetere inſtrumento relata promiſſa ac opera cenſuerunt eſſe dura, prava, à ſuprema pietate aliena, ideoque cum ejus auctore & litteris damnarunt & abjecerunt. Antiquum, licet carnale, ſanctum tamen ac bonum, Dei Optimi Maximi inſtrumentum, quoniam non intellexerunt, contempſerunt. Cenſuerunt eſſe Dei inſtrumentum, ideoque & ipſi crediderunt; verùm blaterarunt eſſe pravi Dei, ideoque & à novo boni Dei inſtrumento ſepararunt. Et hinc liquet Apellem pejùs quàm Marcionem in iſtas ſanctiſſimas litteras exceſſiſſe. Audi & Valentini facinus: *Valentinus aliter exponens, & ſine dubio emendans, hoc nomine quidquid emendat ut mendoſum retrò, anterius fuiſſe demonſtrat.* Utriuſque inſtrumenti litteram admiſit, at Senſa invaſit. Senſa, quæ Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus acceperat à Deo. Hæc Valentinus deſeruit, depravavit, detorſit in ſuas blaſphemias, atque ita fuit unus illorum, de quibus Apoſtolus: *A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Cap. 1.

Nigidius neſcio quis, &c.

Nigidii errores refert ac refutat in libris contra gentes etiam Arnobius. Verùm ille non Marcionites aut alius Chriſtianorum hæreticus fuit, ſed gentilis Philoſophus, ideoque quis & qualis fuerit hic Nigidius, ego etiam ignoro. Hic Hermogenes eſt longè alius ab illo, de quo ad Timotheum Apoſtolus: *Averſi ſunt à me Phygellus & Hermogenes.* Et in libro contra iſtum Hermogenem Septimius: *Nec ipſe Apoſtolicus Hermogenes in regula perſeveravit.* Affirmat etiam hunc poſteriorem Hermogenem fuiſſe noſtrum apoſtatam. De ejus hæreſi ſcribit in hæreticorum catalogo Sanctus Auguſtinus: *Sabellianos quidam Praxeanos à Praxea vocant. Et Hermogeniani ab Hermogene vocari potuerunt. Qui Praxeas & Hermogenes, eadem ſentientes, in Africa fuiſſe dicuntur.* At certum eſt Hermogenem & Praxeam docuiſſe alia & alia. Et Praxeas videtur fuiſſe Aſiaticus. Hermogenis errorem non malè deſcribit in originum libris Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis: *Hermogeniani ab Hermogene quodam vocantur, qui materiam non natam introducens, Deo non nato jam comparavit, matremque elementorum & Deam aſſeruit. Quos Apoſtolus improbat elementis ſervientes.* Materiam eſſe alterum Deum aut Deam non dixit Hermogenes, ſed iſtud ex ejus Aſſertis neceſſariò conſequi demonſtravit in edito contra ipſum libro Septimius, ideoque & hoc loco ipſum numerat inter duplicis Divinitatis fabulones. Notanda ſunt verba: *Si alium Deum prædicant, quomodo ejus Dei rebus & litteris, & nominibus utuntur, adversùs quem prædicant? Si eundem, quomodo aliter?* Edicunt quatuor. Primò, quòd Nigidius ac Hermogenes fuerint congerrones, ac eadem blateraverint. Secundò, quod unum Deum fuerint profeſſi. Tertiò, quod eorum Secta habuerit principia, ex quibus duplex Divinitas neceſſariò ſequebatur. Quartò, quòd utriuſque teſtamenti inſtrumentum admiſerint. Doctor affirmat ipſos adhuc vivere & ambulare, adeoque ipſorum novum dogma eſſe manifeſtam hæreſim. Aliqua ejus portio eſt ſuperiùs expoſita. Omnes ejus articulos Doctor exponit in edito contra ipſum libro.

Epiſt. 2. cap. 1.

Cap. 1.

Lib. 8. Cap. 5.

Probent ſe novos Apoſtolos, &c.

Ad hanc præſcriptionem eludendam Manichæus famoſam ſui fundamenti epiſtolam inchoavit hoc modo: *Manichæus Apoſtolus* JESU *Chriſti, providentia Dei Patris.* Quò novi dogmatiſtæ, adeoque & Hæreſiarchæ nomen evaderet, edixit ſe novum Apoſtolum. Et ut mendacio fucum adderet, garrivit ſe hypoſtaticè aſſumptum in perſonam Spiritus Sancti. Eandem aſſumptionem jactitavit Hæreſiarcha Montanus.

Jactitavit ſe novum Prophetam, adeoque & no-
vum Apoſtolum. Et adversùs Manichæi ſtultiſſi-
mam vanitatem ſcripſit in libro adversùs funda-
Cap. 5. menti epiſtolam Sanctus Auguſtinus: *Non credo
iſtum eſſe Apoſtolum* JESU *Chriſti*. Exigit ſibi pro-
bari iſtum Apoſtolatum, & amplè demonſtrat
oon poſſe probari. Septimius per præſentia ver-
ba poſſit taxare Montanum, aut quoſvis id ge-
nùs alios fabulones. Quidquid ſit, eodem argu-
mento utitur adversùs Marcionem in libro de
Cap. 2. carne Chriſti: *Tot originalia inſtrumenta Chriſti
delere Marcion auſus eſt. Ex qua, oro te, auctori-
tate? Si Propheta es, prænuntia aliquid; ſi Apo-
ſtolus, prædica publicè; ſi Apoſtolicus, cum Apo-
ſtolis ſenti; ſi tantùm Chriſtianus es, crede quod
traditum eſt; ſi nihil iſtorum es, meritò dixerim,
morere. Nam & mortuus eſt, qui non eſt Chriſtia-
nus, non credendo quod creditum Chriſtianos facit*.
Affirmat ipſum eſſe noſtrum apoſtatam, ideoque
nullatenùs Apoſtolum. Etiam de Novatiano ad
ejus Sectatorem Symphorianum, dicentem aſſi-
duè, *Novatianus hoc docuit & præcepit*, ſcribit
Sanctus Pacianus Epiſcopus Barchinonenſis: *At
Epiſt. 3. quando frater, quibuſve temporibus? poſt Decii
Principatum, id eſt, poſt tercentos propè annos
Dominicæ Paſſionis. Quid ergo tunc Prophetas ſe-
cutus eſt, ut Cata-Phryges, an Philumenem ali-
quam, ut Apelles, an ipſe tantum authoritatis ac-
cepit?* Et adversùs ſceleratam Mahometi prædi-
cationem habet in Iſmaeliticarum fabularum con-
futatione Venerabilis Euthymius Monachus Zi-
Cap. 3. gibenus: *Cum ex Saracenis quærimus, qui fiat,
ut cum ipſi ex Præcepto Mahometi nihil ſine teſtimo-
nio neque facere, neque admittere, neque probare
ſoleant, nullum teſtimonium ab eodem exegerint,
quod Deus ipſum ut Prophetam elegerit, quodque
ipſe Divinitùs hanc doctrinam acceperit? Pudore
ſuffuſi conticeſcunt. Et nos iterum contrà: O abſur-
diſſimos vos, mulieres, ſervos, pecunias, poſſeſ-
ſiones, canes, viliſſimum animal, ſine teſtibus non
poſſidetis, ſolam verò fidem & Scripturam adeò ſine
teſtibus tenetis? Quiſquis enim novorum dogmatum
Apoſtolum ſeſe venditat, niſi miſſionem probaverit
authenticè, ſeductor habendus eſt, populi circum-
ſcriptor, fur & latro*. Nam & iſto, uti poten-
tiſſimo argumento adversùs novam Domini no-
ſtri JESU Chriſti prædicationem firmè armatos
ſeſe crediderunt perfidi Judæi. Perfidi, quod
authenticis teſtimoniis ſuperabundanter convicti
ad fidem non emollirentur. Etiam Saraceni vide-
bant argumentum concludere, ideoque ad pro-
bandam Seductoris ſui miſſionem finxerunt Evan-
gelicam atteſtationem, hæc Domini noſtri JE-
SU Chriſti verba: *Ego ſum Dei Apoſtolus ante
Gap. 17. vos, implens ea quæ ante me in lege prædicta fue-
runt, & annuntio vobis Apoſtolum venturum poſt
me, cui nomen, Mahomet*. Uti Dominum JE-
SUM à Lege & Prophetis, ita ſuum Seducto-
rem à Domino JESU dixerunt prænuntiatum &
promiſſum. Reſpondet verò laudatus Euthy-
mius: *Ubinam hoc Chriſtus prædixit, aut in qua
Scriptura? Aut igitur demonſtrent hanc de Mahome-
to prædictionem in aliqua parte Divinitùs inſpirata-
rum Scripturarum perſcriptam eſſe, aut liquidò ſciant
hoc etiam eſſe mendacium, quemadmodum alia ipſius
dogmata*. Eodem jure nos neque Martinum Lu-
therum, neque Joannem Calvinum credimus
eſſe novos Dei gratia Evangeliſtas. Volumus
authentica documenta Divinæ miſſionis. Quo-
uſque hæc non videmus, habemus eos pro furi-
bus & latronibus.

Notanda ſunt verba: *Dicant Chriſtum iterùm
deſcendiſſe, &c.* Edicunt nullos umquam à Do-
mino Deo creatos aut creandos eſſe novos Apo-
ſtolos, ideoque omnes novi Apoſtolatus jactita-
tores eſſe manifeſtos hæreticos. Etenim Apoſto-
li ſunt Chriſti Mediatoris contubernales & com-
menſales, cunctorum ab ipſo geſtorum oculati
teſtes, Legati ac Miniſtri, ideoque ut creentur
novi, anrm omnia opùs eſt novo Chriſto. Nem-
pè ne creentur novi Apoſtoli ad nova dogmata.
Noſtri enim Mediatoris dogmata ſunt æterna ac
immobilia, ideoque per veros ejus Apoſtolos
nequeunt alia & alia prædicari. Quinimmò nec
ad orthodoxa dogmata Dominus Deus ſolet
quempiam per ſemetipſum mittere. Uti nullum
novum animal, nullam novam plantam, nul-
lam novam creaturam paſſim per ſemetipſum,
ſed omnia per datam in mundi exordio virtutem
efficit, ita nullum paſſim prædicatorem mittit,
niſi per Apoſtolorum Succeſſores Epiſcopos.
Hos voluit eſſe perpetuos traduces Apoſtolici Mi-
niſterii. Immediatæ à Deo miſſionis exempla
ſunt longè rariſſima. Ego duo dumtaxat novi.
Nempè Sancti Equitii in Valeria Provincia Ab-
batis, & Venerabilis Gerùini Centulenſis ad San-
ctum Richarium Abbatis miſſionem, quarum
primam in primo Dialogorum libro Sanctus Pa- Cap. 4.
pa Gregorius, poſteriorem laudat in iſtius Cœ-
nobii Chronico Monachus Ariulphus. Hæc la-
tiùs expoſui in Scholiis ad Acta Sancti Leonis
noni. Utramque miſſionem Divina Clementia
honoravit miraculis, atque ita eſſe à ſe demon-
ſtravit. Super primum caput epiſtolæ ad Gala-
tas ſcribit Sanctus Hieronymus: *Quatuor ſunt
genera Apoſtolorum. Unum, quod neque ab homini-
bus eſt, neque per hominem, ſed per* JESUM
*Chriſtum & Deum Patrem. Aliud quod à Deo qui-
dem eſt, ſed per hominem. Tertium, quod ab ho-
mine, non à Deo. Quartum, quod neque à Deo,
neque per hominem, neque ab homine, ſed à ſeme-
tipſo. De primo genere poteſt eſſe Iſaias, cæterique
Prophetæ, & ipſe Apoſtolus Paulus, qui neque ab
hominibus, neque per hominem, ſed à Deo Patre
& Chriſto miſſus eſt. De ſecundo* JESUS *filius Na-
ve, qui à Deo quidem eſt Apoſtolus conſtitutus, ſed
per hominem Moyſem. Tertium genus eſt, cum ho-
minum favore & ſtudio aliquis ordinatur; ut nunc
videmus plurimos non Dei judicio, ſed redempto
favore vulgi in Sacerdotium ſurrogari. Quartum
eſt Pſeudo-Prophetarum & Pſeudo-Apoſtolorum.*
Hoc eſt hæreticorum omnium præſertim hære-
ſiarcharum. Eos in Evangelio Dominus appel-
lavit fures & latrones. Et hoc, quia *venerunt*.
Utique à ſemetipſis.

Volo

Volo igitur & virtutes eorum proferri.

Ad Montanum delapſus noſter Septimius tria famoſa Delicta, quæ etiam in vitæ exitu non laxabat, ſed Deo reſervabat primitiva diſciplina, cenſuit per Eccleſiam remitti non poſſe, ideoque Zephyrinum Pontificem, qui mœchiam cœpit remittere novatorem eſſe Evangelici dogmatis atque prævaricatorem. Hinc ipſum in libro de pudicitia aggreditur eodem argumento: *Ex-*
Cap. 21. *hibe mihi, Apoſtolice, Prophetica exempla*, utique authentica miracula, *& agnoſcam Divinitatem, & vindica tibi Delictorum ejuſmodi remittendorum poteſtatem*. In ſequenti capite factum Domini, qui Judæis remittendorum peccatorum poteſtatem non ad hominem, ſed ad ſolum Deum ſpectare murmurantibus, repoſuit: *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt faciliùs dicere, Dimittuntur tibi pecata tua, an dicere, Surge & ambula? Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico: Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Hoc, inquam, Domini factum mirè extollit Septimius, & proſequitur: *Si Dominus tantùm de poteſtatis ſuæ probatione curavit, ut traduceret cogitatus, & ita imperaret ſanitatem, ne non crederetur poſſe Delicta dimittere, non licet mihi eandem poteſtatem in aliquo ſine probationibus credere*. Etiam Eccleſiaſticarum, quas tunc criminoſis carceres ambientibus non dabant, ſed ab Epiſcopis dandas ſupplicabant carcerati Confeſſores, indulgentiarum hoſtis & impugnator devenit Septimius, ideoque iſtiuſmodi, quam garriebat novam, poteſtatem in nemine voluit poſſe credi, niſi ad authenticas per miracula probationes. Eodem argumento, quod ſanè eſt firmum, hic impugnat Gnoſticos & Marcionitas. Eodem utitur Sanctus Irenæus. Et in laudatis ad memoratum Symphorianum litteris Sanctus Pacianus: *An Novatianus tantùm authoritatis accepit? Linguis locutus eſt? Prophetavit? Suſcitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut Evangelium novi Juris induceret*. Hinc & Sancto Equitio Romana Eccleſia non credidit, niſi ob patrata miracula. Et tamen ille orthodoxa prædicabat.

Niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, &c.

Argumenti hujus robur noverunt etiam omnes hæretici, ideoque patrandorum miraculorum fuerunt ſemper cupidiſſimi. Hanc cupiditatem notat infrà & noſter Doctor dicens de omnibus
Cap. 44. generatim hæreticis: *Adjicient multa de authoritate cujuſque Doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, ut meritò Apoſtoli crederentur*. Hæc eſt enim Spiritus Sancti virtus, quam ipſorum Princeps Simon Magus tentavit pecunia ab Apoſtolis emere. Ex ejus conſequendæ deſperatione ad Magiam converſus eſt, & qui vera per Deum patrare non valuit, cœpit miraculorum fucos à Diabolo nundinari, & cæcis gentilium populis venùm exponere. Qua peſſima arte hæreditariè fœdatos fuiſſe pleroſque Gnoſticos teſtatur Sanctus Irenæus, atque adjungit: *Non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis faciunt hominibus quæ fa-* Lib. 2.
ciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas illu- cap. 56.
ſiones. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur, ſi tamen & hoc faciunt; neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam corporis parte vexatos. Tantùm abſunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus & Apoſtoli. Patrare miracula frequenter tentavit hæreticorum ſuperbia, ſed ſemper confecuta eſt iſtud ipſum, quod in ſexta Synodo delirus Monothelita Polychronius. Et hinc adversùm Lutheranos rectè ſcripſit alicubi Eraſmus, quòd uſque huc nec mortuum canem potuerint ſuſcitare. Nempè & ipſi ambierunt iſtam gratiam.

Illi enim de mortuis vivos faciebant, &c.

Urgere Doctor atque ridere pergit in hæreticis vanam cupiditatem patrandorum miraculorum. Ejus tempore forſan Gnoſtici iſtud ipſum, quod Lazaro per Chriſtum Dominum ſuſcitato inferre Judæi cogitaverant, de quopiam per Eccleſiæ preces ſuſcitato adimpleverant. Nam & Arianos miraculis per Sanctum Ambroſium patratis indignatos, iſtud adimpleſſe ſcribit in ejus vita Sanctus Presbyter Paulinus. Aut certè illud evenerat, quod & in Hiſpania & in Africa per Arianos Epiſcopos eveniſſe ſcribit in Francorum hiſtoria Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis.
Hominem viſu ſanum, dum in ipſo cæcitatem Lib. 2.
ſimulante volunt edere reſtituit viſus fucum, red- cap. 3.
diderunt perpetuò cæcum. Ita neſcio quem pau- & lib. 9.
perem, dum pecuniæ & à Sancto Jacobo Niſibe- cap. 15.
no Epiſcopo extorquendæ libidine ſimulat ſeſe mortuum, mortuum permanſiſſe ſcribit in Mo-
naſtica hiſtoria Theodoretus. Quod ipſum & Cap. 1.
aliis à Sancto Epiphanio ac Sancto Gregorio Thaumaturgo eveniſſe teſtantur in ipſorum vita Joannes Monachus, & Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Dignum tali mendacio ſupplicium. Simile miraculum fuiſſe editum à Joanne Calvino, graves Scriptores teſtantur. Porrò miraculorum gratiam pro ſuis neceſſitatibus ſemper habuit Eccleſia, verum nullus veraciter juſtus umquam ambivit. Sanctum Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum, quòd iſtam gratiam ſibi non conferri ſupplicaverit Domino Deo, laudat

in

in ejus vita Ferandus Diaconus Carthaginenſis. Et de Sancto Gregorio Turonenſium Epiſcopo Cap. 25. 26. ſcribit autbentica ejus vita: *Multa in ſalute languentium operabatur, quæ tamen ſub obtentu Sanctorum, quorum Reliquias perinde ferebat, à ſuis meritis excludere nitebatur*. Et Sanctum Wolbodum Leodienſem Epiſcopum, in Sancti ibidem Laurentii Monaſterio ſepultum, quòd frequentibus miraculis populum undequaque ad ſe evocaret, atque ita inquietaret Monachos, ceſſare juſſum fuiſſe ab Abbate, & ceſſaſſe, ſcribit in Leodienſium Epiſcoporum biſtoria Canonicus Cap. 70. ejuſdem Eccleſiæ Anſelmus. Idem eandem ob cauſam Sancto Spinulo fuiſſe à Sancto Hydulpho Abbate Senonienſi interdictum affirmat in ejuſdem Cœnobii Chronico Monachus Richerius. Plura ſunt iſtiuſmodi exempla. Miracula enim Lib. 1. cap. 13. ſuis patratoribus quandoque obfuiſſe affirmat in ſuis ſuper Sancti Matthæi Evangelium homiliis, ac demonſtrat Sanctus Joannes Chryſoſtomus.

CAPUT XXXI.

Parabola ſeminis in hæreticos expoſita.

SEd ab exceſſu revertar ad principalitatem veritatis, & poſteritatem mendacii diſputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio; quæ bonum ſemen frumenti à Domino ſeminatum in primore conſtituit, avenarum autem ſterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo poſteà ſuperducit. Propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum, quòd ſit priùs traditum: Id autem extraneum & falſum, quòd ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit adversùs poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.

S C H O L I O N.

Sed ab exceſſu revertar, &c.

PEr exceſſum Doctor intelligit digreſſionem, qua demonſtravit Valentinum, Marcionem, Apellem, Nigidium, ac Hermogenem eſſe Apoſtolicis temporibus poſteriores, noſtros apoſtatas, adeoque & manifeſtos hæreticos. Nunc redit ad veritatis principalitatem, & mendacii poſteritatem diſputandam, id eſt, ab invicem diſtinguendas: Ad demonſtrandum, quod veritas ſit ſemper principalis & prima, adeoque omne poſterum ac novum ſit mendacium ac hæreſis. Ad demonſtrandam hanc fundamentalem præſcriptionem. Et ipſam eſſe Dominicam ac Evangelicam demonſtrat ex Dominica apud Sanctum Matthæum parabola: Cap. 13. *Simile factum eſt Regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici: Et abiit. Cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & Zizania.* Zizania Septimius rectè commentatur: *Avenarum ſterilis fœni adulterium*. Etenim bono tritico ſeminatum agrum inimicus homo conſuevit iſtiuſmodi lolio ſuperſeminare. Et ſuam parabolam ipſe Dominus eſt interpretatus: *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filii Regni. Zizania autem ſunt filii nequam. Inimicus autem qui ſeminavit ea, eſt Diabolus*. Et filii regni & filii nequam non ſeminantur: neque à Domino, neque à Diabolo. Ille Evangelicam ſeminavit veritatem, hic ſuperſeminavit varia errorum mendacia, ex quibus & electi & reprobi filii ſunt nati hucuſque, & uſque ad ſæculi finem naſcentur. Ita & bonum ſemen & zizania Sancti Patres conſtanter & ſemper intellexerunt. Ergo uti nemo Dominus proprium, ſed ſolus inimicus alienum agrum, & non triticum tritico, ſed ſemper lolia ſuperſeminat; ita quoque per Hæreſiarchas agit Diabolus in hunc Divinæ Majeſtatis mundum, adeoque quidquid in Chri-

ſtiano

ſtiano dogmate eſt novum, eſt ſemper ſuperſeminatum, proindeque & falſum. Hanc præſcriptionem in primo ſui Commonitorii libro ampliſſimè deducit Vincentius Lerinenſis.

CAPUT XXXII.

Hæretici nec originem habent ab Apoſtolis, nec traditionem.

CÆterùm ſi quæ audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideò videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergò origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit Auctorem & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne conſecratum refert. Sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem. Perindè utique & cæteræ exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam illicitum eſt? Sed etſi confinxerint, nihil promovebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus auctoris eſſe, neque Apoſtolici: Quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent, ita Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent. Niſi illi qui ab Apoſtolis diſciverunt, & aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, ut multò poſteriores, quæ denique quotidiè inſtituuntur, tamen in eadem fide conſpirantes, non minùs Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes ad utramque formam à noſtris Eccleſiis provocatæ, probent ſe quaqua putant Apoſtolicas. Sed adeò nec ſunt, nec probare poſſunt, quod non ſunt. Nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoquo modo Apoſtolicis: Scilicet ob diverſitatem Sacramenti nullo modo Apoſtolicæ.

SCHOLION.

ANte omnia videndum eſt, an Apoſtolica tempora fuerunt fœdata per hæreſes? Et Sanctus Philaſtrius conſtanter affirmat. Hinc titulo, *Catalogus eorum qui poſt Chriſti Paſſionem hæreſeos arguuntur*, imponit Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Baſilidem, Nicolaum Antiochenum, Judæ traditoris Sectatores, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Valentinum, Ptolomæum, Secundum, Heracleonem,

nem, Marcum, Baſſianum, Cerdonem, Marcionem, Lucanum, atque Apellem, & concludit: *Sub Apoſtolis itaque fuerunt hæ hæreſes per ordinem*. Et ſubjungit: *Catalogus hæreſeon, quæ ſub Apoſtolis exſtiterunt*. Ejuſdem ſententiæ fuit Sanctus Papa Stephanus. Etenim conſtanter edixit quoſvis hæreticos ab Apoſtolis numquam per novum Baptiſma, ſed dumtaxat per pœnitentiæ manum fuiſſe admiſſos in Eccleſiam, ideoque hanc Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem eſſe omninò Apoſtolicam. Edictum lucidè ſuppoſuit hæreticos fuiſſe ſub Apoſtolis. Et ipſum notant hæc Sancti Cypriani verba in literis ad Jubajanum Epiſcopum: *Nec quiſquam dicat, Quod ac-*
Epiſt. 73. *cepimus ab Apoſtolis, hoc ſequimur*. Et in epiſtola ad Pompejum Sabratenſem Epiſcopum idem Cy-
Epiſt. 73. prianus repoſuit: *Talia de hæreticis ſcripſerunt, cum nondum hæreticæ peſtes acriores prorupiſſent, nondum quoque Marcion de Ponto emerſiſſet, cujus Magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo Romam venit*. Fatetur ſub Apoſtolis fuiſſe hæreſes, ſed non acriores. Et nominatim necdum fuiſſe Cerdonem aut Marcionem. At verò in famoſa ad Sanctum Cyprianum epiſtola Sanctus Firmilianus Cæſareenſis Epiſcopus reſpondit longè aliter: *Et quidem quantùm ad id pertinet quod Stephanus dixit, quaſi Apoſtoli eos, qui ab hæreſi veniunt, baptizari probibuerint, & cuſtodiendum poſteris tradiderint, pleniſſimè vos reſpondiſtis, neminem tam ſtultum eſſe qui hoc credat Apoſtolos tradidiſſe, quando etiam ipſas hæreſes conſtat execrabiles ac deteſtandas poſtea exſtitiſſe*. Affirmat nullos ſub Apoſtolis fuiſſe hæreticos, ideoque iſtiuſmodi Canonem ab ipſis non emanaſſe. Videtur omninò loqui de cunctis generatim hæreticis. Etenim Marcionis, Cerdonis, ac Apellis exponit exordia, atque proſequitur: *Sed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem adversùs Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellaverint. Cæteros quoque hæreticos conſtat pravas ſuas Sectas & inventiones perverſas, prout quiſque errore ductus eſt, poſteà induxiſſe*. Ejuſdem ſententiæ apud Euſebium Cæſareenſem videtur fuiſſe Sanctus & antiquus Eccleſiæ Scriptor Hegeſippus. Sancti Jacobi Apoſtoli ac Hieroſolymitani Epiſcopi Martyrium exponit, atque adjungit: *Et quo-*
Lib. 4. cap. 21. *niam Eccleſia necdum erat falſa perverſæ hæreticorum doctrinæ inanitate corrupta, idcircò virgo appellata fuit. At Thebulis, propterea quod petiti Epiſcopatus repulſam tulerat, eam erroris labe ex occulto inficere eſt conatus*. Euſebius in Chronico, ac in illuſtrium virorum Catalogo Sanctus Hieronymus iſtud Martyrium adſcribunt ſeptimo Neroniani Imperii anno, qui fuit Chriſti Domini ſexageſimus tertius. Quarè uſque tunc nullus videtur in Eccleſia fuiſſe hæreticus. Et in
Fol. 764. ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus diſertè ſcribit hæreſes non niſi ad Adriani Imperium cœpiſſe. Poſt mortem omnium Apoſtolorum. Ejuſdem ſententiæ videtur fuiſſe Sanctus Auguſtinus. Etenim hæc circa Dominicam Zizaniorum parabolam verba, *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania*, in Evangelicis Sancti Mat- Qu. 11.
thæi quæſtionibus commentatur: *Cum dormitionem mortis accepiſſent Apoſtoli, venit diabolus, & ſuperſeminavit eos, quos malos filios Dominus interpretatur*. Hi ſunt hæretici.

Reſpondeo tamen Apoſtolicis temporibus omninò fuiſſe ſuos hæreticos. Et quidem plures. Eſt res certa ac evidens. Etenim Simonem Magum quis inficietur fuiſſe hæreticum? Fuit Trojanus equus omnium hæreticorum. Ex ipſo omnes Gnoſticos, uti è terra fungos, ebulliiſſe teſtatur Sanctus Irenæus. Et hæreticum hominem ſemel aut bis corripiendum, ac tunc devitandum & deteſtandum mandat Sanctus Paulus in epiſtola ad Titum. Et qui Galatarum turbarunt Eccleſiam, quis dicat non fuiſſe hæreticos? Etiam Hymenæum, Alexandrum, Philetum, Phygellum, ac Hermogenem idem Apoſtolus notat de hæreſi. Plura ex ipſo dicendi occaſionem accipiemus infrà à Septimio. Et laudatus Hegeſippus affirmat Thebulem emerſiſſe ad ſeptimum Neronis annum, aliquot annis ante martyrium Principum Apoſtolorum. Et quod Sanctus Joannes ſuum Evangelium ac primam epiſtolam ſcripſerit adversùs Cerinthi ac Ebionis errores, affirmat in virorum illuſtrium Catalogo Sanctus Hieronymus, ac lucidè demonſtrat Sanctus Irenæus. Quod adversùs Cerinthi hæreſim Apoſtolica de Legalibus Synodus convenerit, diſertè ſcribit Sanctus Epiphanius. Et de omnibus Catholicis epiſtolis ſcribit in libro de Fide ac operibus Sanctus Auguſtinus: *Quoniam hæc opinio*, quæ hominem per ſolam ſine bonis operibus fidem juſtificari ac ſalvari garrit, *tunc fuerat exorta, Apoſtolicæ Epiſtolæ, Petri, Joannis,* Cap. 14.
Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant fidem ſine operibus nihil prodeſſe. At verò illa fuit Simonis Magi ac ejus diſcipulorum ſcelerata hæreſis, per ipſos traducta ad Baſilidem & Valentinum. Alias Gnoſticorum hæreticas blaſphemias ac fabulas etiam invadunt iſtæ epiſtolæ. Qui ſine plena iſtarum fabularum notitia ipſas intelligere ſperat, plurimùm decipitur. Hinc quoſdam, etiam eruditos, interpretes videmus circa ipſarum litteram infeliciter hallucinari.

Et hæc omnia oppoſitis Patrum teſtimoniis quàm optimè cohærent. Iſta conciliat in alio Euſebii loco laudatus Hegeſippus. Sancti Jacobi Apoſtoli Martyrium denuò refert, ac pergit:
Ad illa uſque tempora, quandoquidem ſi qui erant Lib. 3.
qui ſalubrem & ſinceram ſalutaris prædicationis cap. 26.
regulam depravare & corrumpere ſtudebant, in obſcuris tenebrarum latebris delituerint, Eccleſia integra & incorrupta permanſerat. Cæterùm poſtquam ſacer Apoſtolorum chorus varium vitæ exitum, & diverſa mortis genera pertulerat, & præterierat illorum ætas, quibus à Chriſto donatum erat, ut auribus Divinam ipſius ſapientiam coràm acciperent, tunc certè falſa & veteratoria impii erroris conſpiratio exordium cæpit, idque illorum fraude & aſtutia, qui doctrinam à veritate penitùs alienam diſſe-

minare

minare laborarent, & qui, cum nemini Apoſtolorum ampliùs vita ſuppeteret, deinceps nudo jam capite, ut ajunt, ſincero veritatis ſermoni falſam & commentitiam doctrinam ex adverſo opponere pro viribus niterentur. Fatetur Apoſtolicis temporibus non defuiſſe hæreſes, verùm adjungit ipſas fuiſſe clandeſtinas, & quaſi latuiſſe. Ita Sanctus Cyprianus ſuprà dixit acriores hæreſion peſtes tunc necdum prorupiſſe. Et iſtud dumtaxat ipſum voluiſſe poſſit Sanctus Firmilianus, ſcribens execrabiles ac deteſtandas hæreſes tunc necdum fuiſſe. Iſta elogia videntur hæreſim non explanare, ſed determinare & contrahere. Et certè de Simoniana, quæ palmaris fuit ſub Apoſtolis, hæreſi ſcribit in primo contra Celſum libro Origenes: *Simon Samaritanus Magus, per magiam ſuam quoſdam decipere conatus, effectu non caruit ad tempus, nunc autem in toto orbe opinor vix triginta Simonianos reperiri. Ac fortaſſe ne tot quidem. Sunt enim in Palæſtina pauci admodùm, in reliquo terrarum orbe nuſquam nomen ejus eſt in ea opinione, in qua ipſe haberi voluit. Nam apud quos nominatur, eis de Apoſtolorum Actis innotuit*. Et in ſexto libro. *Nunc nuſquam gentium exſtant Simoniani, quamvis Simon, quò plures ſibi pararet diſcipulos, ſuſtulerit è ſua doctrina mortis periculum, quod Chriſtiani docebantur contemnere, dicens indifferentem rem eſſe Idololatriam. Imò nec ulla perſecutio contra Simonianos umquam exorta eſt. Sciebat enim malus Dæmon, doctrinæ JESU inſidiator, rebus ſuis nihil periculi imminere à Simonis diſcipulis*. Addit & vivo Simoni fuiſſe paucos ſequaces. Eadem eſt ratio aliarum tunc hæreſion. Poſt ablatos nobis Apoſtolos cœperunt illæ criſtas erigere.

Fol. 44.

Fol. 282.

Si quæ audent ſe interſerere ætati Apoſtolicæ, &c.

Laudatam in ſuperioribus capitibus præſcriptionem quidam hæretici viderunt irrefragabilem, ideoque ſtuduerunt eludere. Dixerunt ſua Dogmata non eſſe nova, fuiſſe prædicata ſub Apoſtolis, ideoque & ſuas Eccleſias eſſe Apoſtolicas, ac germanè Chriſtianas. Et Doctor reſpondet: *Edant ergò origines Eccleſiarum ſuarum, ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentium, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit Authorem & Anteceſſorem*. Apoſtolicæ ætati fuiſſe hæreticos tranſire permittit, conſtanter addit nullam illis eſſe Apoſtolicæ fundationis Eccleſiam. Etenim hujuſmodi Eccleſia debet primum ſuum Epiſcopum accepiſſe vel ab aliquo Apoſtolo, vel ab aliquo Apoſtolico viro, id eſt, Apoſtoli alicujus diſcipulo ac Legato. Et adjungit: *Qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit*. Forſan reſpicit Glauciam aut Theodadem, quos Sancti Petri & Sancti Pauli diſcipulos Baſilides & Valentinus jactabant ſuos fuiſſe Magiſtros. Id eſt, noſtros apoſtatas. Quod an verum ſit, ignoramus. Interim poſſit eſſe verum. Et tunc iſtiuſmodi apoſtatæ erexerunt Eccleſias, uti veſpæ faciunt favos. De illis enim dixit Sanctus Joannes Apoſtolus: *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis*.

Notanda ſunt verba: *Evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, &c.* Affirmant ad Apoſtolicæ fundationis Eccleſiam non ſufficere qualemcumque Epiſcoporum ſucceſſionem, ſed requiri talem, cujus primus Author ſeu Anteceſſor fuerit ab aliquo Apoſtolo vel Apoſtolico conſecratus. Etenim debet eſſe rectus & firmus ordo, qui per non interpolatam lineam adſcendat ad Apoſtolos, per Apoſtolos ad Chriſtum, per Chriſtum ad Deum. Quod argumentum eſt Sanctis Eccleſiæ Patribus frequentiſſimum. Sanctus Irenæus affirmat ac demonſtrat Evangelicam doctrinam fuiſſe & verbo & ſcripto traditam toti mundo per Apoſtolos ac ipſorum diſcipulos, atque proſequitur: *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera volunt audire, & habemus adnumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt nec agnoverunt, quale ab his Gnoſticis deliratur*. Affirmat omnes Primates Eccleſias habere Epiſcoporum ſucceſſionem & ordinem, qui ab aliquo per Apoſtolos inſtituto ducat exordium: Omnes ubique idem docere, & docuiſſe ſemper, & hunc eſſe irrefragabilem characterem veritatis. A genere deſcendit ad ſpeciem. Adducit Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem uſque ad tunc ſedentem Eleutherum, demonſtrat incœptam à Petro & Paulo Apoſtolis, addit hanc eſſe pleniſſimam veritatis oſtenſionem, & aſſeverat ſimilem aliarum Eccleſiarum ſucceſſionem poſſe produci. Et in quarto libro ſcribit: *Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, Presbyteris obaudire oportet. His qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione Chariſma veritatis certum ſecundùm Placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt è principali ſucceſſione, & quocumque loco colliguntur, ſuſpectos, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes, aut rursùs ut hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes*. Hoc eſt, ſunt Hæreſis, Schiſma, aut Para-Synagoga. Et in ſequenti ejuſdem libri capite: *Ubi Chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt Eccleſiæ ſucceſſio*. Ad Apoſtolicæ fundationis Eccleſiam lucidè affirmat non quamvis ſucceſſionem ſufficere, ſed opùs eſſe illa, quæ per rectam lineam ſit uſque ad Apoſtolos, & ab Apoſtolis acceperit originem, ſeu primum inſeſſorem. Tali, quam meritò principalem vocat, ſucceſſione carentes conventus affirmat à Chriſto deviare.

Lib. 3. cap. 1. 2. & 3.

Cap. 44.

In ſecundo adversùs Parmenianum libro etiam Sanctus Optatus affirmat primum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe Sanctum Petrum Apoſtolum, ejus omnes uſque ad tunc ſedentem Siricium Succeſſores enumerat, & pergit ad Donatiſtas:

tiſtas: *Veſtra Cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare. Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus eſt veſtri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis.* Palmaris ſemper quæſtio fuit de ſucceſſione Romanæ Eccleſiæ. Et Donatiſtæ tunc Romæ habebant Montenſem ſeu Rupitanum Epiſcopum Claudianum, qui poſt Lucianum, Macrobium, Encolpium, ac Bonifacium Ballitanum ſucceſſerat Victori Garbienſi, primo iſtuc paucis Afris ex Africa miſſo atque intruſo Anti-Papali Spectro. Hinc Optatus pergit: *Victor erat ibi filius ſine Patre, tyro ſine Principe, diſcipulus ſine Magiſtro, ſequens ſine Antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo.* Affirmat iſtam ſucceſſionem eſſe nullius ponderis, eò quòd non adſcendat in Sanctum Petrum, ſed finiatur in Victore, nuper intruſo ex latere. Et in primo libro ſcribit etiam de ſucceſſione Carthaginenſis Cathedræ: *Video te adhuc ignorare ſchiſma apud Carthaginem à veſtris Principibus factum. Quære harum originem rerum, & invenies hanc te in vos dixiſſe ſententiam, cum ſchiſmaticis hæreticos ſociaſti. Non enim Cæcilianus exivit à Majorino, Avo tuo, ſed Majorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus receſſit à Cathedra Petri vel Cypriani, ſed Majorinus, cujus tu Cathedram ſedes, quæ ante ipſum Majorinum originem non habebat.* Primus Donatiſtici ſchiſmatis Antiſtes fuit Majorinus, cui poſt Donatum Magnum ſucceſſit Parmenianus, atque ita ille fuit hujus Avus. Hinc Optatus concludit iſtam factionem non eſſe veram Eccleſiam, quoniam ejus ſucceſſio finiatur in Majorino, & uſque ad Apoſtolos aut Apoſtolicos non adſcendat. Affimat & Victorem & Majorinum fuiſſe intruſos ex latere, ideoque nec ad Apoſtolicam fundationem ſpectare, nec conſanguinitatem.

Conſonat in Dialogo contra Luciferianos Sanctus Hieronymus, ita concludens: *Brevem tibi,*
Cap. 9. *apertamque animi mei ſententiam proferam. In illa Eccleſia eſſe permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata uſque ad diem hanc durat.* Et in litteris ad nobilem Virum Generoſum Sanctus Auguſtinus enumerat omnes uſque ad tunc ſedentem Anaſtaſium Romanos Pontifices. Affirmat ipſorum ſeriem cœpiſſe à Sancto Petro Apoſtolo, atque
Ep. 165. proſequitur: *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur. Sed ex tranſverſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris in urbe Roma Montenſium vel Rupitarum vocabulum propagavit.* Affirmat non Rupitanum Donatiſtarum, ſed antiquum Catholicorum in Romana urbe conventum eſſe veram Apoſtolicæ fundationis Eccleſiam; quoniam hæc ad Sanctum uſque Petrum adſcendit pleno & recto ordine, illa autem finitur in intruſo per latus Victore Garbienſi. Iſto argumento Sanctus Auguſtinus frequenter utitur adversùm quoſvis hæreticos. Et in libro de Sanctiſſima Trinitate ad Felicem
Cap. 1. Notarium ſcribit Sanctus Fulgentius: *Illam fidem crede ſinceriſſimæ menti tuæ nos velle noteſcere, per quam juſtificati ſunt Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres coronati, quam hactenùs per totum orbem ſancta tenet Eccleſia. Quæ uſque nunc per ſucceſſionum ſeriem in Cathedra Petri Apoſtoli Romæ vel Antiochiæ, in Cathedra Marci Evangeliſtæ in Alexandria, in Cathedra Joannis Evangeliſtæ Epheſi, in Cathedra Jacobi Hieroſolymæ, ab ipſarum Epiſcopis prædicatur. Coge ergò Arianos, Donatiſtas, Neſtorianos, Eutychianos, Manichæos, & reliquas hæreſion peſtes hiſce communicare Eccleſiis, quibus Apoſtoli præſederunt, non conſentiunt, quia per pravitatem fidei ab Eccleſiæ unitate diviſi in parte eſſe voluerunt.* Hic aut iſtic illi habent Epiſcopos, verùm ex tempore aut latere lapſos aut intruſos, quorum originem & dogma nequeunt uſque ad Apoſtolos deducere. Hinc iſtam deductionem habentibus iſtarum civitatum Eccleſiis communicare non permittuntur, atque ita demonſtrant ſe penitùs alienos ab Apoſtolica fundatione & vera conſanguinitate. Eſt firma præſcriptio adversùm omnes hæreſes. Frequens etiam apud alios Eccleſiæ Patres.

Notanda ſunt Tertulliani verba: *Habuerit Auctorem & Anteceſſorem.* Videntur aſſerere, quòd Septimius ad Apoſtolicæ fundationis Eccleſiam requirat ejus primum Epiſcopum fuiſſe Apoſtolum aut Apoſtolicum, vel certè ab Apoſtolo aut Apoſtolico datum & conſecratum. Anteceſſor Inſeſſorem, Auctor importare videtur Conſecratorem aut Inſtitutorem. Et hinc oritur quæſtio, An non ſoli Apoſtolici, ſed etiam Apoſtoli fuerint Cardinales ſingularium Eccleſiarum Epiſcopi? Et quidem Sanctum Petrum, ac Sanctum Jacobum Juſtum fuiſſe, eſt certum ac omnibus notum. Quæſtio eſt de aliis. Et in litteris ad Deſiderium Caſſinenſis Monaſterii Abbatem, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, reſpondet Sanctus Petrus Damiani: *Cùm omnes Apo-* Lib. 2.
ſtoli, diſtributi terrarum regionibus, proprias obtinerent Cathedras, Paulus, dum nullam ſpecialiter Epiſt. 14.
teneat, videtur aliquatenùs communiter omnibus præſidere. Affirmat omnes præter Sanctum Paulum Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos ſingularis Eccleſiæ. Et certè de Sancto Joanne Apoſtolo dixit in Dialogo cum Theodoro Romanorum Diacono Palladius Epiſcopus Helenopolitanus: *In loco Joannis, cui Timotheus ſucceſſit, abominatio deſolationis ſtat.* Nempè intruſus ac ſceleratus Epiſcopus. Affirmat Sanctum Joannem fuiſſe Epheſinum Antiſtitem, & illi Timotheum ſucceſſiſſe. Et in Photii Bibliotheca habet Sancti Timothei martyrium: *Refert hiſtoria Timotheum fuiſſe pri-* Lib. 254.
mum Epheſi Epiſcopum. Addit martyrio affectum ſub Domitiani Imperio, & adjungit: *Cum Nerva in Imperium ſucceſſit, Divus Joannes ab exilio liber venit Epheſum unde priùs à Domitiano relegatus fuerat. Et Epheſinæ præfuit Sedi. Et per ſe cum ſeptem Epiſcopis Epheſiorum Diœceſim rexit.* Affirmat non Timotheum Joanni, ſed Joannem ſucceſſiſſe Timotheo. Conſonat in libro de Sancta Trinitate ad Felicem Notarium Beatus Fulgentius: *Cathedra* Cap. 2.
Petri Apoſtoli Romæ vel Antiochiæ, Cathedra Mar-

ti Evangeliſtæ in Alexandria, Cathedra Joannis Evangeliſtæ Epheſi, Cathedra Jacobi Hieroſolymæ. Etiam in Illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus ſcribit: *Interfecto Domitiano, & Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, Joannes ſub Nerva Principe redit Epheſum, ibique uſque ad Trajanum Principem perſeverans, totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias. Et confectus ſenio, ſexageſimo octavo poſt Domini paſſionem anno mortuus, juxta eandem urbem ſepultus eſt.* Quod ab exilio reductus Epheſum redierit, ac ibi uſque ad vitæ finem permanſerit, eſt conſtans Patrum ſententia, ſigillata ab Epheſino Concilio. Hinc omnes Aſiæ fundavit ac rexit Eccleſias: Quòd nempè Epheſi ſederit ut Metropolita, & Exarchus univerſæ Diœceſeos.

At longè aliud ſcribit ſub Sancti Clementis Romani nomine Auctor Apoſtolicarum conſtitutionum, Sanctum Joannem inducens hoc mo-
Lib. 7. do loquentem: *Timotheus Epheſi Epiſcopus à Pau-*
cap. 47. *lo ordinatus, cui ſucceſſit Joannes, à me Joanne ordinatus.* Affirmat quod ab exilio Epheſum reductus Evangeliſta non ſemetipſum impoſuerit Eccleſiæ, ſed alium Joannem. Etenim tunc Epheſi ſimul habitaſſe duos Joannes, ibidemque defunctos eſſe ac ſepultos, eſt omnibus notum. Auctor iſte affirmat Sanctum Evangeliſtam adeò fuiſſe remotum ab Epheſiorum Cathedra, ut nec ejus primum Epiſcopum ordinaverit, utpotè ordinatum à Sancto Paulo.
14 Jan. Et hoc confirmat Romanum Martyrologium: *Sanctus Timotheus diſcipulus Beati Pauli Apoſtoli, qui ab eodem Epheſi ordinatus Epiſcopus.* Et in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius: *Timotheus Eccle-*
Lib. 3. cap. 4. *ſiæ quæ eſt Epheſi, primus Epiſcopatum obtinuiſſe traditur.* Ei autem non hunc vel iſtum Joannem, ſed Oneſimum ſucceſſiſſe ſcribit in litteris ad Epheſios Martyr Ignatius. Et conſonat Roma-
Febr. 16. num Martyrologium. *Oneſimus, quem Sanctus Paulus poſt Sanctum Timotheum ordinavit Epheſiorum Epiſcopum.* Attamen Apoſtolicarum Conſtitutionum Author affirmat illum fuiſſe Epiſcopum Berrhæenſem in Macedonia. Et iſtis conſonat
Lib. 7. Sanctus Irenæus: *Sed & quæ eſt Epheſi Eccleſia,*
cap. 47. *à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos uſque ad Trajani tempora, teſtis eſt ve-*
Lib. 3. *rus Apoſtolorum traditionis.* Et in præfatione ſuo-
cap. 3. rum Commentariorum ſuper epiſtolam ad Epheſios ſcribit Theodoretus: *Quidam dixerunt Divinum Joannem Evangeliſtam ſalutarem prædicationem Epheſiis primùm tradidiſſe, quidam verò aliquos alios hoc feciſſe dixerunt, Diviniſſimum autem Paulum, cùm Epheſios nondum vidiſſet, hanc ad eos ſcripſiſſe epiſtolam. Sed Apoſtolicorum Actuum hiſtoria neutrum horum nos docet.* Ex Actorum libro lucidè demonſtrat primum Epheſiorum Prædicatorem, & Eccleſiæ apud ipſos fundatorem fuiſſe Sanctum Paulum. Hinc idem Paulus eidem Eccleſiæ dedit duos primos Epiſcopos, ſuos Diſcipulos. Et quoad vixit, geſſit ejus curam. Et in hanc ipſi defuncto ſucceſſit Sanctus Joannes. Hoc ſuadent Beati Irenæi verba: *Joanne autem permanente, &c.* Quo tempore Sanctus Joannes eò venerit, eſt operoſa quæſtio: Quidquid ſit, indè à Domitiano Imperatore proſcriptus ac deportatus eſt in Inſulam Pathmon. Et hinc reductus redivit Epheſum, & tunc non Epheſinam, ſed alias fundavit Aſiæ Eccleſias. Nempè anteà & à Sancto Paulo & à ſe fundatis adjecit alias. Et omnes rexit. Nullius tamen Epiſcopus. Nam credere illum Timotheo ſucceſſiſſe eſt alienum à dignitate Apoſtolatus. Et tempora non concordant. Etenim ante Sanctum Paulum, ideoque dudum ante Joannis exilium mortuus eſt per Martyrium Timotheus, & uſque ad Trajani tempora, adeoque & uſque ad Joannis mortem pervenit Oneſimus, atque ita Joannes numquam poteſt ibi fuiſſe Epiſcopus. An Sanctus Andreas fuerit, uti Patriarchæ Conſtantinopolitani jactant, primus Byzantinorum Antiſtes, ſuo loco diſquiremus. Verius eſt nullum, præter Petrum & Jacobum, Apoſtolum fuiſſe Cardinalem Epiſcopum ſingularis Eccleſiæ.

Hoc modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, &c.

Eſt phraſis Tertullianica. Nam & in primo adversùs Marcionem libro habes: *Eccleſiæ cenſus* Cap. 21.
Apoſtolici. Et in libro Apologetico ſcribit: *Cenſus iſtius diſciplinæ*, utique Chriſtianæ, *à Tibe-* Cap. 7.
rio eſt. Et in alio ejuſdem libri capite: *Hunc edi-* Cap. 21.
dimus & Sectæ & nominis cenſum cum ſuo Authore. Nempè à temporibus Tiberianis. Eodem in libro dicit primum inter cunctos Gentilium Deos eſſe Saturnum, & adjungit: *Ab illo cenſus totius Divinitatis.* Utique fabuloſæ. Cenſus itaque eſt ipſi idem quod exordium. Proindè Apoſtolici cenſus Eccleſia eſt Eccleſia initiata & fundata per ipſos Apoſtolos. Antiquo Romanorum more infantium ætas non à nativitatis, ſed à cenſus die ducebat exordium. Hinc & Eccleſiarum ac aliarum rerum exordia Tertullianus appellat ipſarum cenſum. Notanda ſunt ab ipſo adducta exempla Eccleſiæ Smyrnenſis & Romanæ. Notandum, quòd Romanæ Eccleſiæ pro primo Epiſcopo non Sanctum Petrum aſſignet, ſed Sanctum Clementem. Ex quo loco quidam Sectarii garriunt Petrum non fuiſſe Romanorum Epiſcopum. At ſine omni penitùs fundamento. Veritas infra demonſtrabitur. Studio id fecit Septimius. Studio laudat ſolas ſecundi ordinis Apoſtolicas Eccleſias, quæ non Inſeſſorem habuerunt aliquem Apoſtolum aut Apoſtolicum, ſed dumtaxat Authorem, ſeu primi Epiſcopi Conſecratorem. Hinc enim ſubdit: *Perindè utique & cæteræ exhibent, quæ ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Affirmat cunctas Gnoſticorum, Marcionitarum, & quarumvis hæreticorum Synagogas adeò diſtare à dignitate & cenſu Apoſtolicæ Eccleſiæ, ut earum nulla habuerit Epiſcopum ab aliquo Apoſtolo vel Apoſtolico conſecratum.

Sicut

Digitized by Google

Sicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum.

Sanctum Polycarpum fuiſſe Smyrnenſi Eccleſiæ ab Apoſtolis conſecratum Epiſcopum, affirmat ejus diſcipulus, ideoque teſtis irrefragabilis Sanctus Irenæus: *Et Polycarpus autem non ſolùm* Lib. 3. cap. 3. *ab Apoſtolis edoctus, & converſatus cum multis ex eis qui Dominum noſtrum viderant, ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate. Multùm enim perſeveraverat, & valdè ſenex glorioſiſſimè ac nobiliſſimè martyrium faciens exivit de hac vita.* Fuiſſe conſecratum à Sancto Joanne Apoſtolo, teſtatur in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Polycarpus Joannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ Princeps fuit. Quippè qui nonnullos Apoſtolorum, & eorum qui viderant Dominum, Magiſtros habuerit & viderit.* Quæ verba ſuo Martyrologio inſeruit Romana Eccleſia. Septimius videtur affirmare ipſum fuiſſe primum Smyrnenſem Epiſcopum. At longè aliud ſcribit Lib. 7. cap. 47. Author Apoſtolicarum Conſtitutionum: *Ariſton primus Smyrnæ Epiſcopus. Hujus poſt mortem Succeſſor fuit Strateas, Loidis filius. Cui ſucceſſit tertius Epiſcopus, alter Ariſton.* Primum Ariſtionem laudat in Eccleſiaſtica hiſtoria Cæſareenſis Euſebii Sanctus atque antiquus Eccleſiæ Scriptor Lib. 3 cap. 33. Papias: *Ariſtion & Joannes Presbyter in numero Diſcipulorum Domini habebantur.* Eundem in ſuis Sanctorum tabulis habet Romana Eccleſia: *Salaminæ in Cypro, Sancti Ariſtionis, qui, ut Papias teſtatur, fuit unus de ſeptuaginta duobus Chriſti Diſcipulis.* Videtur non translatus Salaminam, ſed iſtic mortuus, adeoque ejus fuiſſe Epiſcopus. Eum iſtic habitaſſe affirmant Acta Sancti Barnabæ. At verò Græcorum ab Henrico Caniſio vulgatum Menologium habet ad tertium diem Septembris: *Natalis Sancti Ariſtionis, Epiſcopi Alexandriæ, qui igne probatus migravit in cœlum.* Videtur non ſubſiſtere. Etenim nec Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, nec Eutychius Patriarcha Alexandrinus, nec antiquum, quod Abrahamus Ekellenſis vulgavit, Orientale Chronicon in Alexandrinorum Epiſcoporum catalogo habent ullum Ariſtionem. Quidquid ſit, certum eſt Apoſtolicarum Conſtitutionum Authorem labi. Nam juxta illum Sanctus Polycarpus non poſſet fuiſſe, niſi quartus Smyrnenſis Epiſcopus.

Aliud ſentit in ſeptuaginta Diſcipulorum catalogo Sanctus Dorotheus Metropolita Tyriorum: *Apelles, cujus mentionem Apoſtolus ad Romanos facit, Epiſcopus Smyrnæ ante Sanctum Polycarpum factus eſt.* Et conſonat Romanum Martyro- April. 22. logium: *Smyrnæ, Sanctorum Apellis & Lucii, ex primis Chriſti Diſcipulis.* Lucium Laodicenſem, Apellem verò fuiſſe Smyrnenſem Epiſcopum, conſtanter affirmat Græcorum Menologium. Quare exiſtimo hoc eſſe verum. Sanctus Paulus fundatæ à ſe Smyrnenſi Eccleſiæ Apellem impoſuit Epiſcopum, ei autem defuncto Sanctus Joannes, poſt Pauli martyrium nactus Aſiaticæ Eccleſiæ adminiſtrationem, Succeſſorem dedit Sanctum Polycarpum. Et iſtud omninò fecit ante Romanam in ferventis olei dolio confeſſionem, ac deportationem in Inſulam Pathmon. Etenim hæc ejus in Apocalypſi verba ad Smyrnæ Angelum ſeu Epiſcopum *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam. Sed dives es. Et blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini. Et habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Hæc, inquam, verba omninò diriguntur ad Sanctum Polycarpum. Quòd enim & ipſe, & cuncta ejus Eccleſia horrendas perſecutiones ſuſtinuerit à Paganis Romanorum Magiſtratibus, & quod ad ipſas ſcelerati Judæi ſint impetuoſiſſimè cooperati, apud Euſebium Cæſareenſem docet Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola ad Eccleſiam Philomilii. Hæc mihi Lib. 4. cap. 15. videntur firma. Quare Sancti Polycarpi per Pionium, quem aliqui exiſtimant antiquum Martyrem, ſcripta Acta, affirmantia ipſum Sancto Buculo ſucceſſiſſe, probare non poſſim ob varia. Primò, quòd dicant Polycarpum non à Sancto Joanne Apoſtolo fuiſſe conſecratum Epiſcopum, ſed à Provincialibus Collegis. Secundò, quòd dicant Sanctum Polycarpum fuiſſe Archi-Præſulem. Iſtud enim vocabulum apud Eccleſiaſticas res eſt multò recentius, & Smyrnenſis Eccleſia nonniſi poſterioribus ſæculis eſt evecta in Metropolim. Et iſtius Sancti Bucoli nulla meminerunt antiqua Martyrologia, nulla alia vetuſta Eccleſiæ monimenta. Quare certum puto iſta Acta eſſe commenta alicujus recentioris Græculi. Hæc ſunt alterius loci.

Clementem à Petro ordinatum.

Sancto Petro in Romanum Epiſcopatum immediatè non Sanctum Clementem, ſed Sanctum Linum ſucceſſiſſe, eſt indubitatum. Etenim Sanctus Irenæus ponit hunc Romanorum Pontificum ordinem: Petrus, Linus, Anacletus, Clemens, Evariſtus, Alexander, Sixtus, The- Lib. 3. Cap. 3. leſphorus, Hyginus. Sixtum affirmat eſſe ſextum. Utique poſt Petrum. Eodem modo in ſequenti capite affirmat Hyginum fuiſſe octavum. At verò in primo ſui operis libro eundem Hyginum ſcribit fuiſſe nonum Pontificem. Quia nempè tunc comprehendit Petrum, atque ita lu- Cap. 28. cidè affirmat ipſum fuiſſe Romanum Epiſcopum. Eadem ratione utitur in litteris ad Pompejum Sabatrenſem Epiſcopum Sanctus Cyprianus, ſcribens Hyginum fuiſſe nonum Pontificem. Etiam Euſebius Cæſareenſis affirmat Petro Linum, Lino Anacletum, Anacleto ſucceſſiſſe Clementem. Epiſt. 74.

Ita ſcribit & in tertio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro, & in Chronico. Iſtud ipſum ſcribit Sanctus Epiphanius. At quem nos Anacletum, ipſe appellat Cletum. Quod ipſum in ſuo Martyrologio facit Sanctus Ado Archi-Epiſcopus Viennenſis. [Hær. 27. cap. 6.] Etenim Sancti Cleti feſtivitatem non menſi Aprili [Julii 12.] adſcribit, ſed duodecimo diei menſis Julii. Quo tempore Latina Eccleſia ſemper coluit Anacletum. Hinc Epiphanius Hyginum etiam dixit fuiſſe nonum Pontificem. Et ipſum repetit in variis locis. Nempè Petrum quoque comprehendit, [Hæreſ. 4. cap. 1.] atque ita omninò numerat inter Romanos Epiſcopos. Eandem ſucceſſionem habet in ſuo Chronico Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Hoc ipſum affirmat Sanctus Optatus Milevitanna Epiſcopus. Verùm cum aliqua diſcordantia. Etenim præmittit Sanctum Alexandrinum. De- [Lib. 2.] indè dicit non Clementem Anacleto, ſed Anacletum ſucceſſiſſe Clementi. Quod ipſum habet in litteris ad nobilem virum Generoſum Sanctus Auguſtinus. Diſcordantiæ hujus rationem dat [Ep. 165.] in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Clemens quartus poſt Petrum Romæ Epiſcopus. Siquidem ſecundus Linus fuit, & tertius Cletus. Tametſi plerique Latinorum ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putent fuiſſe Clementem.* Omninò notat Sanctum Optatum & Sanctum Auguſtinum. Hi ex ſimili lapſu ponunt Pium poſt Anicetum. Et Sanctus Hieronymus cum Sancto Epiphanio Anacletum appellat Cletum. Item Sanctum Petrum diſertè numerat inter Romanos Epiſcopos. Hinc enim Clementem affirmat eſſe quartum.

At verò liber Pontificalis diſtinguit Cletum ab Anacleto, & Clementem ponit inter ipſos medium. Quod ipſum facit in ſuo Martyrologio Uſuardus, etiam Sanctus Ado Viennenſis Epiſcopus. Sed quem nos Cletum, ille appellat Anacletum. Etenim hujus feſtum Sancti Marcellini feſto adjungit, & Sancti Cleti feſtivitatem ponit die duodecima Julii. Etiam dum Pium Aniceto præponimus, & Alexandrum connumeramus, Anicetus venit undecimus, Victor autem eſt decimus quartus. Attamen alii antiqui Scriptores, & Latini & Græci, iſtam diſtinctionem ignorant. Lucet ex jam adductis teſtimoniis. Nam & hinc Sanctus Hieronymus in illuſtrium virorum Catalogo Anicetum affirmat decimum, Victorem fuiſſe Pontificem decimum tertium. Et hinc lucet, quod etiam ipſe Pium poſtpoſuerit Aniceto. Quòd item cum Sancto Optato prætermiſerit Alexandrum. Conſonat, aliqua tamen cum differentia, auctor Carminum contra Marcionem: [Lib. 3.] *Ex quibus electum magnum, plebique probatum hac cathedra, Petrus qua ſederat ipſe Beatum maxima Roma Linum primum conſidere juſſit. Poſt quem Cletus & ipſe gregem ſuſcepit ovilis. Hujus Anacletus Succeſſor forte locatus. Quem ſequitur Clemens.* Et Cletum & Anacletum ponit ante Clementem. Horum carminum auctor, licet Tertullianus non ſit, eſt tamen antiquus, ideoque antiquiſſima eſt iſta diſtinctio. Etiam Romanorum Rituales libri, iſtam diſtinctionem laudantes, ſunt antiqui. Dominus Cardinalis Baronius cenſet Sancti Optati textum eſſe mendoſum. Verùm cur Sanctus Optatus non poſſit [Maii. 3.] eſſe memoria lapſus? Ex ſimili mendo aut lapſu Sanctus Hieronymus in libro contra Luciferianos affirmat Sanctum Stephanum fuiſſe Pontificem vigeſimum ſextum. Eſt enim dumtaxat vigeſimus tertius. Quidquid ſit, non Cletum, ſed ſolum [Cap. 8.] Anacletum agnovit etiam antiquum Romanæ Eccleſiæ Martyrologium. Ejus feſtum cum Sancti Marcellini feſto conjungit ad diem vigeſimam ſextam Aprilis. Favere videtur Wandalberti Martyrologium. Nam ad eandem diem ponit ſolius Cleti feſtum, nullius meminit Anacleti. Nempè cum Sancto Hieronymo Anacletum appellat Cletum. Palam favet antiquum Chronicon Piſcarienſis Monaſterii. Hoc enim habuit corpus Sancti Clementis, & hujus antiquiſſima theca habebat aureis litteris inſcriptum: *Hic jacet Sanctus Clemens, Petri diſcipulus, & à Petro Papa ſecundus, qui juſſu Trajani Imperatoris, anchora ad ejus collum ligata, fuit in pelago merſus.* Cum Sancto Optato ac Auguſtino iſta Inſcriptio affirmat Clementem ſucceſſiſſe Lino, adeoque nullum agnoſcit Cletum.

Quæſtio eſt, Unde ſit nata harum ſententiarum in tanta re varietas? Reſpondet antiquum Chronicon Epiſcoporum Metenſium. Diſtinguit Cletum ac Anacletum, primum ſuæ Eccleſiæ Epiſcopum Sanctum Clementem affirmat fuiſſe Sancti Clementis Romani Pontificis conſobrinum, atque adjungit: *At venit Metim Beatus Clemens quinto Claudii anno, ſedit in Epiſcopatu viginti quinque annis & menſibus quatuor. Hoc eſt, ſub Claudio novem, & ſub Nerone quatuordecim. Obiit tempore Veſpaſiani poſt paſſionem Beati Petri, & mortem Neronis, Beato Clemente ipſius fratruele Romanis fidelibus poſt Petrum Apoſtolum præſidente. Hanc ideò ſupputationem annotavi, quia niſi tempora Pontificatus Lini atque Cleti ſub ſpatio Præſulatus Beati Petri comprehenderis, non ſibi conſonè reſpondebunt anni Pontificum Romanorum annis Imperatorum. Pro certo enim ſcitur, quia Beatus Apoſtolus non baptizandis, ſed convertendis Miniſterii officium magis impendebat, ſicut liber Actus Apoſtolorum teſtatur, quod poſt adventum Sancti Spiritus in Cornelium & ſuos, juſſerit eos baptizari, & hoc propter ſchiſma vitandum, ne baptizati ab Apoſtolo digniore ſe cæteris putarent. Quocirca & Paulus Corinthiis in prima epiſtola ſcribit:* Gratias Deo, quod neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum & Cajum, ne fortè dicatis, quod in nomine Pauli baptizati eſtis. *Nam qui ab Apoſtolis ordinabantur Presbyteri, cæteri præeminebant ut Epiſcopi.*

Loquitur ex Sancto Epiphanio: *Romæ primi* [Hæreſ. 27. cap. 6.] *omnium Petrus & Paulus fuerunt Apoſtoli pariter atque Epiſcopi. Inde Linus. Tum Cletus. Poſt hunc Clemens, Petri & Pauli temporum æqualis, de quo Paulus meminit ad Romanos ſcribens. Neque verò miretur aliquis, quod ante ipſum in Pontificiam dignitatem alii Apoſtolis ſucceſſerint, cum Petri ac Pauli eſſet æqualis. Eiſdem enim ille tempo-*

ribus

vibus vixit. Utrum illis adhuc ſuperſtitibus, impoſitis manibus à Petro Epiſcopus conſecratus, eaque detrectata Provincia ab omni adminiſtratione vacaverit. Ita enim in quadam ſcripſit epiſtola: Recedo, exeo, inſtet populus Dei. *Nonnullis videlicet hoc modo conſulens. Nam in quibuſdam commentariis ita ſcriptum reperimus. An potiùs ſecundùm Apoſtolos ab Epiſcopo Cleto ſit conſtitutus, liquidò non conſtat. Quamquam vel hac quidem ratione poterant viventibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet ac Paulo, alii ſurrogari, quod eidem illi, prædicandi Evangelii gratia, in alias urbes ac regiones profectionem ſuſciperent; carere autem Epiſcopo Roma non poſſet. Siquidem Paulus in Hiſpaniam pervenit. Petrus verò Pontum ac Bithyniam ſæpenumerò peragravit. Ac ſanè fieri potuit, ut primùm Clemente conſtituto, cum is defugeret, ſi tamen ita contigit, quòd ego opinando potiùs, quàm aſſeverando dixerim, poſteà Lino & Cleto mortuis, qui duodecim annorum ſpatio ſingulatim Epiſcopatum obtinuerunt poſt Apoſtolorum Petri ac Pauli necem, quæ in annum Neronis duodecimum incurrit, tum demum Pontificatum capeſſere ſit compulſus. Sed utcumque res ſeſe habuerit, Romanorum Pontificum iſta eſt ſucceſſio: Petrus & Paulus, Linus & Cletus, Clemens, Evariſtus, Alexander, Xiſtus, Teleſphorus, Evariſtus, Hyginus, Pius, Anicetus.* Ponit bis Evariſtum. An ſit Librarii alicujus vitium, an memoriæ in Epiphanio lapſus, ignoro. Primum videtur verius. Etenim jam ſuprà dixit Hyginum fuiſſe nonum Pontificem.

Affirmat varia. Primò, quòd primus Romanorum Epiſcopus fuerit Sanctus Petrus. Quod ipſi ſoli adſcribat Cardinalem urbis Epiſcopatum, ſuo loco demonſtrabitur. Secundò dicit Petro ſucceſſiſſe Linum, Lino Cletum. Et ipſorum quemque ſediſſe duodecim annis. Tertiò dicit Clementem fuiſſe utroque ſeniorem: Utpotè ætate parem Apoſtolis. Et ita omninò eſt. Illum enim in epiſtola ad Philippenſes Sanctus Paulus numerat inter fidos ſuos ac firmos Co-
Cap. 4. operatores. Quare fuit amborum Apoſtolorum communis filius ac diſcipulus. Quartò Epiphanius dicit Sanctum Clementem fuiſſe à Sancto Petro conſecratum in ſucceſſionem Romani Epiſcopatus. Quintò dicit ipſum Lino & Cleto adhuc viventibus fuiſſe ordinatum. Verùm cum dubio. Affirmat eſſe duas ſententias, quarum altera aſſerat Clementem non niſi poſt Cleti mortem, aut certè non niſi à moriente Cleto fuiſſe electum & conſtitutum. Priorem ſententiam hic conſtanter ſequitur noſter Septimius. Et ſanè ejus teſtimonium eſt maximi ponderis. Iſtud ip-
Lib. 7. cap. 47. ſum habent Author Apoſtolicarum conſtitutionum, Auctor epiſtolæ de Geſtis Sancti Petri Apoſtoli, quæ paſſim fertur Sancti Clementis ad Sanctum Jacobum Apoſtolum, & in præfatione ad Recognitionum libros Presbyter Ruffinus. Sextò Epiphanius affirmat Clementem in Romano Epiſcopatu non fuiſſe poſitum, niſi poſt viginti quatuor annos ab Apoſtolorum martyrio. Tot enim annis ſediſſe affirmat Linum & Cletum. Illum Sanctus Hieronymus ſcribit obiiſſe tertio anno Trajani, centeſimo ſecundo Chriſti Domini. Quod ſi verum ſit, Clemens vixit ultra centum annos.

Et hinc naſcuntur quædam quæſtiones. Prima eſt, An Linus & Cletus fuerint conſecrati à Sancto Petro? Reſpondeo eſſe incertum. Etenim Lib. 7. cap. 47.
Apoſtolicarum Conſtitutionum Auctor inter Epiſcopos ab ipſis Apoſtolis conſecratos numerat Linum Claudiæ filium, Eccleſiæ Romanorum Epiſcopum primum, à Paulo ordinatum, poſt mortem verò Lini Clementem, quem Petrus ſecundum ordinavit. Eodem modo affirmat factum in Antiochena Eccleſia: Evodium à Petro, Ignatium fuiſſe ordinatum à Paulo. Et ad hæc ſcribit in ſuis Annalibus Dominus Cardinalis Cæſar Baronius: *Legimus apud Clementis Conſtitutiones, quibus interdum uſi ſunt viri ſanctiſſimi, nec non eruditiſſimi, Eccleſiæ Antiochenæ à Petro Evodium, Ignatium verò à Paulo eſſe creatos Epiſcopos. Nec ſanè unum poſt alium, ut de cæteris ibi dicitur, ſed ſimul. Quod tunc quidem factum ibi videtur, cùm diſſenſio illa inter fideles qui ex Circumciſione, & eos qui ex gentibus ad fidem venerant, eſſet concitata. Quocirca quamdiu illa perduravit, illud remedium fuiſſe adhibitum, ut uterque ſederet, alterque eorum præeſſet eis, qui ex gentibus ad Eccleſiam veniſſent. Verùm eo tandem ſublato diſtinctionis pariete, ſub uno eodemque Paſtore utraque collecta Eccleſia, non ampliùs duobus, ſed uno tantùm fuit opus Epiſcopo.* Quod an ſubſiſtat, ignoro. Etenim Evodius Judæorum, Ignatius debuiſſet fuiſſe gentium Epiſcopus, adeoque & gentilis. At verò fuiſſe Judæum, eſt conſtans traditio Eccleſiæ Orientalis. Ipſam exponit in marginali ad octavam Synodum Scholio Anaſtaſius Bibliothecarius: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum ſtatuit in medio, dicens,* Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut hic parvulus, &c. *Iſte Ignatius fuit. Et idcircò hunc Deiferum nuncupant. Quòd nec Apoſtoli auſi fuerint, cùm ad Eccleſiæ Præſulatum promoveretur, ampliùs manus imponere, nimirùm quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverint.* Proindè iſta traditio affirmat ipſum fuiſſe Judæum, & non conſecratum à Sancto Paulo, ideoque Conſtitutionum Apoſtolicarum Auctori penitùs adverſatur. Plura iſtic errat iſte Auctor: Hinc eſt parùm curandus. Nam dicit Clementem non niſi poſt Lini mortem fuiſſe conſecratum, quod à nullo admittitur. Et forſan ex ipſo ſuum dubium hauſit Sanctus Epiphanius. Sanctum Linum fuiſſe primum Veſontionenſem Epiſcopum conſtanter affirmat iſta Eccleſia. Et addit non à Sancto Paulo, ſed ſibi miſſum & conſecratum à Sancto Petro. Et certè quòd in omni Gallia nullus præter Sanctum Petrum, aut ab ipſo miſſos & conſecratos Epiſcopos, inſtituerit Eccleſias, Innocentius primus Pontifex in litteris ad Decentium Eugubinum Antiſtitem affirmat eſſe manifeſtum. Quare certum eſt Linum fuiſſe conſecratum à Sancto Petro. An ad Cardinalem Veſontionenſis, an autem ad Vicariam Romanæ Eccleſiæ Præfecturam fuerit primò conſecratus, eſt penitùs incertum.

Eccleſiaſticorum Archivorum, quæ Imperator Diocletianus exuſſit, inopia compellit nos ita ceſpitare.

Secunda quæſtio eſt, Quare Sanctus Petrus ſibi in Romana urbe ſuperordinaverit duos Epiſcopos? Reſpondet Sanctus Epiphanius: *Hac ratione potuerint viventibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet ac Paulo Epiſcopi alii ſurrogari, quod eidem illi, prædicandi Evangelii gratia, in alias urbes ac regiones profectionem ſuſciperent, carere autem Epiſcopo Roma non poſſet. Siquidem Paulus in Hiſpaniam perveait, Petrus verò Pontum ac Bithyniam ſæpenumerò peragravit.* Videtur inſinuare, quòd alium Petrus conſtituerit, alium Paulus. Similem rationem adducit Chronicon Metenſis Eccleſiæ. Attamen non tam Sancti Petri abſentiam allegat, quàm Apoſtolici muneris dignitatem, de qua Sanctus Paulus in priori epiſtola ad Corinthios: *Non me miſit Dominus baptizare, ſed evangelizare.* Affirmat Linum & Cletum fuiſſe Sancti Petri in Pontificalis Ordinis Miniſterio adjutores atque vicarios. Et certè quòd Sanctus Petrus non poſt, ſed ante fundatam Romanam Eccleſiam Ponto, Bithyniæ, Galatiæ, Aſiæ, & Cappadociæ prædicaverit, conſtanter affirmat Sanctus Leo in primo ſermone de Sanctis Apoſtolis Petro ac Paulo. Sanctus Petrus videtur numquam Roma deceſſiſſe, niſi ad famoſum Claudii Imperatoris in omnes Judæos Edictum. Et tunc exiſtimo ſcriptam fuiſſe Sancti Pauli ad Romanos epiſtolam: Et Petri tunc abſentiam eſſe cauſam, cur illum Paulus non jubeat ſalutari. Quòd Sanctus Paulus in hac epiſtola laudet Clementem, labitur Epiphanius. Ipſum non laudat, niſi in epiſtula ad Philippenſes. Eſt lapſus memoriæ. Eandem pro Lini & Cleti vicario Epiſcupatu rationem adducit in præfatione ad Recognitionum libros Presbyter Ruffinus: *Quidam requiruat, Quomodo cùm Linus & Cletus in urbe Roma ante Clementem fuerint Epiſcopi, ipſe Clemens ad Jacobum ſcribens ſibi dicat à Petro docendi Cathedram traditam? Cujus rei hanc accepimus rationem, quòd Linus & Cletus fuerint quidem ante Clementem Epiſcopi in urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro, ut illi Epiſcopatus curam gererent, ipſe verò Apoſtolatus impleret officium. Sicut invenitur etiam apud Cæſaræam feciſſe, ubi cùm ipſe eſſet præſens, Zachæum tamen à ſe ordinatum habebat Epiſcopum. Et hoc modo utrumque verum videbitur, ut & illi ante Clementem numerentur Epiſcopi, & Clemens tamen poſt obitum Petri ſuſceperit docendi Sedem.* Affirmat Linum & Cletum viventis Petri fuiſſe dumtaxat vicarios. Clementem autem defuncto ſucceſſiſſe. Quod ipſum vult Chronicon Metenſis Eccleſiæ. At certum eſt utrumque deviare. Ruffinus inſuper deviat Zachæum Cæſareenſem Epiſcopum fuiſſe Sancti Petri Vicarium. Eſt Zachæus Publicanus, à Chriſto Domino converſus. Et ipſum fuiſſe primum Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopum affirmat
Lib. 7. cap. 47. etiam Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum. Verùm Sanctus Petrus iſtic non fuit Epiſcopus, adeoque nec Zachæus fuit ejus Vicarius. Etiam Clemens nequit tertio Trajani anno eſſe defunctus, ſi Sancto Petro immediatè ſucceſſerit. Etenim ſic debuiſſet ſediſſe Pontifex ad annos triginta tres, atque ita Sancti Petri catalogum inſigniter exceſſiſſe. Interim Apoſtolicum Lini & Cleti Vicariatum probat etiam liber Pontificalis: *Clemens ex Præcepto beati Petri ſuſcepit Eccleſiæ Pontificatum gubernandum. Ideò Linus & Cletus ante eum conſcribuntur, quia ab ipſo Principe Apoſtolorum ad Miniſterium Sacerdotale exhibendum ſunt Epiſcopi ordinati.* Eundem Vicariatum probat in Chronico Onuphrius Panvinus.

Quæſtio tertia eſt, Quando Linus & Cletus, quando Clemens ſint à Sancto Petro conſecrati in Epiſcopos? Laudatus Onuphrius in Chronico ſcribit ad Chriſti Domini annum quinquageſimum ſextum: *Petrus Eccleſiam Romanam, duobus adjutoribus, Lino & Cleto ordinatis, conſtituit.* Et ad ſequentem annum: *Sanctus Linus Herculani filius, Volaterranus, Hetraſcus, primus Epiſcopus Romanus à Petro pridie Idus Junii ordinatus, ſedit Romæ, abſente ut plurimùm Petro, annos undecim, menſes tres, dies duodecim.* Et ad annum ſexageſimum octavum: *Sanctus Linus Epiſcopus nona Kalendas Octobris interfectus.* Eodem anno, quo Petrus & Paulus. Et adjungit: *Sanctus Clemens, Fauſtini filius, Romanus Presbyter, primus poſt Petrum Apoſtolum Chriſti Vicarius, ab eo vivente deſignatus, ſedit Romæ annis novem, menſes quatuor, dies viginti ſex.* Et ad annum ſeptuageſimum ſeptimum: *Nono Kalendas Octobris Sanctus Clemens Papa in exilio obiit. Non vacavit Sedes. Sanctus Cletus, Æmiliani filius, Romanus, quartus in ordine Epiſcoporum Romanorum addito Lino, ſecundus verò poſt Petrum Apoſtolum Chriſtianorum Pontifex, ſedit annos ſex, menſes quinque, dies tres.*

Dicit varia. Primò, quòd Linus & Cletus fuerint Petro Apoſtolo Vicarii. Secundò, quòd ſint ordinati dudum ante Clementem. Tertiò, quòd moriens Petrus eos noluerit ſibi ſuccedere, ſed proximum Succeſſorem deſignaverit Clementem. Quartò, quòd Clemens ſucceſſerit, non Linus. Quintò, quòd Linus poſt Petrum, eodem tamen anno, ſit Martyrio defunctus. Sextò, quòd Clemens non ad tertium Trajani annum pervenerit, ſed dumtaxat ad ſeptimum Veſpaſiani. Septimò, quòd Cletus tunc ſucceſſerit. Octavò, quòd Cleto ſucceſſerit Anacletus. Graviter diſplicet, quòd dicat Linum non ſucceſſiſſe Petro, adeoque numquam fuiſſe Cardinalem urbis Epiſcopum. Etenim repugnat Sancto Irenæo, Sancto Cypriano, Sancto Optato, Sancto Hieronymo, Sancto Auguſtino, ac aliis ſuprà adductis Patribus, Latinis & Græcis. Etiam Theodoreto, qui laudatum in ſecunda ad Timotheum epiſtola Linum affirmat fuiſſe Romanorum Epiſcopum, proximum Petri Succeſſorem: *Ferunt Linum Magno Petro ſucceſſiſſe, & Romanorum Eccleſiæ poſt illum tenuiſſe Sedem.* Ep. 2. cap. 4.

Etiam diſplicet, quod Onuphrius, Cletum ab Anacleto diſtinguens, dicat non Clementem Cleto, ſed hunc illi ſucceſſiſſe. Nam & liber

Pon-

Digitized by Google

Pontificalis, quem ille ſequitur, repugnat. Et quotquot dicunt Clementi Anacletum ſucceſſiſſe, hunc non diſtinguunt à Cleto. Item diſplicet, quòd contra Sancti Hieronymi graviſſimam authoritatem ex ſemetipſo ſine teſte dicat Clementem ex hac vita abiiſſe ad ſeptimum annum Veſpaſiani. Reliqua ejus Dicta poſſint eſſe vera, ſed carent fuleris authenticorum teſtimoniorum. Si mihi fiat conjecturandi facultas, dicam Linum & Cletum ad Domini quinquageſimum primum, Claudii Imperatoris nonum, Petri Pontificis ſeptimum annum fuiſſe conſecratos, dum dictus Princeps omnes Judæos proſcripſit ex Italia. Tunc Petrus, ne novella Urbis Eccleſia maneret ſine Epiſcopo, duos conſecravit Vicarios. Et quod Judæos non poſſet, conſecravit gentiles. Creavit duos: Unum in principali urbe, alterum in regione trans Tiberim. Iſtic enim, quod eſſet Judæorum domicilium, erant plures Chriſtiani. Si Linus umquam fuerit Veſontionis Epiſcopus, videtur tunc Romam revocatus à Petro, ac ejus in locum miſſus neſcio quis alius. Etenim iſtius Eccleſiæ Archiva affirmant ſuum ſecundum Epiſcopum Maximinum eſſe ſibi miſſum à Sancto Pontifice Cajo. Is forſan fuerit omnium primus.

Reſtat antiqua, per quoſdam apud Sanctum Epiphanium mota dubitatio, cur Petrus ſeniorem Clementem junioribus Lino & Cleto poſtpoſuerit? Cur Clemens Petro immediatè non
Hær. 27. cap. 6. ſucceſſerit? Et Epiphanius reſpondet: *Utrùm illis, utique Lino & Cleto, adhuc ſuperſtitibus, Clemens impoſitis manibus à Petro ſit conſecratus Epiſcopus, eaque detrectata Provincia ab omni adminiſtratione vacaverit. Ita enim in quadam Epiſtola ſcripſit*: Exeo, recedo, inſtet populus Dei. *Nonnulli videlicet hoc modo conſulens. Nam in quibuſdam commentariis ita ſcriptum reperimus.* Affirmat varia. Primò, quod Linus & Cletus fuerint conſecrati ante Clementem, utique ad jam expoſitum Vicariatum. Et videtur aſſerere illos ad Petri ſimul ac Pauli Vicariatum conſecratos, adeoque unum ab hoc, alterum conſecratum ab iſto. Rei veritas latet. Si propter Claudii Edictum fuerint conſecrati, ambo fuerunt conſecrati à Petro. Tunc enim Paulus necdum fuerat Romæ. Secundò Epiphanius dicit Clementem fuiſſe à Petro conſecratum iſtis adhuc viventibus. Quod nempè conſecraretur ad ſucceſſionem. Et Clemens conditionem admiſit. Et poſt Sancti Petri Martyrium Romanus populus ipſum inſtanter petiit, & voluit inthronizatum. Verùm ille refutavit, & dixit: *Exeo, recedo, inſtet populus Dei*. Et hoc, *quibuſdam conſulens*. Videtur populus fuiſſe diviſus: Alii Linum poſtulaſſe, alii Clementem. Et Clemens Lino ceſſit, imò & Cleto: Nec ante ipſos defunctos voluit poni in Cathedram. Attamen de harum firmitate Epiphanius titubat, nec præſumit quid certum aſſerere. Quomodo igitur nos aſſeramus? Quidquid ſit, certum eſt Clementem fuiſſe conſecratum à Petro. Et quidem in ſucceſſionem. Diſertè id aſſeverat noſter Septimius, cujus authoritas non poſſit facilè refutari.

Ad hanc itaque formam provocabuntur, &c.

Doctor affirmat Eccleſiam ex duplici capite dici ac eſſe Apoſtolicam. Ex fundatione, & accepto per aliquem Apoſtolum aut Apoſtolicum primo Epiſcopo; ac ex conſanguinitate doctrinæ. Prima radix eſt digniſſima, at non omnium Eccleſiarum. Paucæ enim Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis aut ipſorum immediatis diſcipulis acceperunt primum Epiſcopum. Et hanc dignitatem ambierunt, & ſibi affingere tentarunt antiqui hæretici, verùm caſſo eventu. Nam Glaucias & Theodades, ſi Baſilidem & Valentinum docuerint, deſciverant tunc ab Apoſtolis, & ad vocum novitates declinaverant. Altera radix eſt univerſalis. Competit etiam iſtis Eccleſiis, quæ Apoſtolis ſunt multò poſteriores, & quæ inſtituuntur quotidiè, & uſque ad ſæculi finem inſtituentur. Sine iſta doctrinæ conſanguinitate, nulla Eccleſia poſſit eſſe Apoſtolica. Et ipſam laudat Conſtantinopolitanum Symbolum, dum omnem ſub cœlo Eccleſiam profitetur eſſe ac eſſe debere Apoſtolicam. Septimius affirmat utramque radicem deeſſe Valentinianis, Marcionitis, & cunctis generatim hæreticis, ideoque ipſorum Eccleſias nullatenùs eſſe Apoſtolicas. Quod iſta conſanguinitate careant: Probat ex hoc charactere: *Nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſiis quoquo modo*, aut per fundationem, aut per ſolam doctrinæ conſanguinitatem, *Apoſtolicis*. Cum illis non habent *communicationem pacis, appellationem fraternitatis, & conteſſerationem hoſpitalitatis. Scilicet ob diverſitatem Sacramenti*, Chriſtiani Dogmatis, *nullo modo Apoſtolicè*. Neque per fundationem, neque per doctrinæ conſanguinitatem. Quæ omnia locum habent etiam in Lutheranis & Calviniſtis.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

Poſteriores Hæreſes ab Apoſtolis demonſtratæ ſunt, & prædamnatæ.

ADhibeo ſuper hæc ipſarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc ſub Apoſtolis fuerunt, ab iiſdem Apoſtolis & demonſtratæ & ejeratæ. Nam & ſic faciliùs traducentur: Dum aut jam tunc fuiſſe deprehendentur, aut ex illis quæ jam tum fuerunt, ſemina ſumpſiſſe. Paulus in prima ad Corinthios notat negatores & dubitatores reſurrectionis. Hæc opinio propria Saducæorum. Partem ejus uſurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & ſi qui alii reſurrectionem carnis infringunt. Et ad Galatas ſcribens invehitur in obſervatores & defenſores circumciſionis & legis: Hebionis hæreſis eſt. Timotheum inſtruens, nuptiarum quoque interdictores ſuggillat: Ita inſtituunt Marcion & Apelles ejus ſecutor. Æquè tangit eos, qui dicerent factam jam reſurrectionem: Id de ſe Valentiniani aſſeverant. Sed cùm genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoſcitur: Apud quem Æon ille, neſcio qui novi & non unius nominis, generat è ſua charitate Senſum & Veritatem. Et hi æquè procreant duos, Sermonem & Vitam. Dehinc & iſti generant Hominem & Eccleſiam. Eſtque hæc prima ogdoas Æonum: Exindè decem alii, & duodecim reliqui Æones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta Æonum. Idem Apoſtolus, cùm improbat elementis ſervientes, aliquid Hermogenis oſtendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat; & ita matrem elementorum Deum faciens, poteſt ei ſervire quam Deo comparat. Joannes verò in Apocalypſi Idolothyta edentes & ſtupra committentes jubetur caſtigare. Sunt & nunc alii Nicolaitæ, Cajana hæreſis dicitur. At in epiſtola eos maximè Anti-Chriſtos vocat, qui Chriſtum negarent in carne veniſſe, & qui non putarent JESUM eſſe filium Dei. Illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simonianæ autem magiæ diſciplina Angelis ſerviens, utique & ipſa inter Idololatrias deputabatur, & à Petro Apoſtolo in ipſo Simone damnabatur.

SCHO-

S c h o l i o n.

Adhibeo ſuper hæc ipſarum doctrinarum recognitionem, &c.

PAlmatis cum variis Gnoſticis, ac præſertim Marcionitis, quæſtio erat de ſecunda radice Eccleſiæ Apoſtolicæ, de doctrinæ conſanguinitate. De hæreſiarcha Artemone ac ejus Sectatoſibus ſcribit apud Eccleſiaſticam Euſebii Cæſareenſis Hiſtoriam ueſcin quis antiqnus Eccleſiæ Pater: *Ajunt iſti cunctos Majores noſtros, & ipſos*
Lib. 5. cap. 27. *Apoſtolos, ea quæ ipſi jam affirmant, non modo à Domino accepiſſe, verùm etiam alios eadem docuiſſe & veram prædicationis rationem uſque ad Victoris, qui decimus tertius à Petro fuit Romæ Epiſcopus, tempora integrè ſervatam quidem, ſed à Zephyrino illius Succeſſore penitùs fuiſſe corruptam ac depravatam*. Eadem garriverunt Marcionitæ, Valentiniani, Apellitæ, ac alii. Eadem hodiè garriunt Wicleffiſtæ, Luterani, & Calviniſtæ. Joannes Wicleffus primi millenarii probavit Eccleſiam, tunc corruptam dixit, ideoque à ſe reformatam. Joannes Calvinus alicubi dicit Magnum Gregorium fuiſſe ukimum orthodoxi Dogmatis Pontificem. Alil Eccleſiam degeneraſſe volunt ſtatim poſt Chalcedonenſe Concilium. Eſt ac eſſe debet cantilena omnium hæreticorum. Ex iſto principio garriunt ſeſe, nequaquam nos eſſe Apoſtolicam Eccleſiam. Et ad iſtam cantilenam obtundendam Doctor affirmat memoratorum Hæreſiarcharum palmaria dogmata, aut certè ipſorum ſemina pullulaſſe ſub Apoſtolis, illis fuiſſe nota, ab eis non probata, ſed demonſtrata, damnata, ac ejeerata, ideoque iſtorum Eccleſias ne quidem ex doctrinæ conſanguinitate eſſe Apoſtolicas. Eadem præſcriptione nos hodiè utimur adverſùm Lutherauos & Calviniſtas.

Paulus in prima ad Corinthios notat negatores & dubitatores Reſurrectionis.

Hæc eſt prima hæreſis, quam Doctos affirmat fuiſſe Apoſtolorum temporibus, ab illis notatam & damnatam. Ipſam exponit Sanctus Epiphanius: *Cerinthus homo ſtolidus, ac ſtolidorum magi-*
Hær. 28. cap. 6. *ſter, nihil eſt veritus dicere paſſum quidem & crucifixum eſſe Chriſtum, nondùm tamen à mortuis ſuſcitatum, at tum demùm, cum mortui reſurgent omnes, excitandum. Ibidem Paulus eos, qui mortuos*
Hær. 28. *reſurrecturos diffiderent, redarguit*. De Cerintho oppoſitum ſcribit Sanctus Irenæus: *Cerinthus*
Lib. 1. cap. 25. *ſubjecit* JESUM *non ex Virgine natum, fuiſſe autem Joſeph & Mariæ filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines, & poſt Baptiſmum in eum deſcendiſſe Chriſtum, in fine autem revolaſſe iterum Chriſtum de* JESU, & JESUM *paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritalem*. Et huic videtur magis credendum. Quidquid interim ſit de Cerintho, certè Apoſtolica ad Corinthios de Dominica Reſurrectione diſputatio palàm inuuit quod quidam de noſtra futura Reſurrectione ceſpitaverint, imò ipſam abnegaverint. At qui fuerint, non edicit Epiphanius.

Hæc opinio propria Saducæorum.

Apud Judæos Sanctus Epiphanius affirmat fuiſſe ſeptem hæreſes. Et in ſui Panatii præfatione ipſas enumerat: Scribæ, Phariſæi, Saducæi, Hemero-Baptiſtæ, Eſſæi, Nazaræi, atque Herodiani. Eoſdem numerat in litteris ad Zachariam majoris Armeniæ Primatem Joannes Metropolita Nicænus. Pro Eſſæis ponit Aſianos. Eſt mendum. Pergit Epiphanius de Saducæis: *Saducæis ab exactiſſima juſtitia nomen eſt. Qui è Samaritanorum gente à Sacerdote quodam Sadoc ortum habent. Mortuorum reſurrectionem damnant. Angelum & ſpiritum funditùs negant. Cætera Judæorum ſimiles*. Et in alio iſtius libri loco ſcribit: *Sep-* Hær. 14. cap. 2.
tem Sectæ apud Judæos ante Chriſti Domini adventum in Judæa atque Hieroſolymis extiterunt. Horum primi fuerunt Saducæi, à Doſithea propagati. Qui nimirùm Saducæos ſe à juſtitia nominant. Sedek enim juſtitiam ſignificat. Sed & Sadoc quidam ex antiquis Sacerdotibus appellatus eſt. Verùm iſti à Magiſtri doctrina deſciverunt. Etenim mortuorum Reſurrectionem ſuſtulerunt, in quo cum Samaritanis conveniunt. Sed Angelos, contrà quam Samaritani, repudiant. Et Spiritum Sanctum ignorant, quem nec accipere meruerunt. Et ad hæc ſcribit Dionyſius Petavius: *Epiphanius permulta iſtic falſa, mini-* Lib. 4. cap. 21.
meque cohærentia diſputat, quæ nos invitiſſimi ſanè, pro eo ac ſanctiſſimi viri pietatem eruditionemque veneramur, ſed neceſſariò tamen eruere, ac ne fraudi cuiquam ſint, caſtigare debuimus. Hegeſippus porrò apud Euſebium Judæorum Sectas percenſens, Samaritanos inter illas retulit. Sunt autem iſtæ: Eſſæi, Galilæi, Hemero Baptiſtæ, Masbothæi, Saducæi, Phariſæi. Apoſtolicarum Con- Lib. 6. cap. 6.
ſtitutionum Author numerat Saducæos, Phariſæos, Masbothæos, Hemero-Baptiſtas. Sanctus Philaſtrius adducit longè plures.

Aliud in Sancti Matthæi commentario ſcribit Sanctus Hieronymus: *Duæ hæreſes erant in Ju-* Cap. 22.
dæa. Una Phariſæorum, altera Saducæorum. Exponit Phariſæorum errores, ac pergit: *Saducæi, qui interpretantur juſti, & ipſi vindicabant ſibi quod non erant. Prioribus & corporis & animæ reſurrectionem credentibus, confitentibusque Angelos & ſpiritum, ſequentes omnia denegabant. Iſtæ ſunt duæ domus, de quibus Iſaias manifeſtiùs docet, quòd offenſuræ ſint in lapidem ſcandali*. Fuiſſe & alias Sectas non negat Hieronymus, ſed iſtas dum-

taxat

ſaxat duas cenſet heterodoxas atque hæreticas. Et iſtud videtur eſſe omninò verum. Pergit eodem in loco de Saducæis: *Saducæi nec Angelum, nec ſpiritum, nec reſurrectionem corporum confitentes, animarum quoque interitum prædicant.* Et in Cap. 8. libro contra Luciferianos: *Taceo de Judaiſmi hæreticis, qui ante Chriſti adventum legem traditam diſſiparunt. Quod Doſitheus, Samaritanorum Princeps, Prophetas repudiavit. Quod Saducæi, ex illius radice naſcentes, etiam reſurrectionem carnis negaverunt. Quod Phariſæi, à Judæis diviſi propter quaſdam obſervationes ſuperfluas, nomen quoque à diſſidio ſuſceperunt. Quod Herodiani Herodem Regem ſuſcepere pro Chriſto.* Videtur quatuor hæreſes aſſerere. Verùm Samatitani, licèt Judæam incoluerint, non fuere Judæi, nec ſpectarunt ad ipſorum Synagogam aut Rempublicam. Et de Herodianis idem Hieronymus ſcribit in Sancti Matthæi Commentario: *Quidam Latino-* Cap. 22. *rum ridiculè Herodianos putant, qui Herodem Chriſtum eſſe credebant. Quod nuſquam omninò legimus.* Herodianos affirmat fuiſſe Herodis milites, aut ſanè iſtos Judæos, qui Romanis & Herodi Tributa ſolvebant, ideoque à Phariſæis per ſarcaſmum inſigniebantur iſto elogio. Proindè non agnoſcit niſi duas hæreſes. Laudata Sancti Hieronymi verba adducit, & ab ipſis exordium ſumit præſentis libri noſtri appendix. Et hinc lucet ipſam non eſſe Tertulliani, ſed neſcio cujus hominis Sancto Hieronymo junioris. Nec enim Sanctus Hieronymus conſuevit integras ſutari periodos, & ipſarum non laudare Antborem. Et illius appendicis nemo antiquus meminit.

De Doſitheo ſcribit in primo contra Celſum libro Origenes: *Poſt JESU quoque tempora Doſi-* Fol. 44. *theus Samarita conatus eſt perſuadere ſuis civibus ſe eſſe Chriſtum illum à Moyſe prænuntiatum, & viſus* Fol. 282. *eſt inveniſſe diſcipulos.* Ejus dogmata exponit in Cap. 14. ſexto libro. Etiam in Philocalia, necnon in vigeſimo ſeptimo Tractatu ſuper Evangelium Sancti Matthæi. Verùm Saducæorum Author Doſitheus, etiam ipſe Samarita, eſt longè antiquior. Eſſe Chriſto Domino antiquiorem, jam affirmavit Sanctus Hieronymus. Eundem Sanctus Epiphanius affirmat fuiſſe non authorem Sectæ, ſed dumtaxat propagatorem. Sectæ authorem Sadoc videtur affirmare fuiſſe juſtum, ideoque non ab ipſo inductam hæreſim, ſed religioſam ejus Sectam fuiſſe à Doſitheo depravatam, ac ſeductam in errores. Utique in errores Samaritanos, negantes omnem creatum ſpiritum, ideoque & affirmantes plenum totius hominis interitum citra ſpem reſurrectionis. Scelerati dogmatis fontem edicit Sanctus Epiphanius: *Samaritani à Judæis ea re primùm differunt, quòd eis Prophetarum Scripta ſecundùm Moyſem minimè ſint tradita, ſed quinque dumtaxat volumina, quæ per Moyſen Iſraelitarum generi data ſunt, cùm ex Ægypto diſceſſiſſent. Quibus in libris quædam mortuorum reſurrectionis veſtigia ſunt adſperſa, ita tamen ut nequaquam perſpicuè prædicetur.* Hinc Samaritani in priori ſuo gentili circa corporum & animarum interitum abnegatione pertinaces permanſerunt. Ipſam Doſitheus poſſit traduxiſſe in Saducæos. Alii tamen iſtum Sadoc cenſent fuiſſe ex aſſeclis & congerronibus ſcelerati Manaſſis, qui per ſocerum ſuum Sanaballat à Magno Alexandro impetravit ſchiſmaticum templum in Monte Garizim, & ſchiſmaticum illius Pontificatum.

Notanda ſunt Sancti Epiphanii de Saducæis verba: *Spiritum Sanctum ignorant.* Videntur aſſerere, quòd non cunctos creatos ſpiritus, ſed Creatorem dumtaxat Spiritum Sanctum ignoraverint. Et hunc ſenſum firmare videntur hæc ejuſdem Epiphanii verba de Moyſis Pentateucho: *Ad hæc de unico Dei filio injecta mentio eſt.* Hær. 9. *Itemque Spiritus Sancti. Tametſi clariùs in his Dei* Cap. 2. *ſingularitas adſtruatur.* Et ita quidam eruditi hodiè Scriptores exiſtimant. Verùm illis præferendus eſt Sanctus Hieronymus, cujus jam audivimus teſtimonia. Et ipſa confirmat Joſephus Judæus, quem noſter Septimius in apologetico libro appellat: *Judaicarum antiquitatum vernaculum* Cap. 19. *vindicem:* Et qui harum Sectarum fuit oculatus convictor & inſpector. Scribit in decimo octavo Antiquitatum libro: *Saducæorum opinio cum corpore ſimul extinguit & animas.* Quòd nempè Cap. 2. eas credat corporeas. Alia ipſorum peſſima dog- Cap. 7. mata exponit in ſecundo libro de bello Judaico. Conſtanter affirmat fuiſſe dumtaxat tres Judæorum hæreſes: Saducæos, Phariſæos, ac Eſſenos. Nec ideò nnbis contrariatur. Per hære- Cap. 7. ſim intelligit quamcumque ſingularem vitæ formam. Et Eſſenos de nullo errore notat, ſed commendat à magnis virtutibus. Sunt iidem cum laudatis à Sancto Jeremia Propheta Rechabitis. Erant Judæorum Religioſi ſeu Philoſophi. Eoſdem laudat Philo Judæus. Et horum plures fuiſſe tunc ſanctiſſimos Chriſtianos affirmat in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſareenſis. Porrò de Saducæis dicit & Sanctus Lucas in Actis: *Saducæi dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Ange-* Cap. 23. *lum, neque ſpiritum.* Penitùs nullum. Ita etiam Cap. 22. intelligit in Sancti Matthæi commentario Sanctus Hieronymus. Horum omnium plena diſquiſitio fieri non poſſit paucis verbis. Interim vide eruditum Nicolai Serarii opuſculum de tribus Judæorum hæreſibus, ac ejus Auctuarium adversùs Joſephum Scaligerum ac Joannem Druſium. An Sanctus Paulus in priori ad Corinthios epiſtola noſtram reſurrectionem defendat adversùm Saducæos, eſt quæſtio. Certè non videtur. Eam defendit adversùm natas è Simone Mago hæreſes: Etenim ille Samaritanus ſentiebat cum Samaritanis. Attamen poſt aſſumptum Chriſtiani nominis ſucum videtur non totius hominis, ſed ſolius corporis reſurrectionem abnegaſſe. Certè ita ſenſerunt, ſi unum Lucanum demas, quotquot Errones ex ipſo prodierunt. Hos inter omninò ſunt Mareion, Apelles, ac Valentinus. Et hinc de ipſis, quòd Saducæi erroris partem uſurpent, rectè ſcribit Septimius.

Ebionis hæreſis eſt.

Hæreſeos, quæ poſtmodò turbavit & Galatas, Cap. 15. exordia edicit Sanctus Lucas in Actis: *Et quidam deſcendentes de Judæa, docebant fratres, Quia niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. Facta ergò ſeditione non minima Paulo & Barnabę adversùs illos, ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos & Presbyteros in Jeruſalem, ſuper hac quęſtione.* Utraque pars acceſſit Apoſtolos, præſertim Sanctum Petrum, qui tunc à Claudii Imperatoris Edicto ejectus ex Italia redierat Hieroſolymam. Acceſſit omnem quæſtionem relaturæ. Et hinc vides Canonem, qui omnes de fide quæſtiones mandat referri Romam, ideoque & reſervat Sedi Apoſtolicæ, eſſe veraciter Apoſtolicum. Sanctus Lucas pergit: *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſęorum, qui crediderant, dicentes, Quia oportet circumcidi eos, pręcipere quoque ſervare legem Moyſi.* Sanctus Epiphanius affirmat erroris auctorem & principem fuiſſe, non Ebionem, ſed Cerinthum. Enumerat ejus facinora. Primò, quòd Sanctum Petrum Apoſtolum, Cæſaræa à Cornelii Centurionis Baptiſmo redeuntem, procaciter invaſerit: Cap. 11. *Quare introiſti ad viros pręputium habentes, & manducaſti cum illis?* Secundò, quòd Sanctum Paulum ſit conatus circumſcribere ad circumcidendum Titum. Tertiò, quòd in Hieroſolymitano Judæorum tumultu adversùs eundem Paulum exclamaverit: *Inſuper & gentiles induxit in templum.* Cap. 21. Quartò, quòd propter & adversùs ejus hæreſim fuerit coacta Apoſtolorum de Legalium neceſſitate Synodus, & quod in ipſum dirigantur hæc Synodalium litterarum verba: *Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras, quibus non mandavimus.* Hæc verba edicunt Cerinthum nec Epiſcopum fuiſse, nec Doctorem, ſed iviſse à ſemetipſo, & à ſemetipſo prædicaſse. Et Epiphanius adjungit: *Quod quidem à Cerintho factum eſt, antequam ſuum in Aſia dogma prędicaret, & ſe in exitii ſui gurgitem profundiùs immitteret.* Lib. 1. cap. 25. Quòd enim præſertim in Aſia prædicaverit ſuos ſceleratos errores, affirmat etiam Sanctus Irenæus. Proindè per Apoſtolicam Synodum damnatus atque confuſus, ex Judæa fugit in Aſiam, & iſtic cœpit palàm ac feraliter delirare. Haud dubiè etiam excurrerit in Galatiam, atque ita ibidem turbaverit Sancti Pauli diſcipulos. Hunc enim præcipuè oderat. Et ipſe poſſit eſse ratio, cur in ſua ad Galatas epiſtola idem Paulus ſcribat ſe jam olim non potuiſse circumſcribi ad Titi circumciſionem. Quòd Ebion fuerit Cerinthi dumtaxat diſcipulus, ideoque nec primus author hujus erroris, palàm affirmat Sanctus Irenæus. Erroris fundamentum exponit in Philocalia Origenes: Cap. 1. *Servator prędicat*, Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael. *Non hęc accipimus ut mentis inopes Ebionęi, qui ab inopia conſilii nomen ſuum ducunt, Ebion enim pauper Hebræis appellatur, ut exiſtimemus corporeorum Iſraelitarum cauſa potiſſimùm Chriſtum adveniſſe.* Cerinthus ac Ebion garriverunt Chriſtum Dominum adveniſse pro ſolis carnalibus Judæis, ideoque neminem gentilem, niſi per Proſelyti & circumciſionis viam, eſse capacem Evangelii. Et hunc errorem reſpicit ac damnat in prima ſua epiſtola Sanctus Joannes Apoſtolus: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Et non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Cap. 2. Quod ipſum in epiſtola ad Romanos amplè docet Sanctus Paulus. Et poſſit etiam hunc errorem reſpexiſse: Forſitan & Romæ natum ex Cerintho.

Nuptiarum quoque interdictores ſuggillat.

Simoni Mago in peſtilentiæ Cathedram ſucceſſit Menander: hunc audiverunt Baſilides Alexandrinus ac Saturninus Antiochenus, & de hoc poſteriori ſcribit in primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus: Cap. 3. *Saturninus nuptias primus omnium appellavit Diaboli doctrinam. Jubet autem & ab animatis abſtinere.* Lib. 1. cap. 22. Conſonat Sanctus Irenæus: *Nubere autem & generare à Sathana dicunt eſſe.* Agit de Saturnini Sectatoribus, ac pergit: *Multi autem ex iis qui ſunt ab eo, & ab animalibus abſtinent, per fictam hujuſmodi continentiam ſeducentes multos.* Affirmat Gnoſticos fuiſſe ſuperbiſſimos, omnes voluiſſe eſſe Magiſtros, nullum ſuſtinuiſſe alteri cedere, ideoque ipſis fuiſſe tot factionum monſtroſiſſima fruſta, quot erant hominum capita, atque proſequitur: Cap. 30. *Ut exempli gratia dicamus à Saturnino & Marcione, qui vocantur Continentes, abſtinentiam à nuptiis annuntiaverunt, fruſtrantes antiquam plaſmationem Dei, & obliquè accuſantes eum, qui & maſculum & fœminam ad generationem hominum fecit. Et eorum, quæ dicuntur apud nos animalia, abſtinentiam induxerunt, ingrati exiſtentes ei, qui omnia fecit, Deo.* Agit in Sancti Juſtini Martyris diſcipulum apoſtaticum Tatianum, qui ſui Sectatores appellavit Encratitas & Continentes, & palàm affirmat primum iſtius erroris fontem fuiſſe Saturninum. Hær. 23. cap. 2. Conſonat Sanctus Epiphanius: *Uxores ducere, & liberos gignere, à Sathana eſſe circulator Saturninus pronuntiat. Quamobrem plerique ex horum diſcipulis animatis omnibus abſtinent, & affectato illo ſanctioris vitæ genere nonnullos in ſuum errorem polliciunt.* Saturninus docuit unum ſupremum Principium: at quod creaverit ſolos Angelos. Corporeum mundum garrivit productum à ſeptem Angelis: & quidem præter ſupremi Patris conſcientiam. Ideò illos defeciſſe & erraſſe. Et ipſorum Primatem eſſe Deum Judæorum. Hinc ejus opera, nuptias præſertim & animalia, duxit ſpernenda & damnanda. Porrò de Saturnini condiſcipulo Baſilide ſcribit in Agrippæ Caſtoris, Eccleſiaſtici Scriptoris ac illuſtris viri, elogio

San-

Sanctus Hieronymus: *Mortuus eſt Baſilides, à quo Gnoſtici, in Alexandria temporibus Adriani.* At verò Adrianus centeſimo vigeſimo Chriſti Domini anno accepit Imperium, atque ita prior Sancti Pauli ad Timotheum epiſtola, quinquageſimo ſeptimo ejuſdem Domini anno ſcripta, nequiit invadere Saturninum. Saturninus tunc non poteſt floruiſſe & docuiſſe. Eſt noſter apoſtata, ideoque deliraſſe non poſſit, niſi circa mediam ſui ætatem. Proindè notanda ſunt San-
Cap. 5. cti Pauli verba: *Spiritus manifeſtè dicit.* Utique ſpiritus, quem laudat etiam in prima ad Theſſalonicenſes epiſtola: *Spiritum nolite exſtinguere. Prophetias nolite ſpernere. Omnia probate. Quod*
Cap. 2. *bonum eſt tenete.* Et in ſecunda epiſtola: *Non citò moveamini, neque terreamini. Neque per ſermonem, neque per ſpiritum, neque per epiſtolam tam-*
Cap. 8. *quam per nos miſſam.* Et in epiſtola ad Romanos: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus. Quia ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis.* Et in
Cap. 12. prima ad Corinthios epiſtola: *Nemo in ſpiritu Dei*
cap. 4. *loquens dicit anathema* JESU. Et Sanctus Joannes Apoſtolus in prima epiſtola: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Omnis ſpiritus qui confitetur* JESUM *Chriſtum in carne veniſſe ex Deo eſt; Et omnis ſpiritus, qui ſolvit* JESUM, *ex Deo non eſt. Et hic eſt Anti Chriſtus.* In Evangelio: *Spiritus nondum erat datus, quia* JESUS *nondum erat glorificatus.* Et in novi Teſtamenti litteris frequenter memoratur atque laudatur iſte ſpiritus. Non eſt Spiritus Sanctus, ſed aut ejus donum, aut iſtius doni fucus & affectatio. Eſt primitivæ Eccleſiæ Chariſma, quod in laudata ad Corinthios epiſtola Sanctus Paulus appellat Spiritus Sancti manifeſtationem ad utilitatem. Eſt gratia gratis data. Nempè donum linguarum, Interpretatio ſermonum, prophetia, ſermo ſcientiæ, ſermo ſapientiæ, & alia id genus. Erat & donum ſeu chariſma orationis. Quid nobis in hoc ſæculo conducat, ideoque à Domino Deo poſtulandum ſit, ignoramus. Ignoravit & ipſe Paulus. Hinc dum colaphizantem Sathanam oravit ſibi auferri non fuit exauditus. In primitivæ Eccleſiæ Synaxibus iſtud donum quandoque uni, quandoque pluribus infundebatur. Et de ipſo dicit Apoſtolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Infirmitatem totius Eccleſiaſtici conventus. *Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Secundùm Deum poſtulat pro Sanctis.* Et quidam hoc aut iſtud donum ſibi adeſſe mentiebantur. Et propter hos quidam omne chariſma habebant ſuſpectum, immò & ſpernebant. Hinc & S. Paulus & S. Joannes juſſerunt Spiritum non exſtingui, ſed probari, & bonum retineri. Et ad hoc juvabat aliud chariſma: Donum diſcretionis Spirituum. Et iſtud non habentibus Apoſtoli fixerunt alias diſcernendi regulas. Laudatus ad Timotheum locus laudat chariſma prophetiæ. Ob graſſantes ex tunc hæreſes dejectum & ceſpitantem Timothei animum ſolatur, erigit, roborat. Affirmat hæc eſſe malorum dumtaxat exordia. Exorituras adeò fœdas hæreſes, quæ etiam Domini Dei opera damnent, ipſos etiam ab illo datos cibos, ac ab ipſo inſtitutas & benedictas nuptias. Quod ipſum facit in ſecunda ad eundem diſcipulum epiſtola, addens noviſſimorum dierum tempora fore ex hinc periculoſa. Iſtud ipſum inculcavit Tito. In Miletina apud Epheſum Synodo etiam cunctis Aſiæ Epiſcopis. Aſſeverat eis eſſe opùs magnis animis, qui valeant iſtiuſmodi bella gerere, arguere contradicentes, confundere, & ſuperare. Iſtiuſmodi vires exquiſivit in omni Epiſcopo. Et adjungit: *Spiritus manifeſtè dicit.* Hoc eſt, authenticum & certum prophetiæ chariſma. Et iterùm: *Hoc autem ſcito.* Proindè tunc non natas damnat hæreſes, ſed naſcituras. Et ipſarum primus author, qui forſan tunc fuerit natus, fuit Saturninus. Et ipſum ſecuti ſunt Marcion & Apelles. Horum dogmata ſuperiùs expoſui.

Qui dicerent jam factam reſurrectionem, &c.

Hoc garriverunt Hymenæus & Philetus, de quibus Apoſtolus in ſecunda ad Timotheum epi- Cap. 2.
ſtola: *A veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam.* Exponit in iſtius loci commentario Theodoretus: *Succeſſiones, quæ per liberorum procreationem fiunt, infelices reſurrectionem appellaverunt.* Aliter Sanctus Primaſius: *Reſurrectionem ponunt in filiis, ſive in anima, cum à vitiis reſurgit.* Noſtram juſtificationem dixerunt eſſe noſtram reſurrectionem. Hoc poſtremum Hymenæus & Philetus videntur omninò ſenſiſſe. Et juſtificatio eſt omninò reſurrectio. Ita ipſam appellant non ſolummodo Prophetæ & Apoſtoli, ſed & ipſe in Evangelio Dominus. Verùm eſt prima, non ſecunda reſurrectio. Hujus negatio fuit iſtorum hæreſis. Quare Sanctus Joannes Apoſtolus, quæcumque in ſua Apocalypſi ſcribit de duplici reſurrectione, videtur in ipſos ſcribere. Etenim non ſine cauſa utriuſque reſurrectionis diſcrimen adeò inſtanter inculcat. Et iſta omninò fuit etiam ſententia Valentinianorum, de quibus in libro de reſurrectione noſter Septimius: *Nacti quidam ſolemniſſimam eloquii Pro-* Cap. 19.
phetici formam, allegorici & figurati plerumque, non tamen ſemper, reſurrectionem quoque mortuorum, manifeſtè annuntiatam, in imaginariam ſignificationem detorquent, aſſeverantes ipſam etiam mortem ſpiritaliter intelligendam. Non enim hanc eſſe in vero, quæ ſit in medio, diſcidium carnis atque animæ, ſed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo, non minùs in errore jacuerit, quàm in ſepulchro. Itaque & reſurrectionem eam vindicandam, qua quis habita veritate redanimatus & revivificatus Deo, ignorantiæ morte diſcuſſa, velut de ſepulchro veteris hominis eruperit. Quia & Dominus Scribas ac Phariſæos ſepulchris dealbatis adæquaverit. Exindè ergò reſurrectionem fide conſecutos

cum

cum Domino eſſe, cùm eum in Baptiſmate induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis ſæpè Noſtros decipere conſueverunt, quaſi & ipſi reſurrectionem carnis admittant. Væ, inquiunt, qui non in hac carne reſurrexerit. Ne ſtatim illos percutiant, ſi reſurrectionem ſtatim abnuerint. Tacitè autem ſecundùm conſcientiam ſuam hoc ſentiunt: Væ qui non, dum in hac carne eſt, cognoverit Arcana hæretica. Hoc eſt apud illos reſurrectio. Sed & plerique ab exceſſu animæ reſurrectionem vindicantes, de ſepulchro exire, de ſæculo evadere interpretantur: Quia & ſæculum mortuorum ſit habitaculum, id eſt, ignorantium Deum. Vel etiam de ipſo corpore: Quia & corpus vice ſepulchri concluſam animam in ſæcularis vitæ morte detineat. Valentiniani igitur omnes, ac plures item Gnoſtici, noſtram reſurrectionem dixerunt eſſe noſtram juſtificationem, ſeu adeptionem Divinæ cognitionis. Hæc enim apud ipſos fuit noſtra juſtificatio. Hinc omnes dixerunt reſurrectionem aut eſſe jam factam, aut certè in hac vita fieri. Nempè in Baptiſmo, aut in vitæ exitu. Hoc enim in exitu cenſuerunt animam intrare in Pleroma, adeoque in plenam Dei notitiam. Quod iſta ſcelerata factio fuerit Cadmæa fraternitas, eſt jam ſæpiùs dictum.

Menander fuit immediatus Simonis Magi diſcipulus, adeoque omninò docuit & blateravit ſub Apoſtolis. Etiam dixit reſurrectionem jam eſſe factam. Aſt alio modo. Hunc exponit San-
Lib. 1. cap. 23. ctus Irenæus: *Simonis Succeſſor fuit Menander, Samarites genere, qui & ipſe ad ſummum Magiæ pervenit. Dixit reſurrectionem per id, quod eſt in eum Baptiſma, accipere ejus diſcipulos, & ultra non poſſe mori, ſed perſeverare non ſeneſcentes, & immortales.* Exponit in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſe-
Lib. 3. cap. 20. bius: *Menander docuit eos, qui ſuo Baptiſmo dignati eſſent, perpetuam in hac vita immortalitatem adepturos, & non ampliùs ſubituros mortem, ſed eodem in loco in æternum commorantes, nulli ſenio ac nulli interneciont aliquando obnoxios fore.* Et in
Cap. 50. libro de anima noſter Septimius: *Hæretici Menandri Samaritani furor conſpuatur, dicentis mortem ad ſuos non modò non pertinere, verùm nec pervenire. In hoc ſcilicet ſe à ſuprema & arcana Poteſtate Legatum, ut immortales & incorruptibiles, & ſtatim reſurrectionis compotes fiant, qui Baptiſma ejus induerint.* Mirificos hinc indè fontes & alias aquas enumerat, atque pergit: *Quod hoc Menandri balneum? Magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo pauciſſimi lavant? Suſpectam enim faciam tantam raritatem ſecuriſſimi atque tutiſſimi Sacramenti, apud quod nec pro Deo ipſo mori licet, cùm contra omnes nunc nationes adſcendant ad montem Domini, & in ædem Dei Jacob, mortem per martyrium quoque flagitantes, quam de Chriſto etiam ſuo exegit.* Hominem rectè arguit, quod Martyria exſufflaret. Hæc enim non cadunt in immortales. Eundem rectè notat, quòd contra palmarem Evangelii ſcopum pauciſſimos admitteret ad ſuam Sectam. Et certè quis firmæ mentis crediddiſſet iſtiuſmodi fabulas? Nugivendum hominem variè ridet, & concludit: *Ubi ſunt illi, quos Menander ipſe perfudit? Apoſtoli perennes veniant, adſiſtant: Videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, atque credat.* Exiſtimo Hymenæi & Phileti de ſolius animæ per juſtitiam reſurrectione fabulam diſplicuiſſe Menandro, ideoque iſtam aliam fuiſſe confictam. Forſitan & Chriſti Domini, qui in extremo dumtaxat die reſurrectionem corporis ſpopondit, promiſſiones voluerit excedere.

Cum genealogias indeterminatas nominat, &c.

Locus Apoſtoli eſt in prima ad Timotheum
epiſtola: *Neque intenderent fabulis, & genealo-* Cap. 1.
giis indeterminatis, quæ quæſtiones magis præſtant,
quàm ædificationem. Et iterùm: *Ineptas & aniles* Cap. 4.
fabulas devita. Neſcio quis fœdus legis ac Prophetarum Adverſarius per iſtas genealogias ac fabulas intellexit Legales ac Propheticas litteras, atque ita garrivit ipſas ab Apoſtolo damnari. Verùm in ipſis licèt genealogiæ contineantur, abſit ut ſint fabulæ. Et iſtas genealogias Apoſtoli ac Evangeliſtæ omninò commendant uti Chriſtiano dogmati pernecesſarias. Et meritò. Hinc Sanctus Auguſtinus in ſecundo contra iſtum Adverſarium libro Apoſtolum longè aliter exponit:
Adverſarius neſcit Judæos præter Scripturas legiti- Cap. 1.
mas & Propheticas habere quaſdam traditiones ſuas, quas non ſcriptas habent, ſed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam Deuteroſim vocant. Ubi etiam dicere audent & credere Deum primo homini duas creaſſe mulieres, ex quibus texunt genealogias, verè, ſicut ait Apoſtolus, Infinitas, parientes infructuoſiſſimas quæſtiones. Iſtiuſmodi liber fuit per Sanctum Epipha-
nium memorata parva Geneſis, habens nomina Hær. 39. cap. 6.
filiorum & filiarum Adæ, & ipſorum matrimonia. Plura figmenta. Apoſtoli locum aliter ac eleganter exponit in ſuæ Eccleſiæ Annalibus Eutychius Patriarcha Alexandrinus. *Herodem*, cui Auguſtus Imperator Regium Diadema impoſuerat, *noluerunt Judæi in ſe regnare. Ille verò tyrannidem in ipſos exercens, multos eorum morte affecit. Dirutis etiam propugnaculo ac templo, libros Judæorum, quos ipſis reſtituerat Eſdras, de Tribuum genealogiis, ipſorumque proſapia, ablatos omnes combuſſit, ne quis ex ipſis, cujuſnam eſſet Tribus, aut quo patre ſatus, dignoſceret. Omnia etiam Sacerdotii inſtrumenta ablata vendidit, veſteſque Sacerdotum annulo ſignavit.* Fecit id, ut ex iſta Tribuum confuſione nemo poſſet oſtendere ſe eſſe ex tribu Juda, atque ita adſpirare ad Regnum. Nec item ad ſummum Pontificatum. Hinc inter Judæos natum eſt magnum Genealogiæ ſtudium, inutile, & obnoxium multis ac inextricabilibus quæſtionibus. Hoc exſufflat & circumſcribit Apoſtolus. Quare noſter Septimius, dum hoc ejus teſtimonium ad Valentinianas Æonum ſeu ſæculorum generationes extendit, eſt ipſo patenter abuſus. Iſtas generationes blaſphemas ac fabuloſas, amplè exponunt Septi-

mius in libro contra Valentinianos, Sanctus Irenæus, Sanctus Epiphanius, ac Theodoretus.

Cum improbat elementis ſervientes, &c.

Philoſophiam, quam in epiſtola ad Coloſſenſes Sanctus Paulus Apoſtolus appellat ſecundùm elementa hujus mundi, ideoque damnat & fugiendam jubet, Sanctus Clemens Alexandrinus in ſexto Stromatum libro cenſet eſſe omnem, licèt purgatiſſimam gentilem ſeu humanam Phi-
Fol. 645. loſophiam: *Nam Paulus quoque in epiſtolis non videtur reprehendere Philoſophiam, ſed eum qui eſt particeps altitudinis cognitionis, non vult ampliùs recurrere ad Græcam Philoſophiam, eam allegoricè vocans mundi elementa, ut quæ elementa quodammodo doceat, & ſit veluti diſciplina præcedens veritatem.* Gentilem Philoſophiam affirmat eſſe Chriſtianæ ſapientiæ elementa ad eum modum, quo iſtud de legalibus etiam Sacramentis Sanctus Paulus ſcripſit ad Hebræos. Humanam Philoſophiam affirmat eſſe à Domino Deo datum gentilibus teſtamentum, addit ipſi per Epicurum ac alios iſtiuſmodi Errones, uti Evangelio per hæreticos, eſſe ſuperſeminata zi-
Fol. 648. zania, & proſequitur: *Quamobrem ſingularis hæc Philoſophia quodammodo tradit elementa ejus, quæ verè perfecta eſt, ſcientiæ, quæ verſatur circa ea, quæ percipiuntur intelligentia, & his adhuc magis ſpiritalia, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non adſcenderant.* Et iterùm: *Apoſtolus dicens*, Secundùm elementa hujus mundi, & non ſecundùm Chriſtum, *tradit doctrinam quidem Græcam eſſe inſtar elementorum, Chriſti autem doctrinam eſſe perfectam, ſicut jam priùs ſignificavimus.* Ex Philoſopho Clemens venit ad Chriſtum. Et Philoſophia ad iſtam perfectionem fuit ipſi adjumentum. Hinc ejus Advocatum ſemper egit, & adversùs quorumdam præjudicia conſtanter defendit. Nempè Philoſophiam puram à paganis fabulis. Et rectè fecit. Attamen ab Apoſtolicæ ad Coloſſenſes epiſtolæ littera declinavit. Ejus verum ſenſum ſuprà expoſuit. Et per ipſum Apoſtolus omninò prædamnavit etiam Hermogenem, *qui materiam non natam introducens, Deo non tantum comparat, & ita matrem elementorum Deum fa-*
Lib. 8. cap. 5 *ciens, poteſt ei ſervire, quam Deo comparat.* Hæc Septimii verba, parumper tamen immutata, Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis tranſtulit in ſuos libros originum.

In Apocalypſi.

Verbum, Apocalypſios, id eſt revelationis, inquit in Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ procemio Sanctus Hieronymus, *propriè Scripturarum eſt, & à nullo Sapientum ſæculi apud Græcos uſurpatum. Unde mihi videtur, quemadmodum in aliis verbis, quæ de Hebræo in Græcum ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt, ita & in hoc magnoperè eſſe conatos, ut proprietate peregrini ſermonis exprimerent, nova novis rebus verba fingentes, cum quid tectum & velatum, ablato deſuper operimento, oſtenditur, & profertur in lucem.* Vocem ergò iſtam à laudatis Interpretibus Sanctus Joannes Apoſtolus accepit. Porrò Apocalypſios librum à quibuſdam fuiſſe tamquam non Joannis aut ullius Apoſtoli vel Apoſtolici, ſed carnalis hæretici Cerinthi opus, damnatum teſtatur in Eccleſiaſtica Euſe- Lib. 7. cap. 18.
bii Cæſareenſis hiſtoria Sanctus Dionyſius Patriarcha Alexandrinus. Etenim Apocalypſis laudat feliciter à juſtis in mundi fine agendos mille annos, quos certum eſt non eſſe Apoſtolicum dogma, ſed fabulam Cerinthianam. Ejuſdem opinionis meminit Sanctus Philaſtrius, addens eſſe hæreſim proſcriptam ab Eccleſia. Eſſe librum apocryphum, palàm aſſerit in ſermone de ſua Epiſcopali conſecratione Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus. Extraneum à canone, & ſecundo dumtaxat loco habendum affirmat in quarta Catecheſi, aut potiùs in adducto iſtic Eccleſiæ ſuæ Canone, Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymorum. Et legitimarum Scripturarum, quem verſu jambico ſcripſit ad Seleucum Sanctus Amphilochius Iconienſis Epiſcopus, Canon affirmat Joannis Apocalypſim admitti à quibuſdam, ſed à longè pluribus dici adulterinam. Et adjungit: *Hic eſt veriſſimus datarum Divinitùs Scripturarum Canon.* Idem ſentiunt Canon Sancti Gregorii Nazianzeni, Synodus Laodicenſis, & Apoſtolicæ Conſtitutiones ſub nomine Romani Clementis. Quin & Canon, quem ab Apoſtolis ſtatutum affirmat Sanctus Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis.

Verùm longè aliter laudatus Patriarcha Dionyſius: *Ego librum iſtum nullo modo audeo abrogare, præſertim cùm adeò multi fratres eum tam magni æſtiment, ſed hanc mecum de ipſo opinionem concipio, longè abſtruſiorem eſſe in illo materiam, quàm mens mea facilè conſequi queat, & ſingulis propè ſententiis ſenſum quemdam myſteriis involutum, & valdè admirabilem delitescere planè exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quemdam reconditiorem verbis ipſis incluſum, atque iſtas res non propria ratione metior ac pondero, ſed fidei potiùs tribuo, & altiores ac Diviniores profectò arbitror, quam quos ipſe ullo pacto valeam cogitatione comprehendere. Atque eas non improbo, quas non intelligo, ſed ideò potiùs admiror, quod mentis acie luſtrare non queo.* Tanti Doctoris & Patriarchæ humilitatem imitari ad minimum debuerat Martinus Lutherus, & authenticum librum non ita facilè extra Canonem proſcribere. Ipſum non Joannis Apoſtoli eſſe exiſtimat laudatus Patriarcha, ſed Joannis Presbyteri, quem è ſeptuaginta diſcipulis unum Epheſi ſimul cum Apoſtolo habitaſſe, ibidemque eſſe defunctum ac ſepultum teſtatur antiquus Papias. Perſuadetur à tribus rationibus. Primò, quod Apocaly-

calypſis & Sancti Joannis Evangelium ſint diverſi ſtyli, qui eſt quaſi diſtinctiva Scriptoris facies. Secundò, quod Apocalypſios author ſuum nomen frequenter laudet. Eſt res aliena à Sancto Joanne, qui iſtud nec in ſuæ epiſtolæ titulo poſuit. Tertiò, quod iſte proprii nomlnis memorator nullibi ſe dicat Apoſtolum, haud dubiè dicturus, niſi veritas obſtitiſſet.

Ejuſdem opinionis fuit Euſebius Cæſareenſis, ajens Canonicam iſtius libri authoritatem eſſe controverſam apud Eccleſias, & utrique contradi-
Lib. 3 cap. 18. 19 & 33. ctionis parti eſſe potentes patronos. Negantem partem fortiter poſtmodum adjuvit Apollinarius Hæreſiarcha, mille carnalis vitæ felices annos ex libro iſto confirmans. Hinc enim Cyrillus Hieroſolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius, ac alii Apollinariſticæ impietatis adverſarii Patres in illum fuerunt duriores. Quod Sancti Gregorii Magni temporibus necdum fuerit firmatus in Canone, liquet ex decimo ſeptimo capitulo quartæ Synodi Toletanæ: *Apocalypſim librum multorum Conciliorum authoritas & Synodica Sanctorum Præſulum Romanorum Decreta Joannis Evangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter Divinos libros recipiendum conſtituerunt. Et quia plurimi ſunt, qui ejus authoritatem non recipiunt, eumque in Eccleſia Dei prædicare contemnunt, ſi quis eum deinceps aut non receperit, aut à Paſcha uſque ad Pentecoſten Miſſarum tempore in Eccleſia non prædicaverit, excommunicationis ſententiam habebit.* Eum Canoni Synodus non inſerit, ſed Romanæ Eccleſiæ, & variarum Synodorum, à quibus jam pridem fuerat inſertus, judicium vult apud omnes eſſe deinceps ſacroſanctum. Ipſum in ſuo Canone ſempe. habuit Romana Eccleſia.

Et ejus judicium fuit nixum firmiſſimis authoris. Etenim hoc in loco Septimius noſter palàm aſſerit librum eſſe Canonicum, & Sancti Joannis Evangeliſtæ opus, non minùs quàm primam epiſtolam de cujus authore & authoritate nullus unquam in Eccleſia dubitavit. Quod ipſum in-
Cap. 1. 7. 9. ſtùs repetit, item in libro de fuga in perſecutione, libro Scorpiaco adverſùm Gnoſticos, libro ad-
Cap. 12. verſùs Praxeam, libro de pudicitia, & in libro
Cap. 17. de anima, addens ſcriptum in Inſula Pathmo,
Cap. 19 Cap. 89. quo poſt Divinam ex igneo oleo liberationem
Cap. 5. fuit à Domitiano Imperatore deportatus. Et in quartò adverſùs Marcionem libro: *Etſi Apocalypſim Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Joannem ſtabit authorem.* Eam dicit admitti ab omnibus Apoſtolicis Eccleſiis, immò *ab univerſis, quæ illis de ſocietate Sacramenti confœderantur.* Et in tertio ejuſdem operis libro Marcionem graviter arguit, quòd Sanctum Joannem Apoſtolum, & ſpeciatim hunc ejus librum non agnoſceret. Doctoris noſtri authoritatem ſequitur & extollit in virorum illuſtrium catalogo, ac alibi frequenter Sanctus Hieronymus, & ex Euſebio Cæſaræenſi adjungit: *Quam, Apocalypſim, interpretantur, Juſtinus Martyr, & Irenæus.* Uterque Commentarius latet aut periit. Niſi fortè per Irenæi commentarium intel-

ligamus ejus quintum contra hæreſes librum, in quo varia Apocalypſios capita elucidantur. Et Sancti Melitonis, doctiſſimi & vetuſtiſſimi Sardentium Epiſcopi, librum de Apocalypſi Joannis, utique apologeticum, contra illius de Cerinthiana carnalitate calumniatores, laudat in Eccleſiaſtica hiſtoria præfatus Euſebius, & adjungit de magno & antiquo Scriptore Apollonio: Lib. 5. cap. 17.
Utitur teſtimoniis ex Apocalypſi Joannis deſumptis. Lib. 6.
Apud eundem loquitur Origenes de Joanne Apo- cap. 19.
ſtolo: *Scripſit Apocalypſim.*

Olim variæ Eccleſiæ habuerunt varium ſacrarum Litterarum Canonem. Præcipui & antiquiſſimi fuerunt Canon Eccleſiæ Romanæ, laudatus per Innocentium primum Pontificem in litteris ad Sanctum Exuperium Epiſcopum Tholoſanum, & per Romanam Sancti Gelaſii primi Synodum; Canon Eccleſiæ Africanæ, productus per tertiam Carthaginenſem Synodum, & ab Eccleſia Romana probatus; Eccleſiæ Ægyptiacæ Canon productus à Sancto Athanaſio in trigeſima nona epiſtola feſtivali; Canon Aquilejenſis Eccleſiæ, productus à Ruffino Presbytero in expoſitione Symboli Apoſtolici. Hi omnes palàm affirmant Apocalypſim eſſe Sancti Joannis, & Divinæ authoritatis. Ejuſdem libri auctoritate, uti Canonica, frequenter utuntur etiam Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, ac Sanctus Proſper. Sanctus Ambroſius ac Sanctus Primaſius Uticenſis Epiſcopus ipſum amplis commentariis illuſtrarunt.

Quæ omnia firmantur & aliis authenticis teſti-
moniis. Teſtimonio Sancti Irenæi: *Pleniſſimè* Lib. 1. cap. 27.
per Joannis Apocalypſim manifeſtantur, qui ſint, nullam differentiam eſſe docentes in mœchando, & Idolothytum edere. Quapropter dixit & de iis Sermo: Sed hoc habes, quod odiſti opera Nicolaitarum, quæ & ego odi. Laudat ipſum hic à Septimio laudatum locum. Eundem librum laudat in
quarto ſuo libro, & adjungit: *Joannes Diſcipu-* Cap. 50.
lus Domini vidit in Apocalypſi. Et in quinto libro
iſtud ipſum repetit, atque adjungit: *Neque enim* Cap. 30.
ante multum temporis viſum eſt, ſed penè ſub noſtro ſæculo, ad finem Domitiani Imperii. Et in ſexto Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandri-
nus: *Dicit Joannes in Apocalypſi.* Ejuſdem teſti- Fol. 667.
moniis frequentiſſimè utitur Sanctus Cyprianus. Etiam Sanctus Athanaſius. Et inſuper in ſacrarum Litterarum Synopſi ſcribit: *Eſt præterea & Apocalypſis Joannis Theologi, à Priſcis ſanctis, & Spiritu Dei impletis Patribus, velut quæ illius ſit, accepta & approbata.* Ejuſdem libri finis disertè affirmat ipſam eſſe Sancti Joannis Evangeliſtæ. Et ſcriptam in Pathmo. Ex quo lucet ipſam ſemper fuiſſe in Canone Ægyptiacæ Diœceſeos. Athanaſius enim ſecutus eſt veſtigia Alexandrini Clementis, Sancti Patriarchæ Dionyſii, atque Origenis, Apocalypſim laudantis etiam in Philocalia, ac in aliis locis. Et in ſexto libro de adoratione in ſpiritu & veritate Sanctus ejuſdem
Diœceſis Patriarcha Cyrillus ſcribit: *Joannes il-* Cap. 1. a. Fol. 188.
le ſapiens Apocalypſis libellum conſcripſit, qui Patrum judicio comprobatus eſt. Et in novi Teſta-

menti hiſtoria ſcribit Sanctus Sulpitius Severus: *Domitianus perſecutus eſt Chriſtianos. Quo tempore Apoſtolum atque Evangeliſtam in Pathmum Inſulam relegavit: Ubi ille arcanis ſibi myſteriis revelatis, librum ſacræ Apocalypſis, qui quidem à pleriſque aut ſtultè aut impiè non recipitur, conſcriptum edidit.* Ex quo lucet Gallicanam Eccleſiam de ejus authoritate numquam dubitaſſe. Sunt & alia teſtimonia. Et ex ipſis Romana Eccleſia dixit anathema cunctis librum iſtum non recipientibus. Et hoc nuper confirmavit Synodus Tridentina.

Nicolaitæ.

De horum hæreticorum Authore ſcribit in tertio hæreticarum fabularum libro Theodoretus: Cap. 3. *Nicolaitarum hæreſis non ſolùm ex amentia, verùm etiam ex intemperantia eſt conflata. De hac Clemens apertiùs docuit. Narrat autem Nicolaum fuiſſe unum ex ſeptem Diaconis, quos Apoſtolorum Chorus elegit ad viduarum miniſterium. Et cum formoſam haberet uxorem, accuſatum apud Apoſtolos fuiſſe, quaſi zelotypiæ morbo laborantem. Illum autem, dum opinionem hanc amovere conatur, in medium adduxiſſe uxorem, & permiſiſſe ut frueretur ea qui vellet; Non hoc lege aliqua decernentem, ſed ut Accuſatorum calumniam redargueret. Inde nonnulli, id quod ab illo prædicta de cauſa geſtum fuerat, peſſimè accipientes, communes habere uxores ſanxerunt. At Nicolaum Clemens refert temperantia inſignem fuiſſe, liberoſque ſupernaturalem caſtitatem docuiſſe, ac filium cælibem, filias permanſiſſe Virgines. Ex quibus liquidò convincuntur falsò ſibi de hujus appellatione nomen arrogare, qui ſupradictam intemperantiam exercent. Contra hos ſcripſit prædictus Clemens, & Irenæus, & Origenes, & Hyppolitus Epiſcopus ac Martyr.*

Theodoretus laudat Clementem Alexandrinum, qui Nicolaum Diaconum conſtanter expurgat. In ſecundo Stromatum libro ille exponit impudentem Gnoſticorum libidinem, atque adjungit; Fol. 411. *Tales ſunt etiam, qui dicunt ſe ſequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum, ſed ab eis detortum, nempè oportere carne uti. Sed ille quidem vir præclarus ſignificabat oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas & flaccidas reddere carnis appetitiones ac inſultus. Qui autem inſtar hircorum ſunt effuſi in voluptatem, veluti corpus contumelia afficientes, ſuavi fruuntur delectatione, neſcientes quod id quidem, cum ſit natura fluxum, ſentum, ſqualidum, & pannoſum redditur; ipſorum autem infixa eſt anima in cœno vitii, ut qui Decretum ipſius voluptatis, non autem viri Apoſtolici ſequantur.* Et in tertio libro: *Cum de dicto Nico-* Fol. 464. *lao loqueremur, illud prætermiſimus. Cum formoſam, inquiunt, haberet uxorem, & poſt Servatoris Aſſumptionem ei fuiſſet ab Apoſtolis exprobrata Zelotypia, in medium adducta muliere, permiſit qui vellet eam nubere. Ajunt enim hanc actionem illi voci conſentaneam, quæ dicit quod carne uti oportet. Ejuſque factum & dictum abſolutè ac inconſideratè ſequentes, qui ejus hæreſim perſequuntur, impudenter ac effusè fornicantur. Ego autem audio Nicolaum quidem nulla umquam alia, quàm ea, quæ ei nupſerat, uxore uſum eſſe, & ex illius liberis filias quidem conſenuiſſe virgines, filium autem permanſiſſe incorruptum. Quæ cum ita ſe habeant, vitii erat depulſio atque expurgatio, in medium Apoſtolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare Zelotypia. Et continentia à voluptatibus, quæ magno ſtudio paratur, docebat illud, Uti carne, hoc eſt, exercere carnem.* Ipſam domare, & ita facere inſtrumentum juſtitiæ. Eandem rem probat in hæreticorum catalogo S. Auguſtinus: *Nicolaitæ à Nicolao nominati ſunt, uno, ut perhibetur, ex illis ſeptem quos Apoſtoli Diaconos ordinaverunt. Iſte cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi ſe cauſa permiſiſſe fertur, ut qui vellet ea uteretur. Quod ejus factum in Sectam turpiſſimam verſum eſt, qua placet uſus indifferens fœminarum. Hi nec ab eis, quæ idolis immolantur, cibos ſuos ſeparant, & alios ritus gentilium ſuperſtitionum non averſantur.* Eis ex Sancto Philaſtrio adſignat & alios errores, quos conſtat variorum Gnoſticorum fuiſſe, non Nicolaitarum.

At longè aliud ſcribit in litteris ad Sabinianum Diaconum, ſceleratum Sanctimonialis raptorem, Sanctus Hieronymus: *De quondam Ordinis tui* Ep. 48. *hominibus Nicolaus Antiochenus immunditiarum om-* cap. 3. *nium & Nicolaitarum hæreſis author exſtitiſſe refertur.* Et in libro contra Luciferianos: *Nicolaus,* Cap. 8. *qui unus de ſeptem Diaconis fuit, die noctuque nuptias faciens, obſcœnos & auditu quoque erubeſcendos coitus ſomniavit.* Et in litteris ad Cteſiphontem; *Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos.* Ipſum fuiſſe falſum Prophetam Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus diſertè affirmat in Commentario Sancti Matthæi. Ipſum ab Apoſtolica doctrina apoſtataſſe ad hæreſim ſcribit etiam Sanctus Phi- Cap. 25. laſtrius. Eum fuiſſe Antiochenum ac gentilem affirmat Sanctus Epiphanius, ac proſequitur: *Nicolaus ſeſe ad Judæorum Sectam aggregavit. Poſtea Chriſtianum dogma complexus, ad diſcipulos* Hær. 25. *adjunctus, atque inter primarios eſt annumeratus.* cap. 1. *Inde in eorum ordinem relatus eſt, qui ad viduarum Præfecturam ſunt electi: Verùm poſtea ſe Diabolus in eum inſinuavit, ejuſque mentem veterum illorum erroribus imbuit, ut majus etiam ipſi, quàm eiſdem ipſis vulnus infligeret. Nam cum uxorem haberet eleganti forma mulierem, ab ea ſibi aliquamdiu temperavit, ut eos imitaretur, quos Deo penitùs addictos cerneret. Sed intemperantiam ſuam perpetuò coercere non potuit. Quippe canis inſtar ad vomitum redire cupiens, & malos quoſdam colores ac excuſationes prætexens ad libidinis ſuæ patrocinium excogitavit, quæ ſibi magis ex uſu eſſe viderentur. Qua ſpe cum excidiſſet, tum demùm ſine ulla tergiverſatione conſuetudinem cum uxore habere inſtituit. Verùm ſuæ ſibi ignaviæ conſcius, ac deprehendi veritus, jactare illud auſus eſt: Niſi quis ſingulis die-*

bus

bus luxuriæ vacet, ſempiternam ſalutem nemo poteſt conſequi. Ita ab excuſatione una in alteram lapſus eſt. Cum enim conjugem ſuam præſtanti eſſe forma videret, humilemque ſeſe præſtare, Zelotypia commotus ac de libidine ſua cæterorum mores interpretatus, primùm uxorem ſuam eſt contumelioſè aggreſſus, eique certa crimina per calumniam objecit. Demùm verò non ſolùm ad uſitatum inter homines ac naturalem uſum corporum eſt prolapſus, verùm etiam in plenam iſtud contra Deum contumeliæ Dogma, in probitatis damnum, ac omnis pravitatis conciliatorium errorem irrupit. In licentiam omnis libidinis. Addit multas ac varias Gnoſticorum flagitioſiſſimas claſſes ex ipſo proceſſiſſe.

Plura ſunt in utramque hujus quæſtionis partem antiqua Patrum teſtimonia. Certè Spiritus Sanctus, qui in ſua Apocalypſi Nicolaitarum nomen aſſumit & damnat, videtur damnare & ipſum Nicolaum. In ſeptimo Stromatum libro Sanctus Clemens Alexandrinus affirmat alias ab Authore, alias à loco, alias à dogmatis qualitate, alias hæreſes ab aliquo inſigni facinore nomen habere. Nicolaitarum hæreſis palàm eſt primæ claſſis. Proindè Nicolaus videtur omninò fuiſſe hæreticus. Nulla iſtiuſmodi hæreſis ducit originem & nomen ab immaculato authore. Donatiſtæ, licèt S. Cypriani errorem habuerint pro ſuo fundamento, nunquam auſi ſunt ſe inſcribere Cyprianiſtas. Quomodò igitur Spiritus Sanctus à caſto Nicolao titularet impuriſſimos Nicolaitas? Et conſonat magnus teſtis, Sanctus Irenæus: Lib 1. cap. 27. *Nicolaitæ Magiſtrum habent Nicolaum, unum ex ſeptem, qui primi ad Diaconium ab Apoſtolis ordinati ſunt, qui indiſcretè vivunt.* Affirmat Nicolaum illis fuiſſe, non occaſionem, ſed Magiſtrum. Et præſentis noſtri libri appendix habet: *Alter hæreticus Nicolaus emerſit. Hic de ſeptem Diaconis, qui in Actis Apoſtolorum allecti ſunt, fuit. Hic dicit tenebras in concupiſcentia luminis, & quidem fœda & obſcœna fuiſſe. Ex hac permixtione pudor eſt dicere quæ fœtida & immunda ſint.* An primus error ſit à Nicolao, eſt quæſtio. Quidquid ſit, Sanctus Irenæus ejus factionem affirmat eſſe *vulſionem Gnoſticorum*. Lib. 3. cap. 11. Ego hic aliud neſcio, quàm involutum articulum non evolvere, ſed cum Cæſarienſis Euſebii hiſtoria ſub dubio relinquere.

Cajana hæreſis dicitur.

Cajanos eſſe Carpocratis, adeoque & Simonis Magi progeniem, patres autem & avos Valentinianorum, affirmat Sanctus Irenæus. Caio, Eſau, Sodomitas, Core, Dathan, Abiron, Lib. 1. cap. 35. Judam traditorem, alioſque ſceleratos venerantur ut ſuos fratres & authores, Deum Creatorem blaſphemant, & habent ſceleratiſſima ac fabuloſiſſima dogmata; & Judæ Evangelium. Quæ omnia vide apud Sanctos Irenæum, Philaſtrium, Epiphanium, Auguſtinum, Theodoretum, ac in præſentis libri appendice. Ejuſdem Hæreſis meminit Septimius in exordio libro de Baptiſmo: Cap. 1. *Atque ideò nuper converſata iſtic quædam de Cajana hæreſi vipera venenatiſſima, doctrina ſua plerosque rapuit, imprimis Baptiſmum deſtruens, planè ſecundùm naturam. Nam & viperæ, & aſpides, ipſique reguli ſerpentes arida & inaquoſa ſectantur.* Hunc librum ſcripſit adversùs iſtam hæreſim. Pergit: *Ita Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integrè quidem docendi jus erat, optimè norat piſciculos necare, de aqua auferens.* Vox, *Integrè*, non nominaliter eſt accipienda, ſed adverbialiter. Senſus eſt: Quintilla nec integrè & rectè, ſeu nec integra & recta docere poterat, quantò minùs hæreticè ſeu hæretica. Et hinc vides duos alios Cajanorum errores. Primò, Baptiſma auferebant. Deindè, fœminas permittebant docere. Nec mireris iſtud. Erat facinus commune pluribus Gnoſticis. Quod ipſorum aliqui omnia Sacramenta projecerint, & nos per ſolam agnitionem ſeu fidem dixerint redimi ac juſtificari, affirmat Sanctus Irenæus. Etiam plures permiſerunt docere mulieres. Lucet ex procaciſſima Marcellina Carpocratis. Et quòd Marcus Ægyptius fœminas Lib 1. cap. 9. juſſerit prophetare, ſcribit Sanctus Irenæus. Porrò iſta Quintilla non eſt Montani ſocia. Neque enim Montanus Baptiſma proſcripſit. Eſt neſciò quæ alia turbatrix Cajana. Et ex his intelliges Sancti Hieronymi ad Oceanum litteras, quæ demonſtrare ſtudent quempiam ex uno ante, & alio poſt Baptiſmum conjugio non fieri irregularem. Famoſa olim fuit iſta quæſtio. Et quidem Romana Eccleſia conſtantiſſimè cenſuit, & ſemper docuit partem affirmativam. At verò Sanctus Hieronymus ex pleno pectore favit negantibus, ideoque & ſcripſit: Epiſt. 83. cap. 1. *Conſurgit mihi Cajana hæreſis, atque olim emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut ante conſueverat, ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum. Dicit enim eſſe aliqua peccata, quæ Chriſtus non poſſit purgare ſanguine ſuo, & tam profundas ſcelerum priſtinorum inhærere corporibus cicatrices, ut illius medicina attenuari non queant.* Per peccati cicatricem intelligit gentilis matrimonii vinculum, & ex ipſo poſteà natam irregularitatem: Et qui hæc per Baptiſmum cenſebant non auferri, accuſat de Cajana hæreſi. Memento loqui liberi oris Hieronymum. Certè iſtam ejus ſententiam meritò notavit Ruffinus, & ille non ſcivit ſe purgare. Rectè enim, ſcribit Sanctus Papa Innocentius: *Baptiſmo ſola peccata ſolvuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.* Hæc Hieronymi verba, *Quæ non ex parte, ut antè conſueverat, ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum*, fateor à me non intelligi. Dicendum potius fuerat: *Quæ non totum, ſed ex parte, ſubruit Chriſti Sacramentum.* Etenim Cajana hæreſis ipſum totum ſubruere ſtuduit, iſta Romanæ Eccleſiæ ſententia non potuit niſi ex parte fruſtrare. Ejuſdem hæreſis meminit idem Hieronymus in libro contra Vigilantium: Cap. 3. *Scribit adversùs hæreſim tuam, quæ olim erupit contra Eccleſiam, Tertullianus vir eruditiſſimus inſigne volumen, quod Scorpiacum vocat rectiſſimo nomine, quia arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffundit. Quæ olim ap-*

pellabatur Cajana hæreſis. Et multo tempore dormiens vel ſepulta nunc à Dormitantio eſt ſuſcitata. Sancto Hieronymo, quòd nos doceat Tertulliani Scorpiacum eſſe ſcriptum contra Cajanos, ſummas debemus gratias. Exindè etiam diſcimus, quòd Cajani, plurium Gnoſticorum more, ſpreverint Martyria. Porrò Vigilantius ſpernebat Sanctorum Martyrum reliquias, & negabat venerandas. Hinc Sanctus Hieronymus affirmat ab ipſo reduci Cajanam hæreſim. Non eſt penitùs firma conſequentia.

Cajanam hæreſim Septimius rectè affirmat eſſe Nicolaiticam, ſeu ſectari palmares errores Nicolaitarum. Hi ſunt Idolothyta edere, & ſtupra committere. De Cajanorum ſtupris ſcribit Sanctus Irenæus: *Cajani dicunt aliter non ſalvari ho-*
Lib. 1. cap. 35. *mines, niſi per omnia eant quemadmodum & Carpocrates dixit, & in unoquoque peccatorum & turpium operationum Angelum aſſiſtere, & operantem accidere audaciam, & immunditiam inferrè, id quod ineſt ei operationi Angeli nomine dicere: O tu Angele ab. æ. te. or. opere tuo fatua illa Poteſtas, perficio tuam operationem. Et hoc eſſe ſcientiam perfectam, ſine tremore in tales abire operationes, quas ne nominare quidem fas erat.* Eſt locus corruptus. Ipſum elu-
Hæreſ. 38. cap. 2. cidat Sanctus Epiphanius: *Quilibet Cajanorum nefaria quædam perpetrans & ſe execrandis in libidinibus ac omni flagitiorum genere volutans, ſingulorum Angelorum nomina, tam verorum quàm ab ipſis confictorum, invocans, unicuique deteſtandum aliquod facinus ac peccatum, velut præcipuum, attribuit, ac qualemcumque ſuum ſcelus certi cujuſpiam ad Angeli nomen accommodat. Cum enim ejuſmodi aliquid committunt, hunc in modum præfari ſolent: O Angele N. tuum opus exerceo. O Poteſtas N. actione tua fungor. Atque illud ipſum eſt, quod ab illis dicitur abſoluta cognitio.* Addit ipſos deſcendere à Nicolaitis. Quæ omnia teſtantur etiam Sanctus Auguſtinus ac Theodoretus. Quid apud Carpocratem ſit *Per omnia ire*, exponit laudatus Ire-
Lib. 1. cap. 24. næus: *Carpocrates* ac ejus Sectatores *tanta inſania effrænati ſunt, ut & omnia, quæcumque ſunt irreligioſa & impia poteſtatem habere operandi ſe dicant. Sola enim humana opinione negotia bona & mala dicunt. Et utique ſecundùm transmigrationem in corpora oportere in omni vita, & in omni actu fieri animas. Si non præocupans quis in uno adventu omnia agit ſimul ac pariter. Quæ non tantum dicere & audire non eſt fas nobis, ſed ne quidem in mentis conceptionem venire.* Impudenter blaterarunt omnem hominem debere explere omnem libidinem, omnem libidinis ſpeciem. Eum qui morte præventus iſta non poſſet, dixerunt à Deo cogi ad tranſmigrandum in aliud corpus, immò & in alia ſucceſſivè corpora, donec omnia expleret. Cur flagitia executuri invocaverint Angelos, edicit in tertio Stromatum libro Sanctus Clemens Alexan-
Fol. 436. drinus: *Sunt qui etiam publicam Venerem pronuntiant myſticam communionem.* Exponit ſceleratiſſimum dogma, & proſequitur: *Omnium hominum infeliciſſimi carnis & coitus conjunctionem eſſe pronuntiant ſacram communionem, & eam exiſtimant deducere ad regnum Dei.* Affirmat iſta tradi à Nicolaitis. Ab ipſis devenit ad Cajanos. Et omninò adverſùm iſtos ſcribit Sanctus Judas Apoſtolus: *Subintrojerunt quidam homines impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.* Blaſphemè blaterantes luxuriam eſſe commercium ex opere operato collativum Divinæ gratiæ. Quod etiam idolothyta liberrimè ederent, & dicerent iſta non curari à Domino Deo, diſertè affirmat laudatus Irenæus, & Septimius in libro Scorpiaco. Fuit facinus commune omnibus paſſim Gnoſticis. Etenim qui aliter martyria evaſiſſent? Hæc evitandi ſtudium & dogma non poſſit ab iſta Secta ſeparari. Etenim in flagitiorum cœno volutatus homo nihil magis timet & odit, quàm mortem. Quis fuerit Cajanorum author, ignoratur. Præſens Septimii locus evincit ipſos non fuiſſe temporibus Apoſtolicis.

Illud Marcion, hoc Ebion.

Quòd Sanctus Joannes Apoſtolus ſuum Evangelium, adeoque & primam epiſtolam, *adverſùs Cerinthum, alioſque hæreticos, & maximè contra Ebionitarum tunc dogma conſurgens*, ſcripſerit, teſtatur Sanctus Hieronymus in catalogo virorum illuſtrium. Et inſigniter demonſtrat Sanctus Irenæus. Ab eodem audi Cerinthi hæreſim: *Cerinthus non à primo Deo factum eſſe mun-* Lib. 3. c. 8. 11.
dum docuit, ſed à virtute quadam valdè ſeparata, & diſtante ab ea Principalitate, quæ eſt ſuper univerſa, & ignorante eum, qui eſt ſuper omnia Deum. Lib. 5. cap. 18. Lib. 1.
JESUM *autem ſubjecit non ex Virgine natum,* cap. 25.
fuiſſe autem eum Joſeph & Mariæ filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines. Et plus potuiſſe juſtitia, & prudentia, & ſapientia præ omnibus. Et poſt Baptiſma in eum deſcendiſſe Chriſtum ab ea Principalitate, quæ eſt ſuper omnia, figura columbæ. Et tunc annuntiaſſe incognitum Patrem, & virtutes perfeciſſe, in fine autem revolaſſe iterùm Chriſtum de JESU, *&* JESUM *paſſum eſſe, & reſurrexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem perſeveraſſe, exiſtentem ſpiritalem.* Eadem ferè docuit Ebion. Exceptis duobus. Primò, mundum confeſſus eſt eſſe opus Domini Dei. Deindè priorem de Domini & Joſephi natalibus blaſphemiam correxit, & profeſſus eſt ipſum, purum tamen hominem, è Virgine natum. Et hinc nobis eſt duplex Ebionitarum factio: Alia priorem, alia poſteriorem probavit Magiſtri ſententiam. Adverſùm hos igitur errores ſcripſit Sanctus Joannes: *In principio*, utique mundi Creatore, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum. Omnia per ipſum facta ſunt. Et mundus per ipſum factus eſt. Et mundus eum non cognovit. Et Verbum caro factum eſt. Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Omnis ſpiritus, qui confitetur* JESUM *Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Omnis ſpiritus, qui ſolvit* JESUM, *ex Deo non eſt. Et hic eſt Anti-Chriſtus.* Eandem hæreſim notat in prima ſua epiſtola Sanctus Petrus: *Chriſto igitur in carne paſſo.*

Affir-

Affirmat Chriſtum à JESU patiente non avolaſſe, ſed in ipſo ſemper permanſiſſe, atque ita eſſe & paſſum. Et hinc Theodoretus in libris contra Eutychianos, has propoſitiones, *Chriſtus eſt paſſus*, *Deus eſt paſſus*, diſtinguens, & primam veram, ſecundam aſſerens falſam, deviavit.

Quæſtio eſt, An Sanctus Joannes in ſuo Evangelio aut epiſtola impugnet etiam phantaſticæ apparitionis aſſertores, præcurſores & magiſtros Marcionis? An Septimius iſtud rectè affirmet? Reſpondeo rectè affirmare. Etenim de Simone
Lib. 1. Mago ſcribit Sanctus Irenæus: *Simon à multis*
cap. 20. *quaſi Deus glorificatus eſt. Et docuit ſemetipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi filius apparuerit, in Samaria autem, quaſi Pater deſcenderit, in reliquis verò gentibus quaſi Spiritus Sanctus adventaverit*. Angelos à ſua Helena, ab iſtis dixit creatum corporeum mundum, atque ita Irenæus pergit: *Cum malè moderarentur Angeli mundum, quoniam unuſquiſque eorum concupiſceret principatum, Simon dicebat ſe ad emendationem veniſſe rerum, & deſcendiſſe transfiguratum, & aſſimilatum Virtutibus, & Poteſtatibus, & Angelis, ut & in hominibus homo appareret ipſe, cum non eſſet homo, & paſſum autem in Judæa putatum, cum non eſſet paſſus*. Quæ omnia ſcribunt etiam Sanctum Philaſtrius, Sanctus Epiphanius, Sanctus Auguſtinus, ac Theodoretus. Etiam Martyr Juſtinus. Et Ire-
Cap. 30. næus rectè addit: *Ex Simone univerſæ hæreſes ſubſtiterunt*. Et infrà: *Omnes qui quoquo modo adulterant veritatem, & præconium Eccleſiæ lædunt, Simonis diſcipuli & ſucceſſores ſunt. Quamvis non confiteantur nomen Magiſtri ſui, ad ſeductionem reliquorum, attamen illius ſententiam docent*. Et
Cap. 33. ſursùs. *Ex Simonianis multitudo Gnoſticorum exſurrexit, & velut è terra fungi, manifeſtati ſunt*. Et ſingulariter de Marcionis Magiſtro Cerdone:
Cap. 18. *Cerdon ab iis, qui ſunt erga Simonem, occaſionem accepit*. Nempè licet Simonem non crediderit eſſe Chriſtum Dominum, hunc tamen eum Simone dixit apparuiſſe hominem, cum non eſſet homo, & paſſum putativè, cum paſſus non eſſet. Hinc idem eſt fons Marcionis & Valentini.

Simonianæ magiæ diſciplina, &c.

Quod omnes paſſi Gnoſtici fuerint Magi, imò & magiam in dogma aſſumpſerint, infra demonſtrabitur. Septimius dicit hic duo. Primò, quod iſta diſciplina ac ejus opera Angelis, utique Dæmonibus, ſerviant, atque ita ſint Idololatria. Etenim Dæmones à Magis volunt coli & adorari. Secundò dicit hæc omnia ab ipſo Sancto Petro Apoſtolo fuiſſe in Simone Mago damnata. Et hinc oritur quæſtio, Quomodò Simon Magus potuerit ſervire Angelis? Rationem dubitandi facit Dominus Cardinalis Cæſar Baronius. Audiamus ipſum à compendio Domini Henrici Spondani, Epiſcopi Apamienſis: *Mirati ſumus* Anno 60.
ejuſmodi errorem tribui Simoni Mago, cum quæ de num. 7.
Angelis ipſe dixit, longè ab his diſcrepent. Tantum abeſt ut Angelorum cultum ipſe introduxerit, ut contra aſſereret ſe in mundum deſcendiſſe, ut Angelos malè moderantes terrarum orbem corriperet. Reſpondeo Simonem, licet Angelorum cultum non docuerit, tamen Angelos coluiſſe. Aliter non fuiſſet Magus. Etiam Anti-Chriſtus ſemetipſum venditabit Deum, & tamen colet Dæmones. Quia erit Magus. Etiam poterit iſtum cultum docere. Quia nempe iſtiuſmodi ſcelerati errores ſibimetipſis nec ſolent, nec poſſunt cohærere.

CAPUT XXXIV.

Quoquo tempore hæreſes fuerint, eandem ſubeunt damnationis ſententiam.

HÆc ſunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ ſub Apoſtolis fuiſſe, ab ipſis Apoſtolis diſcimus: Et tamen nullam invenimus inſtitutionem, inter tot diverſitates perverſitatum, quæ de Deo Creatore univerſorum controverſiam moverit. Nemo alterum Deum auſus eſt ſuſpicari. Faciliùs de Filio quàm de Patre hæſitabatur, donec Marcion præter Creatorem alium Deum ſolius bonitatis induceret: Apelles creatorem

Ange-

Angelum neſcio quem glorioſum ſuperioris Dei, faceret Deum legis & Iſraelis, illum igneum affirmans; Valentinus Æonas ſuos ſpargeret: & unius Æonis vitium in originem deduceret Dei Creatoris. His ſolis, & his primis revelata eſt veritas Divinitatis: Majorem ſcilicet dignationem, & pleniorem gratiam à Diabolo conſecutis; qui Deum ſic quoquè voluerit æmulari, ut de doctrinis venenorum, quod Dominus negavit, ipſe faceret diſcipulos ſuper magiſtrum. Eligant igitur ſibi tempora univerſæ hæreſes, quæ quando fuerint, dum non interſit quæ quando, dum de veritate non ſint. Utique quæ ab Apoſtolis nominatæ non fuerunt, ſub Apoſtolis fuiſſe non poſſunt. Si enim fuiſſent, nominarentur & ipſæ, ut & ipſæ coercendæ. Quæ verò ſub Apoſtolis fuerunt, in ſua nominatione damnantur. Sive ergò eædem nunc ſunt aliquanto expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, habent ſuam exinde damnationem, ſive aliæ quidem fuerunt, aliæ autem poſteà obortæ, quiddam ex illis uſurpaverunt, habendo cum eis conſortium prædicationis, habeant neceſſe eſt etiam conſortium damnationis, præcedente illo fine ſupradicto poſteritatis, quo etſi nihil de damnatitiis participarent, de ætate ſola præjudicarentur: Tantò magis adulteræ, quantò nec ab Apoſtolis nominatæ. Undè firmiùs conſtat has eſſe, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ.

SCHOLION.

Nemo alterum Deum, &c.

DOctor pergit aſſerere, quòd Marcionis & quorumvis aliorum hæreticorum doctrina ſit Apoſtolis tempore ac dogmate poſterior, ideoque adversùs omnem illam valeat hæc præſcriptio: *Quod novum, falſum*. Quod ut firmet, aſſeverat omnes Apoſtolici temporis hæreſes eſſe à ſe enumeratas, & ab ipſarum nulla fuiſſe tradita capitalia dogmata Marcionis, Apellis, aut Valentini. Horum namque errores Septimii tempore præſertim graſſabantur. Hinc de ipſis ſubjungit: *Utique quæ ab Apoſtolis nominatæ non fuerunt, ſub Apoſtolis fuiſſe non poſſunt. Si enim fuiſſent, nominarentur & ipſæ, ut & ipſæ coercendæ. Quæ verò ſub Apoſtolis fuerunt, in ſua nominatione damnantur. Sive ergò eædem nunc ſunt aliquantò expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, habent ſuam indè damnationem; ſive aliæ quidem fuerunt, aliæ autem poſteà obortæ quiddam ex illis uſurpaverunt, habendo cum eis conſortium prædicationis, habeant neceſſe eſt etiam conſortium damnationis, præcedente illo fine ſupradicto poſteritatis, quo etſi nihil de damnatitiis participarent, de ætate ſola præjudicantur, tantò magis adulteræ, quantò nec ab Apoſtolis nominatæ*. Affirmat præfatarum hæreſion aut penitùs nihil, aut certè non niſi informia rudimenta fuiſſe ſub Apoſtolis, adeoque hinc manifeſtè concludi eas vel ab ipſis Apoſtolis fuiſſe damnatas, vel eſſe ipſis omninò poſteriores. Et ſic plenè ac firmè contra ipſas eſſe præſcriptum. Et adjungit poſteritatis præſcriptionem eſſe Apoſtolica damnatione firmiorem. Audi cauſam: *Undè firmiùs conſtat has eſſe, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ*. Quia fuerunt ab Apoſtolis damnatæ, antequam natæ: Quia poſteritatis præſcriptio includit Apoſtolicam damnationem, adeoque eſt ipſa ſola firmior.

Hanc præſcriptionem laudat, ac adversùm omnes hæreſes firmam eſſe ſcribit etiam in libro Apologetico: *Expeditè præſcribimus adulteris noſtris illam eſſe regulam veritatis, quę veniat à Chriſto, tranſmiſſa per comites ipſius, quibus aliquantò poſteriores diverſi iſti commentatores probabuntur*. Cap. 47. Laudat duas præſcriptiones. Primò hanc: Ea eſt vera fides, quam nos à noſtris Majoribus accepimus, illi à ſuis, hi ab Apoſtolis, Apoſtolis à Chriſto, Chriſtus à Deo. Deindè hanc: Quidquid ab iſta prædicatione eſt diverſum, poſterius, aut novum, eſt falſum. Et hanc poſteriorem addit valere non dumtaxat adversùm quoſquis noſtros hæreticos, ſed etiam adversùs Gentilium Philoſophos. Etenim ſicut in novo Teſtamento uſque ad Chriſtum Dominum, ita in antiquo tempore noſtrum dogma & diſciplinam uſque ad Adamum, & per ipſum ad Deum deducimus hoc modo: Ea eſt vera fides, quam Judæi per continuum ſucceſſionis traducem acceperunt à Prophetis, Prophetæ à Patriarchis, Patriarchæ ab Adamo, poſt lapſum reparatus Adamus accepit à Deo. Et quia primus,

mus, cujus Scripta exſtent, hujus mundi Scriptor eſt Propheta Moyſes, Septimius hic in ipſo ſiſtit, & præſcriptionem format hoc modo: Vera Philoſophia eſt, quam Judæi à Prophetis acceperunt, Prophetæ à Moyſe, Moyſes à Deo. Demonſtrat omnes Gentilium Philoſophos eſſe Moyſe poſteriores, ex ipſo hauſiſſe ſua dogmata, per gentilis mentis cæcitatem non intellexiſſe, ideoque & depravaſſe. Hinc concludit ipſorum Philoſophiam, quia poſteriorem, eſſe vario errore leproſam.

Quo argumento utitur in Admonitione ad Gentes, ac in Stromatum libris etiam Sanctus Clemens Alexandrinus. Et poſt laudatam ſacrarum Litterarum ab Eſdra factam reſtitutionem, ac factam à ſeptuaginta Interpretibus Græcam translationem, ex antiquo & authentico Judæorum Scriptore Ariſtobulo adducit hæc verba: *Secutus eſt autem noſtras quoque leges Plato, & ſatis apertè oſtendit ſe eorum, quę in eis dicuntur, fuiſſe admodùm ſtudioſum. Ante Demetrium autem Phalereum*, qui ex Ptolomæi Ægyptiorum Regis juſſu ſeptuaginta translationem inſigniter adjuvit, *priuſquam rerum potirentur Alexander & Perſæ, verſa fuerunt & quæ ab Hebræis noſtris geſta fuerunt in exitu de Ægypto, & quęcumque eis inſignia &* Lib. 1. Fol. 342. *facta erant & apparuerant, & regionis per vim quęſita poſſeſſio, & omnium quæ latæ ſunt legum deſcriptio adeò ut clarum ſit antedictum Philoſophum multa ex eis ſumpſiſſe. Fuit enim multa doctrina præditus. Sicut etiam Pythagoras multa ex noſtris tranſtulit in ſuorum Dogmatum traditionem. Numenius autem Philoſophus Pythagoræus apertè ſcribit: Quid enim eſt Plato, niſi Moyſes qui loquitur Atticè?* Pythagoras, Plato, aliique gentiles Philoſophi Græcè dumtaxat noverant, atque ita quidam affirmabant ipſos ex lecto Moyſe non hauſiſſe. Et Ariſtobulus reſpondit ſacrarum Litterarum à ſeptuaginta Interpretibus factam translationem non eſſe primam, fuiſſe illa aliam priorem, factam ante Græcorum & Perſarum Monarchiam: adeoque & factam ante Babylonicam Judaici populi captivitatem. Omnem tunc Pentateuchum fuiſſe translatum, & ex iſta translatione Græcorum Philoſophos hauſiſſe. Eſt res notanda. Et ſuo loco uberiùs elucidanda.

Portò Marcioniticæ hæreſis primum ac palmare caput eſt duplicis Divinitatis ſabula. Hanc Septimius affirmat eſſe adeò remotam ab Apoſtolicis temporibus, ut tunc ipſam nemo vel ſuſpicatus fuerit. Affirmat ſceleratæ ac ſabuloſæ blaſphemiæ, quæ ſupra Dominum Creatorem fingit alium ſolius bonitatis Deum, primum authorem fuiſſe Marcionem. Quod an verum ſit, eſt quæſtio. Etenim Georgius Cedrenus ſcribit Simonem Magum cum Sancto Petro Apoſtolo aliquoties diſputaſſe de unius Dei Imperio, & palmarem Simonis aſſertionem fuiſſe hanc: *Hebræorum libri affirmant plures Deos. Et Deus, quem prædicas, non eſt ſupremus, neque omnipotens.* Quod ipſum ſcribit Michael Glycas. Scribunt ex Apoſtolicis vulgaris Romani Clementis Conſtitutionibus, quæ inter diſputationis articulos diſertè affirmant fuiſſe & hunc: *De uno Deo.* Et adjungunt de Simonis diſcipulis: *Erat his omnibus unum atque idem Propoſitum impietatis, Deum omnipotentem blaſphemiis afficere, ſentire ignorantum eſſe, & non eſſe patrem Chriſti, neque mundi effectorem, immò neque eſſe effabilem, neque pronunciabilem, ac eſſe non natum.* Lib. 6. cap. 9. 10. Quæ omnia ſunt fundamenta, ex quibus nata eſt ſabula duplicis Divinitatis. Idem Clemens adjungit hunc articulum: *Ad omnem religionem ſine ullo diſcrimine deflectere licere.* Hoc eſt, aſſerere quod hæreſes non ſint malæ. Quod ſceleratum ac ſtultum Dogma Sanctus Philaſtrius ac Sanctus Auguſtinus adſcripſerunt Rhetorio. Quòd ſit Gnoſticorum, eſt ſuprà demonſtratum. Ex hoc Clementis loco lucet primum ejus ſontem fuiſſe Simonem. Et ipſum hodiè reſorbent Calviniſtæ, garrientes unumquemque poſſe in ſua quavis fide ſalvari. Et de Marcionis Magiſtro Cerdone ſcribit Sanctus Irenæus: *Cerdon ab iis, qui ſunt erga* Lib. 1. cap. 28. *Simonem, occaſionem accepit.* Et de cunctis generatim Gnoſticis: *A Simonianis falſò nominis ſcientia accepit initia.* Et in Simonis Dogmate ponit hoſce articulos: *Prophetas à mundi fabricatoribus* Cap. 20. *Angelis inſpiratos dixiſſe Prophetias. Non eſſe naturaliter operationes juſtas, ſed ex accidenti, quemadmodum poſuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per hujuſmodi Præcepta in ſervitutem deducentes.* Ejuſdem Simonis de iſtis Creatoribus Angelis ſenſum exponit in primo hæreticarum fabularum Cap. 5. libro Theodoretus: *Simon Helenam ajebat eſſe primam mentis ſuæ comprehenſionem, matremque omnium appellabat, ac per illam ſe & Angelos & Archangelos feciſſe, ab Angelis autem fabricatum eſſe mundum. Angelos poſteà, cùm ei inviderent, ipſam apud ſe detinuiſſe. Nolebant enim dici ejus opus.* Quod ipſum ſcribunt Sanctus Philaſtrius ac Sanctus Epiphanius. Proindè Simon iſtos creatores Angelos, licèt Deos dixerit, attamen dixit creatos, ideoque docuit unicum ſupremum Principium. Duo garrire Principia primus cœpit Cerdon, ideoque noſter Septimius aſſerit nullum ante Marcionem fuiſſe iſta vel ſuſpicatum. Marcionem potiùs, quàm Cerdonem memorat, quòd Marcion ſceleratam fabulam ſummo impetu promoverit, ideoque meruerit ipſi donare nomen. Ita & Donatiſtæ non à primo ſuo capite Majorino, ſed à factionis zeloſiſſimo promotore Donato nomen acceperunt. Attamen Cerdoni Simon dedit fundamenta. Mali in Angelica atque humana creatura radicem & originem Simon nequiit intelligere. Et quòd iſta à ſupremo Deo non ſint, eſt omnibus naturaliter inſitum. Conſtat hunc eſſe ſummum bonum, ideoque nihil mali poſſe ab ipſo procedere. Ea Simon refudit in Angelos: Hos dixit mundi Creatores, erraſſe in opere, atque ita mala produxiſſe. Verùm tunc reſtabat quæſtio, undè à bono Deo creati Angeli accepiſſent malitiam? Hinc Cerdon maluit dicere duo Principia: Aliud malum, aliud bonum, ſeu *Deum ſolius bonitatis.*

Faci-

Digitized by Google

Faciliùs de Filio, quam de Patre hæſitabatur,

Simon Magus, Menander, Carpocrates, Cerinthus, Ebion, & quotquot olim Dominum JESUM garriverunt eſſe purum hominem, negaverunt ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium, adeoque circa Filium præſertim erraverunt. Hinc Sanctus Optatus Milevitanus Epiſcopus affirmat Ebionem fuiſſe Patri Paſſianum. Quod nempè talis eſſe debuerat, ſi veram Incarnationem admiſiſſet. Hinc etiam Paulus Samoſatenſis negavit ſanctæ Trinitatis myſterium. Fuit plenus Sabellianus: Et Sabellianiſmo addidit Ebioniſmum, abnegans Divinam Incarnationem. Et quia Sabellius hanc duxit admittendam, non potuit non eſſe Patri Paſſianus. Porrò omnes Apoſtolicorum temporum Hæreſiarchæ fuerunt aut Samaritæ aut Judæi, quibus non placuit ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium. Licet ipſum & lex & Prophetæ conſtanter prædicaverint, animalis tamen plebs paſſim non intellexit. Præſertim poſteriorum Judæorum cæcitas. Hinc enim Dei Filium blaſphemare credidit, ac egit in crucem. Hinc item Sanctus Athanaſius in oratione de ſalutari Domini adventu ſcribit Sabellium à Judaicis principiis fuiſſe circumſcriptum atque ſeductum. Hic error erat Judæis avitus: At verò circa Divinæ eſſentiæ unitatem nemo unquam Judæus erravit, niſi fortè lapſus in gentilem Idololatriam. Hinc Septimius rectè dixit Apoſtolicorum temporum hæreſes faciliùs erraſſe circa Deum Filium.

Apelles creatorem Angelum neſcio quem, &c,

Doctor videtur aſſerere, quòd primus Apelles cœperit mundi Creationem Angelis adſcribere. Quòd iſte error non fuerit temporibus Apoſtolicis. Si iſtud aſſerat, eſt memoria lapſus. Quòd enim Simon Magus iſtud aſſeruerit, jam audivimus à teſte irrefragabili, Sancto Irenæo. Qui addit iſtud ipſum fuiſſe Dogma Cerinthi. Et adverſus iſtud ipſum ſcripſiſſe S. Joannem Apoſtolum: *Omnia per ipſum facta ſunt. Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Hoc eſt, nihil eorum quæ ſunt facta. Quod enim iſte Evangelii locus debeat ſic legi ac interpungi, & quod alia interpunctio ſit Arianorum commentum, in ſingulari homilia inſigniter demonſtrat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Adversùs eundem hæreticum Sanctus Joannes dicit: *Et mundus per ipſum factus eſt.* Inculcat non ſolùm Angelos, ſed etiam hunc inferiorem & viſibilem mundum eſſe immediatum Divini Verbi opus. Quòd Sanctus Joannes ſuum Evangelium adversùs Cerinthum ac Ebionem ſcripſerit, aliquoties jam audivimus à Sancto Hieronymo. Et antiquus Synodicus, ab Henrico Juſtello editus, libellus habet: *Poſt Apoſtolorum Synodum Simon Magus exſurrexit & Cerinthus, quos Apoſtolorum refutarunt Principes. Simonem Petrus, Cerinthum Joannes.* Etiam Saturninus *dixit unum eſſe Patrem prorsùs incognitum, & hunc Angelos creaſſe, & alias poteſtates, ſeptem autem ex horum numero mundum condidiſſe. Judæorum Deum dixit unum ex Angelis fuiſſe.* Ita in primo hæreticarum fabularum libro ſcribit Theodoretus. Cap. 3. Proinde circa hunc articulum Apelles Magiſtrum ſuum Marcionem deſeruit, & tranſiit ad Simonem, Saturninum, & Cerinthum. Non fuit primus Author iſtius erroris. Ejus dogma eſt ſuprà expoſitum. Etiam dogma & Æones Valentini.

His ſolis & his primis revelata eſt veritas, &c.

Eſt Sarcaſmus in iſtorum Fabulonum intolerabilem ſuperbiam. Eſt ſupra elucidatus. Notat & aliam ipſorum ſuperbiam, qua quiſque volebat eſſe factionis Princeps, & ſupra Magiſtrum ſapere. Eandem notat in ſua epiſtola Sanctus Jacobus Apoſtolus: *Nolite plures Magiſtri fieri, fratres mei.* Cap. 3. Eandem ſuperbiam in omnibus Gnoſticis frequenter notat Sanctus Irenæus. Porrò Dominus dixit in Evangelio: *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum.* Hinc iſtam ſuperioritatem, licèt aliqui quandoque ex Dei dono conſequantur, nemo tamen poſſit ambire. Sed iſta humilitas non placuit Gnoſticis. Hinc majorem dignationem & pleniorem gratiam, quam à Domino Deo & Catholica veritate non poterant conſequi, per venenorum doctrinas à Diabolo ambierunt. Et Diabolus, ut etiam hoc in articulo Dominum Deum æmularetur, ſeu ipſi per rebellionem adverſaretur, iſtum altiorem præ Magiſtris gradum ipſis promiſit. Et perſuaſit, quod ipſis etiam Apoſtolis, quin & ipſo Creatore Deo, eſſent ſapientiores.

Aliquantò expolitiores.

In exordio eſſe rudem ac patentibus erroribus plenam eſt omni paſſim hæreſi familiare. Nam & Doctor noſter ſcribit de hæreſi Valentiniana: *Tantum ſe huic hæreſi ſuadere permiſſum eſt, quantum lupæ fœminæ formam quotidiè ſupparare ſolemne eſt.* Eam per Colobarſum, Ptolomæum, Heracleonem, Secundum, Marcum, & Theotimum fuiſſe variè correctam, mitigatam, comptam & fucatam affirmat, adeò ut nullus purus putus Valentinianus, niſi unicus Axionicus apud Antiochiam, tunc ſupereſſet. Arianam hæreſim adeò correxit Euſebiana factio, ut Ærium Diaconum, quòd purum putum Arianiſmum reſuſcitaſſet, etiam degradaverit. Ab iſta cor-

correctione magnum ſibi nomen acquiſierunt Marathonius & Theophronius. Maſſilienſis Eccleſiæ Clerici, dum Pelagianam nequitiam expoliunt & fucant, à recentis quibuſdam reliquiis facti ſunt Semi-Pelagiani. Iſtud ipſum beneficium à ſuis Sectatoribus receperunt hæreſis Neſtoriana, Eutychiana, Iconoclaſtica, Huſſitica, tandemque Lutherana & Calviniana. Hinc inter Eutychianiſtas tot fuerunt fruſta, ut inter illa fuerint etiam Acephali: Quòd nempè iſtius correctionis Author ignoraretur. Multa item dogmata, quæ certum eſt fuiſſe tradita à Martino Luthero ac Joanne Calvino, Lutherani & Calviniſtæ hodiè deteſtantur. Verùm in variis adhuc articulis primæ prædicationis retinent conſortium, adeoque & damnationis.

CAPUT XXXV.

Nihil habent hæretici quo fidem pulſent aut provocent.

HIs definitionibus provocatæ à nobis & revictæ hæreſes omnes, ſive quæ poſteræ, ſive quæ coætaneæ Apoſtolorum, dummodò diverſæ, ſive generaliter, ſive ſpecialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant reſpondere & ipſæ aliquas ejuſmodi præſcriptiones adversùs noſtram diſciplinam. Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque hæreſin eſſe, eadem forma revictam, qua ipſæ revincuntur, & oſtendere ſimul ubinam quærenda ſit veritas, quam apud illas non eſſe jam conſtat. Poſterior noſtra res non eſt: Immò omnibus prior eſt. Hoc erit teſtimonium veritatis, ubique occupantis Principatum. Quod ab Apoſtolis utique non damnatur, imò defenditur: Hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant, qui extraneam quamque damnaverunt, ſuam oſtendunt ideoque & defendunt.

SCHOLION.

HOc caput eſt repetitio plurium anteriorum. Affirmat quaſdam ſuo tempore graſſantes hæreſes eſſe Apoſtolico tempore ac prædicatione poſteriores, quaſdam coævas illis, omnes verò damnatas ab Apoſtolis, aut certè prædamnatas. Quaſdam generaliter, quaſdam etiam ſpecialiter. Et omnes ab iſta prædicatione eſſe diverſas, adeoque & adverſas. Hinc de ipſarum falſitate ac pravitate non poſſe ambigi, eſſe manifeſtum: & prædamnatas eſſe pejori loco, quàm damnatas: Quia nempè prædamnatio non ſolam damnationem includit, ſed inſuper præſcriptionem poſteritatis. Secundò Doctor affirmat has præſcriptiones non militare adversùs prædicationem Catholicæ Eccleſiæ. Etenim *poſterior noſtra res non eſt, immò omnibus prior eſt. Hoc eſt teſtimonium veritatis, ubique occupantis Principatum.* *Deindè, noſtram doctrinam nuſquam damnant, immò defendunt. Hoc eſt judicium proprietatis.* Eſt lucidum teſtimonium, quòd iſta fuerit propria Apoſtolorum doctrina: *Quam enim non damnant, qui extraneam quamque damnaverunt, ſuam oſtendunt, ideoque & defendunt.* Hinc Doctor concludit noſtram doctrinam non eſſe errorem aut hæreſim, ſed authenticam Evangelii veritatem. *Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam quoque hæreſim eſſe, eadem forma revictam, qua ipſæ revincuntur, & oſtendere ſimul, ubinam ſit veritas, quam apud illas non eſſe jam conſtat.* Sceleratus Chriſtianæ fidei hoſtis Porphyrius in libro de regreſſu animæ lamentatur *necdum receptam unam quamdam Sectam, quæ univerſalem viam animæ contineat liberandæ, vel à Philoſophia veriſſima aliqua, vel à Judæorum moribus ac diſciplina, aut introductione Chaldæorum, aut alia qualibet via, nondumque in ſuam notitiam eandem viam litterarum cognitione perlatam.* Ita habes

habes apud Sanctum Auguſtinum in libris de Dei Civitate. Et Auguſtinus reſpondet: *Quænam* Lib. 10. cap. 32. *iſta eſt univerſalis via, niſi quæ non ſuæ cuique genti propria, ſed univerſis gentibus, quæ communis eſſet, Divinitùs impartita eſt?* Demonſtrat ipſam reperiri non poſſe in hac vel iſta Philoſophica Secta vel gente, ſed in ſola ſacroſancta JESU Chriſti Eeeleſia, à lapſu humani generis exordio plantata per Dominum Deum, & non ita pridem per omnes gentes uſque ad mundi fines propagata, prædicata, elarificata. Eodem argumento hic utitur Septimius adversùm hæreticos. Affirmat veram faciendi Chriſtiani diſciplinam non in hac aut iſta hæreſi eſſe quærendam, ſed in ſola Catholica Eccleſia.

CAPUT XXXVI.

Percurruntur Eccleſiæ Apoſtolicæ, ſiſtitur in Romana omnium feliciſſima.

AGe jam qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia! Cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt. Ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur. Ubi Paulus Joannis exitu coronatur. Ubi Apoſtolus Joannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit. Unum Deum novit, Creatorem univerſitatis, & Chriſtum *JESUM* ex Virgine Maria filium Dei Creatoris, & carnis reſurrectionem. Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apoſtolicis litteris miſcet, & indè potat fidem: Eam aqua ſignat, Sancto Spiritu veſtit, Euchariſtia paſcit, Martyrium exhortatur, & ita adversùs hanc inſtitutionem neminem recipit. Hæc eſt inſtitutio, non dico jam quæ futuras hæreſes prænuntiabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt adversùs illam. Etiam de olivæ nucleo, mitis, & opimæ, & neceſſariæ aſper oleaſter oritur. Etiam de papavere ficus gratiſſimæ & ſuaviſſimæ ventoſa & vana caprificus exſurgit. Ita hæreſes de noſtro fructificaverunt, non noſtræ: Degeneres veritatis grano, & mendacio ſilveſtres.

SCHO-

S C H O L I O N.

Age jam qui voles, &c.

QUòd Catholicæ Eccleſiæ doctrina ſit veraciter Apoſtolica, Septimius pergit propriùs oſtendere: Ex eo quòd iſta doctrina ſemper fuerit ac etiamnum conſtantiſſimè permaneat in omnibus Eccleſiis, quarum Cathedras Apoſtoli inſederunt ut Cardinales Epiſcopi, aut certè quas viva voce vel per litteras fundarunt aut docuerunt. Affirmat id probari ex authenticis ipſorum litteris, quæ apud iſtas Eccleſias quotidiè recitantur, atque ita & ipſorum vocem adhuc ſonent, & faciem repræſentent. Hæc enim eſt virtus authenticarum litterarum per ipſas etiam abſentes aut mortui & loquimur & videmur. Voces, *Authenticæ litteræ*, notant Marcionitas ac alios iſtius temporis hæreticos, apud quos ſpuriæ dumtaxat aut laceræ Apoſtolorum litteræ reperiebantur. Porrò verbum, *Repræſentare*, hoc loco non importat ſimplicem ſignificationem, ſed præſentiæ exhibitionem. Et hanc ejus acceptionem, licet & iſta apud illum reperiatur, eſſe Tertulliano familiarem, eſt demonſtratum in Scholiis ad Synodos Sancti Gregorii ſeptimi. Et Septimius exprimit Eccleſiam Corinthiam, Philippenſem, Theſſalonicenſem, Epheſinam, atque Romanam. Quòd eas omnes Sanctus Paulus docuiſſet, cujus apud cunctos iſtius ſæculi hæreticos erat ſingularis authoritas. Etenim quidam ſolas ejus recipiebant litteras. Rogat & monet quemque hæreticum, ut adeat ſibi viciniorem harum Eccleſiarum, atque ita iſtic credat propriis oculis & auribus. Similem locum habet in quarto libro adverſus Marcionem: *Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti,* Cap. 5. *quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſi, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas Eccleſias.*

Undè nobis quoque authoritas præſto eſt.

Vox, *Authoritas*, hic ſignificat originem, uti & ſuprà in hoc eodem libro: *Oſtendant hæretici ex qua authoritate prodierint.* Cap. 30. Et de animæ teſtimonio liber animæ originem appellat *animæ authoritatem.* Cap. 5. Et quartus contra Marcionem liber habet: *Authoritatem Eccleſiarum.* Cap. 5. Eſt phraſis Doctori familiaris. Affirmat Africanam Eccleſiam non fuiſſe fundatam ab Apoſtolis, ſed eſſe ipſis poſteriorem, ex propagine Romanæ Eccleſiæ. Hinc ſubdit: *Iſta quàm felix Eccleſia!* Eam mirificè prædicat. Quò nempè demonſtret Africanam Eccleſiam fundatis per ipſos Apoſtolos Eccleſiis eſſe in nullo inferiorem. Huc reſpiciunt & hæc verba: *Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſerarit.* Dum nempè ipſas fundavit. Quod ipſum confitetur ac profitetur in libro de unitate Eccleſiæ Sanctus Auguſtinus: *Nonnullæ etiam barbaræ nationes poſt Africam crediderunt. Undè certum fit Africam in ordine credendi non eſſe noviſſimam.* Cap. 15. Palàm ſupponit ipſam poſt Apoſtolica tempora credidiſſe. Quod ipſum facit in Carthaginenſi Collationis Breviculo: *Eccleſia Catholica per totum mundum diffunditur, incipiens ab Hieruſalem, undè in propinqua & longinqua, creſcendo etiam in Africam venit.* Lib. 3. Cap. 8. Et in ipſa collatione Petiliano Cirthenſi Donatiſtarum Epiſcopo quærenti, *Undè cœpiſti*, idem Auguſtinus reſpondit: *Cœpit iſta prædicatio ab Hieruſalem. Indè ſe illuſtriſſimo exordio diffudit, diffundens Eccleſiam, quam tenemus. Primò per vicina, deindè per longinqua, etiam in Africam venit.* Lib. 3. Cap. 230.

Primus, quem novimus, Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus eſt Rebaptiſmi author Agrippinus. Hinc aliqui putant ipſum fuiſſe primum totius Africæ Epiſcopum, adeoque iſtam Eccleſiam ab ipſo aut ſub ipſo fundatam. Et favere videtur in litteris ad Jubajanum Epiſcopum Sanctus Cyprianus: *Multi jam anni ſunt, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt.* Ep. 73. Et in litteris ad Numidiæ Synodum: *Sententiam non novam promimus, ſed jam pridem ab Anteceſſoribus noſtris ſtatutam.* Ep. 70. Quæ verba laudat in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas Sanctus Auguſtinus, & probat. Lib. 3. Cap. 12. Et in libro de unico Baptiſmo contra Petilianum Conſtantinenſium Donatiſtarum Epiſcopum profitetur Sancto Cypriano fuiſſe ſeptuaginta Præceſſores, & ipſorum primum ponit Agrippinum. Cap. 13. Reſpondeo tamen ipſum longè aliter loqui in iiſdem de Baptiſmo libris: *Cyprianus* pro rebaptizandi conſuetudine *nonniſi in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini Concilium reperit.* Lib. 4. Cap. 6. Etenim Tertullianus putatur fuiſſe Agrippini Presbyter, ac ipſum ex incondito hæreſeon odio in iſtum errorem circumſcripſiſſe. Et ille paucis annis anteceſſit Cyprianum. Etiam in alio iſtius operis loco ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Quid ergò? Ante Agrippinum numquid non erat Eccleſia?* Lib. 3. Cap. 2. Utique Africana. Palàm affirmat Africanam Eccleſiam ante Agrippinum non dumtaxat fuiſſe fundatam, ſed inſuper numeroſam atque antiquam. Et certè Agrippinus in ſua devia Synodo habuit ſibi aſſidentes ſeptuaginta Epiſcopos: Qui eſſe non potuerint in novella ac neophyta Eccleſia. Et iſtos Sanctus Auguſtinus intelligit per Sancti Cypriani Anteceſſores. Ipſum tempora anteceſſerunt, non in Carthaginenſi Cathedra. Eſt res manifeſta. Prætereà avitam Africanæ Eccleſiæ circa hæreticorum Baptiſma conſuetudinem Agrippinus invertit, atque ita iſtic invenit Eccleſiam, non fundavit. Nota Auguſtini verba: *Non niſi in Africa ſola factum Agrippini Concilium.* Erroris convincunt Sanctum

Firmilianum, Cæſareenſem in Cappadocia Archi-Epiſcopum, qui in famoſa ad Sanctum Cyprianum epiſtola ſcripſit hæreticorum baptiſma fuiſſe ſemper à Pontica Eccleſia exſufflatum ac iteratum. Ita iſtic traditum ab Apoſtolis Agrippinum fuiſſe primum iſtius audaciæ fontem rectè affirmat Vincentius Lerinenſis. Quod ipſum in decimo pro tribus capitulis libro videtur aſſerere Facundus Epiſcopus Hermianenſis. Proindè
Cap. 3. Africana Eccleſia, licet non fundata per Apoſtolos, eſt tamen antiquiſſima. Ejus fundatorem ignoramus. Quod tamen fundata ſit, & primum Epiſcopum acceperit à Romana Eccleſia, in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum affirmat etiam S. Papa Innocentius primus: *Manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interjacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Petrus Apoſtolus aut ejus Succeſſores conſtituerunt Sacerdotes*. Et hinc lucet Africanam Eccleſiam ex Apoſtolico Canone ſpectare ad Patriarchatum Romanum.

Iſta quàm felix Eccleſia!

Per Romanæ Eccleſiæ felicitatem Doctor omninò intelligit ejus ſupremum ac univerſalem Primatum. Hinc & in libro de pudicitia, licet ad Montanum delapſus, fatetur ac profitetur ejus
Cap. 1. Epiſcopum eſſe Epiſcopum Epiſcoporum. Hunc titulum eſſe illi famoſum ac familiarem. Quod Aſia ac Phrygia ſuas de Dogmate quæſtiones ad ipſum retulerint, ac ipſe in iſtas Eccleſias plenam exercuerit poteſtatem, demonſtrat in libro ad-
Cap. 1. versùs Praxeam. Quod ipſis inferret pacis, adeoque & diſcidii ſeu excommunicationis litteras, & ipſas per ſua dogmatica definitionum Decreta compelleret ab hoc aut iſto dogmate conceſſare. Et iſtum Primatum hic fundat in meritis ac Epiſcopali Cathedra Sancti Petri Apoſtoli. Quod ipſum facit Sanctus Irenæus: *Maxima, & antiquiſſima, & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus*
Lib. 3. Cap. 3. *Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundata eſt & conſtituta Eccleſia. Ad hanc enim propter potentiorem Principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles*. Adjungit ipſam eſſe in dogmate infallibilem, cuſtodemque ac judicem omnium dogmaticarum controverſiarum. Adeò firmis atque antiquis teſtimoniorum anchoris fulcitur Romanæ Eccleſiæ Primatus atque infallibilitas. Et iſta authentica teſtimonia confundunt atque evertunt Eunuchum Photium, Michaelem Cerularium, & cunctos ipſorum Sectatores, garrientes iſtius Eccleſiæ Primatum non in Sancti Petri meritis ac dignitate, ſed in civitatis apud Romanum Imperium Prærogativa fuiſſe fundatum à Chriſto Domino ac Apoſtolis, ideoque ipſum jam pridem tranſiiſſe Roma Conſtantinopolim. Fabuloſas nugas ſuo loco diſcuſſimus.

Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.

Per Apoſtolos Doctor intelligit ſolos Apoſtolorum Principes Petrum ac Paulum. Sanctus enim Joannes licèt Romæ perhibuerit Chriſto Domino inſigne teſtimonium, attamen non profudit ſanguinem. Etiam videtur iſtic non docuiſſe. Eò adductus videtur fuiſſe ſtatim conjectus in carcerem, è carcere in ferventis olei dolium, è dolio in exilium. Porrò quòd Petrus ac Paulus Romæ docuerint, ac ibidem Neronis Imperatoris judicio Martyrium ſubierint, eſt longè certiſſimum, ac ea de re ſcribit Michael Glycas: *Impuriſſimus Princeps Nero, cùm annos plus minùs decem & ſeptem natus eſſet, primus per-* Part. 3. f. 235.
ſequi Chriſtianos cœpit, & duos ſummos viros interfecit, ut nonnulli quidem Hiſtorici volunt, uno ac eodem die, verùm diverſis annis, ut Euſebius autem memoriæ prodidit, & anno eodem, & eadem die. Quin etiam Tertullianus, vir apud Latinos illuſtris, & Cajus Scriptor Eccleſiaſticus, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, ſimul & eodem tempore Petrum atque Paulum teſtimonio ſuo doctrinam Chriſtianam obſignaſſe ſcribunt, anno videlicet Imperii Neronis decimo tertio. Notat Georgium Cedrenum, cujus Annales affirmant Sanctum Petrum ad ſecundum Neronis annum, proximè ante primum Sancti Pauli adventum & captivitatem fuiſſe occiſum. Eſt error intolerabilis. Ob varia. Glycas pro ſua veriſſima ſententia rectè adducit Tertullianum. Hic enim etiam in libro Scorpiaco ſcribit: *Vitas Cæſarum legimus: Orien-* Cap. 15.
tem fidem Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum adſtringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cum illic Martyrii generoſitate renaſcitur. Alludit ad Sancti Pauli datum Tribuno Reſponſum: *Ego autem & natus ſum*. Etiam in libro apologetico ſcribit Septimius: *Diſcipuli Romæ per Neronis ſæ-* Act. 22.
vitiam ſanguinem Chriſtianum ſeminaverunt. Quia Cap. 21.
nempè ſanguis Martyrum eſt ſemen Chriſtianorum. Et in quarto adversùs Marcionem libro: *Romanis Evangelium & Petrus & Paulus ſanguine* Cap. 5.
quoque ſuo ſignatum reliquerunt.

Michael Glycas pro ſua veriſſima opinione rectè adducit etiam Euſebium Cæſareenſem. Hic enim ſcribit in Chronico: *Primus Nero ſuper om-* An. 69.
nia ſcelera ſua etiam perſecutionem inter Chriſtianos fecit, in qua Petrus & Paulus glorioſè Romæ occubuerunt. Et in Eccleſiaſtica Hiſtoria poſt expoſitam Neronis in nos perſecutionem pergit: *Iſte*
infenſiſſimus Dei hoſtis ad Apoſtolos etiam trucidan- Lib. 2. cap. 24.
dos incitabatur. Paulum proindè, Romæ eo regnante, ſecuri percuſſum, & Petrum etiam ſuffixum cruci, hiſtoriarum monumentis proditum eſt. Quin etiam inſignis ac teſtata Petri & Pauli inſcriptio, quæ in cœmeteriis Romæ ad hoc uſque tempus manet, hujus rei geſtę fidem facit. Laudat Sanctorum Apoſtolorum epitaphia. Hic ritus eſt apud

Chri-

Chriſtianos adeò vetuſtus. Eadem omnia confirmat ex illuſtri Scriptore Cajo, qui ſub Zephyrini Pontificatu deſtruxit Montani hæreſim: *Ego Apoſtolorum trophæa perſpicuè poſſum oſtendere. Nam ſi libet in Vaticanum proficiſci, aut in viam, quę Oſtienſis dicitur, te conferre, trophæa eorum, qui Romanam Eccleſiam ſuo ſermone & virtute ſtabilierunt, invenies.* Ex hoc ſtabilimento probat Romanam Eccleſiam eſſe in dogmate infallibilem, ideoque ab omnibus Chriſtianis cum plena obedientia audiendam. Hocce dogma eſt adeò antiquum. Et hoc eſt à Michaele Glyca laudatum Caji teſtimonium. Eundem Cajum in virorum illuſtrium catalogo laudat Sanctus Hieronymus. Euſebius adducit etiam à Glyca laudatum teſtimonium Sancti Dionyſii Epiſcopi Corinthiorum in epiſtola ad Romanam Eccleſiam: *Petrum & Paulum, qui Romanos & Corinthios primi in Eccleſiam Chriſti inſeruerunt, prudenti quadam admonitione impulſi in unum locum concluſiſtis. Nam ambo, cum & noſtram Corinthi, & veſtram Romę Eccleſiam fundaſſent, & ejuſdem doctrinę Pręceptis tum noſtros, tum veſtros animo imbuiſſent, eodem tempore pariter martyriam ſubjerunt.* Nempè eodem die ac eodem anno.

Conſonat in ſuæ fugæ Apologia Sanctus Athanaſius: *Petrus & Paulus Apoſtolus, cum audiſſent*

F. 554.

oportere ſe Romę martyrium ſubire, non abjecerunt eam profectionem, ſed potiùs cum gaudio adierunt. Proindè Petrus ex Chriſti Domini juſſu illic fixit & ſuam Cathedram. Et in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus: *Paulus decimo quarto Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romę pro Chriſto capite truncatus eſt, ſepultuſque in via Oſtienſi, anno poſt paſſionem Domini trigeſimo ſeptimo.* Et in ſermonibus de diverſis Sanctus Auguſtinus: *Concordem vitam Petrus & Paulus*

Ser. 107. cap. 4.

duxerunt, ſocium ſanguinem ambo fuderunt, cęleſtem coronam ambo ſumpſerant. Diem hodiernum ambo conſecraverunt. Voces, *Socium ſanguinem*, palàm laudant etiam eundem annum. Et in Chronico Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus exponit Neronis perſecutionem, atque adjungit: *Simon Magus medio die, dum ad Patrem volare promittit in cœlum, à Dęmonibus, à quibus in aere ferebatur, adjurante Petro per Deum, Paulo verò orante, dimiſſus crepuit. Ob cujus necem Petrus à Nerone crucifigitur, Paulus gladio cęditur.* Et Pau-

Lib. 7. cap. 7.

lus Oroſius: *Nero primus Romę Chriſtianos ſupplicits & mortibus affecit, & per omnes Provincias pari perſecutione excruciari imperavit, ipſumque nomen exſtirpare conatus, beatiſſimos Chriſti Apoſtolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Eodem anno. Hinc ſequitur: *Mox acervatim miſeram civitatem obortę undique clades oppreſſere. Nam ſubſequente autumno tanta urbi peſtilentia incubuit, ut triginta millia funerum in rationem Libitinæ venirent.* Neronis perſecutionem eleganti compendio deſcribit etiam Sanctus Sulpitius Severus,

Lib. 2. cap. 41.

ac pergit: *Tum Paulus ac Petrus capitis damnati, quorum uni cervix gladio reſecta, Petrus in crucem ſublatus eſt.* Et Sancti Gelaſii Pontificis, prima Synodus: *Beatiſſimus Paulus, non diverſo, ſicut hæretici garriunt, ſed uno tempore, uno eodemque die, glorioſa morte, cum Petro in urbe Roma, ſub Cæſare Nerone agonizans, coronatus eſt, & pariter ſanctam Romanam Eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemque omnibus urbibus in univerſo mundo ſua præſentia atque venerando triumpho prætulerunt.* In ipſorum meritis tanta Synodus fundat Primatum Romanæ Eccleſiæ. Et memoratam à Michaele Glyca opinionem affirmat eſſe fabuloſum ac profanum garritum hæreticorum. Ab his circumſcriptus iſtam hauſerit Georgius Cedrenus.

Iſtud ipſum lucidiſſimè affirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. In encomiaſtica Sanctorum Tom. 6. f. 318.
Petri ac Pauli oratione deſcribit ipſorum martyrium, & concludit: *Obdormierunt in magna urbe Roma veteri, vigeſimo nono die menſis Junii, ſub iniquiſſimo Imperatore Nerone, è medio ſublati, & ad omnium Dominum atque Magiſtrum, plurimis rebus præclariſſimè geſtis, profecti.* Et in encomio duodecim Apoſtolorum: *Chriſtus, qui dixit Petro,* Oportet eum pati, *etiam de Paulo dixit,* F. 323.
Quàm multa oporteret eum pro nomine ipſius pati, *ut ille quidem cruci affixus, hic verò truncatus capite, una fide propagata, unoque etiam curſu terminato, veri teſtes Reſurrectionis eſſent, qui paſſus ac ſepultus eſt, & reſurrexit.* Et in homilia de ſecundo Domini adventu: *Nero Petrum ac Paulum ſupplicio affecit.* Et in encomio Sancti Martyris Ignatii laudat Romanæ urbis fidem, atque adjungit: *Ideò Petrus ac Paulus, & Ignatius poſt* Tom. 7. f. 505.
illos ibi fuerunt immolati, ut civitatem illam idolorum cruoribus pollutam, proprio ſanguine abluerent. Et in trigeſima ſecunda ſuper Apoſtolicam ad Romanos epiſtolam homilia deſcribit Romanæ civitatis magnificentiam & auguſta ornamenta, atque proſequitur: *Sed relictis iſtis omnibus, ob id illam beatam deprædico, quod erga illos Paulus, dum viveret, adeò fuit benevolus, adeò illos amavit, coràm diſſeruit, & poſtremò vitam apud eos finivit. Undè & civitas hinc facta eſt inſignis plus quàm à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet oculos illuſtres, Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſeſe dimittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate & horrete, quale ſpectaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro reſurgentem in occurſum Domini ſurſùm ferri.* Quòd Petrus Romæ etiam prædicaverit, disertè ſcribit in ſecunda homilia. Affirmat utrumque Apoſtolum Romæ eſſe paſſum ac ſepultum, reverenter iſtic ſervari ipſorum cineres, & ſervandos uſque ad ſupremum Domini adventum. Quod ipſum frequenter aſſerit Sanctus Auguſtinus, ſcribens Romæ videri quotidianum miraculum. Quotidiè Imperatorem adorantem ad tumulum Piſcatoris. Eſt reverà grande Dominicæ Crucis miraculum. Porrò per Piſcatorem intelligitur Sanctus Petrus. Etenim Sanctus Paulus fuit Pellio, non Piſcator.

Hær. 27. cap. 6. Eadem ſcribit Sanctus Epiphanius: *Petri ac Pauli mors in duodecimum Neronis annum incurrit.* Communis tamen ſententia affirmat incurriſſe in annum decimumtertium. Quidam concordari cenſent, ſi Epiphanium de plenis, alios intelligas de annis non plenis. Nam & hinc quidam affirmant Neronem regnaſſe annis quatuordecim, alii ſolis tredecim. Optimè Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus in tertio libro ad Autolycum: *Nero imperavit annis tredecim, menſibus ſex, diebus viginti octo.* Et Paulus Oroſius: *Nero manſit in Principatu annis non plenis quatuordecim.* Perperàm in libro contra Judæos Septimius noſter Neroni adſcribit annos dumtaxat novem. Dominus Cardinalis Cæſar Baronius Apoſtolorum mortem in ſexageſimum nonum, Onuphrius Panvinus in ſexageſimum octavum, Dionyſius Petavius in Scholiis ad Sanctum Epiphanium cenſet incidiſſe in Chriſti Domini annum ſexageſimum ſeptimum. At verò Sanctus Hieronymus in illuſtrium virorum catalogo affirmat illud glorioſum Martyrium contigiſſe anno Neronis quartodecimo, trigeſimo quinto poſt Domini Paſſionem, qui ab illo nato fuit ſexageſimus nonus. Quod ipſum in Chronico ſcribit Euſebius, addens fuiſſe Neronis annum decimum quartum. Utique inchoatum. Porrò in Principum Apoſtolorum encomio ſcribit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Paulus perfecto ſexaginta octo annorum vitæ curſu, quem pro pietate taſſitum tenuerat, quievit.* Erat igitur uno anno junior Chriſto Domino. Et hinc errorem continent hæc Sancti Hieronymi in laudato catalogo verba: *Paulus de oppido Judææ*

Tom. 6. fol. 319. *Giſcalis fuit, quo à Romanis capto, cum Parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ commigravit.* Etenim iſto tempore pleniſſima fuit pax per Judæam ac omne Romanum Imperium, nulla civitatum expugnatio. Et certum eſt Paulum fuiſſe Tharſenſem. Et iſtud in Apoſtolicæ ad Philemonem epiſtolæ Commentario agnovit ipſe Hieronymus: *Ajunt Parentes Apoſtoli Pauli de Giſcali fuiſſe regione Judææ, & ipſos, cum tota Provincia Romana vaſtaretur manu, & diſpergerentur in orbem Judæi, in Tharſum Ciliciæ urbem fuiſſe translatos, Parentum conditionem adoleſcentulum Paulum ſecutum.* Affirmat iſtam traditionem eſſe fabulam. Et rectè.

Ad præfata ſua verba addit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui triginta & quinque viros, ſumma ad ſerviendum charitate, Domino mancipavit.* In originali textu nullum eſt ſubſtantivum. Hinc ſubintelligi non debent viri. Quis enim ille ſenſus? Subintelligi debent anni, expreſſi ad voces, *Sexaginta octo.* Proindè necdum elapſo poſt Dominicam Paſſionem anno Sanctus Paulus fuit converſus, ſuæ ætatis anno trigeſimo tertio. Dominus eſt paſſus in Aprili, Stephanus in proximo Decembri lapidatus, Paulus converſus in proximo Januario. Hæc ſuo loco ſunt largiùs exponenda. Quòd autem Petrus & Paulus ſint ſimul Romæ paſſi, disertè profitetur in litteris ad Sanctum ac Magnum Leonem Pontificem Theodoretus, Cyrenſis in Euphrateſia Provincia Epiſcopus, ac ſuo tempore lumen totius Orientalis Diœceſeos. Romanam Eccleſiam & orbem laudat & extollit à multis, atque proſequitur: *Habet præterea communium Patrum & Magiſtrorum veritatis, Petri ac Pauli ſepulchra, fidelium animas illuminantia. Quorum beatiſſimum ac Divinum Par in Oriente quidem exortum eſt, & radios quaquaverſùm diffudit, ſed in Occidente vitæ occaſum ultrò ſubiit, atque indè nunc orbem univerſum colluſtrat. Hi Sedem veſtram nobiliſſimam reddiderunt. Hic bonorum veſtrorum eſt apex.* Profitetur in Principum Apoſtolorum meritis fundari Romanum Primatum. Hodierni Græculi agnoſcant ſe à ſuorum Patrum veſtigiis penitùs deviare. Utrumque Apoſtolum Romæ docuiſſe, eſſe paſſum, atque ſepultum, affirmat etiam Magnus Leo, & plurimi alii Patres. Quòd Petrus in Tiberi baptizaverit, noſter Septimius ſcribit etiam in libro de Baptiſmo. Ad omnia Patrum teſtimonia congloba nda eſſet opus grandi volumine. Cap. 4.

Plurima interim adducit in ſecundo Catholicæ Concordantiæ libro Nicolaus Cardinalis Cuſanus, atque adjungit: *Licèt quidam Marſilius Paduanus, quem poſt omnem collationem vidi, quodam loco ſecundæ partis, dicere videatur, per Canonem Bibliæ non poſſe probari Petrum Romanum Epiſcopum, immò & Romæ fuiſſe.* Marſilius Paduanus eſt è capitibus factionis, quæ Ludovici quarti Imperatoris quæſtiones contra Joannem vigeſimum ſecundum Pontificem defendens, omni impetu ſtuduit Apoſtolicæ Sedis authoritatem circumſcribere, atque hunc in finem etiam tentavit ſubvertere Romanum Epiſcopatum Sancti Petri Apoſtoli. Negare non præſumpſit. A fideli populo timuit ſpura, ac lapides. Garrivit, immò dumtaxat muſſitavit illum Epiſcopatum, ac etiam Romanam Petri prædicationem non poſſe probari ex ſacris Litteris. Nempè hæc primæ Apoſtolicæ epiſtolæ verba, *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone*, non de Romana urbe, ſed de Aſſyriorum Babylone voluit intelligenda. Cap. 34.

Joannes Calvinus fuit audacior: Laudatis Apoſtoli verbis dat hunc commentarium: *Multi ex veteribus per Babylonem putarunt Romam ænigmaticè notari. Hoc commentum Papiſtæ libenter arripiunt, ut videatur Petrus Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Neque deterret eos nominis infamia, modò Sedis Apoſtolicæ titulum prætexere ipſis liceat. Nec Chriſtum magnopere curant, modò Petrus ipſis relinquatur. Quin etiam modò retineant Cathedræ Petri nomen, ſuam Romam in profundis inferis collocare non recuſabunt. Atqui vetus illud commentum nihil habet coloris. Nec video cur Euſebio & aliis placuerit, niſi quia illo errore jam occupati erant, Petrum Romæ fuiſſe. Adde quòd ſecum ipſi pugnant. Marcum octavo Neronis anno Alexandriæ mortuum eſſe tradunt; Petrum verò ſex annis poſteà fingunt Romæ à Nerone fuiſſe occiſum. Si Alexandrinam Eccleſiam Marcus, ut volunt, conſtituit,*

Digitized by Google

tulit, diuque illic Epiſcopatu functus eſt, numquam
potuit Romæ eſſe cum Petro. Nam quod Euſebius
& Hieronymus Romanam Petri ſeſſionem in viginti
quinque annos extendunt, id facilè refellitur ex pri-
mo & ſecundo ad Galatas capite. Cùm itaque Mar-
cum tunc ſecum Petrus comitem habuerit, cùm ſcri-
pſit hanc epiſtolam, Babylone fuiſſe probabilius eſt.
Atque id quoque ejus vocationi fuit conſentaneum.
Scimus enim peculiariter datum fuiſſe Apoſtolum Ju-
dæis. Quare eas præcipuè regiones luſtrabat, in
quibus major erat gentis ſuæ frequentia. Reſpon-
deo maledicum Hæreſiarcham variè ac miſerè hal-
lucinari. Quòd enim Petrus Romæ fuerit atque
docuerit, eſt abundè demonſtratum. Cui placet
credere? Tot ac tantis Latinæ ac Græcæ Eccle-
ſiæ Patribus, an heſterno Hæreſiarchæ? Addu-
cat vel unius Patris teſtimonium. Homo de ſuo
loquitur, ideoque mendacium. Exſibilandum
potiùs, quàm impugnandum. Quòd Sanctus
Petrus fuerit Cardinalis ac proprius Romanorum
Epiſcopus, eſt æquè clarum. Etenim Sanctus
Irenæus, Euſebius Cæſareenſis, Sanctus Opta-
tus Milevitanus Epiſcopus, Sanctus Epiphanius,
ac Sanctus Auguſtinus adducunt Romanorum
Epiſcoporum ſucceſſionem & catalogum: Et
omnes primo loco ponunt Sanctum Petrum. Et-
iam Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantino-
politanus in ſuo Chronico. Quod ipſum non
dumtaxat fatentur, ſed & profitentur omnes
hodiè Græci Schiſmatici. Etiam ſchiſmatis au-
thores Eunuchus Photius, ac Michael Cerula-
rius. Suas de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Pri-
matu nugas non in Apoſtolici apud Romanos
Epiſcopatus negatione fundarunt, ſed in tran-
slatione Imperii. Ariana item Euſebianorum fa-
ctio, prima Romani Primatus impugnatrix, in
Synodalibus ac ſceleratis Philippopolitani Con-
venticuli, ac aliis item litteris profeſſa eſt Pe-
trum fuiſſe Doctorem ac Epiſcopum Romano-
rum. Etiam Sanctus Firmilianus Cæſareenſis in
Cappadocia Epiſcopus, ac totius Ponticæ Diœ-
ceſeos Exarchus, in ſuis deviis ac iracundis lit-
teris ad Sanctum Cyprianum. Conſonat in illu-
ſtrium Virorum catalogo Sanctus Hieronymus:
Simon Petrus, Princeps Apoſtolorum, poſt Epiſco-
patum Antiochenſis Eccleſiæ Romam pergit, ibique
viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit
uſque ad ultimum annum Neronis, id eſt, decimum
quartum, à quo & affixus cruci, martyrio corona-
tus eſt. Et in ſecundo adversùs Sanctum Hiero-
nymum libro Presbyter Ruffinus: *Petrus Roma-*
Cap. 51. *næ Eccleſiæ per viginti quatuor annos præfuit.* Et
Sanctus Auguſtinus etiam in ſecundo adversùs
Petilianum libro ſcribit: *Cathedra tibi quid fecit*
Romanæ Eccleſiæ, in qua Petrus ſedit, & in qua
hodiè Anaſtaſius ſedet? Et ad Imperatorem Theo-
doſium ſecundum ſcripſit Collega Valentinianus
Ep. 25. tertius: *Debemus dignitatem propriæ venerationis*
beato Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris tempo-
ribus conſervare, quatenùs beatiſſimus Romanæ ci-
vitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper
omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem
tem de fide & Sacerdotibus judicare. Et Galla Pla-

Chriſt. Lupi Opera T. IX.

cidia Auguſta ad Auguſtam Pulcheriam: *Apoſto-* Ep. 28.
lica Sedes, in qua primus Apoſtolorum beatus Petrus
Sacerdotii Principatum tenuit. Exſtant epiſtolæ
in prima parte Concilii Chalcedonenſis. Et ad
præfatum Theodoretum laudatæ Synodi Præſes
Magnus Papa Leo reſcripſit de ſua Romana Ca-
thedra: *Sedes beati Petri.* Et ejus Secretarius Ep. 63.
Sanctus Proſper in carmine de Ingratis: *Sedes Ro-*
ma Petri. Eandem phraſim habet Innocentius Ep. 18.
primus in litteris ad Sanctum Alexandrum Pa- cap. 1.
triarcham Antiochenum. Et Magnus Grego-
rius, quem Calvinus profitetur legitimum ac
authenticum Pontificem, eadem locutionis
ſpecie utitur in litteris ad ſuum Diaconum ac
Apocriſarium Sabinianum. Eandem Magnus Lib. 7.
Leo repetit in primo ſermone de Apoſtolorum Ep. 1.
Principibus. Et in exclamatorio ad Imperato- Cap. 1.
rem Conſtantinum quartum ſermone univerſa
ſexta Synodus affirmat ſibi præſediſſe, ac ſecum
definiviſſe Sanctum Petrum Apoſtolum, eò quòd Act. 18.
ipſi præſederit ejus in Cathedra Succeſſor Sanctus
Agatho. Et in ſua ad Nicolaum primum appel-
latione Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtanti-
nopolitanus profitetur omnes Romæ veteris Pon-
tifices eſſe Sancti Petri in Epiſcopatu Succeſſo-
res. Et hunc libellum probavit, ac ſuis Actis in-
ſeruit octava Synodus. Quod iſtud ipſum pro- Act. 3.
feſſa fuerit, ideoque de Romana Eccleſia, ſciens
illi omnia conceſſa à Domino, nihil fuerit auſa
conſtituere Nicæna Synodus, teſtatur in lit-
teris ad Theſſaliæ Epiſcopos Sanctus Boni-
facius primus. Exſtat epiſtola in Romana Boni-
facii ſecundi Synodo, vulgata per Dominum
Lucam Holſtenium. Et in litteris ad Zenonem Ep. 9.
Imperatorem Sanctus Felix ſecundus conſtanter
affirmat Romanam Eccleſiam eſſe Sancti Petri Ep. 4.
Sedem, ac ſe eſſe ejus Vicarium, id eſt, Suc-
ceſſorem. Eſt phraſis Patrum frequens & anti-
qua. Et in Tractatu adversùs Timotheum Ælu-
rum, ac Petrum Mogum, Eutychianos ac ſce-
leratos Alexandrinæ Sedis invaſores, ſcribit San-
ctus Papa Gelaſius: *Cùm omnes Apoſtoli æqualiter* Ep. 8.
ſpirituali luce fulgerent, unum tamen Principem eſſe
ex illis voluit Chriſtus, eumque diſpenſatione mira-
bili in Dominam gentium Romam direxit, ut in præ-
cipua urbe vel prima primum & præcipuum dirige-
ret Petrum. Ibique ſicut doctrinæ virtute ſublimis
emicuit, ita ſanguinis glorioſa effuſione decoratus,
æterno hoſpitio conquieſcit, præſtans Sedi, quam
ipſe benedixit, ut à portis Inferi numquam pro Do-
mini promiſſione vincatur, omniumque ſit fluctuan-
tium tutiſſimus portus. Affirmat Sanctum Petrum
iviſſe Romam ex mandato Chriſti Domini, iſtic
docuiſſe, ſediſſe Epiſcopum, ac eſſe defun-
ctum. Et Romanam Cathedram ex ejus ſucceſ-
ſione & meritis eſſe primam totius Eccleſiæ, &
Catholicæ fidei tutiſſimum portum, hoc eſt,
infallibilem judicem atque cuſtodem. Hunc
Tractatum & iſtam epiſtolam unà cum Theodo-
ſiani Codicis appendice vulgavit eruditus vir Ja-
cobus Sirmondus. Quid opus multis? Nonne
omnis ſub cœlo Chriſtianitas uno ore profitetur
Romæ eſſe non dumtaxat Apoſtolicam Eccle-

ſiam, ſed etiam Apoſtolicam Sedem? Et quidem
in litteris ad quoſdam Donatiſtas S. Auguſtinus
aſſirmat iſtic *ſemper vigaiſſe Apoſtolicæ Sedis Princi-*
Ep. 162. *patum*. Et rectè. Quia nempè iſtic in Epiſcopali
Sede non quicumque ſedit Apoſtolus, ſed omnium
Apoſtolorum Ptinceps Petrus. Præterire non poſ-
ſim magna Sancti Cypriani teſtimonia. In litteris
ad Sanctum Cornelium Papam ſcribit Romæ eſſe
Petri Catbedram & Eccleſiam principalem, unde
Ep. 55. *unitas Sacerdotalis exorta eſt*. Et in libro de uni-
tate Eccleſiæ: *Hoc erant cæteri Apoſtoli, quod fuit*
& Petrus, pari conſortio præditi & bonoris & po-
teſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Pri-
matus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Ca-
thedra una monſtretur. Et Eccleſiæ & Cathedræ
unitatem eſſe Divinum inſtitutum demonſtrar
inſigniter, atque concludit: *Qui Eccleſiæ renitt-*
tur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſupra quam
fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe
confidit. Et in variis epiſtolis affirmat Eccleſiam
eſſe à Chiiſto Domino ſundatam ſupra Sanctum
Petrum Apoſtolum, quia nempè hic ſuit primus
Epiſcopus Romanorum. Ex laudato de Eccle-
ſiæ unitate libro Sanctus Papa Gelaſius deſumpſit
ſua jam laudata verba adversùs Timotheum
Ælurum ac Petrum Mogum. Ad manum ſunt
& plurima alia teſtimonia. Hæc ſufficiunt, ut
quiſque videat Joannem Calvinum ſine teſte lo-
qui ex proprio cerebro.

Ejuſdem farinæ ſunt hæc ejus verba: *Atqui ve-*
tus illud commentum nihil babet coloris. Nec video,
cur Euſebio & aliis placuerit, niſi quia illo errore
jam occupati erant, Petrum Romæ fuiſſe. Etiam
hæc: *Neque deterret eos nominis infamia, modò*
Sedis Apoſtolicæ titulum prætexere ipſis liceat. Nec
Chriſtum magnoperè curant, modò Petrus ipſis re-
linquatur. Maledicus homo agit in Commenta-
rium, quo veteres Eccleſiæ Patres cenſent per
Babylonem in ptima Sancti Petei epiſtola intelli-
gi utbem Romanam. Affirmat commentarium
nullo colore fulciri, ac pet ipſum infamari Ro-
manam Eccleſiam. Et quidam exiſtimant homi-
ni eſſe fundamentum in Presbytero Ruffino, de-
clamante in Sanctum Hieronymum: *Hieronymus*
Lib. 2. *de urbe Roma, Deo favente, capite Chriſtianorum,*
ea dicit, quæ dicebantur tunc cum gentiles in ea po-
puli, & perſecutores Principes morabantur. Cen-
ſent à Ruffino culpari iſtum, qui etiam Sancto
Hieronymo placuit, commentarium. At ma-
nifeſtum eſt iſtos labi. Manifeſtum eſt iſtum
commentarium probari iſtic etiam à Ruffino.
Hic enim dicit duo. Primò, quod gentilium
perſecutionum tempore facri noſtri Scriptores
acerba dixerint de civitate Romana. Licet ex
Apocalypſi Sancti Joannis. Et inter hæc eſt et-
iam titulus Babylonis. Secundò Ruffinus dicit,
quòd Sanctus Hieronymus talia etiam nunc Chri-
ſtianis temporibus in almam urbem, immò & in
Sanctam ejus Eccleſiam effutiret. Revera enim à
Siricio Pontifice & quibuſdam ejus Clericis offen-
ſus Hieronymus eſt prolapſus in nimiam dicendi
licentiam. Undè & ad banc Ruffini Invectivam,
licèt aliàs vocaliſſimus, plenè tacuit. Solùm
igitur Hieronymum culpavit, ſacros autem novi
Teſtamenti Scriptores omninò comprobavir Ruſ-
finus, atque ita comprobavit & iſtum Commen-
tarium. Prædamnavit & Calviniſtas, qui longè
pejora, & quidem ſine fundamento, evomunt
in Romanam Eccleſiam. Qui eam, quod de pa-
gana civitate ac pagano ejus Imperio dixit divina
Apocalypſis, blaterant eſſe meretricem magnam:
Et cum maledico Donatiſtarum Epiſcopo Peti-
liano eructant ipſam eſſe Cathedram peſtilentiæ.

Porrò Cæſareenſis Euſebii verba ſunt hæc:
Conſtat Petrum Marci mentionem facere in priori epi-
ſtola, quam Romæ texuiſſe dicitur. Quam quidem
epiſtolam ibi perſcriptam oſtendit, dum civitatem il-
lam verbi translatione appellat Babylonem. Conſo-
nat in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hie-
ronymus: *Meminit Marci Petrus in epiſtola prima,*
ſub nomine Babylonis figuraliter Romam intelligens.
Quod ipſum inſinuat in epiſtola ad Marcellam.
Eundem commentarium probant venerabilis Be-
da, Œcumenius, & alii plures. Nam & ſacra
Apocalypſis Romanam urbem onerat eodem elo-
gio. Nempè ob illic liberrimè graſſantem omnis
idololatriæ & plurimorum vitiorum confuſionem.
Ita aſſerit in primo ſermone de Apoſtolorum
Principibus Sanctus Leo Magnus. Aliam inſu-
per rationem adducit in Catholica Concordantia
Nicolaus Cardinalis Cuſanus. Et adjungit pri-
mum iſtius commentarii impugnatorem fuiſſe Lib. 2. cap. 34.
Marſilium Paduanum. Quo evinceret Roma-
num Sancti Petri Epiſcopatum, aut etiam prædi-
cationem non poſſe oſtendi ex ſacris Litteris.
Ex ejus igitur fonte eundem cum augmento ſpiri-
tum bibit Joannes Calvinus. Porrò Euſebius
non definit, ſed affirmat ita dici. Etenim an
iſtam epiſtolam Sanctus Petrus Romæ ſcripſerit,
licèt omninò ita appareat, omnes fatemur non
eſſe penitùs certum. Hac de re ſcribit in ſexto
libro de Sacerdotii ac Imperii concordia Dominus
Petrus de Marca Arcbi-Epiſcopus Pariſienſis:
Petrus ex Judæa abiit Alexandriam, quæ Ægypti
Metropolis erat, & in qua habitabant Judæi ſecun-
dæ diſperſionis, inſtitutoque illic Epiſcopo Marco
Evangeliſta, Antiochiam profectus eſt, atque hinc
Babylonem, ubi degebat bæreditarius Patriarcba
Judæorum primæ diſperſionis. Ea in urbe conſtitutus
ſcripſit epiſtolam primam canonicam, uti patet ex
ſubſcriptione, quæ babet: Salutat vos Eccleſia,
quæ eſt in Babylone. *Tametſi veteres exiſtimave-*
rint Divum Petrum vocabulo Babylonis ſignificaſſe ur-
bem Romam, probabilis eſt Scaligeri conjectura, qui
ex ipſa Babylone ſcriptam à Petro putat banc epiſto-
lam ad Judæos diſperſos, qui babitabant in Provin-
tiis, quarum Synagogæ pendebant à Patriarcba Ba-
bylonis. Certè Scaliger non eſt hujus opinionis
author, ſed Marſilius Paduanus. Per Calvinum
venit ad Scaligerum. Et babet valdè parum pro-
babilitatis. Etenim adducta Domini Arcbi-Epi-
ſcopi verba non carent temerariis aſſertionibus.
Quidquid ſit, licèt iſta epiſtola non fuerit ſcripta
Romæ, binc non evincitur Petrum Romæ non
prædicaſſe, aut non ſediſſe Epiſcopum. Etenim
pro noſtro Aſſerto adducta Patrum teſtimonia
ſunt

Digitized by Google

ſunt adeò denſa & conſtantia, ut æquè ſimiliter quis poſſit de Romanæ urbis exiſtentia, quàm de Romano Sancti Petri Epiſcopatu dubitare.

Interim Calvinus pergit: *Adde quod ſecum ipſi pugnant. Marcum octavo Neronis anno Alexandriæ mortuum eſſe tradunt, Petrum verò ſex annis poſteà fingunt Romæ à Nerone fuiſſe occiſum. Si Alexandrinam Eccleſiam Marcus, ut volunt, conſtituit, diuque illic Epiſcopatu functus eſt, numquam potuit Romæ eſſe cum Petro. Nam quod Euſebius & Hieronymus Romanam Petri ſeſſionem in viginti quinque annos extendunt, id facile refellitur ex primo & ſecundo ad Galatas capite. Cum itaque Marcum tunc ſecum Petrus comitem habuerit, cum ſcripſit hanc epiſtolam, Babylone fuiſſe probabilius eſt.* Reſpondeo nos non fingere, qui ex denſiſſima authenticorum teſtimoniorum nube loquimur, ſed Calvinum manifeſtò imponere, qui ſine teſte loquitur ex proprio cerebro. Certè Timotheus Epheſinus ac alii Orientales Epiſcopi Romam acceſſerunt ad Sanctum Paulum: Cur igitur Marcus Alexandriæ Antiſtes nequeat eò acceſſiſſe ad Sanctum Petrum? Ipſos ibi ſimul, & quidem tempore ſcriptæ iſtius epiſtolæ, fuiſſe affirmat Euſebius ex Romano Clemente, ac Sancto Papia, antiquo Hierapolios apud Phrygas Epiſcopo. Cur poſſit Marcus Romam minùs acceſſiſſe, quam Babylonem. Etiam Apoſtolica ad Galatas epiſtola non favet Calvini figmentis. Etenim hæc nihil dicit, niſi quòd Petrus circa nonum Imperatoris Claudii, Chriſti Domini quinquageſimum primum, ac ſui Romani Epiſcopatus ſeptimum annum fuerit Antiochiæ ac Hieroſolymis, Apoſtolicam iſtic Synodum celebraverit, & alia egerit id genùs. Quæ non evertunt Romanum Epiſcopatum. Etenim nono ſui Imperii anno Claudius omnes Judæos proſcripſit ex Italia, atque ita Petrus redivit in Judæam.

Quòd tunc item in Pontum, Galatiam, Aſiam, Bithyniam, & Cappadociam iverit, af-
Hær. 27. cap. 6. firmat Sanctus Epiphanius: *Petrus Pontum ac Bithyniam ſæpenumerò peragravit.* An etiam tunc Babylonem iverit, ac indè ſuam primam epiſtolam ſcripſerit, non eſt impoſſibile, ſed antiqui Eccleſiæ Patres ſuo irrefragabili teſtimonio adverſantur. Affirmant Petrum, antequam Romam accederet, erecturus Epiſcopalem Cathedram, iſtis prædicaſſe Provinciis, & Romam adductum mox eaſdem in fide per epiſtolam confirmaſſe. Ita affirmat in Eccleſiaſtica hiſtoria Eu-
Lib. 3. cap. 1. ſebius: *Petrus, ut videtur, Judæis qui in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, ac Aſia diſperſi vixerunt, verbum Dei prædicavit.* Affirmat prædicaſſe ante acceſſum ad urbem. Et in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus: *Simon Petrus poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de Circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit.* Et in primo de Apoſtolorum Principibus ſermonem Magnus Papa Leo declamat ad Sanctum Pe-
Ser. 77. cap. 5. trum: *Jam populos qui ex Circumciſione crediderant, erudieras. Jam Antiochenſem Eccleſiam fundaveras. Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras.* Utique ante acceſſum ad urbem. Et ad hanc delatus mox ſcripſit priores ſuas litteras, atque ita ipſam appellavit Babylonem. Quidquid ſit, ex urbe ac Italia proſcriptus, in Judæa ſe geſſit ut Romanum Epiſcopum. Diſertè hoc profitetur in litteris ad Magnum Leonem
Theodoretus: *Si Paulus, Præco veritatis, tuba* Ep. 113.
Spiritus Sancti, ad Magnum Petrum ſe contulit, ut iis qui Antiochiæ de legali converſatione ambigebant, explicationem ab illo referret, multò magis nos humiles & puſilli ad Apoſtolicam Sedem veſtram accurrimus, ut Eccleſiarum ulceribus remedium à vobis accipiamus. Cerinthus per ſuas de legalium neceſſitate nugas tunc turbabat Eccleſias. Et præſertim Sancti Pauli apud Gentes prædicationem. Quare hic Evangelicam, quæ fidei quæſtiones ſancit Chriſtianitatis Principi reſervari, & ſine ipſo vetat definiri, regulam obſervans, Judæam acceſſit, & Petro omnia retulit, ejus oraculum accepturus & ſecuturus. Non uti ſimplicem Collegam acceſſit, ſed uti Caput & Principem. Et ſi tunc fuiſſet Petrus Romæ, eò Paulus omninò acceſſiſſet. Erat gravis quæſtio. Hinc Apoſtolicam Synodum coegit Petrus, ipſi præſedit, habuit Relationis authoritatem, & Prærogativam ſuffragii. Quæ omnia in generalibus Eccleſiæ Synodis habet etiam Romanorum Epiſcopus. Quia nempè ſuccedit in jura Sancti Petri. Et in iſto Sancti Pauli facto Theodoretus rectè affirmat fundari Romana omnium Eccleſiarum Relationes. Has eſſe Canonem Apoſtolicum. Immò eſt & Evangelicum. Ex hoc enim Paulus fuit operatus. Ecce Calvinus ubique contunditur.

Et hinc de hac ejus vanitate omnes jam paſſim Calviniſtæ erubeſcunt. Ipſam tamen non ita pridem in Notis ad Sancti Sulpitii Severi Chronicon reſumpſit homo Calviniſta Georgius Hornius: *Si Petrus numquam Romæ fuit, quomodo ibi crucifixus? Nam Babylone videtur Martyrium paſſus, ubi vixit. Ideò Clemens in epiſtola ad Corinthios, cùm dixiſſet Paulum ſub Romanis Principibus paſſum, poſtea ſubjungit Petrum eſſe paſſum martyrium, nullius loci mentione facta. Quia locus paſſionis ejus tunc ignorabatur. Nam Babylon erat ſub externo Dominio.* Exponit Eutychii Patriarchæ Alexandrini, Petri paſſionem tranſcribentis in Neroniani Imperii exordia, opinionem & errorem, atque concludit: *Ex quibus patet incertas veterum traditiones tum de loco, tum de tempore paſſionis Petri fuiſſe, & tandem pleraſque in receptiorem opinionem conſenſiſſe, crucifixum Romæ, cùm quod certè aſſererent, non haberent.* Reſpondeo hominem variè labi. Quis enim antiquus Eccleſiæ Scriptor affirmat Petrum Babylone vixiſſe, aut eſſe defunctum? Penitùs nemo. Homo ex ſuo cerebro fabulatur. Etiam Romani Clementis litteras pravè interpretatur. Quòd enim hæ affirment utrumque Apoſtolum eodem in loco, eodemque anno & die paſſum, ſuprà nobis dixit Michael Glycas.

Et

Et haud dubiè locutus eſt ex communi ſenſu Orientalis Eccleſiæ. Audiamus Clementis verba: *Propter æmulationem & invidiam, qui fideles & juſtiſſimæ Eccleſiæ columnæ erant, ad mortem uſque acerbam perſecutionem paſſi ſunt. Nobis ante oculos ponamus Sanctos Apoſtolos. Propter æmulationem iniquam Petrus non unum aut alterum, ſed plures labores ſuſtulit, atque ita Martyrium paſſus in debitum gloriæ locum adſcendit. Paulus propter æmulationem in vincula ſepties conjectus, ad Occidentis terminos veniens, & ſub Imperatoribus Martyrium ſubiens, ſic è mundo migravit.* Nullum jota, nullus apex affirmat Petrum paſſum Babylone. Quin uterque Apoſtolus ſit Romæ paſſus, ante Marſilium Patavinum nemo umquam dubitavit. Sed neque de tempore. Quis enim eſt Eutychius Patriarcha Alexandrinus? Loquitur ex Georgio Cedreno. Et cur hunc non adduxit Georgius Hornius? Eſſe hæreticum figmentum edixit Romana Synodus Sancti Gelaſii. Concludo verbis Sancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi:
Serm. 54. *Non ſine cauſa factum putamus, quòd una die, uno in loco, unius tyranni Petrus & Paulus toleravere ſententiam. Una die paſſi ſunt, ut ad Chriſtum pariter pervenirent. Uno in loco, ne alteri Roma deeſſet. Sub uno perſecutore, ut æqualis crudelitas utrumque conſtringeret. Dies ergò pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute.* Ubi Prophetam extra Hieruſalem, ita Apoſtolorum Principes non decuit pati extra Romam.

Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur.

Quod benigna Domini Dei in humanum genus providentia Sanctum Petrum Apoſtolum
Lib. 2. cap. 12. 13. 14. non dumtaxat miſerit Romam, ſed *quaſi manu deduxerit*, affirmat Euſebius Cæſarienſis; ad ſupprimendum Simonem Magum, anno ſecundo Imperatoris Claudii. Et tunc ibidem fixit Epiſcopalem Cathedram. Et ibidem prædicavit etiam ſub Neronis Imperio. De ejus martyrio
Lib. 3. cap. 1. pergit Euſebius: *Petrus ad extremum, cum Romæ verſaretur, capite deorſum ſtatuto, ſic enim perpeti cupiebat, cruci ſuffixus eſt.* Et in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus: *Petrus cruci affixus, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus elevatis, aſſerens ſe indignum, quod ſic crucifigeretur ut Dominus ſuus.*
Tract. 123. Fuiſſe crucifixum teſtatur in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium etiam Sanctus Au-
Serm. 149 cap. 3. 4. guſtinus, & in Sermonibus de tempore. Sanctus item Aſterius, Amaſenus Epiſcopus, Heleno-Ponti Metropolita, in Principum Apoſtolorum encomio affirmat Petrum à Nerone damnatum ad crucem, & proſequitur: *Petrus tanquam humilis ac ſapiens, vel in ipſo certaminis tempore ac lucta cum mortis pavore, perſpectam habens quid Dominum inter ac ſervum intereſſet, unum quid beneficii loco ab hoſtibus rogavit; ne ſcilicet eadem cum Domino figura affigerent ligno, ſed verſo ad terram capite crucifigerent. Haud quippe par eſſe, ut vel in morte æquales ſervi & Domini partes eſſent. Dixit, ac voti compos effectus eſt, crucique medio ad eum abiit, qui crucifixus reſurrexit.* Et in eorumdem Principum encomio Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Gaudeas Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad magiſtri ſimilitudinem recta quidem figura, ſicut Dominus noſter crucifigi noluiſti, ſed magis inverſo capite, veluti è terra in cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſierunt.*

De Sancti Petri paſſione ſcribit in ſermone de Baſilicis non tradendis etiam Sanctus Ambroſius: *Petrus victo Simone, cum Præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos gentilium, quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, ut paulisper cederet. Et quamvis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim, ut ad inſtituendum & confirmandum populum ſe reſervaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine quò vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem Divinum pertinere Reſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi. Intellexit ergò Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſervulo. Itaque ſpontè remeavit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuam honorificavit Dominum* JESUM. Part. 4. cap. 140.
Et hæc Ambroſii verba ſuo Decreto inſeruit Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis. Eadem non nihil Lib. 1.
mutata, ſuis adversùs Elipandum Archi-Epiſcopum Toletanum libris inſeruerunt Etherius & Beatus. Quod Nero plures Chriſtianos in crucem egerit, teſtatur in Eccleſiaſtica Hiſtoria Sanctus Lib. 2.
Sulpitius Severus. Hinc egit & Sanctum Petrum, cap. 41.
utpotè caput omnium Chriſtianorum.

Paulus Joannis exitu coronatur.

Exitu Joannis Baptiſtæ. Feritur gladio. Quidam tamen volunt ſecuri percuſſum. E prima ſua captivitate Sanctus Paulus de Epaphrodito Philippenſium Epiſcopo, qui ipſum Romæ viſitaverat, nummaria fidelium ſubſidia attulerat, ac ibi uſque ad mortem fuerat infirmatus, ſcribit ad Philippenſes: *Quoniam propter opus Chri-* Cap. 2.
ſti uſque ad mortem acceſſit, tradens animam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium. Quidam hæc intelligunt de ejus infirmitate. At longè aliud cenſet Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Veriſimile eſt Epaphroditum, cum Romam perveniſſet, Paulum in magno & gravi periculo reperiſſe, ut qui adire illum vellent, ipſi quoque minimè tutò id poſſent facere, ſed ſuo periculo accederent. Quod evenire maximè conſuevit magna commota tempeſtate, atque ubi Regum ira majorem in modum efferveſcit. Etenim cum quis, quod in Regis offenſionem incurrerit, in carcerem detruditur, arctæque cuſtodiæ traditur, tunc vel ipſi*

famuli

famuli aditu prohibentur. Quod quidem Paulo tunc accidiſſe veriſimile eſt; Epaphroditum verò, magno atque excelſo animo virum, contempſiſſe pericula, ut Paulum adiret, ei miniſtraret, atque omnia, quę opus erant, faceret. Quarè Sanctus Lucas, aſſirmans Sancto Paulo fuiſſe in prima captivitate *permiſſum manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite*, intelligendus eſt de primo primæ captivitatis biennio, quo ille *manſit in ſuo Conducto, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prędicans regnum Dei, & docens quę ſunt de Domino* JESU *Chriſto cum omni fiducia, ſine prohibitione.*

Quòd poſt lapſum biennium fuerit in firma ac dura cuſtodia, demonſtrat ſecunda ejus ad Timotheum epiſtola: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur. Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prędicatio impleatur; & audiant omnes gentes. Et liberatus ſum de ore Leonis.* Per Leonem omninò intelligit Imperatorem Neronem. Ex quo lucet hunc in Paulum leonina ferocia irruiſſe, atque tam terribili, ut omnes ſibi metuentes, etiam fideliſſimi, Apoſtolum deſererent. Nempè mancipatum firmæ cuſtodiæ. Et tunc Epaphroditus videtur ipſum intrepidus acceſſiſſe. Voces, *In prima mea defenſione*, evincunt Paulum ſæpiùs tunc ſteiiſſe ac peroraſſe ad Neronis Tribunal. Nec quis exiſtimet poſteriores ad Timotheum litteras eſſe ſcriptas ex ſecunda captivitate, ideoque & hæc omnia ad ipſam referat. Eas enim eſſe ſcriptas è primis vinculis, eſt longè certiſſimum, & poſſit lucidè demonſtrari.

Cap. 4.

De prima Sancti Pauli captivitate ſcribit in virorum illuſtrium catalogo S. Hieronymus: *Paulus poſt Paſſionem Domini vigeſimo quinto anno, id eſt, ſecundo Neronis, eo tempore quo Feſtus Procurator Judææ ſucceſſit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens cuſtodia, adversùm Judæos quotidiè diſputavit.* Et adjungit de Sancto Luca, ac per ipſum ſcripto libro Apoſtolicorum Actuum: *Ejus hiſtoria uſque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id eſt, uſque ad quartum Neronis annum.* Pauli captivitas fuit tunc adeò libera, ut non ſolis Judæis, nec dumtaxat in Trans-Tiberina Regione, aut hac vel iſta gentilium Romanorum domo, ſed & in ipſo Neronis palatio prædicaverit, plurimoſque deduxerit ad Chriſtum Dominum Hinc enim ſcribit ad Philippenſes: *Salutant vos qui mecum ſunt, fratres, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.* Et iterùm: *Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Prætorio, & in cæteris omnibus, ut plures è fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui.* Hæc verba altiſſimè clamant Apoſtolum toto primo biennio fuiſſe omni urbi non dumtaxat notum, ſed & gratum. Et ſummo fructu prædicaſſe. Verùm iſta libertas non erat, dum ſcripta fuit hæc epiſtola. Lucet ex ſequentibus ejus verbis: *Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Exponit Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Exiſtimantes mihi ita majus periculum creari, dolorem dolore cumulant. O crudelitatem! O Diabolicum impetum! Vinctum cernebant, conjectumque in carcerem, & adhuc invidebant, augere ipſius calamitates, ac vehementiori iræ reddere obnoxium cupiebant.* Utique iræ Auguſti Neronis. Et ex his diſcimus duo. Primo, quòd Sancti Pauli prima captivitas duraverit ultra biennium, ultra quartum Neronis annum. Nec adverſatur Sanctus Lucas. Etenim ſolummodò affirmat ejus liberam captivitatem non fuiſſe ulteriorem. Et ultra hanc non extendit ſuum librum. Forſitan ex metu cruenti Principis. Eſt enim periculoſum ſcribere in illum, aut de illo, qui poteſt proſcribere. Hinc & Sanctus Paulus in ſecunda ad Theſſalonicenſes epiſtola, dum notare debuit Romanum Imperium, eſt locutus per Ænigma. Secundò diſcimus Apoſtolicam ad Philippenſes epiſtolam non eſſe ſcriptam tertio aut quarto Neronis anno, ſed eſſe poſteriorem. Eſt enim ſcripta è carcere, & circumſcripta captivitate. Hæc quot annis perduraverit, non poſſim affirmare.

Quæſtio eſt, Qua occaſione Nero Sanctum Paulum ex libero Conducto conjecerit in ſtrictum carcerem? Rationem edicit in tertia ſuper ſecundam epiſtolam ad Timotheum homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Apoſtolus ibi ſcribit: *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit, ſed cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſivit, & invenit.* Et Sanctus Joannes commentatur: *Certè ea res erat plena periculis. Paulus enim infenſum tunc habebat Neronem, quòd quemdam ex familiaribus ejus fidei ac Religioni junxiſſet.* Iſtum familiarem edicit in quadrageſima ſexta homilia ſuper Actus Apoſtolorum: *Paulus dicitur ſalutaſſe Neronis Pocillatorem, & Concubinam. Quanta putatis contra illum propter hoc dicta eſſe? Sed non juſtè. Nam ſiquidem ob laſciviam ſalutaſſet, vel ob mala opera, meritò; ſi autem ob rectam vitam, quare?* Paulus, dum in libero degebat Conducto, penetravit ipſum Palatium, ipſoſque ad intimos Palatinos: Etiam ad Principis Concubinam. Et hinc apud æmulos fuit vocatus in ſuſpicionem. Et in homilia de Evangelii profectu idem Chryſoſtomus ſcribit de epiſtola ad Philippenſes: *Sciendum eſt, in quo ſtatu tunc res Pauli eſſent, cùm hęc ſcriberet. Quomodo igitur tunc agebat? In carcere erat, in catenis, & gravibus periculis.* Firmat hoc ex iſta epiſtola, laudat ejus verba de Evangelii profectu uſque ad ipſum Prætorium, ac pergit: *Nero enim eum in vincula conjecerat. Quippè quemadmodum prędo aliquis domum cunctis dormientibus ingreſſus, ut auferat omnia, ſi quem viderit accendere candelam, illum mox interimit, ut lumen exſtinguat, ut auferre & rapere alia abſque metu poſſit; ita & Nero tunc latronem & furem quemdam agens, dormientibus omnibus, profundoque ſomno gravatis, omnium bona diri-*

Tom. 5. Hom. 27.

diripiebat, nuptias invadebat, domos ſubvertebat, nullumque malitię genus intermittebat. Proindè mox ut beatum Paulum vidit accendere in mundo candelam, & adferre ſermonem doctrinę, quo ſua reprehendebatur iniquitas, ut omnia facere licenter poſſet, curavit exſtingui prędicationem, & interfici Magiſtrum. Itaque vinctum ſanctum illum conjecit in carcerem. Et tunc hęc ſcripſit Paulus: Utique epiſtolam ad Philippenſes. Hæc omnia fortiſſimè ſuadent iſtam Pocillatoris & Concubinæ converſionem contigiſſe in prima Sancti Pauli captivitate, & fuiſſe ejus cauſam. Porrò iſta Neronis Concubina poſſit fuiſſe Poppæa Sabina, illi dilecta præ cæteris, & famoſa apud Cornelium Tacitum, alioſque antiquos Romanarum rerum Scriptores. Fuiſſe piam ac in Judæos propenſam fœminam ſcribit in Antiquitatum libris, ac in
Lib. 20. cap. 7. libro de ſua vita Joſephus Judæus. Et appellat Neronis uxorem. Pocillator poſſit fuiſſe Sanctus Torpes, de quo in menſe Majo Romanum Martyrologium: *Sanctus Torpes Martyr, qui magnus in officio Neronis primùm fuit, unuſque ex his, de quibus Paulus Apoſtolus ab urbe Roma ad Philippenſes ſcribit*: Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt. *Sed poſteà pro fide Chriſti, jubente Satellico, alapis cęditur, verberibus duriſſimè afficitur, ac beſtiis devorandus traditur, ſed minimè læditur. Tandem Martyrium ſuum decollatione complevit*. Plura de ipſo habet Sanctus Ado Epiſcopus Viennenſis. Addit ex viſa ejus conſtantia converſum fuiſſe etiam Evellium Neronis Conſiliarium.

Verùm idem Sanctus Joannes Chryſoſtomus videtur aliud ſcribere in decima homilia ſuper ſecundam epiſtolam ad Timotheum: *Quam Sanctus Paulus dicit primam defenſionem? Neroni jam adſtiterat, & illæſus effugerat? Ubi verò Pincernam ejus inſtituit, ac fidei Sacramentis inſtruxit, tunc jam ipſum capite truncavit*. Affirmat hanc converſionem eſſe factam in ſecunda Apoſtoli captivitate, & ipſam fuiſſe cauſam capitalis in ipſum ſupplicii. Iſtud ipſum docet in primo libro
Cap. 4 adversùm vituperatores vitæ Monaſticæ: *Neronem prorsùs ex fama noviſtis. Etenim vir impudicitia & omni ſcelere fuit inſignis. Primus ac ſolus in tanti Imperii culmine novos quoſdam laſciviæ ac turpitudinis modos excogitavit, exquiſivit, invenit. Hic itaque Paulo Beatiſſimo ejuſmodi ac prorsùs ſimillima crimina objiciens his, quæ vos modò ſanctis Viris objicitis. Pellicem enim ejus, quam ille deperibat, atque in deliciis habebat, cùm induxiſſet fidei ac Religionis Sacramenta ſuſcipere, perſuaſerat unà inceſtum illum, ac impurum congreſſum declinare. Hæc, inquam, ille crimina objectans, corruptoremque nequam, flagitioſum atque nebulonem, & his ſimilia, quæ vos modò perſtrepitis, Paulum vocitans, primùm quidem conjecit in vincula; cùm verò ut puellæ ejuſmodi monita atque conſilia dare deſineret, illi perſuadere non poſſet, tandem necavit*. Omninò videtur fuiſſe Poppæa Sabina. Nam & hanc Nero calcibus occidit. Forſan quòd Chriſtiana ejus libidinem averſaretur. Conſonat in Principum Apoſtolorum encomio Sanctus Aſterius, Amaſenus Epiſcopus, Heleno-Ponti Metropolita, ſcribens de Sancti Pauli apud Romanos prædicatione: *Paulus erat varius bonorum Doctor, puram Dei ac ſinceram ſcientiam declarans, moralis virtutis accuratas regulas ſanciens, choreas ac ebrietatem, omnemque luxuriam ac turpem voluptatem, cui maximè tum plebs univerſa, tum is qui rerum potiebatur, erant dediti, ab humana prorsùs conſuetudine depellens*. Affirmat flagitioſum Principem fuiſſe his graviſſimè offenſum, ac proſequitur: *Nero id unum curabat ac ſollicitus agebat, ut pietatis & caſtitatis Doctorem ex urbe exſcinderet. At verò Herodis æmulatus animum, Apoſtolos in carcerem tradit, uti ille Joannem. Habenſque alterius, inſtar Herodiadis, impudicam ac Veneri mancipatam voluntatem, Petri ac Pauli quærentem caput, Martyrio ambos coronavit, alterum quidem affigens ligno, Pauli verò cervicem abſcindens*. Affirmat non ſolùm Paulum, ſed etiam Petrum ob caſtimoniæ prædicationem fuiſſe à Nerone occiſum. Et in Commentario ſecundæ ad Timotheum epiſtolæ Theophylactus: *Primam defenſionem qualem dicit Paulus? Siſtebatur primùm Neroni, & effugit mortem, adeò ut ab eo tempore prædicaret verbum. Poſtquam verò Pincernam ejus in fide inſtituiſſet, inſania exæſtuans Nero, obtruncavit eum*. Hæc omnia teſtimonia ſuadent iſtam converſionem fuiſſe cauſam ſecundæ captivitatis & capitalis ſupplicii. Cap. 4.

Reſpondeo tamen hæc non evincere. Exiſtimo Pincernæ & Concubinæ converſionem contigiſſe in prima captivitate. Etenim aut tunc facta eſt, aut certè epiſtola ad Philippenſes, ac aliæ plures in vinculis ſcriptæ, ſunt ſcriptæ in ſecunda captivitate. Hoc autem eſt devium à vero. Etenim conſtat ſecundam ad Timotheum epiſtolam eſſe omnium poſtremam. Item conſtat ipſam proceſſiſſe è prima captivitate. Ita evincunt verba: *Liberatus ſum de ore Leonis*. Ex ſecundis enim vinculis Paulus non fuit liberatus. Idem lucet ex verbis: *Trophimum reliqui infirmum Mileti*. Eſt mendum. Legendum eſt: *Melitæ*. Etenim Paulus agit de ſuo itinere ex Palæſtina Romam, in quo per Sanctum Lucam accuratiſſimè deſcripto non tranſiit nec acceſſit Miletum. Hinc enim diſceſſerat Hieroſolymam, & iſtic Synodaliter congregatis Aſiæ Epiſcopis dixerat: *Ecce ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes*. Et Trophimus iſtic non manſit Cap. 20. infirmus, ſed ſanus cum Paulo perrexit Hieroſolymam. Hic eſt enim Trophimus Aſiaticus, de quo perfidi apud Hieroſolymam Judæi clamarunt adversùs Paulum: *Inſuper & gentiles induxit in templum*. Porrò Paulus, dum Hieroſolyma eſt Romam ductus, venit per Melitam: Et tunc Trophimus ibi manſit infirmus. Et hinc lucet iſtam epiſtolam eſſe ſcriptam ſtatim à primo in urbem adventu. Ad ſecundum adventum Trophimus non fuit infirmus. Etenim Paulus, dum à Nerone dimiſſus ivit in Galliam atque Hiſpaniam, illum duxit ſecum, & Arelatenſis Eccleſia affirmat ipſum ſibi à Paulo fuiſſe conſecratum in primum Epiſcopum. Proinde Paulus, dum

Romam

Romam venit, ut quis è Judaica plebe fuit contemptus, & eum cuſtode milite permiſſus agere in ſuo Conducto. Egit per biennium. Ac interim convertit plurimos, in ipſo etiam Palatio, ac in his Pincernam Principis & Concubinam. Hinc offenſus Nero Paulum vocavit in crimen, conjecit in vincula, audivit pro Tribunali, & pro Chriſtiana Religione perorantem dimiſit. Pſeudo-Linus affirmat iſtum Pincernam fuiſſe inſuper Neronis delicioſum, nomine Patroclum. Et eſſe affectum Martyrio. At ipſius nullum meminit Martyrologium. Eſt grande indicium falſitatis.

. Reſtat quæſtio, Quomodo Paulum Nero tam facilè dimiſerit? Reſpondet in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſareenſis: *Veriſimile eſt Neronem in principio Imperii ſui mitiùs ac manſuetiùs affectum, Pauli defenſionem pro Religione Chriſtiana allatam benigniùs & faciliùs admiſiſſe.* (Lib. 2. cap. 21.) Conſonat in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus: *Sciendum in prima Pauli ſatisfactione, necdum Neronis Imperio roborato, nec in tanta erumpente ſcelera, quanta de eo narrant Hiſtoriæ, Paulum à Nerone dimiſſum, ut Evangelium Chriſti in Occidentis quoque partibus prædicaret, ſicut ipſe ſcribit in ſecunda epiſtola ad Timotheum.* Palàm affirmat hanc epiſtolam eſſe ſcriptam è primis vinculis. Et notanda ſunt epiſtolæ verba: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Edicunt Paulum tunc non fuiſſe in libero Conducto, ſed in tantis anguſtiis, ut crederet ſe tunc conſummandum. Etiam hæc verba: *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt.* Utique ex crudelis Principis metu. *Non illis imputetur. Dominus autem mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. Et liberatus ſum de ore Leonis. Et liberabit me Dominus ab omni opere malo. Et ſalvum faciet in Regnum ſuum cœleſte.* Ex his lucet Paulum etiam tunc fuiſſe captivum intra Leonis ungues, fuiſſe ſæpiùs auditum, ſæpiùs peroraſſe & ſatisfeciſſe pro Chriſtiana Religione, ac tandem fuiſſe abſolutum atque dimiſſum. Quia nempe Dominus ipſi in perorando adſtitit, & confortavit: Ut ejus prædicatio impleretur apud omnes gentes. Nec dubitandum, quin ipſi Seneca, utpotè familiariſſimus, plurimùm faverit apud Principem, atque adjuverit. Et quod Nero non niſi poſt urbis incendium inceperit debacchari in Chriſtianos, diſertè affirmant Paulus Oroſius, (Lib. 7. cap. 7.) ac Sulpicius Severus. (Lib. 2. cap. 91.) Loquuntur ex Cornelio Tacito. Hujus enim verba adducit Sulpicius. At verò iſtud incendium contigit Chriſti Domini ſexageſimo ſexto, decimo Neronis anno, triennio ante Apoſtolorum martyrium. Proindè abſolutus Paulus abiit in Galliam atque Hiſpaniam, ac tandem Romam rediit, & tunc ut Chriſtianorum Princeps eſt denuò apprehenſus, conjectus in carcerem, & tandem gladio percuſſus. Alii ob urbis incendium, alii ob Simonem Magum, alij apprehenſum dicunt ob Principis Pincernam & Concubinam. Ego exiſtimo omnes tres cauſas concurriſſe. Pincerna & Concubina, converſi in prima captivitate, tunc redierunt in Neronis memoriam, atque ita ille expetiit etiam ipſorum vindictam. Sic intelligo, paratus doceri meliora, Sanctum Joannem Chryſoſtomum, Sanctum Aſterium, ac Theophylactum. Porrò Petrus, quia Chriſtianorum caput, eſt in crucem actus; Paulus, quia civis Romanus, fuit gladio percuſſus.

In Principum iſtorum encomio Sanctus Joannes Chryſoſtomus exclamat ad Sanctum Paulum: *Cujuſmodi enſis illud guttur, Dominicum inſtrumentum, cœlo ſuſpiciendum ac terræ tremendum, pervaſit?* (Tom. 6. Fol. 318.) *Qualis locus tuum Paule ſanguinem excepit? Qui lectus apparuit in ejus veſte, qui te percuſſit. Qui barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, ut ipſe unà cum ſociis ad fidem traduceretur, ita affecit.* Quædam Acta affirmant utrumque Apoſtolum poſt mortem apparuiſſe Neroni, & ejus barbaram ferociam terribiliter compeſcuiſſe. De Sancto Marco ſcribit in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Marcus mortuus eſt octavo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ.* Fuiſſe martyrio affectum, diſertè affirmat Romanum Martyrologium. Affirmat ex Romana Sancti Gelaſii Synodo: *Marcus à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & glorioſum conſummavit Martyrium.* Attamen de Martyrio quidam dubitant. Eò quòd Nero nonniſi decimo Imperii anno poſt urbis incendium cœperit in Chriſtianos inſanire. Et quod feralia Edicta ante ipſum non fuerint miſſa in Provincias, clarè affirmant Paulus Oroſius ac Sulpicius Severus. Rem elucidat Sancti Adonis Martyrologium, affirmans Marcum à furente Alexandriæ populo fuiſſe invaſum & trucidatum. Ita varii populi tunc egerunt in Chriſtianos. Et Alexandriæ populus fuit natura turbulentiſſimus.

Apoſtolus Joannes, poſtquam in oleum ignem, &c.

Hujus rei meminit etiam Euſebius Cæſareenſis in Chronico: *Secundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur, & ſub eo Apoſtolus Joannes in Pathmum Inſulam relegatus Apocalypſim vidit, quam interpretatur Irenæus.* (An. 95.) Quod ipſum habet in Eccleſiaſtica Hiſtoria. (Lib. 3. cap. 14.) Suo item in Chronico Sanctus Iſidorus Archi-Epiſcopus Hiſpalenſis. Et in iſtius Apoſtoli encomio habet Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Joannes à Domitiano Romanorum Imperatore pulſus in exilium, in Inſulam,* (Tom. 6. Fol. 604.) *quam appellant Pathmon, venit propter verbum Dei & prædicationem pietatis. Ac Prophetiam conſcribit, quam oſtendit illi Deus, & revelationem arcanorum ac terribilium myſteriorum, ac deindè tres ſanctus ſuas epiſtolas. Poſtea verò quàm ab exilio reverſus eſt, pervenit Epheſum, ibique commorans Evangelium conſcripſit, cum eſſet annorum centum. Et uſque ad totos centum viginti annos vitam propagavit.* Habemus hinc notanda varia.

Primò,

Primo, quod prims Sancti Joannis Scriptura ſit Apocalypſis ſcripta in Pathmo. Deindè, quod omnes tres epiſtolæ ſint ejus legitimus fœtus. Tertiò, quod ſint ſcriptæ poſt Apocalypſim. Quartò, quod ultimum ejus opus ſit ſacroſanctum Evangelium. Quintò, quòd ipſum ſcripſerit anno ſuæ vitæ centeſimo. Sexto, quod Domitiani Actis ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, Joannes redierit Epheſum. Ex quo colligitur, ipſum Epheſo fuiſſe à Domitiano avocatum Romam. Septimò diſcimus, quòd epiſtolas in Pathmo, Evangelium Epheſi ſcripſerit. Octavò, quod ſit ibidem defunctus. Nonò, quod vitam protraxerit àd centum viginti annos. De quo tamen aliqui dubitant.

Hujus Apoſtolici exilii Septimius meminit etiam in libro de fuga in perſecutione, dicens Cap. 9 quoſdam Apoſtolos *de vinculis vel Inſulis, quibus ob confeſſionem, non ob fugam Divini nominis continebantur, ad Eccleſias ſcripſiſſe*. Sub voce, *Vinculis*, Sanctum Paulum, ſub voce autem, *Inſulis* palàm intelligit Sanctum Joannem. Hic namque ſolus ob Dominici Nominis confeſſionem fuit deportatus in Inſulam. Præſentem Septimii locum laudat in primo contra Jovinianum Cap. 14. libro Sanctus Hieronymus: *Joannes fuit & Apoſtolus, & Evangeliſta, & Propheta. Propheta: Vidit enim in Pathmos Inſula, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini Martyrium relegatus; Apocalypſim, infinita futurorum myſteria continentem. Refert autem Tertullianus, quòd Romæ miſſus in ferventis olei dolium purior & vegetior exierit, quàm intraverat.* Et in commentario ſuper Sancti Matthæi Evangelium: *Si legamus Eccleſiaſticas Hiſtorias, in quibus fertur, quòd & Joannes propter Martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, & indè ad ſuſcipiendam coronam Chriſti Athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Pathmos Inſulam ſit, videbimus martyrio animum non defuiſſe, & Joannem bibiſſe calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licèt Perſecutor non fuderit ſanguinem.* Affirmat ipſum eſſe verum martyrem. Proindè primus iſtius Martyrii teſtis eſt noſter Septimius. Ei ſummas debemus gratias. Addit Hieronymus in illuſtrium virorum Catalogo: *Quarto decimo Imperii anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem movente Domitiano, Joannes in Pathmos Inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſim, quam interpretantur Juſtinus Martyr, & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, ſub Nerva Principe redilt Epheſum, ibique uſque ad Trajanum Principem perſeverans, totas Aſiæ fundavit, rexitque Eccleſias. Et ſenio confectus, ſexageſimo octavo poſt Paſſionem Domini anno mortuus, juxta eandem urbem ſepultus eſt.* Decimus quartus Domitiani annus eſt Chriſti Domini nonageſimus ſeptimus: Igitur tunc Joannes eſt paſſus ſervens oleum, ac deportatus. Sexageſimus octavus poſt ejus paſſionem eſt annus ab ejus nativitate centeſimus primus, ſecundus Trajani Imperatoris. Et Sanctus Joannes paſſim exiſtimatur fuiſſe annorum centum duorum, non centum viginti. Proindè Chriſto Domino fuit uno anno ſenior. Illum omninò eſſe mortuum, conſtanter Septimius affirmat in libro de anima. Adverſam quorumdam Græcorum præſertim Patrum opinionem affirmat ortam à Menandro, qui exinde ſuam de baptizatorum immortalitate fabulam ſtuduit ſtabilire. Aſiatica Polycratis Synodus, teſtis irrefragabilis conſtanter affirmat ipſum, utique in oleo, fuiſſe Martyrem, ac Epheſi defunctum. Ejus ſepulchrum ſuo adhuc ævo exſtitiſſe apud Epheſum, in virorum illuſtrium catalogo affirmat Sanctus Hieronymus. An Romæ prædicaverit, eſt incertum. Videtur iſtic dumtaxat eſſe paſſus. Et ex hac paſſione Romanam Eccleſiam ac ejus Dogmata meritò extollit, & firmat aſſeverat Septimius. Etenim pro his omninò paſſus eſt Sanctus Joannes.

Quid cum Africanis quoque Eccleſiis conteſſeraris, &c.

Voce, *Conteſſerare*, etiam ſuprà uſus eſt Doctor: *Conteſſeratio hoſpitalitatis*. Exponit in quarto adverſùs Marcionem libro, dicens de univerſis ſub cælo Eccleſiis: *De ſocietate Sacramenti confœderantur*. Cap. 5. Porrò teſſera eſt ſocietatis Symbolum, ideoque Eccleſias conteſſerare, ſeu de ejuſdem Sacramenti ſocietate in eandem teſſeram confœderari, eſt unum ac idem iſtiuſmodi ſignum ſibi ultrò citroque figere, ac fixum retinere. Verbum, *Conteſſeraris*, non à voce, *Joannes*, *Petrus*, aut *Paulus*, regitur, ſed à voce: *Iſta quàm felix Romana Eccleſia*. Doctor affirmat Africanam Eccleſiam eſſe omninò orthodoxam, ac germaniſſimè Apoſtolicam, eò quòd ſemper cum Romana quoad omnem Catholicam communionem conteſſeraverit, ac ab ipſa acceperit conteſſerandi originem. Quòd iſta teſſera ſit Apoſtolicum Symbolum, eſt ſuo loco abundè demonſtratum. Et ipſum etiam hoc loco intelligit Septimius. Hinc ſubdit: *Unum Deum novit, Creatorem univerſitatis; & Chriſtum* JESUM *ex Virgine Maria, filium Dei Creatoris; & carnis Reſurrectionem*. Laudat tres fundamentales, cum Marcioniſtis ac aliis Gnoſticis controverſos, Apoſtolici Symboli articulos. Et pergit: *Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apoſtolicis litteris miſcet*. Hæc dicuntur præſertim in Marcionitas ac alios duplicis Divinitatis fabulones, damnantes Moſaicam Legem ac Prophetas, & ipſorum Authorem Deum impudenter blaſphemantes. Hæc Doctor adjungit Chriſtianæ teſſeræ: Quod ſint ejus fons ac fundamentum. Etenim Symbolum eſt compendium totius Divini inſtrumenti.

Indè

Inde potat fidem, &c.

Doctor laudat in Baptiſmo fieri conſuetam Apo-
ſtolici Symboli traditionem ac redditionem, de
Cap. 4. qua ſcribis etiam in libro de Spectaculis: *Aquam
ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profite-
mur*. Ex Symbolo Eccleſia fidem potat, id eſt,
propinat hauriendam à Catechumenis. Eſt phraſis
Joan. 7. fundata in Evangelio: *Si quis ſitit, veniat ad me,
& bibat*. Porrò quòd iſta fides per ſacroſanctam
aquam ſignetur, Doctor affirmat etiam in libro
Cap. 6. de Pœnitentia: *Lavacrum illud obſignatio eſt fi-
dei*. Et in libro de Baptiſmo: *Addita eſt amplia-*
Cap. 13. *tio Sacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum
quodammodò fidei, quæ retrò erat nuda*. Et ite-
rùm in eodem libro: *Fides obſignata in Patre,
& Filio, & Spiritu Sancto*. Hoc eſt, obſignata
per Baptiſmum, datum in trium perſonarum no-
Cap. 4. mine. Et in libro de Spectaculis: *Principalis
authoritas ipſius Signaculi noſtri*. Eadem phraſi uti-
tur in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſareen-
Lib. 6. cap. 4 ſis, dicens de Baſilide Catechumeno: *Fratres
ei Sigillum in Domino impetrarunt*. Et in ſuarum
Catecheſion præfatione Sanctus Cyrillus Hiero-
ſolymæ Epiſcopus: *Baptiſma eſt Signaculum ſan-
ctum*. Et in oratione adversùs Sabellii Gregales
Sanctus Athanaſius: *Habes ſummam fidei in Ba-
ptiſmate, & tribus Signaculis ſanctis, per quæ in
ſalutem regeneratus es*. Tria Sancta Signacula
appellat tres Divinas Hypoſtaſes. Et in tertio
Cap. 12. adversùs Eunomium libro Magnus Baſilius: *Ba-
ptiſmus eſt Signaculum fidei*. Et in libro de Spiri-
tu Sancto: *Baptiſma conſignat pactum noſtrum*.
Plurima ſunt ſimilia Sanctorum Patrum teſtimo-
nia. Nequaquam Circumciſioni, quam etiam
fidei Signaculum appellavit Apoſtolus, Baptiſ-
ma comparant, & evertunt virtutem operati ope-
Lib. de Bapt. c. 1. ris. Abſit. *Monſtroſiſſimæ Quintillæ, quæ homi-
nem in aquas demiſſum, & inter pauca verba tin-
ctum, mundiorem reſurgere* ridebat, eſt iſtud com-
mentum. Ex ejus Cajana hæreſi prodierunt Mar-
tinus Lutherus ac Joannes Calvinus.

Sancto Spiritu veſtit.

Baptiſmum eſſe fidei veſtimentum, abundè
liquet ex jam adductis Septimii teſtimoniis. Et-
enim obſignare eſt etiam veſtire. Hic Doctor
addit: *Veſtit Spiritu Sancto*. Agit de Chriſtianæ,
cui phraſis iſta propria, Confirmationis Sacra-
mento. Propriam ei fecit reſuſcitatus à mortuis
Luc. 24. Dominus: *Sedete in civitate, quouſque induamini
virtute ex alto*. Uti Chriſtum Dominum per Ba-
ptiſma, ita per Confirmationem propriè indui-
mus Spiritum Sanctum, & ejus ſeptem Dona,
quæ ſunt complementum Chriſtianitatis. Hoc
porrò Sacramentum Septimius laudat etiam infrà
in hoc ipſo libro, dicens de Diabolo in ſacrile-

gis Mithræ Idoli Sacris noſtra myſteria æmulan-
te: *Signat illic in fronte milites ſuos*. Et in libro Cap. 40.
de Reſurrectione carnis: *Caro abluitur, ut anima
emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur;* Cap. 8.
*caro ſignatur, ut & anima muniatur; caro manus
impoſitione obumbratur, ut & anima Spiritu illu-
minetur*. Et in primo libro adversùs Marcionem:
Creator aqua ſuos abluit, oleo ſuos ungit. Et in Cap. 14.
tertio libro: *Signaculum frontium*. Et in libro de
Baptiſmo: *Egreſſi de Lavacro perungimur benedi-* Cap. 22.
*cta unctione. Carnaliter currit unctio, ſed ſpirita-
liter proficit: Quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis
actus, quod in aquam mergimur, ſpiritalis effectus,
quod delictis liberamur*. Et in ſequenti capite: Cap. 7.
*Dehinc manus imponitur: per benedictionem advo-
cans, & invitans Spiritum Sanctum. Tunc ille
Sanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta
corpora libens à Patre deſcendit*. Videtur frontis
unctionem & manus impoſitionem in duo Sacra-
menta dividere. Olim enim utroque, & quidem
propriis precibus veſtito, ritu utebatur & Orien-
talis & Occidentalis Eccleſia. Et hinc quidam
utrumque exiſtimarunt eſſe partiale Sacramen-
tum. At ſolam unctionem eſſe eſſentialem, &
manus impoſitionem jam pridem à Græcis omit-
ti, in doctiſſimis ad ipſorum Euchologium Scho-
liis demonſtrat Jacobus Goar. Plurima ſunt &
ſanctorum Patrum & ſacrorum Canonum pro hoc
Sacramento teſtimonia, perpetuo utriuſque Ec-
cleſiæ uſu roborata. Utraque oleo commiſcet
balſamum in eſſentialem materiam. Græca in
ornamentum addit plures odoriferas ſpecies, ſtu-
dioſa arte compoſitas, quas tibi oſtendet lauda-
tum Euchologium. Plura dixi in Scholiis ad
octavam Synodum.

Euchariſtia paſcit.

Tria dumtaxat Eccleſiæ Sacramenta Doctor
adducit, non quòd plura non agnoſcat, ſed quòd
agat de traditione ac redditione Apoſtolici Sym-
boli, atque de fide Neophytorum, quibus tria
ſimul Sacramenta, Baptiſmum, Confirmatio-
nem, & Euchariſtiam, antiqua ſemper Eccleſia
impertivit. Eadem de cauſa inferiùs in hoc li-
bro, & in libro de carnis Reſurrectione conjun-
git eadem tria Sacramenta. Omnes paſſim Pa-
tres, antiquiſſimi Canones, antiquaque Eccle-
ſiarum Euchologia & Ritualia ritui atteſtantur.
Porrò Eucbariſtiæ veritatem Doctor prædicat
etiam in libro de Pudicitia: *Opimitate Dominici
Corporis veſcitur, Euchariſtia ſcilicet*. Etenim in Cap. 9.
ſimplici ſigno nulla eſt opimitas. Et in libro de
Anima: *Dominus vinum in ſui ſanguinis memo-* Cap. 17.
riam conſecravit. Fieri enim Dominus juſſit in ſui
commemorationem. Et in ſecundo ad uxorem
libro diſſuadet gentile conjugium, quod genti-
lis maritus ſumendam à fideli uxore Euchari-
ſtiam, *Et ſi ſciverit panem, non illum credat eſſe* Cap. 5.
qui dicitur. A nobis enim creditur & dicitur ve-
rum Domini corpus. Hujus eſſe ſignum genti-

lis maritus ſit facilè crediturus. Et in libro de Cap. 6. Oratione: *Domini Corpus in pane cenſetur. Hoc eſt Corpus meum*. Et in libro de Spectaculis: Cap. 25. *Amen, in ſanctum protuleris*. In ipſam ſuperſubſtantialem ſanctitatem, de qua & ad ſacram Virginem dinit Gabriel Archangelus: *Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Et infrà Cap. 29. Doctor pergit in eodem libro: *Vis & ſanguinis aliquid? Habes Chriſti*. Agit in ſanguinolenta gentilium ſpectacula, affirmatque etiam nobis talia, at diverſa plurimùm, non deeſſe. Et in libro de Reſurrectione carnis: Cap. 8. *Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur*. Et in primo adversùs Marcionem libro: Cap. 14. *Deus in pane corpus ſuum repræſentat*.

Sunt tamen & quædam loca, quæ Calviniſtis videantur favere. Primus eſt in tertio adversùs Cap. 19. Marcionem libro: *Deus panem Corpus ſuum appellat, ut hinc jam eum intelligas Corporis ſui figuram pani dediſſe*. Alter eſt in quarto ejuſdem operis libro: *Dominus acceptam panem Corpus ſuum* Cap. 40. *fecit*, Hoc eſt Corpus meum, *dicendo, id eſt, figura Corporis mei*. Tertius locus eſt in adducto libro de carnis Reſurrectione: *Quia durum & intolerabilem* Capharnaitæ *exiſtimaverunt ſermonem ejus, quaſi verè Carnem ſuam illis edendam determinaſſet, ut in Spiritu diſponeret ſtatum ſalutis, præmiſit*; Spiritus eſt qui vivificat. *Atque ita ſubjunxit*: Caro nihil prodeſt. Cap. 37. *Ad vivificandum ſcilicet*. Reſpondeo duo priora loca pro nobis exponi ab ipſo, licet invito, Joanne Calvino, profitente vocem, *Figura*, non cadere in vocem, *Corpus*, ſed in vocem, *Panis*. Et quis neget conſecrati pani ſpecies eſſe figuram Dominici Corporis, in ipſis per conſecrationem repræſentati, ſeu præſentis facti? Quod autem Domini Corpus in pane repræſentari apud Septimium ſit idem quod ſubſtantialiter præſens fieri, lucet ex ſimili in libro de Patientia phraſi de Domini Diſcipulis: *Cœleſtes ignes repræſentari volebant*: Id eſt, præſentes exhiberi. Ita Septimius frequentiſſimè loquitur. Ejus tamen de Euchariſtia ſenſum Calvinus nullo modo attigit. Producendus eſt integer Doctoris contextus: *Deus panem Corpus ſuum appellat, ut & hinc jam eum intelligas Corporis ſui figuram pani dediſſe, cujus retrò Corpus in panem Prophetes figuravit, ipſo Domino hoc Sacramentum poſteà interpretaturo*. Affirmat aſſumendum à Deo Verbo Corpus fuiſſe frequenter à Prophetis figuratum in panem, id eſt, figurata phraſi ſignificatum per vocem, *Panis*. Nominatim à Sancto Jeremia: *Mittamus lignum in panem ejus*. Hoc eſt, Crucem in Corpus ejus. Doctor addit Sacramentum hoc à Domino, *antiquitatum illuminatore*, fuiſſe ſuo tempore interpretandum atque adimplendum, ac in ſæculorum fine omninò interpretatum atque adimpletum, dum nempè *panem Corpus ſibi fecit*, & in Corpus ſuum conſecravit, atque ita in pane exſecutus eſt, quam Prophetæ promiſerant, ſui corporis figuram. Prophetarum enim figura, ſeu figurata locutio aliud non promiſit, quàm Corpus ejus in pane futurum, ſeu panem in ejus Corpus in conſecratione iri converſum. Et quia factum alienum nemo poſſit promittere, ex laudata panis figura explodit Marcioniticam duplicis Divinitatis fabulam, affirmans eum qui per Prophetas ipſam promiſit, & per JESUM Chriſtum adimplevit, non poſſe non eſſe Deum unum ac eundem. Capharnaitarum errorem, ac illi innixum Doctoris noſtri locum, in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium abundè exponit Sanctus Auguſtinus. Expoſui & ego in Scholiis ad hæreſim Berengarii.

Martyrium exhortatur.

Laudat Doctor Apoſtolicam regulam, ex qua in litteris ad Siciliæ Epiſcopos Sanctus Leo Pontifex mandat electos ad Baptiſma Catechumenos eſſe exorciſmis ſcrutandos, jejuniis ſanctificandos, Epiſt. 4. & *frequentibus prædicationibus imbuendos*. cap. 6. Harum prædicationum nobilis pars lucet ex ſubſecuta Electi profeſſinne ſeu pacto, de quo in oratione de Chriſti Domini Baptiſmo Sanctus Gregnrius Epiſcopus Nyſſenus: *Pactum in traditione myſterii cum Deo fecit, cum omnem pœnam, cruciatum, & voluptatem pro illius dilectione ſe neglecturum eſſe promiſit*. Et in epiſtola ad Heliodorum Monachum Sanctus Hieronymus: *Recordare tyrocinii tui, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba juraſti, pro nomine ipſius non te patri parciturum eſſe, non matri*. Epiſt. 1. Utique, prout rectè exponebat Heliodorus, in martyrio. Baptizandi non tantùm Diabolo, omnibuſque ejus operibus ac pompis renuntiabant, ſed & cum Deo inibant ſanctæ vitæ pacta: Et de ſubeundo martyrio pactum ſingulare. Pagani temporis ratio ita jubebat. Et ejus pacti cauſa gentiles nos appellabant *Expeditum morti genus*. Cap. 1. Ita Doctor teſtatur in libro de Spectaculis. Iſta pacta ſancti Patres admodùm, & jure merito, exaggerant. Eorum cauſa omne fidelis peccatum habet ſpecialem malitiam. Eorum item, uti & præcedentium prædicationum, cauſa Doctor dicit, quòd Eccleſia in ſuæ regulæ traditione exhortetur ad martyrium. Hocce additamento notare voluit Gnoſticos, martyrii oſores. Oſtendit martyrium, de quo omnes ex Apoſtolico Canone paciſcimur cum Deo in Baptiſmate, à vero Chriſtiano non poſſe refutari.

Hæc eſt inſtitutio, &c.

Per inſtitutionem Doctor intelligit jam à ſe laudatam faciendi Chriſtiani diſciplinam, conflatam ex Apoſtolici Symboli traditione, & aliis jam laudatis ritibus. Affirmat hanc eſſe adeò antiquam, ut non dumtaxat hæreſes prædixerit, ſed etiam omnes ex ipſa ſint ortæ & natæ. Utique per pravum intellectum ac degenerationem. Prodierunt ex illa, ſed non fuerunt ex ipſa.

Quia

Quia factæ ſunt adverſùs ipſam. *Sunt ex ipſa ortæ, quomodo ex mitis, opimæ, ac neceſſariæ olivæ nucleo aſper oleaſter, & uti ex gratiſſimæ ac ſuaviſſimæ ficus ſemine oritur ac exſurgit vana & ventoſa caprificus.* Ficus ſemen Doctor appellat papaver ob formæ ſimilitudinem. Laudatam inſtitutionem comparat rebus admodùm modicis: Quòd nempè Apoſtolici Symboli, verbi brevis ac breviantis, conſtet pauculis articulis, & pauculis ſitibus. De Chriſtiana lege rectè ſcribit contra Celſum Origenes: *Quid compendioſius excogitari queat ad ſubveniendum multitudini, quàm quod* JESUS *gentibus tradidit?* Verùm in modico papavere liciata latent infinita myſteria, innumeræ quæſtiones, quibus exhauriendis nullus ſufficit homo, immò nec genus humanum. Omnes ex ipſo ſugunt ac eliciunt: Catholici cibum & potum vitæ æternæ; hæretici venenata mendacia ac degenerationem. Lib. 1. Fol. 9.

CAPUT XXXVII.

Hæretici tamquam à Scripturis alieni, ſine Scripturis ſunt revincendi.

SI hæc ita ſe habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea Regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit, conſtat ratio Propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos ſine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Chriſtiani, nullum jus capiunt Chriſtianarum Litterarum: Ad quos meritò dicendum eſt, Qui eſtis? Quando, & unde veniſtis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure Silvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos tranſvertis? Qua poteſtate, Apelles, limites meos commoves? Quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis Auctoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum: Sicut caverunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt ſemper & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ, quam unuſquiſque de ſuo arbitrio adverſùs Apoſtolos aut protulit, aut recepit?

SCHOLION.

Si hæc ita ſe habent, &c.

Cap. 15. 16. DOctor ſuprà docuit hæc duo: *Hæretici ad diſputationem non ſunt admittendi. Correptionem in hæreticos Apoſtolus mandat, non diſputationem*. Ad has aſſertiones probandas adduxit varia, per quæ demonſtravit ſolam Catholicam Eccleſiam incedere in ea regula, quam Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli acceperunt à Chriſto, Chriſtus à Deo. Hæc eſt peremptoria adversùm omnes hæreſes præſcriptio. Et ipſam ſtare pro Catholica Eccleſia Doctor abundè ac lucidè evicit. Hinc modò redit ad laudatas aſſertiones, atque concludit: *Conſtat ratio Propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos ſine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere*. Et quomodo id etiam ſine Scripturis probetur, audi: *Si enim hæretici ſint, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt*. Quia nempè quiſquis non vivit in iſta regula, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus accepit à Deo: Quiſquis, inquam, in iſta non vivit regula, ipſa re, licèt omnis Scriptura taceret, demonſtratur non eſſe verus Chriſtianus. Hinc ſequitur & alia concluſio: *Ita non Chriſtiani nullum jus capiunt Chriſtianarum Litterarum, ad quos meritò dicendum eſt, Qui eſtis? Quando & undè veniſtis? Quid in meo agitis non mei?* Etenim ſacræ Litteræ ſunt Divinæ Majeſtatis ad ſuos filios atque hæredes epiſtola, pactum, teſtamentum, atque ita in illo non ſcripti, & per ipſum exhæredati hæretici nullum habent jus ex ipſo aut de ipſo diſputandi.

Quo Marcion jure ſilvam meam cædis?

Dominicam Divinarum Scripturarum Silvam Marcion verè dicitur cædere, utpotè qui omne antiquum inſtrumentum, trium Evangeliſtarum Scripta, omnes Catholicas, ac quaſdam Paulinas epiſtolas è Canonis fundo exſtirpare ſit conatus, Sancti Lucæ, quod unicum admittit, Evangelium truncet variè ac decurtet, atque ita iſtam Silvam cædat uti nequiſſimus ſine fronte graſſator. Hinc & in ſequenti capite dicitur de ipſo: *Ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit*. Laudatas Scripturas omnes uti Canonicas admiſit, verùm in alienos ſenſus detorſit Valentinus: Hinc dicitur Divinos verbi fontes in extraneos peſſimarum fabularum & blaſphemiarum canales dumtaxat detorſiſſe. Eleganter hæc exponit ſequens caput: *Alius manu Scripturas, alius ſenſus expoſitione intervertit. Neque enim ſi Valentinus integrè inſtrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion, manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palàm machæra, non ſtilo uſus eſt; quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: Quoniam non ad materiam Scripturas, ſed materiam ad Scripturas excogitavit. Et tamen plus abſtulit, & plus adjecit, auferens proprietates ſingulorum quoque verborum, & adjiciens diſpoſitiones non comparentium rerum.*

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

Scripturæ neceſſariò ab Hæreticis, non verò à nobis interpolatæ.

ILlic igitur Scripturarum & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, ubi diverſitas doctrinæ invenitur. Quibus fuit Propoſitum aliter docendi, eos neceſſitas coegit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent per quæ docerent. Sicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum ejus; ita & nobis integritas doctrinæ non competiſſet ſine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in noſtris? Quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod eſſet in Scripturis deprehenſum, detractione vel adjectione, vel tranſmutatione remediaremus? Quod ſumus, hoc ſunt Scripturæ ab initio ſuo: Ex illis ſumus, antequam aliter fuit, antequam à vobis interpolarentur. Cum autem omnis interpolatio poſterior credenda ſit, veniens utique ex cauſa æmulationis, quæ neque prior, neque domeſtica unquam eſt ejus quod æmulatur, tam incredibile eſt Sapienti cuique, ut nos adulterum ſtilum intuliſſe videamur Scripturis, qui ſumus à principio & primi, quàm illos non intuliſſe qui ſunt & poſteri & adverſi. Alius manu Scripturas, alius ſenſus expoſitione intervertit. Neque enim ſi Valentinus integrè inſtrumento uti videtur, non callidiore ingenio quàm Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palàm machæra, non ſtilo uſus eſt: Quoniam ad materiam ſuam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: Quoniam non ad materiam Scripturas, ſed materiam ad Scripturas excogitavit. Et tamen plus abſtulit, & plus adjecit, auferens proprietates ſingulorum quoque verborum, & adjiciens diſpoſitiones non comparentium rerum.

SCHOLION.

Illic Scripturarum & expoſitionum adulteratio deputanda, &c.

SAcræ Scripturæ, ſeu per interpolationem, ſeu per pravam ac novam expoſitionem, adulterium eſſe manifeſtum ſignum, ac neceſſarium omnis Hæreſis effectum, nervosè & lucidè Doctor oſtendit. Nonnè enim non ſolum in hocce, ſed etiam in iſtud ſeſe præcipitare ad nova ſua Dogmata fucanda compulſus fuit Martinus Lutherus? Et quidem ſceleratus Marcion iſti ſuæ audaciæ factam à Judaiſmi protectoribus interpolationem prætexuit, at verò ille multò ſceleratior, novæ lectionis ſeu translationis cauſam rogatus, repoſuit ex impudentiſſimo Hæreſiarchæ ſpiritu: *Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit Papiſtam & aſinum eſſe rem unam. Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.* Erat enim novus Wittembergenſium Evangeliſta, ideoque Divinas utriuſque teſtamenti litteras poterat novo ſuo Pſeudo-Evangelio adaptare. Quo peſſimo privilegio uſus inſigniter eſt etiam Genevenſium Pſeudo-Apoſtolus, Joannes Calvinus. Deo laus, nos Papiſtæ iſta facinoroſa arte non indigemus. Etenim retinuimus germanam Apoſtolicæ doctrinæ conſanguinitatem, nihil uſque hoc admiſimus illi aut Canonicis ejus Litteris adversùm, quod adjectione, detractione, tranſmutatione aut nova interpretatione curaremus. Unicam illam novimus interpretationem, quam Patres noſtri acceperunt ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo.

Cùm omnis interpolatio poſterior credenda ſit, &c.

Scripturas nequaquam à nobis, ſed à Marcione fuiſſe interpolatas probat Doctor ex hujus poſteritate, de qua elegantiſſimè ſcribit etiam in
Cap. 4. & 5. quarto adversùs iſtum libro: *Humanæ temeritatis, non Divinæ authoritatis negotium eſt hæreſis, quæ ſic ſemper emendat Evangelia, dum vitiat. Itaque dum emendat Marcion, utrumque confirmat: Et noſtrum anterius, id emendans quod invenit; & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens, ſuum & novum fecit. In ſumma, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod eſt ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis, pariter utique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias fuerit ſacroſanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii: Quid etiam Romani de proximo ſonent. Habemus & Joannis alumnas Eccleſias. Dico itaque apud illas, non ſolùm jam Apoſtolicas, ſed apud univerſas, quæ illis de Sacramenti ſocietate confœderantur, id Evangelium Lucæ ab initio editionis ſuæ ſtare, quod cum maximè tuemur. Marcionis verò pleriſque nec notum eſt. Nullis autem notum, ut non ab eo, damnatum. Habet planè & illud Eccleſias, ſed ſuas: Tam poſteras, quàm adulteras. Quarum ſi cenſum requiras, faciliùs Apoſtaticum reperias, quàm Apoſtolicum, Marcione ſcilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Marcionitæ.* Quæ omnia pleniſſimè quadrant etiam dogmatibus Lutheri & Calvini, & interpolatis per ipſos Scripturis. Etiam ſunt Eccleſiæ apud eorum Symmiſtas, uti ſunt favi apud veſpas.

Marcion exertè & palàm machæra uſus eſt.

Machæra eſt grandis gladius, ſtilus eſt modicum, doloſis & occultis, ideoque pejoribus vulneribus infligendis aptatum ferramentum. Marcion ipſam litteram & textum, Valentinus ſolum ſacrarum litterarum legitimum ſenſum invaſit: Hinc ille machæra, hic ſtilo dicitur uſus. Rectè de iſto additur: *Plus abſtulit, & plus adjecit.* Singulorum enim penè verborum proprietates ſeu legitimum ſenſum abſtulit, & ipſis ſubintruſit diſpoſitiones rerum non comparentium, id eſt, nugas & fabulas in Divinam Majeſtatem horrendiſſimè blaſphemas. Quod facinus illatis in ſacrum Textum violentis manibus nequaquam eſt minus.

CAPUT XXXIX.

Tanta Scripturæ interpolandæ facilitas , quanta & fæcunditas.

HÆc ſunt ingenia de Spiritalibus Nequitiæ ; cum quibus luctatio eſt nobis , fratres , meritò contemplanda ; fidei neceſſaria , ut Electi manifeſtentur , ut Reprobi detegantur . Et ideò habent vim , & in excogitandis inſtruendiſque erroribus felicitatem non adeò mirandam , quaſi difficilem & inexplicabilem , cùm de ſæcularibus quoque Scripturis exemplum ſit ejuſmodi facilitatis . Vides hodiè ex Virgilio fabulam in totum aliam componi , materia ſecundùm verſus , verſibus ſecundùm materiam concinnatis . Denique Hoſidius Geta Medæam tragœdiam ex Virgilio pleniſſime exſuxit . Meus quidam propinquus ex eodem Poeta inter cætera ſtili ſui otia Pinacem Cebetis explicuit . Homero-Centones etiam vocari ſolent , qui de carminibus Homeri propria opera more centenario ex multis hinc inde compoſitis in unum ſarciunt corpus . Et utique fœcundior Divina litteratura ad facultatem cujuſque materiæ . Nec periclitor dicere ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas , ut hæreticis materiam ſubminiſtrarent , cum legam oportere hæreſes eſſe , quæ ſine Scripturis eſſe non poſſunt .

S c h o l i o n.

Hæc ſunt ingenia de Spiritualibus Nequitiæ , &c.

QUòd hæreſes & ſchiſmata ſint Diaboli artificia , quòd militanti Eccleſiæ ad Electos manifeſtandos ae detegendos Reprobos ſint utilia , & certo modo neceſſaria , & quòd ab iſto peſſimo Magiſtro habeant vim ad ſacras Litteras pravè interpretandas , atque ita ex ipſis varios errores excogitandos ac inſtruendos , eſt abundè demonſtratum in ſuperioribus . E noſtra plebe quidam ſimplices iſtam nequiſſimam vaſritiem cenſebant eſſe difficilem , inexplicabilem , ideoque & admirandam felicitatem , atque ita in ſua fide ceſpitabant . Hos firmat noſter Doctor , & iſtam nequitiam eſſe facilem , ideoque & admiratione indignam demonſtrat ex Homeſianis ac Virgilianis Centonibus , de quibus & Sanctus Irenæus , agens de Valentinianis : *Dictiones & nomina diſperſim* in ſacris Litteris *poſita colligentes transferunt ex eo , quod eſt ſecundùm naturam , in id quod eſt contra propriæ acceptionis naturam , ſimilia facientes iis , qui controverſias ſibimet ipſis quaslibet proponunt , poſt deindè conantur & Homericis verſibus meditari eas , ita ut idiotæ putent ex illa temporali declamata controverſia Homerum verſus feciſſe . Et multi abducuntur per compoſitam conſequentiam verſuum , ne fortè hæc ſic Homerus fecerit .* Ait ab ipſis tractari ſacras Litteras , *quomodò ſi quis Regis imaginem bonam , fabricatam diligenter ex gemmis à ſapiente artifice , ſolvens ſubjacentem hominis figuram , transferat gemmas illas , & reformans faciat ex eis formam canis vel vulpeculæ , & hanc malè diſpoſitam , dehinc confirmet , & dicat eſſe Regis illam imaginem bonam , quam ſapiens artifex fabricavit , oſtendens gemmas , quæ benè quidem à primo artifice in Regis imaginem compoſitæ erant , malè verò à poſteriore in canis formam translatæ ſunt , & per gemmarum phantaſiam decipiat idiotas , qui comprehenſionem Regalis formæ non habeant , & ſuadet quoniam hæc turpis vulpeculæ figura , illa eſt bona Regis imago .* Eodem modo

Lib. 1. cap. 1.

illi

illi varias locis ſuis avulſas, & in unam erroris ſui ollam confuſas Divini Verbi ſententias tranſformant in fœdiſſimas fabulas ſuæ blaſphemiæ, & clamant cum Martino Luthero: *Verbum Domini manet in æternùm*. Laudata de Homericis Centonibus verba operi ſuo inſeruit, atque illuſtravit Sanctus Epiphanius. Ex iſta peſſima arte enaſci pleraſque hæreſes teſtatur Sanctus Joannes Chryſoſtomus in prima homilia de verbis Sancti Jeremiæ Prophetæ. Quod ipſum repetit in ſeptima decima homilia tomi quinti. Tom. 3.

Hoſidius Geta.

Jacobus Pamelius legit, *Ovidius*. Et quidam exiſtimant quod rectè. Etenim Ovidii Medæam laudat etiam in libro de Oratoribus ſeu Cornelius Tacitus, ſeu Fabius Quintilianus. Nec ſine cauſa Septimius addidit cognomen, *Geta*. Ita nos docet Ovidium hunc eſſe diverſum ab Ovidio Naſone. At verò alii cenſent legendum, *Hoſidius*. Et hunc cenſent eſſe Romanum Conſulem, Collegam Vaſellii. Et certè ad præſentis ſæculi annum tertium Neapoli in Campania fuit inventum ac erutum Senatus-Conſultum, factum ſub Imperatore Claudio, C. N. Hoſidio Geta, L. Vaſellio Conſulibus, adversùm eos qui negotiandi cauſa emiſſent quod ædificium, ut diruendo plus acquirerent, quàm quanti emiſſent, & cruentiſſimo genere negotiationis immaniſſimam pace faciem inducerent ruinis domuum, villarumque. Ita deſcribo ex Nicolao Rigaltio. Et hic adjungit de iſta tragœdia: *Ea tragœdia exſtat penes clariſſimum Salmaſium, undè aliquot verſus editi à P. Scriverio in Collectaneis veterum Tragicorum.*

Meus quidam propinquus.

Cebetis Doctor meminit etiam in libro de Anima, ſcribens de Chriſtiana Religione: *In iſto tenebroſiore carcere ſæculi inter ſuos Cebetas & ſuos Phædones, ſi quid de Anima examinandum eſt, ad Dei regulas dirigit*. Agit de Socrate Philoſopho, qui ab Athenienſibus damnatus ad mortem, in carcere diſputavit de immortalitate animæ. Diſputavit cum Diſcipulis ſuis, Phædone Helienſi, ac Cebete Thebano. Eos Laertius numerat inter nobiliores Philoſophos. Quis fuerit ille noſtri Septimii, inſignis haud dubiè Poeta, propinquus, ignoratur. Porrò Cebetis Pinacem ſeu fabulam exponit Svidas: *Cebes Thebanus Philoſophus, Socratis diſcipulus. Dialogi ejus exſtant tres: Hebdome, id eſt, ſeptima. Phrynichus, Fabula, quæ eſt eorum, quæ apud inferos ſunt, narratio.* Etiam nuper confrater noſter, Reverendus P. Petrus Vinkelius ex verſibus Virgilianis elegantiſſimè concinnavit vitam Sancti Thomæ de Villanova, Eleemoſynarii & Archi-Epiſcopi Valentini.

Et utique fœcundior Divina Litteratura.

Sacras Litteras eſſe ſenſu ſuprà Homeri aut Virgilii verſus longè fœcundiores, rectè affirmat Septimius. Ipſas eſſe theſaurum, in quarum *vel brevi dictione variam ſententiarum vim, & immenſas divitias invenire licet*, ſcribit in tertia ſuper Geneſim homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Aſſirmat eſſe *fontem largis & perennibus fluentis ſcaturientem*. Addit in homilia ſextadecima: *Etiam in parva dictione ſenſuum gravitas, & immenſæ inveniuntur divitiæ. Talis enim natura hujus theſauri, ut abundare faciat eos, qui ſe inveniunt, & numquam deficiat. Fontis enim hujus ſcaturigo eſt Spiritus Sanctus*. In homilia vigeſima prima *etiam in nominum*, quæ in Geneſi fit enumeratione, multas, latenteſque ſententiarum divitias pollicetur oſtendere, quòd neque ſyllaba vel apiculus ſit in ſacris Litteris, in cujus profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus. Quod ipſum repetit, & ad quaſvis hiſtorias extendit in homilia vigeſima quarta. Et in ſecunda ſuper ſextum Sancti Iſajæ caput homilia graviter arguit illos, qui poſteaquam ſacras Litteras in manus ſumpſerint, deindè reperierint vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſionem, illicò prætercurrunt, & incuſantibus reſpondent: *Nomina tantùm ſunt, neque quidquam habent utilitatis*. Affirmat nec eſſe litteram aut apicem, in quo non lateant magnæ opes. Ipſas à nobis numquam exhauriri poſſe ſcribit in laudata tertia ſuper Geneſim homilia, atque adjungit: *Nec mireris ſi nobis hoc accidat. Etiam qui ante nos fuere pro viribus ſuis aquas indè hauſerunt. Similiter & qui poſt nos futuri ſunt, idem attentabunt. Neque ſic totum evacuare poterunt, ſed magis interim augeſcunt fumina, & increſcunt.* Hanc dicit eſſe ſpiritalium theſaurorum & fontium naturam, ut eò magis ſcaturiant, & accreſcat ſpiritalis gratia, quò quis magis indè haurire ſtudet. Hinc & ad Judæos Dominus dixit: *Scrutamini Scripturas*. Intuemini ejus in profundo venas, uti ſoles in auri & argenti fodinis. *Scrutamini*, inquit in homilia de quibuſdam Abrahami verbis idem Doctor, *non corrumpite. Scrutamini, non ſimpliciter legentes, ſed altitudinem ſenſuum perveſtigantes. Scrutamini, non calumniamini, fidem adhibentes, non autem contradicentes. Scrutamini ſine curioſitate*. Sacras namque Litteras eſſe adinſtar manna, quod aliis dulciſſimum erat, Lib. 1. Qu. 6. aliis pariebat nauſeam, ſcribit in libris de Lotharii Regis divortio Hinchmarus Metropolita Rhemenſis. A ſacratum Litterarum pravis Interpretibus vinum verti in venenum affirmat in epiſtola adversùs ſuum nepotem Hinchmarum, Epiſcopum Landunenſem. Cap. 38. Bonum Evangelicæ, ſeu verbo ſeu ſcripto factæ, prædicationis odorem ipſe Apoſtolus ſcribit eſſe aliis in vitam, aliis in mortem. Nam etiam panis eſt accipitri venenum.

CA-

CAPUT XL.

Diabolus Divina æmulatus eſt myſteria.

SEd quæritur, à quo intellectus intervertatur eorum, quæ ad hæreſes faciant? A Diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum Divinorum, in Idolorum myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam: Utique credentes & fideles ſuos. Expiationem de Lavacro repromittit. Et ſi adhuc initiat Mithræ, ſignat illic in frontibus milites ſuos. Celebrat & panis oblationem. Et imaginem reſurrectionis inducit. Et ſub gladio redimit corona. Quid? Quod & ſummum Pontificem in unis nuptiis ſtatuit? Habet & virgines, habet & Continentes. Cæterùm ſi Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi Sacerdotalia officia, inſignia & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè Diabolus moroſitatem illam Judaicæ legis imitatus eſt? Qui ergò ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectavit exprimere in negotiis Idololatriæ, utique & idem & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque Divinarum rerum & Sanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ & æmulæ fidei attemperare. Et ideò neque à Diabolo immiſſa eſſe Spiritualia Nequitiæ, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet, neque ab Idololatria diſtare hæreſes, quum & auctoris & operis ejuſdem ſint, cujus & Idololatria. Deum aut fingunt alium adversùs Creatorem: Aut ſi unicum Creatorem confitentur, aliter eum diſſerunt quàm in vero eſt. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus eſt Idololatriæ.

S c h o l i o n.

A Diabolo ſcilicet, &c.

HÆreticam ſacrarum Litterarum, ſeu quoad textum, ſeu quoad ſenſum, interpolandarum nequitiam eſſe Diaboli, Divina ſemper æmulantis, & conantis ſubvertere, proprium opus, oſtendit Doctor ex ſimili ejus verſutia circa Divina non Moyſis tantummodo, ſed & JESU Chriſti Sacramenta, de quibus ſcribit in li-
Cap. 21. bro Apologetico: *Orpheus Pieriæ, Muſæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ, Initiationibus homines obligaverunt.* Et in libro de Baptiſmo, poſtquam noſtra Sacramenta eſſe ſolo effectu magnifica, actu autem ſimplicia, ſine apparatu, ſine pompa, ſine ſumptu dixiſſet, proſequitur: *Mentior, ſi non è contrario Idolorum Solemnia vel Arcana de ſuggeſtu & apparatu, deque ſumptu fidem & authoritatem ſibi extruunt.* Ita Diabolus ſua Divinis oſtentavit digniora. Eis fuiſſe varias hominum conſecrationes, Cap. 21. Cap. 2.
quas à nobis irrideri ſerebat indigniſſimè, immò quas & noſtris & Judaicis eſſe multò antiquiores clamabat homo gentilis Longinianus, ſcribit etiam in litteris ad Deo-gratias Presbyterum Sanctus

ſtus Auguſtinus. Et in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium: *Fingunt Spiritus mali um-*
Epiſt. 21. *bras quaſdam honoris ſibimet ipſis, ut ſic decipiant*
Epiſt. 49. Qu. 2. 3. *eos, qui ſequuntur Chriſtum.* Sacrilegis ſuis Sa-
Tract. 7. cris noſtra, quibus ſoli Deo vivo & vero ſervire & initiari licet, Chriſtianitatis Divina myſteria admiſcent, ut & ipſi Dii habeantur, & tamquam tales à deceptis populis adorentur. Quòd etiam Numa Pompilius ſua Sacra, omnium Romanorum prima, è Moſaicis myſteriis fuerit mutuatus, ſcribunt Antiqui Doctores.

Tingit & ipſe quoſdam, &c.

Diabolicum hunc atque Idololatricum Baptiſmum Doctor latiùs exponit in libro de Baptiſ-
Cap. 5. mo: *Nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium Poteſtatum, eadem aquarum efficacia Idolis ſuis ſubminiſtraat. Sed viduis*, nullam Divinæ aſſiſtentiæ virtutem habentibus, *aquis ſibi mentiuntur. Nam & Sacris quibuſdam per Lavacrum initiantur Iſidis alicujus aut Mithræ. Ipſos etiam Deos ſuos lavationibus efferunt. Cæterùm villas, domos, totaſque urbes adſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim. Certè ludis Apollinaribus & Eleuſiniis tinguntur, idque ſe in Regenerationem & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt. Item penes veteres quiſquis homicidio ſe infecerat, purgatrice ſe aqua expiabat. Studium Diaboli cognoſcimus res Dei æmulantis, cùm & ipſe Baptiſmum in ſuis exercet.* Conſonat in ſecunda Apologia glorioſus Martyr Juſtinus: *Hoc* Chriſtianæ Regenerationis *Lavacrum Dæmones cùm à Propheta prædictum cognoviſſent, perfecerunt etiam ut ſe adſpergerent ii, qui in templa ipſorum intrarent, & ad eos acceſſuri eſſent, libamenta & ſacrificia peragentes.* Et in libris adversùs Parmenianum, Carthaginenſem Donatiſtarum Epiſcopum, locum Eccleſiaſtici, *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus*, exponit Sanctus Auguſti-
Lib. 2. nus: *Ut interim differam diligentiorem iſtorum ver-*
cap. 10. *borum inquiſitionem, tutiſſimè accipio Paganorum Baptiſmata eſſe denotata, qui homines & à juſtitia, & ab iſta vita mortuos colunt, in quorum nomine baptizantur.* Et in libris contra Petilianum,
Lib. 1. Conſtantinenſem ejuſdem factionis Epiſcopum:
cap. 9. *Baptizantur à mortuis, qui baptizantur in Idolorum templis. Iſtic enim nec homo baptizans vivit, nec Deus, in cujus nomine baptizatur.* Et adjungit: *Non enim & ipſi à Sacerdotibus ſuis ſe accipere arbitrantur ſanctificationem quam putant, ſed à Diis.* Et in libris adversùs Creſconium, ejuſdem Sectæ Grammaticum: *Et ipſi non in nomine*
Lib. 2. *Sacerdotum ſuorum, ſed Deorum, de quibus vana*
cap. 25. *opinantur, ſe ſanctificari putant.* Ita Diabolus ſtuduit plenè æmulari Dominum Deum, in cujus Baptiſmate nequaquam miniſter ſanctificat, ſed ſolus ille, de quo dictum eſt: *Hic eſt qui baptizat.* Et iſto in dogmate Sanctus Auguſtinus affirmat Paganos fuiſſe Donatiſtis ſaniores.

Expiationem de Lavacro promittit.

Quòd Pagani Baptiſma ſuum in peccatricis animæ Regenerationem, ſuorumque perjuriorum, homicidiorum, & aliorum criminum expiationem darent atque acciperent, jam audivimus à Doctore noſtro, & à Sancto Auguſtino, qui addit in quinto popularium ſermonum fragmento: *Sacra omnia, quæ celebrantur à Paganis, valere dicunt ad purgationem animarum ſuarum.* Apud eundem Auguſtinum Longinianus dixit & ſummum & mediatores Deos non ſolis piis, juſtis, puris & caſtis ſermonibus atque operibus conciliari, ſed opus inſuper eſſe, ut Sacrorum Præceptis & expiationibus purgetur anima, & à vitiis decoquatur. Ita nos ad juſtitiam requiri dicimus & cordis converſionem, & regenerans Sacramentum, adeò ut alterum ſine altero parum ſit, ſed utrumque perficiat æternitatis hæredem. Et unicum fundamentum, ex quo Porphyrius & Platonici omnes Theurgicis & magicis ſacrilegiis ſeſe miſerrimè macularunt, fuit vana ſpes animæ per ipſa purgandæ. Hinc item impius Zozimus, ubi Conſtantini Magni in filium Criſpum & Fauſtam uxorem facinora exag-
geraſſet, ſubjungit: *Horum ipſe ſibi conſcius, & præterea contemptæ Sacramentorum religionis, ad Flamines accedens, admiſſorum luſtrationes poſcebat. Illi reſponderunt non eſſe traditum luſtrationis modum, qui tam fœda piacula poſſet eluere.* Lib. 2.
Adjungit & mentitur illum ex hac deſperatione fuiſſe verſum ad Chriſtianorum Epiſcopos, atque ita ab illis in omnium peccatorum remiſſionem fuiſſe baptizatum. Paganam enim invidiam adversùs Baptiſma noſtrum, quaſi quòd nimiùm facilem faceret omnis criminis impunitatem, atque ita ſeſe maculandi & præcipitandi anſam & fomenta præberet, graviter & clamosè, ſed calumniosè, & perperàm oblanniviſſe, poſſet demonſtrari authenticis Patrum teſtimoniis. Ipſum Diabolus non tantùm æmulari ſtuduit, ſed & infamare.

Mithræ.

Quis & qualis Paganorum Deus fuerit Mithra, edicit in litteris ad Valentinianum ſecundum Imperatorem Sanctus Ambroſius: *Quem Cœleſtem* Epiſt. 12.
Afri, Mithram Perſæ, plerique Venerem colant, pro diverſitate nominis, non pro Numinis varietate. Et Gracchum urbis Præfectum, Lætæ matronæ propinquum, qui Mithræ ſpecum & portentoſa ſimulachra Romæ everterat atque exuſſerat, laudat Sanctus Hieronymus. Exponit in Scholiis Marianus Victorius Epiſcopus Reati- Epiſt. 7.
nus: *Mithram Perſæ, Solem vocant, mactabantque ei bovem, cornibus è ſpecu eductum. Simulachrum ejus leonis habebat faciem cum tiara, cornuaque*

que

quæ bubula utraque comprimebat manum. Loquitur ex Luctacio Placidio in Papinii Statii Poetæ commentariis: *Perſæ in Spelæo Solem colunt, & hic Sol proprio nomine vocatur Mithra. Eſt autem ipſe Sol vultu leonis, cum tiara, Perſico habitu, & utriuſque manibus cornua tauri comprimens.* Facies Solis ſignificat eum inter Deos, uti Leo eſt inter belluas, eſſe Regem. Taurus ſignificat Lunam, de qua idem Luctacius: *Simulacbrum Mithræ fingitur reluctantis tauri cornua retentare, quo ſignificatur Lunam ab eo lumen accipere, cùm cœperit ab ejus radiis ſegregari.* Et hic intellige Septi-
Cap. 13. mium in primo adversùs Marcionem libro: *Aridæ & ardentis naturæ Sacramenta Leonis Mithræ philoſophantur.* Hoc eſt, Deo Mithræ affictа Leonis facies eſt gentile Sacramentum, qua is ſignificetur eſſe aridæ & ardentis naturæ. Eſt enim Sol, quem in libro de Mercurii & Philologiæ nuptiis Marcianus Capella ab aliis Serapim, ab aliis Oſirim, ab aliis Titana, ab aliis Apollinem, ab aliis Atym, ab aliis Ammonem intitulari ait, atque concludit: *Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.* Deas omnes ad Lunam, omnes Deos ad Solem referri oſtendit etiam Aurelius Macrobius in libris Saturnalium. Hic eſt ille Deus Afrorum Pileatus, de quo in ſeptimo ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu Sanctus Auguſtinus: *Illi ipſi qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſcent præcantationibus ſuis nomen Chriſti, quia non poſſunt ſeducere Chriſtianos, utique ad Chriſti nomen abnegandum. Ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id quod dulce eſt, lateat quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem. Uſque adeò ut ego noverim aliquo tempore illius Pileati Sacerdotem ſolere dicere: Et ille Pileatus Chriſtianus eſt. Ut quid hoc, fratres, niſi quia aliter non poſſunt ſeduci Chriſtiani?* Quo plenè videretur Chriſtianus, idem ille Pileatus in ſuis Sacris juſſit baptizari, confirmari & ungi frontem, celebrari oblationem panis ac vini, & martyria coronari. Sanctus Auguſtinus iſtic addit & aliam ejus nequitiam: *Magnum eſt ſpectare per totum orbem terrarum victum Leonem,* utique Diabolum, *ſanguine Agni. Neſcio quid ſimile imitatus eſt quidam ſpiritus, ut ſanguine ſuum ſimulacbrum emi vellet, quia noverat pretioſo ſanguine quandocumque redimendum genus humanum.* Porrò è Cœleſtis iſtius apud Afros Pileati Baptiſmo videtur fluxiſſe Baptiſma Cælicolarum, damnatum à
Epiſt. 163. Sancto Auguſtino in litteris ad quoſdam Donatiſtarum Epiſcopos, & à quibuſdam fidelium Imperatorum legibus, exſtantibus in Codice Juſtiniani. In laudatis litteris Cælicolarum Major videtur eſſe idem, qui Sacerdos Pileati. A capitis apud Afros ornamento fuit dictus Pileatus. Apud Perſas fuit dictus etiam Balthazar. Et hinc Danielem Prophetam, cui nomen iſtud ob vaticinii merita impoſuerat Rex Nabuchodonoſor, non fuiſſe, licèt & ipſe auream ſtatuam adorare nollet, cum aliis tribus pueris miſſum in fornacem affirmat in habito de illis ſermone Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et adjungit: *Providit id Deus, ne propter Dei Balthazaris no-* Tom. 6.
men repreſſa vis ignis cenſeretur.

Signat illic in frontibus.

Confirmatricem unctionem eſſe nobis in fronte conferendam tradit Doctor etiam in tertio adversùs Marcionem libro, iſtud Sacramentum ap- Cap. 22.
pellans *Signaculum frontium.* Quod ipſum in litteris ad Herentianum Sanctus Ambroſius, in litteris ad Decentium Eugubinum Epiſcopum Sanctus Pontifex Innocentius primus, in libris adversùs Fauſtum Manichæum Sanctus Auguſti- Lib. 12.
nus, in variis epiſtolis Sanctus Gregorius Ma- cap. 30.
gnus, in epiſtola ad Germaniæ Epiſcopos Magnus Pontifex Leo, ac variæ tradunt Synodi Latinorum. Græci enim inſuper oculos, nares, aures, & pectus ungunt, ac ſemper unxerunt. Ita liquet ex ſeptimo Canone Conſtantinopolitano, ex ſancto, qui iſti Synodo adſuit, Cyrillo Hieroſolymæ Epiſcopo, & apud Jacobum Goar ex Euchologiis Græcorum. Ex quibus diſces etiam manus ac pedes in quibuſdam Eccleſiis fuiſſe unctos. De qua varietate nec Photius, nec Michael Cerularius, nec Nicetas Pectoratus, nec ullus alius Schiſmaticus, nec item ipſa Florentina Synodus movit ullam quæſtionem. Utraque ſemper Eccleſia agnovit ſolam frontis unctionem eſſe Sacramento eſſentialem. Diſces hoc ex laudato Cyrillo, qui cùm in tertia ſingulas iſtius Sacramenti unctiones expoſuiſſet, in quarta Myſtagogica Catecheſi ſeipſum recapitulat in hæc verba: *Impinguavit tuum caput in fronte per ſignaculum Dei, quod habes ut exprimatur in te ſigillum ſanctificationis Dei.* Laudat ſolum frontis ſignaculum: Quod nempè iſtud ſolum cenſeat principale atque eſſentiale. An reliquæ unctiones apud Græcos ſint ſubſtantiales, an verò dumtaxat cæremoniales, eſt alibi examinanda quæſtio. Quare errant qui Græcorum Confirmationem exiſtimant fieri in toto corpore. Omninò illi habent talem unctionem, ſed Baptiſmo præviam, porè cæremonialem, quam etiam à Diacono fieri permittunt Apoſtolicæ, quas Romano Clementi paſſim adſcribimus, Conſtitutiones. Hæc eſt illa unctio, ex qua quidam Latini Græcorum Baptiſma, quaſi quod olei cauſa nequiret carnem tangere, malè vocaverunt in dubium.

Milites ſuos.

Quòd Chriſtianæ Confirmationis Sacramentum nos in Chriſti milites propriè conſecret, Doctor affirmat etiam in libro ad Martyres: *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in Sa-* Cap. 3.
menti verba reſpondimus. Per Sacramentum intelligit Baptiſmales renuntiationes, Baptiſmalia pacta. Affirmat nos per ipſa vocari ac parari ad

Dei

Dei vivi militiam atque agonem, & adjungit: *Epiſtates veſter* JESUS *Chriſtus vos Spiritu unxit*.
Et ſic in milites & agoniſtas conſecravit. Iſtud
ipſum tradit etiam in litteris ad Bonifacium Co-
mitem Sanctus Auguſtinus, diſtinguens duplex
Chriſti ſignaculum, aliud quod ejus ovem fa-
Epiſt. 50 ciat, aliud quod ejus militem. In ſermone de
cauſa Emeriti Donatiſtæ, Cæſareenſis in Mau-
ritania Epiſcopi, adducit & laudat etiam tertium
ſignaculum, quòd faciat Chriſti Domini Comi-
tem. Primum eſt Baptiſmatis, alterum Confir-
mationis, tertium eſt Sacramentum Sacerdota-
lis Ordinationis. Hinc item in trigeſimo tertio
ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu ſcri-
bit nos per ſacram Chriſti unctionem fieri lucta-
tores contra Diabolum. Eſt unctio Chriſtianæ
Confirmationis. Ungi nos quaſi athletas ad lu-
Lib. 1. ctamen affirmat etiam Sanctus Ambroſius in ope-
cap. 2. re de Sacramentis.

Celebrat & Panis oblationem.

Hoc ipſum in ſecunda pro Chriſtianis Apologia aſſerit Sanctus Martyr Juſtinus: *Apoſtoli in Commentariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt ſibi præcepiſſe* JESUM. *Eum enim Pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe.* Hoc facite in meam commemorationem, Hoc eſt Corpus meum. *Et poculo ſimiliter accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe.* Hic eſt Sanguis meus: *Ac ſolis ipſis ea tradidiſſe. Quod quidem etiam in Mithræ myſteriis atque initiis fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones. Quod namque Panis & poculum aquæ in ſacrificiis ejus, qui initiatur, ponatur, verbis quibuſdam additis, aut certè ſcitis, aut cognoſcere poteſtis.* Solius aquæ poculum. Hinc & Septimius nullam facit vini mentionem. Ecce exordia noſtrorum Aquariorum. Et quidem ex Septimii verbis lucidè vides panis ac vini oblationem eſſe nobis verum ſacrificium, de quo & ſcripſit librum de oratione, ſacrificii vocem aſſiduè uſurpans. Et adversùs Gentiles, calumniantes nos eſſe Atheos, & impios in Romanum
Cap. 2. Imperium, utpotè qui pro Imperatorum ſalute
nollemus ſacrificare, ſcribit in libro ad Scapu-
Cap. 11. lam, Africæ Proconſulem: *Sacrificamus pro ſa-*
Cap. 3 *lute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius. Sed quo-*
Cap. 8. *modo præcepit Deus, pura prece.* Alia pro noſtro
ſacrificio loca habes in libro de cultu fœminarum, libro de corona militis, & in ſecundo libro ad uxorem. Porrò ſuos ſeductos per tria iſta Sacramenta initiari juſſit Diabolus Mithra, quòd per eadem etiam Chriſtiani initiarentur. Videri voluit & ipſe facere Chriſtianos. Addit Svidas: *Mithram Perſæ Solem eſſe cenſent, multaſque illi victimas immolant. Neque illi quiſquam initiari poteſt, niſi per quoſdam ſuppliciorum gradus ſe ſanctum, & à malis immunem eſſe probaverit.* Suppliciorum gradus memorat etiam in prima adversùs Imperatorem Julianum oratione Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Colis cruciatus quoque Mithræ Sacris adhibitos.* Et in oratione in ſancta lumina: *Mithræ juſtum ſupplicium.* Exponit vetuſtus Sancti Gregorii Scholiaſtes Nicetas: *Mithram nonnulli Solem eſſe dicunt. Huic feſta peragebantur, & præſertim apud Chaldæos. Illi autem, qui hujus Sacris imbuendi erant, per duodecim ſuppliciorum genera ducebantur: Nempè per famem, per ignem, per frigus, per verbera, aliaſque hujus generis cruciatus. Juſtam autem hujuſmodi pœnam vocat Theologus, quòd his ſuppliciis meritò afficerentur, qui talibus rebus fidem haberent, ut mercedem erroris ab eis ipſis, quorum cultui ſe addixiſſent, acciperent, dum ab illis ita excruciarentur.* Quomodo nos noſtros Catechumenos, ita & Mithra ſuos per varia pœnitentiæ opera ad ſuſcipienda tria initiationis Sacramenta purgabat ac præparabat. Ambiebat videri plenè Chriſtianus.

Omnem hanc Diabolicam æmulationem Sanctus Martyr Juſtinus in dialogo cum Tryphone Judæo affirmat mutuatam ex Iſajæ Prophetæ de futuro Domini populo verbis: *Iſte in excelſis habitabit, munimenta Saxorum ſublimitas ejus, panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè.* Æmulationem eſſe antiquiſſimam oſtendit in commentario de Nympharum antro Porphyrius: *Primus Zoroaſtes apud Perſas, ut narrat Eubulus, ſpeluncam natura factam in Perſiæ montibus conſecravit in honorem rerum omnium Auctoris, & parentis Mithræ, ut per ſpeluncam ſignificaret mundum à Mithra conditum.* Mithræ Sacra fuiſſe in tenebroſo antro peracta dixit ſupra etiam Sanctus Hieronymus. Iſtud ipſum ſtatim audiemus ex Septimii noſtri libro de corona militis. Ac item affirmat Julius Firmicus in libro de erroribus profanarum Religionum: *Sacra Mithræ in ſpeluncis abditis tradunt, ut ſemper obſcuro tenebrarum ſqualore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant.* Rationem aliam adducit laudatus Juſtinus: *Qui Solis, id eſt, Mithræ Sacra & myſteria tradunt, eum ex petra natum eſſe confirmant, & ſpeluncam vocant locum, in quo occultari eos, qui ei credunt, aſſerunt.* Primam ex Danielis, Dominum eſſe lapidem de monte ſine manibus exciſum prædicantis, alteram fabulam aſſerit acceptam ex æmulatione Iſajæ Prophetæ in jam adductis verbis: *Munimenta Saxorum ſublimitas ejus.* Mithræ de pane & vino ſacrificium dicit deſumptum ex hiſce verbis: *Panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles.* Addit in hac etiam Prophetia omninò fieri mentionem de pane, *quem nobis Chriſtus Dominus noſter conficiendum tradidit, ut recordaremur corpus eum eſſe factum, eorum cauſa qui in ipſum credunt. Et de poculo, quod recolendi ſanguinis ſui cauſa conficiendum gratias agentibus tradidit.* Hæc verba, *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus*, nobis reſurrectionem carnis ſpondent, & ex ipſis eandem Mithra etiam ſuis fidelibus ſpopondit. Res mira. Nam reſurrectionem hanc nulla unquam gentilis Secta credidit, adeò ut Athenienſis Schola, omnium penitùs Sectarum inquiſitrix & fautrix, ejus prædicatorem Apoſtolum Paulum cēſuerit novorum Dæmonio-

rum

rum anuuntiatorem, & reum duxerit ad tribunal Areopagi. Quà verò imagine ſeu ritu eam in ſuis Sacris Mithra repræſentaverit, hucuſque non inveni.

Sub gladio redimit corona.

Hunc locum exponit Doctor in libro de Corona militis: *Erubeſcite, commilitones, Chriſti,*
Cap. 15. *non jam ab ipſo judicandi, ſed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in ſpelæo, in caſtris verè tenebrarum, coronam interpoſito gladio ſibi oblatam, quaſi mimum martyrii, dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obvia manu è capite pellere, & in humerum, ſi fortè, transferre, dicens Mithram eſſe coronam ſuam. Atque exindè numquam coronatur, idque in ſignum habet ad probationem ſui, ſicubi tentatus fuerit de Sacramento: Statimque creditur Mithræ miles, ſi dejecerit coronam, ſi eam in Deo ſuo eſſe dixerit. Agnoſcamus ingenia Diaboli, idcircò quædam de Divinis affectantis, ut nos de ſuorum fide confundat & judicet.* Affirmat Mithram tria ex Divinis litteris eſſe æmulatum. Primò, martyrii mimum, de quo hic Septimius: *Sub gladio redimit corona.* Deindè, quòd fideles ſuos vetet coronari. Tertiò, quod uti nos dicimus Deum vivum ac verum, ita illi Mithram dicant eſſe omnium ſuorum operum coronam atque mercedem. Hinc infert coronas eſſe Chriſtianis à Domino Deo reverà interdictas. Hæc eſt alia quæſtio.

Summum Pontificem in unius nuptiis ſtatuit.

Cap. 13. Hoc ipſum tradit Doctor in libro de Monogamia: *Idolis certè & monogamia apparet. Pontifex Maximus & Flaminica nubant ſemel. Certris Sacerdotes, viventibus etiam viris & conſentientibus, amica ſeparatione viduantur.* Uti apud nos
Cap. 13. conjux in ſacrum Ordinem conſecratus. Et in libro ad caſtitatem exhortatorio: *Certè Flaminica nonniſi univira eſt, quæ & Flaminis lex eſt. Nam cum ipſi Pontifici maximo iterare matrimonium non licet, utique monogamiæ gloria eſt; cùm autem Dei Sacramenta Satanas affectat, provocatio eſt noſtra, immò ſuffuſio, ſi pigri ſumus ad continentiam Deo exhibendam, quam Diabolo quidam præſtant.*
Lib. 1. Et in libris ad uxorem: *Sacerdotium viduitatis*
cap. 7. *& cœlibaticum eſt apud nationes, pro Diaboli æmulatione. Regem ſæculi, Pontificem maximum rursùs nubere nefas eſt.* Quæ omnia ſcribit etiam Sanctus Hieronymus in litteris ad Angeruchiam viduam, & in primo libro adversùs Jovinianum. Cur Pontifex maximus dicatur Rex ſæculi, edicit apud Cornelium Tacitum Servus Maluginenſis, Flamen Dialis: *Privatis olim ſimul-*
Lib. 3. *tatibus effectum, ut à Pontificibus maximis Diales*
cap. 57. *ire in Provincias prohiberentur, nunc Deum munere ſummum Pontificem etiam ſummum hominum eſſe non æmulationi, non odio, aut privatis affectibus obnoxium.* Agit non de ſtatu & dignitate officii, ſed de ſola tunc viventis Pontificis perſona. Ipſum tamen etiam dignitate fuiſſe inter homines Romanos ſummum, lucet ex Comite Zozimo:
In Collegiis Sacerdotum Romæ Pontifices primas te- Lib. 4.
nebant, quos, ſi vox iſthæc Græcam in linguam transferatur, Gephyreos à Pontibus dicere liceat. Hanc autem appellationem hujuſmodi quadam ex cauſa nacti ſunt. Cum necdum homines cultum, qui per imagines exhibetur, intelligerent, primum in Theſſalia imagines Deum factæ ſunt. Cumque nec delubra forent, effigies Divinas in Penei fluminis ponte ſtatuebant, indicto illis vocabulo, qui Deum præfecti Sacris eſſent, ut à prima ſimulacrorum ſede Gephyræi, quaſi ſi Pontanos dicas, nuncuparentur. Hoc à Græcis accepto, Romani eos, qui Sacerdotum in Collegiis apud ipſos locum Principem obtinereat, Pontifices appellarunt, ſimulque ſanxerunt, ut eorum in numero Reges etiam propter dignitatis excellentiam cenſerentur. Primus quidem Numa Pompilius hunc honorem adeptus eſt, omneſque deinceps qui Reges appellati ſunt, ac poſt illos Octavianus ipſe, quique poſt eum Romano in Imperio ſucceſſerunt. Simul enim atque ſummum Imperium quiſque accipiebat, amictus ei Sacerdotalis à Pontificibus offerebatur, & continuò Pontificis maximi titulum uſurpabat. Ac cæteri quidem Principes univerſi lubentiſſimis animis hunc honorem acceperunt, & hoc uſi titulo videntur, adeoque Conſtantinus etiam, potitus Imperio, licèt à recta in ſacris rebus via deflexiſſet, & Fidem Chriſtianorum amplexus eſſet: Itemque poſt illum reliqui Ordine ſecuti, & Valentinianus atque Valens. Cùm ergò Pontifices ex more talem habitum Gratiano obtuliſſent, averſatus eſt id quod petebatur, ratus non eſſe fas illiuſmodi habitu Chriſtianum uti. Summus Pontifex nec Senatui, nec Auguſto Principi, nec ulli hominum ſuberat, ideoque ipſum, præſertim poſt tanti apicis eum Auguſta dignitate factam ab Octaviano Imperatore conſolidationem, meritò licuit appellare Regem ſæculi.

Et hinc æterna laude dignus eſt glorioſus Martyr ac miles Theodorus, gentilibus tyrannis ſummum ſibi, dummodò Chriſtianam Religionem ejeraret, Pontificatum ſpondentibus reſpondens apud Sanctum Gregorium Epiſcopum Nyſſenum: *Pernicioſa promittendi finem facite. Caput & ſummum malorum mihi promittitis. Ei qui piè & rectè vivere ſtatuit, præſtat in domo Domini abjectum eſſe, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Me etiam Imperatorum miſeret, quod cùm per ſe ſatis magna inter homines dignitate ob Regium Imperium ſint præditi, Pontificis appellationem ſibi ſumpſerint, & lugubri atque obſcura purpura hujus indignitatis nomine induantur ad imitationem infelicium Pontificum, in dignitate ſplendida atque illuſtri triſte & inamœnum geſtantes indumentum. Nonnunquam autem impuro Altari appropinquantes, pro Imperatoribus coqui ſiunt, aves occidentes, & miſerorum pecorum viſcera rimantes ac perſcrutantes, & ſpurcitie ſanguinis, tamquam*

macellarii quidam lanii carnium venditores, veſtem fœdantes. Hinc item intellige hæc Sancti Cypriani ad Antonianum Epiſcopum verba de Imperatore Decio, in Sanctum Cornelium recens electum Pontificem ſæviente: *Multò patientiùs & tolerabiliùs audiit levari adversùs ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Romanum Chriſtianorum Epiſcopum fuiſſe etiam tunc paſſim intitulatum Pontificem maximum, lucet ex Septimii noſtri libro de pudicitia. Auguſtum titulum à Chriſtianis deinceps non uſurpari edixerat Decius, ideoque & poſt Sancti Fabiani mortem urbi nullum de cætero creari Epiſcopum. Aſt mandatum ſprevit urbica Chriſtianitas, elegitque & conſecravit Cornelium. Hinc tanta Principis rabies, qua hunc uti Edictis ſuis rebellem quæſivit gladio feriendum, crucifigendum, igne cremandum, aut alio ſupplicio laniandum. Patientiùs tulit à Gallo & Voluſiano Imperium, quàm à Cornelio invadi titulum ſummi Pontificatus. Quòd nempè hic eſſet Imperio major. Et hinc ſubdit de Cornelio Cyprianus: *Tyrannum, armis & bello poſtmodum* à Gallo & Voluſiano *victum, prior Sacerdotio ſuo vicit.* Etenim eo invito permanſit ſummus Pontifex. Ex quo vides Romanum Epiſcopatum ſemper fuiſſe ſummum, majorem Romano Imperio, Pontificatum totius Chriſtianitatis.

Epiſt. 52. Cap. 1.

Æterna laude ob titulum iſtum abjectum dignus eſt etiam Imperator Gratianus. Quis enim germanè Chriſtianus velit vel ſolo titulo eſſe ſummus Pontifex Dœmoniorum? Et hinc Gratiani ſucceſſor Theodoſius gentile Pontificum collegium penitùs exſtinxit, & ejus poſſeſſiones transſcripſit in ſuum fiſcum. Quibus de rebus videantur Eruditus Onuphrius Panvinus in libris de Romana civitate, & Jacobus Gutherius in opere de Sacerdotio gentili. Porrò Flaminica fuit vel fœmina Flamen, vel certè Flaminis uxor, quæ uti apud nos Chriſtianos majoris Clerici uxor, quoad monogamiam fuit ad parem cum ſuo marito legem adſtricta. Nequiit vidua aſſumi, aut poſt viri mortem ad alias nuptias tranſire. Adeò accuratè Dœmon eſt noſtra æmulatus. Et quidem quòd Magnus Conſtantinus, aliique uſque ad Gratianum Chriſtiani Imperatores iſtum & titulum & habitum geſſerint, Zozimo atteſtantur antiquæ atque authenticæ inſcriptiones. Quaſdam & in ſuis Annalibus & in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis adducit Dominus Cardinalis Cæſar Baronius. Iſtarum aliquæ eundem titulum inſcribunt ipſi etiam Gratiano. Quin & Auſonius Gallus in oratione, qua iſti Principi pro delata Conſulatus dignitate agit gratias, ipſum appellat atque laudat Pontificem maximum. Et iſte Conſulatus contigit quarto anno Gratiani. Nempè licèt Chriſtianiſſimus Princeps paganum titulum refutaſſet ac refutaret, plures tamen, & gentiles & Chriſtiani, non deſierunt illum deferre. Hinc Zozimus addit: *Cùm Sacerdotibus ſtola reddita fuiſſet, ajunt eum qui dignitate Princeps inter eos erat, dixiſſe; Si Princeps non vult appellari Pontifex, admodùm brevi Pontifex maximus fiet.* Erat amariſſimus ſarcaſmus, hoc ſenſu: Si Gratianus nolit eſſe Pontifex maximus, Maximus brevi aſſumet tyrannidem, invadet Imperium, atque ipſe admittet Pontificatum. Et priora omninò evenerunt. Ex quo non vanè colligitur iſta tyrannis, & optimi Principis cædes à gentilibus fuiſſe concepta & procurata. An Maximus iſtum gentilem titulum admiſerit, non poſſim affirmare. Hæc interim eſt cauſa, ex qua Gratiani Succeſſor ac vindex Theodoſius exſtinxit omne Pontificale Collegium, ac ejus bona in Fiſcum tranſcripſit. Abſtulit gentilibus anſam deinceps talia in Principem machinandi.

Lib. 2. Aug. 24.

Et iſta forſan eſt ratio, ex qua Arianorum Euſebiana factio Imperatorem Conſtantium per indigniſſimam adulationem appellavit Epiſcopum Epiſcoporum. Quòd ita appellaverit, ac ipſe ſe appellari permiſerit, disertè affirmat in litteris ad ſuos Monachos Sanctus Athanaſius: *Quis videns Conſtantium in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat illam eſſe eam ipſam abominationem deſolationis, quæ à Daniele prædicta eſt?* Et in libro, qui pro Dei Filio moriendum docet, ſcribit Lucifer Epiſcopus Calaritanus: *Conſtanti, crebrò ſunt acclamantes Ariani tui dogmatis Epiſcopi, Epiſcopum te eſſe Epiſcoporum.* Scelerata factio in ſuo Philippo-Politano conventiculo Sancti Petri Apoſtoli privilegia horrendè laceraverat, abjecerat Romanæ Cathedræ Primatum, Catholicæ Eccleſiæ Monarchiam in trium Patriarcharum Ariſtocratiam demutare tentarat, ac inſuper noverat Chriſtianitatis unitatem ſtare non poſſe ſine unitate capitis: Hinc iſtud caput garrivit eſſe Auguſtum Principem, & in ipſo Patriarchas omnes atque Eccleſias uniri. Garrivit Chriſtiano Principi eſſe iſtud ipſum jus in Chriſtianitatem, quod gentili Principi ſemper detulerat Romana gentilitas: Summum ſacrarum rerum Pontificatum. Et ambitioſus Conſtantius iſta credidit. Hinc Magnus Athanaſius dixit illum eſſe abominationem deſolationis. Euſebiani ſchiſmatis ſordes reſorbuit factio Acaciana, ideoque & ex eodem ſpiritu acerrimus ipſius Fautor Auguſtus Anaſtaſius reſumpſit gentilem titulum, & in litteris ad Romanum Senatum ſe inſcripſit Pontificem. Exſtant litteræ in Regeſto Hormiſdæ Pontificis. Jubere ille Princeps volebat omnibus, per nullum ſibi juberi, ideoque videtur ſe erexiſſe in novum Idolum. Quidquid ſit, è Chriſtianis Imperatoribus ille ſolus reſumpſit ſacrilegum titulum. Porrò an Conſtantinus ac ejus Succeſſores, idololatricum titulum, ac præſertim idololatricam ſtolam admittendo & uſurpando, non peccaverint graviter in Chriſtianam profeſſionem, eſt non modica quæſtio. Eſt res non imitanda. Et ipſam Gratianus quàm optimè excuſſit.

Poſt. epiſtolam 6.

Habet

Habet & Virgines, &c.

Hoſce gentilium Continentes Doctor exponit
Cap. 13. in libro ad caſtitatem exhortatorio: *Novimus & continentes viros, & quidem Tauri illius Ægyptii Antiſtites. Fœminas verò Cereri Africanæ: Cui etiam ſponte abdicata matrimonio adſeneſcunt, averſantes exinde contactum maſculorum, uſque ad oſcula filiorum. Invenit ſcilicet Diabolus poſt luxuriam etiam caſtitatem perditricem, quò magis reus ſit Chriſtianus, qui caſtitatem recuſaverit conſervatricem.*
Cap. 13. Et in libro de Monogamia: *Etiam bovis illius Ægyptii Antiſtites de continentia infirmitatem Chriſtianorum judicabunt.* Eadem repetit in primo ad uxorem libro, & adjungit de Africanis Cereris
Cap. 5. Sacerdotibus: *Durante uſu perſeverant in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam ſanctæ ſolatia*, utique filiorum oſcula, *excludit.* Notandæ ſunt voces, *Durante uſu:* Oſtendunt illam continentiam non fuiſſe perpetuam, ſed ad ſola dignitatis aut miniſtrationis tempora reſtrictam. Etenim quòd perpetua caſtitas ſit ſolis Chriſtianis proprium Divinæ gratiæ beneficium, ipſumque cunctis gentilibus fuiſſe ſupremæ admirationi, eſt ſuprà demonſtratum ex Sancto præſertim Joanne Chryſoſtomo.

Etiam paganarum Virginum Doctor meminit in eodem loco libri exhortatorii ad caſtitatem: *Continentiam Diabolo quidam præſtant, nunc virginitate, nunc viduitate perpetua. Novimus virgines Veſtæ, & Junonis apud Achajæ oppidum, & Apollinis apud Epheſios, & Minervæ quibuſdam*
Cap. 13. *locis.* Et in libro de Monogamia: *Sunt & quæ de tota continentia judicent virgines Veſtæ, & Junonis Achajæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythii. Erubeſce caro, quæ Chriſtum induiſti.* Allu-
Cap. 12. dit ad Domini verbum: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.* Adverte eſſe verba tranſverſi ad Montanum Tertulliani. Homo Montaniſta garrit gentiles eſſe nobis caſtiores. Eadem pluribus repetit in primo
Cap. 6. ad uxorem libro, atque adjungit: *Hæc Diabolus ſuis præcipit, & auditur. Provocat nimirùm Dei ſervos continentia ſuorum, quaſi ex æquo. O continentiam gehennæ Sacerdotem! Nam invenit quomodo homines etiam boni ſectationibus perderet, & nihil apud eum refert; alios luxuria, alios continentia occidere.* Veſtales ſuas etiam vario & eximio honore impartiverunt Romani. Ipſarum invaſio fuit habita inter ſumma crimina Imperatorum Heliogabali ac Neronis. Quòd ipſarum lapſus punire neglexerint, notantur etiam Titus ac Veſpaſianus.

Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, &c.

Numæ Pompilii Regis & inſtitutorum ab ipſo Sacrorum meminit Doctor etiam in libro Apologetico: *Homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus oneravit.* Cap. 21. Et infra prodit ac ridet numeroſiſſimos Romanorum ſuo tempore Deos, atque adjungit: *Nam etſi à Numa* Cap. 25. *concepta eſt curioſitas ſuperſtitioſa, nondum tamen aut ſimulacris aut templis res Divina apud Romanos conſtabat. Frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cælo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc Samia, & nidor exilis, & Deus ipſe nuſquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Thuſcorum fingendis ſimulacris urbem inundaverant.* Quod ipſum ampliat Cap. 17. atque elucidat in ſecundo libro ad Nationes. Et in primo Stromatum libro ſcribit Sanctus Clemens Alexandrinus: *Numa Rex Romanorum erat qui-* Fol. 204. *dem Pythagoræus, ex iis autem quæ à Moyſe tradita ſunt, adjutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali ſimilem facerent Dei imaginem. Cùm itaque centum & ſeptuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem, nec effictam nec depictam fecerunt. Occultè enim eis indicaverat Numa, quod id quod eſt optimum, non alia ratione, quàm ſola mente, ulli licet attingere.* Et Imperatori Juliano Apoſtatæ, qui Numam Regem à ſingulari ſapientia ac probitate laudabat, in ſexto adversùs illum libro reſpondit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: *Quando Julianus ait, at Numa* Fol. 193. *probitatis ſingularis fuit ac ſanctitatis eximiæ, qui & plurimas de rebus ſacris leges tulerit, tempeſtivè exquiramus, quæ ratio cultus ac religionis illa fuerit. Scripſit igitur de illa Dionyſius Halicarnaſſæus, qui Romanorum hiſtoriam accuratè compoſuit, delubra ac templa extruxiſſe, nulla in eis erecta ſimulacra. Nam cùm Pythagoræ Philoſophiam præcipuè commendaret, ac ejus in Placitis prorſùs eſſet, Deum formæ omnis ac figuræ expertem putavit. Spiritualibus autem victimis illum placari, non materialibus affirmabat. Quare Fidei templa exſtruxit, qua ſola, quantùm homini fas eſt, Numen contemplamur. Et cives, cùm per Fidem jurarent, ejus religione teneri voluit.* Quòd Fidei, ac inſuper Pacis templa exſtruxerit, affirmat etiam Alexandrinus Clemens in quinto libro laudati operis. Non quòd Fidem ac Pacem cenſeret eſſe Deos Fol. 548. aut Deas, ſed quod per alteram ad Deum tendere, per alteram nos oporteat inter proximos coram Domino Deo converſari. Quare non ſubſiſtit Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi Chronicon: *Numa Pompilius primus apud Romanos Pontifices & Virgines Veſtales inſtituit, falſorumque Deorum numeroſitate civitatem implevit.* Quòd numeroſiſſimis ſuperſtitionibus oneraverit populum, jam audivimus à noſtro Doctore. Verùm non oneravit numeroſitate falſorum Deorum, longè minùs Idolorum: Etenim pleraque iſta à noſtro

Moyſe mutuatua eſt, cujus lex, licet multis legibus fuerit moroſa, unum tamen Deum colendum rigidiſſimè præcepit. Et ſine imaginibus. Nec iſta in Numa admireris; etenim etiam Imperator Adrianus, Chriſtiani nominis perſecutor crudeliſſimus, ſibi in noſtria Baſilicia adeò complacuit, ut ad ipſarum imitationem ſuis Diis exſtruxerit templa ſine ſimulacris. Et quòd ipſa, per Senatum clauſa ac deſerta reſerare ac reparare, atque in uſum ducere voluerit, ſed non potuerit Imperator Alexander, teſtatur in ejua vita Ælius Lampridius. Ita Diabolus ſemper & ubique ſtuduit Divinam Majeſtatem ac ejua ſacra Inſtituta æmulari. Et ſic eſſe ſicut Deus. Iſta originalis ſuperbia in ipſo nunquam moritur, nunquam morietur. De profanis Numæ Sacris meminit item in libris de Dei civitate Sanctus Augu-
Lib. 7. cap. 34. 35. ſtinus, demonſtrans & ipſum & ejus uxorem fuiſſe hydromanticos, *ubi videntur mortui Divinare*. Eſt Dæmoniaca communio & ars, damnata etiam à gentilibus ante Domini in carne adventum, ideoque & libros, in quibus ſuperſtitionum ſuarum Auctores & cauſas expreſſerat, ipſe Numa in terra defodit & abſcondit. Eos poſtmodum cujuſdam Terentii bubulcus aratro eruit, detulit ad Senatum, Senatus uti rem patenter Dæmoniacam per Prætorem juſſit incendi. Cæcum Senatum, qui libros damnavit, & contenta in ipſis ſacrilegia retinuit, meritò ridet laudatua Auguſtinus. Numa igitur Divina & Dæmoniaca commiſcuit. Ita ſolet Diabolus humanum genus circumducere.

Sanctorum Chriſtianorum.

Vox, *Sanctus*, eſt antiquus Chriſtianorum titulus, quo in epiſtola ad Epheſios utitur & Sanctua Paulus: *Omnibus Sanctis qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto* JESU. Sanctos hic à fidelibus diſtinguit Sanctus Primaſius, rectiùs vero Sanctus Hieronymua confundit. Nam qui in Chriſto JESU fidelis eſt, acceptam in Baptiſmo fidem & inita ſanctæ vitæ pacta cuſtodit integrè, ideoque non poteſt non eſſe Sanctus. Omnis Chriſtianna, licèt non vitæ actu, tamen Sacramento & debito eſt talis, ideoque nos, qui Secreta cordis non poſſumus rimari, titulum iſtum omnibus communiter impartimur. Eundem titulum Apoſtolus impartitur Philippenſibus. Quare addat, *in Chriſto* JESU, exponit in prima ſuper iſtam epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quoniam veriſimile erat Judæos etiam ſeipſos Sanctos nominare ex primo illo Oraculo, ubi dicti ſunt populus Sanctus & peculiaris, propterea Apoſtolus addit:* Sanctia in Chriſto JESU. *Hi enim ſoli Sancti; illi verò reliquo jam tempore profani*. Titulus præſertim debetur, ac ſemper delatus fuit Epiſcopis, Clericis, & Monachis. Iſtis enim ineſt ſingularis conſecratio, & ſingularis obligatio ad Sanctam vitam. Quas ob cauſas omnia Chriſtianitas ſuos Epiſcopos olim appellavit ſanctiſſimos. Ab aliquot ſæculis Latina Eccleſia titulum defert ſoli Romano Pontifici. Mos videtur originem ducere à Sancto Gregorio ſeptimo, qui etiam Papæ titulum ſoli Pontifici reſervavit. Græci antiquum morem ferè retinent. Epiſcopos omnes, præſertim Metropolitas, etiamnum appellant Sanctos, immò Sanctiſſimos. Attamen ſolos Patriarchas inſcribunt *plenè Sanctiſſimos*.

Quæ titulorum cura ac diſtinctio non dumtaxat apud Romanum Imperium, ſed etiam apud Eccleſias eſt antiquiſſima. Etenim in decimi tertii Pſalmi Commentario Sanctus Joannes Chryſoſtomus Nabuchodonoſoris Regis, & per ipſum Diaboli verba, *Aſcendam ſuper altitudinem nu-* Iſ. 14.
bium, ſimilis ero Altiſſimo, commentatur: *Diabo-* Tom. 3.
lus voluit Deo eſſe æqualis. Suſtulit, Deus, *& po-* Fol. 965.
ſuit, Altiſſimua, *erubeſcens eum nominare, quem negaverat. Ita etiam facit quilibet hæreticus, vehementiſſimus in tempore perſecutionis, loquens cum Pontifice. Nec enim vocat Pontificem, nec Archi-Epiſcopum, nec Religioſiſſimum, nec Sanctum. Sed quid? Reverentia tua, Sapientia tua, Prudentia tua, Juſtitia tua: Et nomina illi adducit communia, ejus negans authoritatem*. Dicere etiam recuſat: *Tua Sanctitas, Tua Religioſitas*. Quia nempè in Catholico Antiſtite non vult profiteri Sanctimoniam, aut veram Religionem. Quare ſeptimus Gregorius, aut quivis alius Pontifex, qui cœpit Eccleſiaſticis titulis modum ac diſtinctionis limites figere, non caruit antiquo fundamento.

Et iſti hæretici videntur juxta ſua principia non malè egiſſe. Etenim Sanctus Auguſtinus Catholicos Epiſcopos & Clericos, quibus ſcribit, paſſim appellat *Sanctos, Sanctiſſimos*, aut *Beatiſſimos*, non ita verò hæreticos: Ipſos ſolummodo appellat *Dilectiſſimos* ac *Prædicandos*. Et ad nobilem atque Catholicum virum Dulcitium, qui ad Gaudentium Thamugadenſem Donatiſtarum Epiſcopum ſcripſerat, *Religionis Tuæ Scripta percepi*, ſcripſit: *Non diſcutiam, quo-* Lib. 1.
modo dixeris, Religionis Tuæ, *homini quem po-* cap. 2.
tiùs irreligioſum putas. Reddidiſti quippè honorificentiam, ſicut reddendam exiſtimaſti, quia ille te honorificentiùs tractavit in litteris, quas ad te dedit, quàm Catholicus hæreticum debuit, putans tuam mentem ſua tali ſermocinatione ſanabilem. Et Sanctus Auguſtinus habuit in ſua opinione Collegas. Etenim de Sancto Cyrillo Hieroſolymæ Epiſcopo ſcribit in hiſtoria Eccleſiaſtica Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius: *Hujus* Fol. 30.
Cyrilli fertur epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, in qua Piiſſimum eum vocabat. Undè quidam ei, quaſi Ariano derogans, dicentes, hunc etiam Homouſii vocem tacuiſſe in inſtitutionibus, quas expoſuit ad profectum imperitarum plebium, ad Baptiſma propter vivificæ Crucis miracula accedentium. Falluntur autem atque delinquunt. Oportebat enim & Imperatorem, ex ſimplicitate, & non ex affectu, verſutia Arianorum in hæreſim ſurreptum, & à Paganiſmo necdum perfectè converſum, Piiſſimum diſpenſatoriè dicere. Quod ipſum plenè ſcribit

San-

Fol. 35. Sanctus Martyr Theophanes, addens iſtos Cy-
rillo adverſantes Epiſcopos *judicio peccaſſe*. Am-
bo affirmant Piiſſimi, adeoque & Religioſiſſimi
atque Sanctiſſimi titulum etiam hæretico & Lai-
co poſſe ex cauſis diſpenſatoriè adſcribi. Et no-
bilis Dulcitii factum Sanctus Auguſtinus, licèt
improbaverit, non damnavit, ſed purgavit at-
que excuſavit.

Et quidem Sanctus Theophanes atque Cardi-
nalis Anaſtaſius agunt de Romanorum Impera-
tore, quem licèt hæreticum, immò licèt paga-
num Chriſtianitatis perſecutorem, noſtri optimi
Majores ſemper appellarunt Piiſſimum atque San-
ctiſſimum. Etenim ad Æmilianum, Auguſta-
lem Ægypti Præfectum, de paganis Imperato-
ribus Valeriano & Gallieno dixit Sanctus Dio-
Lib. 7. nyſius Patriarcha Alexandrinus: *Nos unum*
cap. 10. *Deum, qui Valeriano & Gallieno, viris Sanctiſſi-
mis, Imperium largitus eſt, & colimus & venera-
mur*. Ita habes in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebii
Cæſareenſis. Et ad Imperatorem Conſtantium,
Catechnmenum atque hæreticum, reſcripſit uni-
verſa Ariminenſis Synodus: *Tuæ Clementiæ lit-
teras accepimus, Imperator Sanctiſſime*. Eundem
titulum plures ſancti Epiſcopi dederunt hæretico
Imperatori Anaſtaſio. Et de Imperatore Michae-
le Palæologo ac Joſepho primo Patriarcha Con-
ſtantinopolitano ſcribit Georgius Pachymeres:
*Cùm per id tempus brevi moriturus, ut putabatur,
Joſephus teſtes ultimæ voluntatis tabulas ritè confi-
ciendas cenſuiſſet, in iis ex more mentionem Impera-
toris faciens, ipſi benè precando, nomini ejus vo-
cabulum*, Sanctus, *non adjunxit, quo tamen paſ-
ſim Imperatores honorari conſueverunt, ex quo ſacri*
Lib. 6. *Unctione olei ſunt inaugurati. Eas tabulas ad ſe*
cap. 31. *delatas Imperator legens, miratus in eis omiſſionem
novam, ſcripſit ad Patriarcham, ea de re conque-
rens. Scripſit etiam ad Præfectum Urbis, jubens
ſerið inquirere, quo id errore, quove conſilio ita
factum eſſet. Vide, inquiens, quorsùm Joſephus
me in ordinem redegerit, & Imperii noſtri Majeſta-
tem imminuerit negato titulo Sancti: An quod me
peculiariter illo indignum putet?* Imperator Michael
iſtam tituli prætermiſſionem cenſuit eſſe ſuam de-
gradationem. Et vario ac gravi ſenſu id demon-
ſtravit. Nempè orthodoxus Princeps invetera-
tum Orientalis Eccleſiæ ſchiſma extinxerat, &
in Lugdunenſi Synodo factam unionem conſtan-
tiſſimè defendebat, ideoque rogavit: *An quod
me peculiariter illo indignum putet?*. Suſpicabatur
Joſephum perdurare in ſchiſmate, ideoque ſe ab
illo cenſeri indignum iſto titulo. Verùm qui-
dam Monachi, pertinaciſſimi ſemper Sectatores
iſtius ſchiſmatis, teſtamentarias Patriarchæ ta-
bulas corruperant, atque omninò cenſuerant
Imperatorem iſto titulo indignum. Verùm ipſos
Patriarcha corripuit, & juſſit tabulas redinte-
grari.

Ex quo vides iſtos Monachos idem ſenſiſſe
cum Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Adverſariis.
At longè aliud ſenſit Baſileenſis etiam Synodus.
Etenim Joſephum ſecundum Patriarcham Con-
ſtantinopolitanum, tunc apertè adhuc ſchiſ-
maticum, per ſuos Legatos appellarunt ſuam Lib. 2.
Patriarchalem Sanctitatem. Ita habes apud cap. 38.
Sylveſtrum Sguropulum in hiſtoria Florentini
Concilii. Et iſtorum Legatorum unus fuit vir
ſummus, Joannes Raguzinus, ex ſacro Prædi-
catorum Ordine Baſileenſis Epiſcopus, ac Sanctæ
Romanæ Eccleſiæ poſtmodo Cardinalis. Franco-
rum olim Epiſcopi ſeptimam Synodum arguerunt
de multis, & inter Articulos fuit etiam hic:
Quod epiſtola, quam illi, ſeptimæ Synodi Patres,
*Sancti Simeonis Stylitæ dicunt, miſſa ad Juſtinianum
Imperatorem, multùm diſtet à Divinis Scripturis,
ſive ſanctorum Patrum documentis, in eo quod ait
præfato Imperatori, Pro quibus commemorantes re-
ferimus Divinis veſtris auribus*. Et Adrianus pri-
mus Pontifex reſpondit: *Sanctus Ambroſius, ad
Gratianum Imperatorem ſcribens librum Orthodoxæ
Fidei, numquid peccavit, quia dixit ei*, Sancte
Imperator? *Et quid extra dixit iſte, ſcribens ad
Chriſtianiſſimum Juſtinianum Imperatorem pro zelo* Cap. 16.
fidei ſuæ, Divinis auribus *exprimens? Et ideò Di-
vinis auribus, quia per eas Divinos ſermones audit,
& fideliter atque orthodoxè eos obſervat, rectè Divi-
nas aures, videlicet auditum Divinum habere mon-
ſtratur*. Defunctum Imperatorem Juſtinianum,
quem hæreticum deſcendiſſe ad inferna conſtanter
affirmat Evagrius Epiphanienſis, tantus Ponti-
fex appellat Chriſtianiſſimum, & adjungit etiam
legitimè potuiſſe appellari Sanctum. Imitatus eſt
ſuum Anteceſſorem Sanctum Agathonem, qui
in ſuis ad Conſtantinum quartum litteris Juſti-
nianum longè altiùs extulit. Et iſtas litteras pro-
bavit, ac ſuis Actis inſeruit ſexta Synodus. A-
drianus tituli fundamentum poſuit in auribus,
quibus Princeps Divinos ſermones audit atque cu-
ſtodit. Exiſtimo quòd intelligat: *Cuſtodire de-
bet*. Georgius Pachymeres tituli fundamentum
retulit in Imperatoriam unctionem, ſeu conſecra-
tionem. Verùm hæc eſt iſto titulo longè recen-
tior. Et Conſtantius, dum ipſum Ariminenſis
Synodus inſcripſit Sanctiſſimum, erat adhuc Ca-
techumenus. Et Valerianus ac Gallienus erant
Gentiles. Exiſtimo titulum à Patribus fuiſſe fun-
datum in debito ac ſanctitate Imperialis officii.
Uti Romanus Pontifex & quivis Epiſcopus, ita
& Romanorum Imperator debet, alio tamen &
alio modo, eſſe Sanctiſſimus.

Apud confœderatas Belgarum Provincias,
non minùs quàm apud Catholicos, damnantur
clandeſtina matrimonia. Quoniam verò illi nec
Epiſcopos nec Presbyteros habent, hæc celebrari
oportet coram laico atque hæretico Magiſtratu.
Etiam à Catholicis. Omnes profiteri coguntur ſe
contrahere coram iſta *Sancta Communitate*. Aut
ſub ſimili forma. Hinc nuper mota fuit, & mul-
tis agitata quæſtio, An Catholici iſtam profeſſio-
nem poſſint facere, atque ita contrahere? Ex
dictis vides pro utraque contradictionis parte ſtare
& Doctores antiquos, & rationes. Ego cum
Sancto Martyre Theophane ac Anaſtaſio Biblio-
thecario exiſtimo poſſe diſpenſatoriè fieri. Nec

enim ſolus Hieroſolymæ Antiſtes Cyrillus, ſed etiam omnis Ariminenſis Synodus, & quidem ante lapſum, Sanctiſſimi titulum dederunt hæretico Conſtantio. Et Alexandrinus Dionyſius qui eundem titulum etiam paganis Imperatoribus adſcripſit, eſt inter præcipuos Eccleſiæ Antiſtites atque Doctores. Tantos viros cenſeo nos poſſe imitari in ipſorum jam dato ſenſu.

Neque ab Idololatria diſtare hæreſes, &c.

Omnem Duplicis divinitatis fabulam eſſe propriiſſimam, internam, externa longè pejorem, Idololatriam tradit Doctor etiam in libro Scorpiaco: *Præſcribitur mihi, ne quem alium Deum dicam,* Lib. 4. *ne vel dicendo non minùs lingua quàm manu Deum fingam, ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer præter unicum illum, qui ita mandat.* Et in libro ad- Cap. 18. versùs Praxeam: *Sicut nationes manibus, ita hæretici verbis Idola fabricantur, id eſt, alium Deum, & alium Chriſtum.* Et in libro de Reſurrectione carnis: *Di-* Cap. 3. *ſcede ab Ethnico hæretice, & ſi unum eſtis omnes, qui Deum fingitis.* Utique alium Deum à mundi Creatore. Quod ipſum frequenter docet S. Irenæus. In primo libro affirmat Divinam veritatem eſſe à Marco Ægyptio demutatam in Idolum, & adjungit quemdam Eccleſiæ Seniorem, ſeu Epiſcopum, Cap. 12. in ipſum fuiſſe olim invectum: Cap. 9. *Idolorum fabricator Marce.* In ſecundo libro ſcribit de cun- Cap. 40. & 41. ctis generatim Gnoſticis, quod verum Deum blaſphement, ac ſibi fingant alium. In tertio li- Cap. 44 & 45. bro ſcribit, quod ſibi fingant *Epicuri Deum*, qui neque ſibi, neque aliis quid præſtet, ſed ſit nullius providentiæ. Ibidem ſcribit Platonem, qui eundem Deum dixit eſſe juſtum & bonum, fuiſſe Marcionitis multò religioſiorem. Quod Valentiniani ſibi fingant Epicuri Deum, etiam in Cap. 7. ſuo adversùm illos libro affirmat noſter Septimius. De iiſdem fabulonibus ſcribit in Philocalia Ori- Cap. 1. genes: *Illis ſpectra ſua mens confinxit.* Hoc eſt, Lib. 20. cap. 5. monſtroſa Idola. Iſtud ipſum contra Manichæos frequenter, præſertim in libris adversùs Fauſtum, aſſerit Sanctus Auguſtinus. Affirmat illos, utpotè qui omninò plures Deas colant, eſſe veros Idololatras, & quidem paganis, qui licet non Deum verum, veras tamen ejus creaturas colunt, longè pejores: *Quod ea colant quæ omninò non ſunt, ſed fallacium fabularum vanitate finguntur.* Affirmat non referre, quod Fabulones iſti non habeant gentilia altaria, ſimulacra, victi- Cap. 15. mas, aut thura: *Quaſi verò enim non ſatiùs ſit vel lapidi, qui quoquo modo eſt, aram conſtruere, & victimam offerre, quàm id quod omninò non eſt, in deliramento phantaſmatis adorare.* De qua peſſima Idololatria ſemetipſum etiam accuſat, & graviſſimè pœnitet in libris Confeſſionum. Eandem affirmat graſſari apud Priſcillianiſtas. Item de Antropo-Morphitis ac Arianis ſcribit in litteris ad nobilem virum Conſentium, & affirmat omnem carnalis de Deo cogitationis compoſitionem & vanum figmentum eſſe in cordibus noſtris, nobiliſſimo utique altari, fixum Idolum. Quod Ep. 222. ejus Aſſertum Conſentius uti *fortiſſimum*, id eſt, Ep. 221. veriſſimum laudavit. Ariani fuerunt Tri-Teitæ: Quis ergo neget veros fuiſſe Idololatras. *Quid eſt enim*, inquit in libro contra Faſtidioſi Ariani ſermonem Sanctus Fulgentius, *Deum majorem & Deum minorem in ſingulis Perſonis dicere,* Cap. 6. *niſi diverſi generis Idola, non in parietibus, ſed quod deterius eſt, in cordibus collocare?* Quin & omnem generatim de Deo errorem eſſe plenam Idololatriam confirmat Sanctus Auguſtinus in quæſtionibus ſuper librum Judicum, hæc Joſue verba ad populum, *Auferte Deos alienos de medio* Cap. 24. *veſtri*, docens non de gentium ſimulacris intelligenda, ſed de cogitationibus à Deo alienis. *Quiſquis enim talem cogitat Deum, qualis non eſt* Quæſt. 19. *Deus, alienum utique Deum & falſum in cogitatione portat.* Et hinc lucet etiam Martinum Lutherum & Joannem Calvinum, qui blaſphemant Deum eſſe peccati authorem, plenos eſſe Idololatras, peſſimeque Idololatriæ doctores. Eorum Deus eſt Philiſtinorum Dagon, contra quem in ſermonibus per Pariſienſes Theologos adjectis declamat idem Auguſtinus: *Si vis eſſe templum* Serm. 14. *veritatis, frange Idolum falſitatis.* Omnem om- cap. 7. ninò hæreſim, quod humanæ ſapientiæ ac eloquii pigmentis coloretur, eſſe aurea & argentea ſimulacra aſſerit Sanctus Proſper in commentario Pſalmorum. Et ex his principiis Imperator Pſ. 134. Emmanuel Comnenus juſſit in Mahometis Deum jaci anathema. Hoc eſt in Mahometicæ mentis Idolum.

Lutherani & Calviniſtæ ſe purgare non poſſint, eò quòd unum ac trinum Dominum Deum profiteantur, & aliam non fabulentur Divinitatem. Etenim eadem omnia profeſſus ac proteſtatus fuit Pictor Hermogenes, & tamen adversùs illum ſcripſit Septimius: *Chriſtum Dominum* Cap. 1. *non aliter videtur aliter cognoſcere, alium tamen facit quem aliter cognoſcit. Imò totum quod eſt Deus aufert, nolens illum ex nihilo omnia feciſſe.* Dominum Deum eſſe non Creatorem, ſed dumtaxat Factorem ſeu Eductorem dixit Hermogenes: Hinc in illius mente Dominum Deum deſtrui, & alium fingi Septimius aſſeruit. Longè magis iſtud aſſerturus de illis, qui Dominum Deum blaſphemant eſſe Auctorem peccati. Quin & ipſum lucidè aſſeruit. Etenim Hermogenis lapſus duxit ortum ex quæſtione, Unde malum? Hoc quia in Dominum Deum horrebat referre, retulit in materiam, ex qua ille debebat producere. Hinc Septimius: *Pluribus & indignioribus deſtructionibus Deum objiciunt.* Cap. 15. Affirmat Divinam Majeſtatem magis deſtrui ab illis, qui ipſam dicunt compulſam ad mala producenda ex materia, quam ab illis qui tradunt ipſam ex arbitrio illa creaſſe. Affirmat in amborum mente veram Divinitatem deſtrui, & falſam fabricari. Eruditus ac inſignis eſt hic ejus de æterna materia ſarcaſmus:

Ma-

Cap. 23. *Materia non planè eſt ſine cauſa. Nam etſi mundus non eſt factus ex illa, ſed hæreſis facta eſt, & quidem hoc impudentior, quod non ex materia facta eſt hæreſis, ſed materiam ipſam potiùs hæreſis fecit.* Eadem arte hæreſis in humanis mentibus facit ſpiritalia Idola.

CAPUT XLI.

Quàm vana & irregularis Hæreticorum diſciplina!

NOn omittam ipſius etiam converſationis hæreticæ deſcriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit; ſine gravitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina; ut fidei ſuæ congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant. Etiam Ethnici ſi ſupervenerint. Sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cujus penes nos curam, lenocinium vocant. Pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent. Nihil intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Antè ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipſæ mulieres hæreticæ quàm procaces! Quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes. Nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, ubi ipſum illic eſſe, promereri eſt. Itaque alius hodiè Epiſcopus, cras alius. Hodiè Diaconus, qui cras Lector. Hodiè Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt.

SCHOLION.

Sine Authoritate.

EX Romano jure deſumpta eſt hæc vox, ejuſque vim diſces ex hiſce Cornelii Taciti verbis in libris Annalium: *Magno adſenſu celebratæ Pætii Thrazeæ ſententia, non tamen Senatus-Conſultum fieri potuit, ab ineuntibus Conſulibus ea de re relatum. Mox authore Principe ſanxerunt.* Et in alio ejuſdem operis libro: *Conſidius Æquus, & Cælius Curſor, Equites Romani, authore Principe & Decreto Senatus puniti.* Eodem ſenſu ait Pompejum Conſulem *Legum ſuarum & authorem fuiſſe & ſubverſorem.* Et de ſeipſo Conſule dixit in Oratione pro Cornelio Balbo Marcus Tullius: *Harum ego ſententiarum princeps & author fui.* Romani Conſules, adeoque & Auguſti poſteà Principes, duplicem in Senatu habuerunt poteſtatem: Jus relationis, & primi jus ſuffragii, cui nullus ſine firmis fundamentis refragari poterat, ideoque ipſum Septimius noſter in libro Apologetico appellat *Suffragii Prærogativam.* Nihil à Senatu decidi poterat, niſi ab ipſis relatum ſeu propoſitum, & primò eſſet principali ipſorum ſuffragio probatum. Et quæ ita decidebantur, fiebant ipſis authoribus, ſeu ex ipſorum authoritate. Ita ſuam Vincentio Galliarum Præfe-

Lib. 15. cap. 38. — Lib. 3. cap. 37. — Cap. 20.

cto

ctto ſcriptam legem Arcadius & Honorius vocant
Lib. 12. ſuam *Authoritatem*. Exſtat lex in Codice Theo-
tit. 15. doſiano. Qua phraſi & aliæ leges utuntur. Ita in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcribit Sanctus Sulpitius Severus: *Nicæna Synodus authore Hoſio confecta eſt.* In ſuis Notis Georgius Hornius voce iſta ſuaſum dumtaxat & conſilium importari autumat, aliudque hic præ cæteris Epiſcopis non egiſſe Hoſium, niſi quòd Conſtantinum Auguſtum ad indicendam Synodum permoverit. Synodalem Romanæ Eccleſiæ Præſidentiam homo Calvinianus ita nititur exſufflare. Verùm & Relationem & Suffragii Prærogativam voces iſtæ important, atque ita lucidos characteres Præſidentiæ. Ita ad Sanctum Leonem Pontificem ſcripſit de Chalcedonenſi Synodo Imperator Marcianus: *Per celebrandam Synodum te authore*. Et ad Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham de ſecundo Epheſino Concilio Imperator Theodoſius: *Authoritatem & Primatum*, id eſt, Præſidentiam, *Tuæ præbemus Beatitudini*. Eandem authoritatem in ſua Synodo, Diœceſi, Provincia, ac Parochia habet omnis Patriarcha, Primas, Metropolita, Epiſcopus: Nihil iſtic ſanciri poteſt, niſi quod ipſi ſua & Relatione, & Suffragii Prærogativa probaverint. Ita Dei Eccleſia eſt vera caſtrorum acies ordinata. Verùm apud hæreticos quilibet eſt Magiſter, unuſquiſque Spiritus lumen & Apocalypſim habet, nullus pro altero captivat intellectum. Hinc Doctor noſter rectè dicit ipſos eſſe ſine authoritate. Neque mirum. Quales enim Epiſcopos paſſim habeant hæretici, in litteris ad ſuos Monachos edicit Sanctus Athanaſius: *Omnes apud illos ſordibus ſcatent, & eorum Catoſcopi, hoc eſt, Exploratores, cùm minimè ſint Epiſcopi, longè maculoſiſſimi ſunt. Quod ſi quis apud eos Epiſcopus eſſe velit, non illi occinitur*, Oportet Epiſcopum eſſe Irreprehenſibilem; *ſed hoc illi dicitur*, *Sentias contra Chriſtum, nec de moribus tuis ſis anxius*. Et ad Italiæ ac Galliæ Epiſcopos ſcribit de iiſdem
Epiſt. 66. Arianis Sanctus Baſilius: *Everſæ ſunt probatæ doctrinæ, confuſa & ſoluta pietatis vincula, dominandi libido eorum, qui non timent Dominum, Præfecturas invaſit. Qui in graviorem blaſphemiam relapſus eſt, in populi Epiſcopatum præ aliis eligitur. Periit gravitas Pontificum, Canonum obſervatio exacta pæſſumiit, multa peccandi libertas patet.* Hos dicit eſſe hæreſeon fructus. In epiſtola ad Evaſenos addit hunc eſſe conſuetum luſum Arianorum. Quæ omnia longè majori licentia ſunt graſſata apud Gnoſticos. Ejuſmodi Antiſtitibus quæ poſſit eſſe authoritas, quæ reverentia, quæ Suffragii aut Judicii Prærogativa? Hinc ſicut illi Deo, ita & ipſis rebellat ſeductus & corruptus populus, figitque ſibi hanc Donatiſtarum regulam: *Quod volumus ſanctum eſt*.

Sine diſciplina.

Diſciplinam à fide Doctor etiam diſtinguit in libro de Monogamia, dicens fidem eſſe principalem regulam, & priorem diſciplina. Diſtinguit
fidei regulam & ordinem diſciplinæ. Arguit nos Cap. 2.
orthodoxos, quòd noviter à Montani Paracleto inſtitutam Monogamiæ diſciplinam exprobremus in hæreſim. Affirmat Paracletum illum, qui to-
tum Apoſtolicum Symbolum, fidei regulam, Cap. 2.
plenè admittat & ſuis imponat, non poſſe eſſe hæreticum, aut Evangelicæ veritati contrarium, quoniam iſta contrarietas non ex novitate diſciplinæ, ſed ex ſolo prædicationis adulterio ſit dignoſcenda & judicanda. *Ante quis de Deo hæreticus ſit neceſſe eſt, & tunc de Inſtituto.* Et Dominus, ubi fidei regulam plenè tradidiſſet Apoſtolis, adjunxit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Iſta multa Septimius vult eſſe diſciplinam. Diſciplina igitur eſt, non fidei & dogmatum, ſed morum ac rituum regula. Quod ipſum amplè tradit in exordio libri de velandis Virginibus. Iſtic demonſtrat fidei regulam eſſe æternam, immobilem, ac irreformabilem, diſciplinam autem poſſe moveri, ac pro tempore variari. Hic dicit ipſam apud hæreticos ſemper eſſe corruptam atque neglectam, iſtudque eſſe lucidum ſignum etiam corrupti dogmatis. Et rectè. Etenim juſtus ex fide vivit, ideoque ubi eſt recta fides, non poteſt non eſſe ſtudium & cura bonorum morum.

Quis Catechumenus, &c.

Doctor agit in Marcionitas, de quibus San-
ctus Epiphanius: *Myſteria, Catechumenis cernen-* Hæreſ 42.
tibus, apud Marcionem celebrantur. Et rursùm: cap. 3.
Nihil eſt apud illos, niſi ludibrio & riſu digniſſi- cap. 4.
mum, cum vel myſteriis ipſis, adſtantibus Catechumenis, operari non dubitent. Et in Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ Commentariis Sanctus Hierony-
mus, hæc verba, *Communicet autem is, qui ca-* Cap. 5.
techizatur verbo, et qui ſe catechizat, in omnibus bonis, exponens ſcribit: *Marcion hunc locum ita interpretatus eſt, ut putaret fideles & Catechumenos ſimul orare debere, & Magiſtrum in oratione communicare diſcipulis, illo vel maximè elatus quod ſequatur*, In omnibus bonis. *Cùm utique ſi de oratione ſermo fuiſſet, non debuerat ei præcipi qui catechizatur, ſed ei qui catechizat, id eſt, non diſcipulo, ſed magiſtro.* Mandat ergò Catechumenis Apoſtolus, ut quomodo à Magiſtris ſuis ſpiritualia accipiunt pabula, ita ipſis impartiantur corporalia. Porrò antiquam orandi regulam expo-
nit Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum: *Fi-* Lib. 8.
delis ne quidem in domo precetur cum Catechumenis. cap. 34.

Non

Non enim æquum eſt ut baptizatus cum non baptizato pariter inquinetur. Etiam in Decreto ſuo Sanctus Ivo Carnotenſis Epiſcopus adducit hunc Canonem : *Catechumeni manducare non debent cum baptizatis, neque eis oſculum dare*. Uti in regulatis Cœnobiis Novitii cum Profeſſis, ita in benè formatis Eccleſiis Catechumeni cum baptizatis non poſſunt eſſe familiares, quaſi par cum pari. Antiquæ Eccleſiæ habuerunt diſtincta loca, in quibus Fideles à Catechumenis oportebat diſcerni tempore orationis & concionis. Part. 1. c.289.

Hanc diſciplinam laudat ac inſigniter exponit Origenes in tertio libro contra Celſum. Celſus garriverat noſtros Epiſcopos eſſe nullius ponderis, utpotè qui Philoſophos ac alios Eruditos vitarent, & vulgarem ambirent plebeculam, atque ibi ſe oſtentarent Doctores. Origenes reſpondit plebem etiam à Philoſophis non negligi, & proſequitur : *Quod ſi Philoſophi culpandi non ſint, dum hæc faciunt, videamus an non Chriſtiani longè meliùs plebejam multitudinem ad honeſtatem provocent? Nam illi propalàm apud vulgus hominum differentes, non ſunt curioſi in diſcernendis auditoribus, ſed promiſcuè qui vult, adſtat & auſcultat. Chriſtiani verò, quantùm poſſunt, præexaminant animos audire ſe cupientium, & primò privatim inſtructos, priuſquam in cœtum recipiantur, ubi videntur eò proceſſiſſe, ut honeſtæ vitæ ſint cupidi, tunc demum introducunt, diſtinctis ordinibus, altero recèns admiſſorum, necdum aſſecutorum luſtrationis Symbolum, altero eorum, qui quantùm in ſe eſt, demonſtrant ſibi propoſitum eſſe, nihil aliud niſi cum Chriſtianis velle & ſentire, inter quos nonnulli Præpoſiti ſunt, qui in vitam, & mores eorum, qui admittuntur, inquirant, ut non conceſſa facientes Candidatos Religionis arceant à ſuis Conventibus, cæteros horum diſſimiles excipiant ex animo, & quotidianis acceſſibus faciant meliorem*. Affirmat non ſolummodo fideles fuiſſe diſtinctos à Catechumenis, ſed etiam horum fuiſſe varios gradus: Et ſingulis in Eccleſiæ Conventu exſtitiſſe ſuam claſſem & locum. Septimius Gnoſticos, ac præſertim Marcionitas arguit, quòd has claſſes non diſcernerent, ſed omnia gentili more æquarent atque confunderent. F 142.

Quæſtio eſt, An hæc diſciplina ſit Apoſtolica? Rationem dubitandi facit in vigeſima nona ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ad Apoſtoli verba, *Nemo poteſt dicere, Dominus* JESUS, *niſi in Spiritu Sancto*, ſcribens: *Quid ergò dixerimus de Catechumenis? Nam ſi nemo poteſt dicere Dominum* JESUM, *niſi in Spiritu Sancto, quid de illis dixerimus nominantibus quidem ejus nomen, privatis autem Spiritu? Sed de his nunc non agitur. Non enim erant tunc Catechumeni. Sed de fidelibus, aut infidelibus*. Et certè Sanctus Petrus Cornelium Centurionem, Sanctus Philippus Diaconus Regium Eunuchum, & alii Apoſtoli alios ad nulla coegerunt Catechumenatus tempora, ſed credentes ſtatim baptizarunt. Sanctus Petrus in Pentecoſtes die aliquot millia ſubitò baptizavit. Reſpondeo Catechumenatum omninò eſſe Inſtitutum Apoſtolicum. Lucet ex Apoſtolica ad Galatas epiſtola : *Communicet is, qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis*. Etiam ad Corinthios ſcribit idem Apoſtolus: *Ego plantavi*, utique per Catechiſmum, *Apollo rigavit*, per Baptiſma. Etenim Paulus iſtic nonniſi pauciſſimos baptizavit. Et de Chriſto Domino, cœcum natum illuminante, ſcribit in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium Sanctus Auguſtinus: *Dominus quando cœcum in ſeipſo quodammodo baptizavit, tunc illuminavit, quando inunxit, fortaſſe Catechumenum fecit*. Catechumenatus tempora Dominus non inſtituit, ſed iſtius poſtmodò per Apoſtolos faciendæ inſtitutionis fixit fundamentum ac exemplum. Apoſtoli habuerunt plenam totius ſacri Miniſterii authoritatem: Hinc quandoque ſubitò baptizarunt, quandoque poſt inſtructionis intervallum. Proindè Catechumenatus eſt omninò ab ipſis. Attamen initialem ipſorum formam Succeſſores Patres variè ornarunt atque firmarunt. Ad Corinthios ſcripſit Sanctus Paulus : *Cætera, cùm venero, diſponam*. Quæ ipſe aut ejus Collegæ non potuerunt ex cauſis diſponere, Succeſſores diſpoſuerunt, ex ipſorum inſtructionibus. Ita tradit in libro de Spiritu Sancto Magnus Baſilius. Cap. 6. Tract. 44.

Quanta cura & quanto rigore iſtam diſciplinam obſervaverit antiqua Chriſtianitas, docet ſecundus Sancti Joannis Chryſoſtomi ſermo ſuper Geneſim. Lupum & Agnum, quos ſimul in novo Teſtamento accubituros promiſit per Iſajam Prophetam Dominus, affirmat eſſe divitem ac pauperem, atque proſequitur: *Attende diligenter. Adſtitit plerumque dives & pauper in Eccleſia. Comprehendite horum Myſterium. Expellitur dives, ut minimè initiatus Myſteriis. Permanet autem intra cœleſtia tabernacula, adſtatque pauper. Neque tamen indignatur dives, quippè qui noverit ſe à Divinis Myſteriis alienum. Quin etiam, ò Divinum beneficium, non modò æqualitas honoris eſt in Eccleſia, quæ à Deo eſt gratia, ſed & cum uterque ſubſiſtit, plerumque pauper pietate divitem antecellit. Sed neque quidquam diviti contulerunt ad pietatem opes, neque paupertas fideli fraudi fuit, ſed eum cum fiducia coràm ſancto ſtatuit Altari. Hæc autem de Catechumenis à me dicuntur, non de quibuſvis opulentis. Adverte quæſo animum, ac vide, quo pacto dominus excedat ex Eccleſia, & ſervus fidelis ſacris aſſideat Altaribus: Egrediatur domina, & maneat ancilla. Non enim accipit hominis faciem Deus. Non eſt in Eccleſia ſervus & liber*. Adeò tunc Eccleſia inter iſtos gradus diſcernebat. Tom. 6.

Fideles.

Aliud Catechumenos, aliud eſſe Fideles, clamant omnes Patres & antiqui Canones. Et utriſque ordinis ſunt variæ claſſes & gradus. Catechumenorum alii ſunt Chriſtiani, alii Audientes, Subſtrati, Precantes, Electi, Scrutati, Competentes. Omnis fidelis debet eſſe baptizatus,

tus, ideoque fidelium alii ſunt ſubditi, alii præfecti, alii integri, alii læſi aut lapſi, alii pœnitentes diverſorum graduum. Hic ſolum genus inquirimus. Nomen & titulum *Fidelis* eſſe eminentem ſcribit in homiliis ad populum Antiochenum Sanctus Joannes Chryſoſtomus, ac pergit: *Magnæ hujus donationis nomina inquiramus. Sicut enim dum ignoratur dignitatis magnitudo, ſegniores facit eos qui honorantur; ita ſi noſcatur, gratias reddit, & magis ſtudioſos efficit. Alioquin & turpe eſſet ac ridiculum, tanto potientes apud Deum honore, nec ſcire quid ipſius tandem nomina ſignificare velint.* Fidelis dicitur à fide. Et hinc quidam exiſtimant omnem, qui Chriſtiana fide credit in Deum, eſſe ac appellari fidelem.

Hom. 21.

Et favere illis videntur plura Sancti Auguſtini teſtimonia. Etenim in primo de peccatorum meritis ac remiſſionibus libro affirmat baptizatos infantes eſſe fideles, atque adjungit: *Quod à credendo utique nomen eſt, quamvis & hoc non ipſi, ſed alii pro eis inter Sacramenta reſponderint.* Et in quartodecimo ſermone de verbis Apoſtoli: *Conſuetudine Eccleſiæ antiqua, Canonica, fundatiſſima parvuli baptizati fideles vocantur. Et ſic de his quærimus. Iſte infans Chriſtianus eſt? Et reſpondetur: Chriſtianus. An fidelis, an Catechumenus? Fidelis. Utique à fide. Fides à credendo. Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis.* Et in prima concione ſuper trigeſimum ſecundum Pſalmum: *Habemus fidelem Deum. Diſtinguamus fidelem Deum à fideli homine. Fidelis homo eſt credens promittenti Deo; fidelis Deus eſt exhibens quod promiſit homini.*

Cap. 25.

Cap. 13.

Reſpondeo tamen neminem à ſola, licèt per remiſſionem peccatorum formata ac viva, fide appellari fidelem. Etenim iſtiuſmodi fidem poſſint habere Catechumeni, & tamen etiam tunc non ſunt fideles. Iſtius igitur magni tituli radicem ac virtutem exponit in adducta homilia laudatus Joannes Chryſoſtomus: *Fidelis propterea vocaris, quoniam & credis Deo, & ab eo creditam ipſe juſtitiam habes, ſanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, Regnum cœlorum. Et hæc tibi commendavit. Tu viciſſim ipſi alia credidiſti & commendaſti: Eleemoſynam, preces, modeſtiam, & omnem aliam virtutem.* Et in prima homilia ſuper epiſtolam ad Coloſſenſes: *Undenam vocaris fidelis? Num quòd per mortem Chriſti fuiſti ſanctificatus? Num quòd credis in Chriſtum? Undenam factus & frater? Non enim in opere, neque in ſermone, neque in recta actione apparuiſti fidelis. Undenam ſunt tibi tam multa credita myſteria? Quis te fecit fidelem? Quis Dei filium? Qui te fecit fide dignum, is quoque fuit cauſa ut tibi crederetur. Fideles enim vocamur, non ſolùm propterea quòd credamus, ſed etiam propterea quòd nobis à Deo credita ſint myſteria, quæ ne Angeli quidem ante nos meruerunt.* Et in tertia ſuper ſecundam epiſtolam ad Timotheum homilia Apoſtoli verba, *Hæc commenda fidelibus hominibus*, commentatur: *Fidelibus. Quibus? Qui prædicationis non prodant gratiam.* Proindè laudatus titulus fundatur in mutua inter Deum ac hominem fide ac fiducia. In fide, qua nos Deo ac in Deum credimus; ac in fide, qua nobis Dominus Deus fidit, credit, & commendat ſua dona atque myſteria. Myſterium juſtificationis, regenerationis, plurium Sacramentorum, ac præſertim ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Etenim nos homines habemus etiam noſtros fideles: Non qui nobis credunt, ſed quibus nos fidimus atque credimus noſtra Arcana.

Hoc ipſum in ſuis Catecheſibus docet Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus. Etenim in illarum præfatione ſcribit ad Electos è Competentibus: *Antea Catechumenus eras, nunc verò fidelis vocaberis.* Utique dum fueris baptizatus, & confirmatus, & ſacroſanctam Euchariſtiam perceperis. Et in quinta Catecheſi Divinæ majeſtatis Attributa affirmat eſſe bonitatem, juſtitiam, omnipotentiam, ac fidelitatem, & proſequitur ad Catechumenos: *Cogita ergò in quantam proveharis dignitatem, cum Divinæ futurus eris particeps appellationis.* Poſt ſuſcepta tria iſta Sacramenta appellandus & ipſe fidelis, adeoque futurus particeps Divini Attributi. Et infra pergit: *Si fidelis eſſe videris, nondum tamen fidei perfectionem habes, opùs eſt ut & tu cum Apoſtolis dicas, Domine adauge nobis fidem.* Quempiam in Chriſtiana dogmatum fide imperfectum affirmat poſſe eſſe plenè fidelem: Quia nempè non ex hac ſola fide fideles dicimur. Et in tertia Myſtagogica Catecheſi Sanctum Chriſma ac ejus Unctionem mirè extollit. Non illam quæ antè, ſed quæ datur poſt Baptiſma: *Vobis poſtquam ex aquis ſacri Lavacri adſcendiſtis, datum eſt Chriſma.* Laudat Unctionem, non quæ à Græcis in toto hominis corpore, ſed quæ fit in fronte, oculis, naribus, pectore, aliiſque nobilioribus partibus. Hæc lucidè eſt ipſum Sacramentum Chriſtianæ Confirmationis. Et Cyrillus pergit: *Hujus Sancti Chriſmatis dono accepto, meritò appellamini Chriſtiani, veram efficientes appellationem in ipſa Regeneratione. Ante enim quàm hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes euſque progreſſi eſtis, ut efficiamini Chriſtiani.* Affirmat nos per ſacroſanctum Chriſtianæ Confirmationis Sacramentum fieri Chriſtianos, at necdum fideles: Hoc donum nobis non fieri, niſi per ſacroſanctam Euchariſtiam. Huc reſpicit etiam Eliberinus Canon: *Si quis Diaconus, regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſæculo receſſerit, ſub fide, qua quis credidit, poterit eſſe juſtus.* Non Chriſtianus aut fidelis, ſed juſtus. Proinde per Baptiſmum juſti, per Confirmationem Chriſtiani, per ſuſceptam Euchariſtiam conſtituimur fideles. Etenim ut quis JESU Chriſti fidelis ſit, non ſatis eſt quod in ipſum credat, ſed inſuper opus eſt, ut & JESUS ſe credat illi. Ut illi credat ſuum inter Sancta & Arcana præcipuum, ſacroſanctam Euchariſtiam.

Can. 77.

Verùm his obeſſe videtur ſeptimus Canon Conſtantinopolitani Concilii, cui Sanctus Cyrillus

rillus interfuit : *Quicumque ex Eunomianis rectæ fidei adſcribi volunt, ut Græcos admittimus, & primo quidem die ipſos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deindè tertio exorcizamus, ſive adjuramus ipſos, & tandem baptizamus.* Diſtinguit varias Catechumenorum claſſes, & in prima ac omnium infima ponit Chriſtianos. Accedentis enim ad Chriſtum Dominum gentilis fronti ſtatim ſacroſanctæ Crucis ſignum imprimimus, & ſic creamus Chriſtianum. Ita ſemper egit & Orientalis & Occidentalis Eccleſia. Quomodo igitur Cyrillus affirmat nos Chriſtianos non eſſe, niſi per Chriſtianam Confirmationem ? Quomodo affirmat iſtum eſſe ſenſum totius Eccleſiæ? Quidam exiſtimant Cyrillum poſtmodò cantaſſe horum palinodiam. Etenim de ejus Catecheſibus ſcribit in virorum illuſtrium catalogo Sanctus Hieronymus : *Cyrillus Catecheſes in adoleſcentia compoſuit.* Et in Eccleſiaſtica Hiſtoria Cardinalis Anaſtaſius Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius : *Quidam Cyrillo quaſi Ariano, derogant, dicentes hunc etiam Homouſii vocem tacuiſſe in inſtitutionibus, quas compoſuit ad profectum imperitarum plebium ad Baptiſma accedentium.* Et per Jacobum Gretſerum publicatus Alexander Monachus in libro de ſacroſanctæ Crucis inventione : *Etiamnum decem & octo Cyrilli Catecheſes ſervantur legitimè conſcriptæ, in quibus ſacrum explicans Symbolum, Conſubſtantialis mentionem omiſit, Principum in ſe, niſi id feciſſet inſidias paratas videns. Manſit tamen cum Sanctis Patribus Eccleſiam voce non Scriptis defendens.* Ipſum purgat, quod ob Imperatoris Conſtantii metum, uti & Magnus Baſilius fecit ſub Imperatore Valente, ſit uſus diſpenſatorio ſilentio. Eodem modo ipſum purgat laudatus Anaſtaſius. Iſto ipſo modo ipſe Cyrillus ſe purgavit apud Conſtantinopolitanam Synodum, atque ita iſtic ſedit ut Canonicus Epiſcopus, & in Synodali ad Sanctum Damaſum Pontificem relatione fuit amplè commendatus. Aliqui cenſent quod ibidem ſuam priorem de Chriſtiani titulo doctrinam correxit. Aſt ſine fundamento. Nec enim hoc in puncto erravit. Etenim Chriſtiani titulus habet duplex fundamentum, ac ipſe itidem eſt duplex. Alius eſt primum Chriſtianitatis exordium, & datur per ſignum Crucis ; alius eſt longè eminentior, & datur per ſacroſanctum JESU Chriſti Chariſma, per ſacroſanctum Sacramentum Chriſtianæ Confirmationis.

Idem docet in quæſtionibus ſuper Deuteronomii librum Theodoretus Cyri Epiſcopus : *Nos appellamus fideles eos, qui ſunt Divinorum myſteriorum participes.* Quibus Chriſtus Dominus illa fidit, non timens illa profanari aut enuntiari. Conſonat Bulgarorum Epiſcopus in Commenta-

Cap. 1. rio ſuper epiſtolam ad Coloſſenſes: *Undè ſancti facti eſtis? Nonne per baptiſma in mortem Chriſti? Undè fideles? Nonne quia in Chriſtum creditis? Nonne quia tanta ſunt vobis à Chriſto credita myſteria? Fideles enim non ideò tantum vocamur, quia credimus, ſed quia myſteria nobis à Deo credita ſunt, quæ ne Angeli quidem norant.* Eſt iſta mutuatus ex Sancto Joanne Chryſoſtomo. Et hinc intelli-

ges extremam ac inſignem Guilielmi Comitis Saresberienſis pœnitentiam, de qua Matthæus Pa-

riſienſis : *Guilielmus fecit Epiſcopum civitatis ad ſe* Ann.1226

venire, ut ea quæ Chriſtiani ſunt, in Confeſſione & Viatico ſuſciperet. Intrante autem Epiſcopo thalamum, in quo jacebat Comes, nudus omninò præter femoralia, contra eum corpus Domini ferentem ex lecto proſiliens, aſperrimumque laqueum circa collum connectens, cum jugi lachrymarum effuſione ſe proſtravit in pavimentum, ſe ſummi Regis eſſe proditorem conteſtans, nec de loco moveri voluit, niſi facta confeſſione, & vivifici Sacramenti percepta communione, ut ſe ſui ſervum oſtenderet Creatoris. Rectè ac eruditè ſe profeſſus eſt ſummi Regis proditorem. Quiſquis enim Chriſtianæ juſtificationis, aut aliorum, quæ ipſi Dominus Deus credidit, myſteriorum Depoſitum excutit aut profanat, eſt plenus proditor Divinæ Majeſtatis.

Et hanc doctrinam lucidè tradit etiam Sanctus Auguſtinus. De Chriſto Domino ſcribit in

Evangelio Sanctus Joannes : *Cùm JESUS eſſet* Cap 2.

Hieroſolymis in Paſcha, multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna quæ faciebat. Ipſe autem JESUS non credebat ſemetipſum illis. Eò quòd ipſe noſſet omnes. Et Sanctus Auguſtinus commentatur in Tractatibus ſuper iſtud Evangelium : *Quid*

ſibi hoc vult? Illi credebant in nomine ejus, & ipſe Tract. 11.

JESUS non credebat ſemetipſum illis. An fortè non crediderunt ei, & fingebant ſe crediđiſſe, & propterea JESUS non credebat ſemetipſum eis? Sed non diceret Evangeliſta, Multi crediderunt in nomine ejus, *niſi verum illis teſtimonium perhiberet. Magna ergò res, & tanta res. Credunt homines in Chriſtum, & Chriſtus non ſe credit hominibus. Tales ſunt omnes Catechumeni. Ipſi jam credunt in nomine Chriſti, ſed JESUS non ſe credit eis. Intendat & intelligat charitas veſtra : Si dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum, reſpondet, Credo. Et ſignat ſe cruce Chriſti. Portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum : Manducas carnem Filii hominis, & bibis ſanguinem Filii hominis? Neſcit quid dicis. Quia JESUS non ſe credidit ei.* Et in ſequenti Tractatu : *Ecce jam illi credebant in JESUM, & JESUS non ſe credebat eis. Quare? Quia nondum erant renati ex aqua & ſpiritu. Indè hortati ſumus, & hortamur, fratres, noſtros Catechumenos. Si enim interroges eos, jam crediderunt in JESUM. Sed quia nondum carnem ejus, & ſanguinem accipiunt, nondum ſe illis credit JESUS. Quid faciant, ut ſe illis credat JESUS? Renaſcantur ex aqua & Spiritu.* Et in quadrageſimo quarto Tractatu : *Audiſtis grande myſterium. Interroga hominem, Chriſtianus es? Reſpondet tibi, Non ſum. Si Judæus es aut paganus? Si autem dixerit, Non ſum, adhuc quæris ab eo, Fidelis, an Catechumenus? Si reſponderit tibi, Catechumenus, inunctus eſt, nondum lotus. Sed undè inunctus? Quære, & reſpondet. Quære ab illo, in quem credat? Et ipſe quo Catechumenus eſt, dicit : In Chriſtum. Ecce modò loquor Fidelibus & Catechumenis.* Sanctus Auguſtinus conſtanter affirmat ad Fidelis titulum exquiri non dumtaxat hominis fi-

dem

dem in Chriſtum, ſed inſuper fidem qua Chriſtus Dominus illi credat ſua Arcana, præſertim ſacroſanctam Euchariſtiam.

Quare ad iſtum titulum Baptiſmus eſt plenè neceſſarius. Lucidè hoc cum aliis Patribus jam affirmavit Sanctus Auguſtinus. Et in undecimo Tractatu rurſum ait: *Illis ſe credit* JESUS, *qui nati fuerint denuò*. Hos enim omnes JESUS ſignat, & conſecrat in ſuos, quibus ſua communicet & fidat. Et hinc ante ſacræ aquæ ingreſſum profitemur illi varia, abrenuntiamus ejus hoſtibus, denuntiamus ipſis perpetuum bellum, præſtamus plenum militaris fidei Sacramentum. Et hinc oritur quæſtio, An ergò omnes baptizati ſint fideles? Etiam apoſtatæ, hæretici, ſchiſmatici, lapſi, pœnitentes? Reſpondeo omnes baptizatos eſſe Sacramento, debito, & conſecratione fideles, ſed quoſdam eſſe prævaricatores ac proditores, quoſdam ab arcanorum communione ſuſpenſos. Et tales ſunt pœnitentes quarti gradus, quos dicimus Conſiſtentes. Recepti ſunt in Dei gratiam, & omnia ejus Sacramenta vident, verum à ſupremi Sancti perceptione ſunt adhuc abſtenti atque ſuſpenſi. Proinde ſoli Perfecti, ſeu cum oblatione Communicantes ſunt plenè ac integrè fideles.

Hæc in eruditis ad Græcorum Euchologion Notis inſigniter illuſtrat Jacobus Goar: *Fideles olim vocandi non cenſebantur, quicumque fidem Chriſtianam Baptiſmo & Chriſmate accepto profiterentur, ſed qui duobus illis Sacramentis inaugurati, etiam ſacra Euchariſtia donarentur, & à communione conventus, precum, ſacrificii, & Sacramentorum in Pœnitentium numerum allecti non ejicerentur. Uno verbo, qui morum & probitatis vitæ tali ſpecimine fulgerent, ut fidos probaſſent, quibus Hieræ Theleta ſeu Hiero-Thelesæ, aliis etiam de viſu ignotæ, committi poſſent. Hi perfectè & integrè fideles, qui fidem profiterentur, & fidelitatum obſervantiæ & morum Chriſtianorum nulla peccati tranſgreſſione condemnaſſent.* Huc etiam reſpicit in inſigni adversùm moroſos Baptiſmi dilatores Oratione Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus: *Me tui pudet, quod cum conſenueris, adhuc ejiciaris cum Catechumenis, tanquam inſipiens puellus, & qui Arcana non poteſt celare, cum dicendum ſit myſterium. Unire populo myſtico, & arcanos diſce ſermones. Eloquere nobiſcum illa, quæ ſex alas habentia Seraphim cum perfectis Chriſtianis dicunt Hymnos canentia.* Catechunos affirmat eſſe puellos, quibus credi, & qui celare non poſſint arcana myſteria: Illa myſteria, quæ Seraphim cantant cum perfectis Chriſtianis. Utique ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, in quo cum Sanctis Angelis perfecti Chriſtiani decantant ſacroſanctum Tris-Agion. Gregorius affirmat Catechumenos, licet in JESUM credant, adhuc eſſe ex illis, quibus ſe non credit JESUS. Necdum eſſe ex ejus fidelibus. Et ad hanc fidelitatem exquirit duo. Primò ut JESUS tibi ſua Arcana credat. Deindè ut tu illa noveris celare ac fideliter cuſtodire. Gregorius item diſtinguit duplicem Chriſtiani titulum. Affirmat quoſdam eſſe, quoſdam non eſſe perfectè Chriſtianos.

Pariter adeunt.

Quid per hoc verbum intelligat, Doctor exponit in libro de velandis Virginibus: *Audent nullo capite ad Deum adire*. Cap. 14. Verbum, *Adire*, eſt vox, qua Romani ſolemnem ad publicos Eccleſiæ aut Reipublicæ conventus acceſſum paſſim ſignificant. Ita in ſua ad Poſthumianum, Orientis Prætorio Præfectum, lege ſancit de variis hæreticis Imperator Theodoſius: *Neque publicis, neque privatis aditionibus intra urbem atque agrorum & villarum loca, aut colligendarum congregationum, aut conſtituendarum Eccleſiarum copiam præſumant.* Exſtat lex in ſexto decimo libro Theodoſiani Tit. 9. Codicis. cap. 12. Et in lege ad Palladium Præfectum ſcribunt Honorius ac Theodoſius: *Si publicam judiciorum aditionem amicitiarum impedivit affectio.* Lib. 2. tit. 27. cap. 5. Pro ſulemni ad ſacras ædes acceſſu vocem iſtam & pagani & Chriſtiani frequentiſſimè acceperunt. Ita ſcribit quartus liber Æneidos: *Principio delubra adeunt, pacemque per aras exquirunt.* Et ſextus liber: *Quin ut te ſupplex peterem, & tua limina adirem, ipſe orans mandata dabat.* Et Cicero in ſecundo libro de Legibus: *Ad Divos adeunto caſtè.* Eadem voce in eundem ſenſum utitur in litteris ad Pammachium, agens de Romanis ſuo conjugio nuperrimè uſis, Sanctus Hieronymus: *Ad Martyres ire non audent, non ingrediuntur Eccleſias.* Ep. 50. cap 6. Et in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus Gennadius Maſſilienſis: *Non priùs vitæ fontem adeant, quàm exorciſmis & exſufflationibus Clericorum Spiritus ab his immundus abigatur.* Cap. 31. Utique Catechumeni, de quibus ſtatuit & prima Synodus Arauſicana: *Ad Baptiſterium nunquam admittendi.* Can. 19. Longè minùs ad Eccleſiam. Et in Græcorum apud Jacobum Goar Euchologio exſtans antiquus Ordo ſeu forma recipiendi Manichæos ad Eccleſiam, poſt expoſitos varios exorciſmos & alios ſacros ritus proſequitur: *Eum Sacerdos dimittit, atque ita deinceps ut Catechumenus ſeu inſtructus in Eccleſia morandi & Scripturas audiendi jus obtinet.* Non ergò quivis, ſed ſolus inſtructus & varia benedictione ſanctificatus Catechumenus poterat olim intrare Eccleſiam. Et in libro de Templo & Miſſa ſcribit Simeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis: *Pœnitentes*, quibus Catechumeni ſunt multò inferiores, *Eccleſiam intrare non audent*. Ipſorum locum in Baſilicæ veſtibulo fuiſſe affirmat in homilia de filio prodigo Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Tom. 6. Quod ipſum de Gallicana Eccleſia tradit Synodus Agathenſis. Septimius igitur hoc in loco arguit Gnoſticos ac Marcionitas, quòd ipſorum Catechumeni unà cum fidelibus adirent & intrarent Eccleſias: Non dumtaxat veſtibulum, ſed inſuper Adita, ac alia loca ſanctiora.

Pariter

Pariter audiunt.

In opere de antiquo ſacrarum Concionum ritu Franeiſcus Bernardinus Ferrarius landat præſentem Tertulliani locum, ac proſequitur: Lib. 1. cap. 19 *Tertullianus cum affirmat in Eccleſia ipſo concionum tempore ſecerni vix poſſe & internoſci fideles à Catechumenis, demonſtrat utique ad ipſas conciones audiendas Catechumenis æquè ac fidelibus aditum patuiſſe.* Nulla diſcernit Eccleſiæ rempora, ae ex præſenti Doctoris loco cenſet & Fideles & Catechumenos ſemper adiiſſe ſimul ae audiviſſe. Eſt Erudito viro horrendus lapſus. Erenim Septimius non laudat hie Catboliex Matris diſeiplinam, ſed damnat hæreticæ converſationis levitatem, ineonſtantiam, variam prævaricationem. Et inter iſta ponit, quòd eocum fideles & Catechumeni ſimul adeant, ſimul andiant, ſimul orent. Uti Sanctus Auguſtinus ſeripſir librum de moribus Manichæorum, atque ex iſtorum pravitate infert pravitatem dogmatis, ita Iſtud ipſum de ſui temporis bæreticis hie facit Tertullianus. Et eſt firmum argumentum. Etenim vera fides & rectadiſclplina ſunt penitùs connexa, ideoqne ſeſe mutuò ponnnt ac tollunt. Proindè præſens Doctoris locus palàm evineit, quòd iſto tempore Catechumeni, lnngè magis gentiles aut Judæi, ad audiendum Dei in Eccleſia verbum eum fidelibus non admitterentur. Iſtius admiſſionis nullum eſt veſtigium. Plurima perſuadent non fuiſſe. Et iſta diſciplina videtur adbuc viguiſſe tempore Sancti Athanaſii, vel cujuſvis alterius Patris, qui ſcripſit famoſam Synopſim ſacrarum Litterarum. Etenim poſt enumeratum antiqui Teſtamenti Canonem ſubjungit: *Præter iſtos ſunt adbuc alii ejuſdem veteris inſtrumenti libri non Canonici, qui Catechumenis tantùm legantur.* Et tãles eſſe dieit Sapientiam Salomonis, Librum Eccleſiaſtiei, Eſther, Judith, ac Tobiæ. Iſtius Scriptoris Eccleſia primæ elaſſis libros ſolis fidelibus, at verò laudaros libros locabat in ſecunda claſſe, cenſebat optimos, ideoque uti ad altiora præparatorios legebat ſnlis Cateebumenis. Proindè uti fideles & Catechumenos non ad communes libros admittebat, ita neque ad commune, quod Epiſcopus exponebat, in Eccleſia verbum.

Quidquid ſit, data per Conſtantinnm Eccleſiis pax alium induxit morem. Lucet ex Synodo Can. 19. Laodieenſi: *Quod oportet poſt ſermonem Epiſcoporum peragi orationem Catechumenorum.* Agit de ſecunda, quos Subſtratos appellamus, Catechumenorum elaſſe. Mandat eis non niſi poſt ſermonem Epiſcopi impendi ſuas orationes ae manus impoſitiones, atqne ita ſupponit ipſos dicto ſermoni adfuiſſe. Longè aliter ſtatuit de hæreti-Can. 6. cis: *Quòd non oporteat hæreticis concedere, ut in domum Dei ingrediantur, ſi in hæreſi permaneant.* Pertinaces ergò hæretieos nec ad publicum Dei verbum admittebat. Iſtud enim fiebat in Eccleſia. Hinc longè minùs admittebantur Judæi aut gentiles. Hæreticos ramen non dudum poſt fuiſſe generaliter admiſſos, lucet ex Reſponſis Catholieis Timothei Patriarchæ Alexandrini. Arianos & alios quoſvis, lieet agere pœnitentiam & hæreſim vitare non profiteantur, mandat à ſola oblatione & oratione expelli cum Catechumenis, ideoque ipſos admitti ad Epiſcopi concionem. Loquitur de Conſtantinopolitana, & omni Thracum Eccleſia. Eundem morem viguiſſe apud Antiochenos liquet ex Sancto Joanne Chryſoſtomo. Tom. 6. Catechumenos adfuiſſe palam eſt ex ejus ſermone in Domini Præcurſorem; ex ſecunda ejus homilia de incomprehenſibili Dei natura lneat adſuiſſe hæreticos Anomæos. Ac verò in prima ſuper Apoſtolieos Actus homilia Tom. 2. declamat ad gentilem: *Quod ſi adhuc ambigis, an Chriſtus ſit Deus, ſtato foris, ne Divinos Sermones audias, neve teipſum inter Catechumenos numeraveris.* Manifeſtè affirmat gentiles non fuiſſe admiſſos.

Eadem forma tunc viguit in Italis. Lucet ex Sancti Ambroſii epiſtola ad ſororem ejus Marcellinam: Epiſt. 14. *Poſt lectiones atque Tractatum dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus Competentibus in Baptiſterii tradebam Baſilica.* Lucidè affirmat non ſolos Competentes, ſed omnes omnino Catechumenos Epiſcopali Tractatui, ſeu publieo ad populum verbo adſuiſſe. Etiam pro Gallicana Eeeleſia ſtatuit prima Arauſicana Synodus: Can. 18. *Evangelia deinceps placuit Catechumenis legi apud omnes noſtrarum provinciarum Eccleſias.* Eò igitur uſque quædam Galliarum Eccleſiæ ſtatim poſt lectum Apnſtolum expulerant Catechumenos, adeoque nec admiſerant ad Epiſcopi concionem. Quin & diu poſt hanc Synodum ſcripſit in opere de Divinis officiis Amalarius Fortnnatus: *Conſuetudo noſtra tenet, ut Catechumenos repellamus* Lib. 3. cap. 36. *antè Evangelium.* Nempè laudatum Canonem necdum admiſerat Eccleſia, aut omnis fortè Trevirenſis Provincia, in qua Amslarins creditur docuiſſe. At verò Africana Eccleſia in quarta Carthaginenſi Synodo fuit longè liberalior: *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire Verbum Dei, ſive gentilem, ſive bæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum.* Eò igitur uſque ſoli Catechumeni admittebantur. Hæc Synodus admiſit etiam bæreticos, Judæos, atque Gentiles.

Canonis author videtur fuiſſe Sanctus Auguſtinus. Etenim in ejus vita ſeribit Sanctus Poſſidius: *Libros Auguſtini ſive Tractatus, mirabili Dei gratia procedentes, inſtructos omni rationis copia atque authoritate Sacrarum Scripturarum, ipſi quoque Hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant.* Concurrebant etiam Manichæi. Concurrebant clandeſtinè & per obreptionem. Etenim Canon, qui nullos, niſi Catholicam Regulam profeſſos ante portam, admittebat ad ingreſſum Baſilieæ, eſt ſuprà demonſtratus viguiſſe in Afriea. Eriam apud Donatiſtas. Ob iſtiuſmodi elancularinm neſeio cujus, quem corrigendum elegerat Divina gratia, Ma-

nichæi ingreſſum Spiritus Sanctus concionsntem Auguſtinum diſtraxit ac deduxit à concepts per prævium ſtudium msteria, & ſecit ex tempore contra Manichæos declamare. Fuit adeò extemporalis Rhetorica, ut eam ipſe Auguſtinus ſuerit in ſemetipſo admiratus. Rei ſeriem exponit laudatus Poſſidius. Hujuſmodi eventus, ac ipſorum fructus videtur Auguſtinus conſideraſſe altiùs, atque ita Africanam Synodum induxiſſe, ut deinceps quicumque hæretici, imò etiam Judæi atque pagani, ad conciones admitterentur. Et certè iſta ejus diverſio evenit ſub exordium Epiſcopatus, ante Epiſcopstum Poſſidii, adeoque & snte laudatum Canonem. Et ipſum randem, nempe ad ſexti ſæculi annum vigeſimum ſextum, probavit, & admiſit etiam Hiſpania. Etenim ſtatuit in Valentina Synodo: *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive gentilem, ſive hæreticum, ſive Judæum, uſque ad Miſſam Catechumenorum*. Eſt ipſiſſimus Canon Carthaginenſis. Proindè uſque ad illa tempora Hiſpani admittebsnt ſolos Catechumenos. Eurum etiam Epiſcopi nullum, niſi qui Symbolum profiteretur ad portas, permittebsnt ingredi. Iſts liberslitas diverſo paulatim tempore ſuit per omnem ferè Eccleſiam comprobats. Eruditus ac antiquus Scriptor, quem paſſim dicimus Sanctum Dionyſium Areopagitam, in ſua Eccleſiſtica Hierarchia, non ſolos Energumenos sc Pœnitentes, ſed etism Catechumenos admittit ad Divinam Pſalmodiam ac libro-
Cap. 3. rum Divinorum auditionem. Eſt firmum argumentum, quod quarto ſæculo ſcripſerit, poſt datam Eccleſiæ à Conſtantino pacem.

Dum gentiles adhuc Romani Principes odiſſent ac perſequerentur Eccleſiam, quivis Paganus, Hæreticus, Judæus erat noſter proditor & Frumentarius, ideoque ipſis nec iſtam ſuæ Synaxeos partem tunc Eccleſia credebat. Doloſos item & fictos Catechumenos quandoque experta ſuit, ideoque & illos excludebat. Dsta per Conſtantinum pax ac plena libertas nullos deinceps timuit delatores, ideoque quoſvis, primùm Catechumenos, poſtmodò etiam Judæos ac Gentiles, Chriſto Domino lucrari ſatagens, ad Evangelii cantsti & expoſiti audientism admiſit. Tunc in Epiſcoporum ſermonibus, antea inaudita, ad quævis fidei noſtræ myſteria audiri cœpit hæc famoſiſſima vox: *Norunt fideles*. Antea enim Epiſcopis tractantibus ſoli fideles aderant, ideoque iſta noſtrorum Arcanorum cuſtode formula non erat opus. Marcionitas igitur, quod ad ſuas conciones etiam Catechumenos, imò & gentiles admitterent, meritò Septimius accuſat.

Porrò licèt data per Conſtantinum pax Catechumenos ad publicum in Eccleſia verbum admiſerit, non tamen admiſit ad ſimul cum fidelibus audiendum. Lucet ex ſecunda Sancti Joannis Chryſoſtomi ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia, ubi dicit de perfectiori etiam Catechumenorum claſſe: *Extra veſtibula Regia ſtant, longeque à ſacris cancellis*. Et homilia de filio prodigo inducit hunc ſic loquentem ad Patrem: *Sine me cum Catechumenis intra Eccleſiæ fores conſiſtere, ut contemplans quæ in ea perficiuntur myſteria, eorum ſenſim rursùs particeps fieri concupiſcam*. Per myſteria palàm intelligit non Euchariſtiæ celebrationem, ſed manna impoſitiones & orationes varias, ſuper certi gradus Catechumenos poſt publicum Sacerdotis verbum fieri conſuetas. Et in laudata ſuper Apoſtolorum Actus homilia dicit ad Gentilem: Quod ſi adhuc ambigis, num Chriſtus ſit Deus, *Stato foris, ne Divinos ſermones audias, neve te ipſum inter Catechumenos numeraveris*. Non inter fideles, ſed inter Catechumenos. Quod nempe hi haberent locum longè inferiorem. Et in homilia adversùm eos qui Paſcha jejunant: *Si ſit Catechumenus is, qui gravium peccatorum morbo laborat, à veſtibulo templi arceatur; ſin fidelis myſteriis initiatus, à ſacra menſa repellatur*. Catechumeni igitur erant intrs Eccleſiam, verùm in veſtibulo, quod hodiè à Græcis vocatur Ferula ſeu Narthex: Fideles in media nave. Iſtic audiebant.

Hæc omnia confirmantur ex variis apud antiquas Eccleſias Catechumeniis, ſeu Auditoriis. Octava Synodus in magna Sanctæ Sophiæ Conſtantinopolitana Eccleſia affirmat ad dexteram partem fuiſſe Catechumenia, & propè ipſa Epiſcopos conſediſſe. Eadem laudat antiquus de ejuſdem per Juſtinisnum Imperstorem erectæ Eccleſiæ fabrica Author: *Cum opifices ad ſecunda* Cap. 22. *uſque Catechumenia perducto opere, ſuperioribus columnis, ac fornicibus erectis, circumpoſitæ fabricæ tecta impoſuiſſent*. Quomodo quis è ventilantibus, id eſt, ad Miſſarum ſolemnia miniſtrantibus Diaconis oculum fixerit in fœminsm, refert in Sancti Baſilii vita Sanctus Amphilochius, Cap. 9.
& adjungit: *Baſilius præcepit ſuſpendi vela ad Catechumenia, injungens mulieribus, ut ſi qua deprehenſa eſſet, quamdiu Sacra peragerentur, extra vela deſpicere, de Eccleſia pelleretur, & extra communionem fieret*. Quid ſimile refertur etiam in vita Ssncti Joannis Chryſoſtomi. Porrò Anſtaſius Romanorum Bibliothecarius octavæ Synodo dedit hoc marginale Scholion: *Catechumenia dicuntur loca, in quibus Catechumeni inſtruuntur*. Et in libro de Sacramentis Simeon Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis ſcribit: *Nartheces dicuntur templorum principia, & Catechumenia, Catechumenorum nempè domicilia, quæ & propterea excogitata ſunt, ut & hi auditu, viſuque ſolo Divinorum participes fierent, & labiis linguaque fidem profiterentur, devotioniſque verba modularentur, non tamen communicant precibus, ſed ab eis extorres ſunt, utpotè ab eis ſemoti*. Catechumenia videntur fuiſſe ipſe Narthex.

Reſpondeo Catechumenia, ſeu Auditoris fuiſſe duplicia: Alia fidelium, alia Catechumenorum. Etenim fœminæ, quas cum Sancti Baſilii Diaconis oculo luſiſſe è Catechumeniis ſcribit Sanctus Amphilochius, erant omninò fideles. Hinc eis communionis privationem minabatur Baſilius. Et quomodo ventilsntes Diaconi ex altari cum exiſtentibus in Ferula mulieribus po-

tuiſſent

tuiſſent oculo ludere ? Cleticorum chorus, & populi navis, & ipſorum interjacentes portæ iſtum luſum palàm impediebant. Quarn illa Auditoria eraot altari vieina loca, in quibus fideles fœminæ Divinorum tempore ſequeſtrabantur. Erant laterales & altæ Baſilicarum concamerationes, qnales & apud nos binc indè videmus. Hinc ex illis deſpici à fœminis Baſilius interdixit. Et de ejuſmodi concametationibus lucidè loqnitur etiam Author libri de nova fabrica Sanctæ Sopbiæ. Loqui videtur & octava Synodns. Quis enim credat ipſam celebratam in Natthece, viliſſima ac infima patte templi ? Et à dextris & à ſiniſtris, & ſursùm ac deorsùm etant fidelium Auditoria: Se in deatris eorum partibus fuiſſe celebratam iſta Synodus affirmat. Simeon Theſſalonicenſis manifeſtè loquitur de Narthece. Hinc interim vides in Catholica Eccleſia Catechumenos cum fidelibus oumquam audiviſſe.

Pariter orant.

Noo de quavis, ſed de illa, cujus gratia integrum librum ſcripſit, oratione loquitur hic Septimius, de ineruento Chriſtianorum ſacrificio, cujus auditiooem antiqui Canones paſſim nuocupant communionem in precibus. Do hac ſola locutus ſuprà eſt adversùm Marcionitas etiam Sanctus Epiphanius. Iſti orationi Catechumenos non potuiſſe adeſſe, docent antiquiſſimæ omnes & Latioorum & Græcorum Liturgiæ, quæ ipſam ooniſi poſt emiſſos Catechumenos ac Pœoitentes, & poſt obſeratas Baſilicæ portas permittunt inchoari. Portas debere priùs Lib. 2 cap. 57. claudi tradunt etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum Author, & io homiliis ſupra Sancti Matthæi Evangelium Sanctus Joannes Chryſoſto- Lib. 8. cap. 11. mus: *Myſteria ideò clauſis januis celebramus, & eos, qui nondum initiati ſunt, adeſſe pro-* Homil. 23. *bibemus, non qaia aliquam myſteriorum infirmitatem deprebendimus, ſed quia ad participationem eorum illi, quos arcemus, adbuc infirmi ſunt.* Et in homilia de filio prodigo ſcribit de Diacoois ſacrificio miniſtrantibus: Tom. 6. *In Eccleſia diſcurrunt, clamantque, Ne quis ex Catecbumenis, ne quis eorum qui non edunt, nullus ex Exploratoribus, ne quis eorum qui non poſſunt intueri vitulum qui comeditur, neve quis eorum qui ſpectare non poſſunt cœleſtem ſanguinem qui effunditur in remiſſionem peccatorum, ne quis indignus boſtia vivente, ne quis non initiatus, ne quis eorum qui non poſſunt impollutis oculis tremenda myſteria attingere, in Eccleſia maneat, aut myſteria per doloſam ſubreptionem accipiet.* Bis fiebat iſtud Diaconale examen ac proclamatio: Ante conſecrandorum introductionem, & ante jam conſecratorum donorum diſtributionem. Fiebat præſertim ob curioſos, immò & malevolos noſtrorum Secretorum exploratores, quos non raró per dolum aut vim manere tentaſſe, ac etiam manſiſſe in Eccleſia, quin & tremenda Sacramenta participaſſe, docent multa exempla. Adversùm illos ſtatuunt Apoſtolicæ conſtitutiones: *Si aliquis non baptizatus ſeipſum celaverit, & myſteria participet, judicium æternum manducabit, quod cùm alienus à Chriſti fide eſſet, quæ fas non erat ad ſupplicium participavit. Si quis autem per ignorantiam, eſt ille quidem citò elementis Chriſtianæ religionis inſtituendus, ac baptizandus, ne exeat contemptor.* Lib. 7. cap. 26. Quod ipſum in ſuis Canonicis Reſponſis ſtatuit Timotheus Patriarcha Alexandrinus. Cap. 1.

Et hinc Euſebianos, de everſo Altari & ſacro calice fracto accuſantes, & per Catechumenorum teſtimonia iſtud probantes, rectè revicit Sanctus Athanaſius, ajens *oblationem proponi non potuiſſe cùm intus Catechumeni verſarentur, quibus intus adbuc agentibus tempus oblationis nondum eſſe potuit.* Quam exceptionem, ut patenter peremptoriam, laudat etiam Sanctus Julius Pontifex in litteris ad Factionem Euſebianam. Conſecranda enim dona nec primam, à qua propriè caotdium ſacrificii, in Proibeſi benedictionem accipere, ſeu verbaliter offerri, immò nec ex Sccvophylacio ſeu Sacriſtia produci poterant, niſi poſt ejectos Catechumenos, Pœnitentes, alioſque omnes, à quibus Eochariſtia, ac ejus tremenda conſecratio videri non poteraot. Ex eodem principio Sanctus Ambroſius laudat fratrem ſuom Satyrum, in Mediterraneo mari naufragum, quod collo ſuo in Oratio ſuſpenſam Eucbariſtiam Catechumenus intueri non præſumpſiſſet. Quòd eam Catechumenus deportaret in itiocre, fuit res diſpenſatoria. Interim quam deportabat, intueri non poterat. Adeò rigidè tunc obſervabatur iſta reverentia. Huoc igitur Canonem ſperni, & qnidem intra Eccleſiam ac in ipſo ſacrificio, à Marciooitis Septimius indignatur.

Eandem diſciplinam laodat in qoadam epiſtola Magnos Baſilius: *Meminiſti Eccleſiaſticarum con-* Ep. 241. *tionum, cùm ſis inter fideles per Dei gratiam numeratus, quod nimirùm pro eis intercedimus ad Deum, qui peregrè ſunt conſtituti, quique inter militares copias recenſentur, proque eis etiam qui liberè profitentur nomen Domini, & pro eis qui fructus manifeſtè oſtendunt ſpirituales. Pro bis omnibus preces in ſancta Dei Eccleſia fundimus.* Faciunt iſta Græci circa coosecrationem. Locet ex ipſius Baſilii Liturgia. Hinc ille iſta omnia dicit nota fidelibus: Quòd nempè Catechumeni ab illis arcerentur, adeoqne & ipſa penitùs ignorarcot. Conſonat io oratione ad eos qui Baptiſma differunt, germanos Baſilii frater, Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus: *Me tui pudet, quod cùm conſenueris, adbuc ejiciaris cum Catecbumenis, tamquam inſipiens puellus, & qui Arcana non poteſt celare, cùm dicendum ſit myſterium.* Et ad Honoratum Catechumeoum ſcripſit Sanctus Auguſtinus: *Gratias agimus Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in Sacrificio novi Teſtamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus, invenies.* Laudat ſacri Canonis præfatiooem, & affirmat ipſum Catechumeois eſſe peni-

ſûs ignotum. Et in octogeſimi Pſalmi commentario demonſtrat per mare rubrum, in quo ſubmerſi Ægyptii, ſignificari Baptiſma noſtrum, atque proſequitur: *Cùm tranſieris rubrum mare, cùm fueris baptizatus, percepturus es myſteria, quæ non noveras. Quia & ipſe Joſeph, cùm exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit. Audies linguam quam non noveras, quam modò audiunt & recognoſcunt, teſtantes & ſcientes qui norunt. Audies ubi debeas habere cor. Quod modò cum dicerem, multi intellexerunt, & acclamaverunt, reliqui muti ſteterunt, quia nondum linguam, quam non noverant, audierunt. Accelerent ergò, tranſeant, & diſcant.* Denuò laudat ſacri Canonis Præfationem: *Surſùm corda.* Affirmat iſtas voces eſſe Fidelibus notiſſimas atque gratiſſimas, Catechumenis autem eſſe linguam ignotam. Quòd nempè ipſi ante Præfationem ejicerentur. Vox, *Nondum*, videtur ſuperfluere. Item Joſeph, non dum exivit, ſed quando intravit Ægyptum, audivit ignotam linguam. Quidquid ſit de iſtis, hinc iterùm vides Catechumenos Epiſcopali concioni adfuiſſe. Et in ſermonibus de verbis Domini idem Auguſtinus de-
Serm. 46, cap. 1. clamat: *Cum ſanctum Evangelium legeretur, Dominus JESUS Chriſtus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ ad manducandam carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum. Qui audiſtis hæc, necdum intellexiſtis. Qui enim baptizati & fideles eſtis, quid dixerit noſtis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni vel Audientes vocantur, potuerunt eſſe, cùm legeretur, Audientes, numquid & intelligentes?* Affirmat illos, licèt appellentur Audientes, ad iſtiuſmodi verba eſſe ſurdos. Et adjungit: *Menſa Chriſti eſt illa in medio poſita.* Quæ eadem
Cap. 1. repetit in ſecundo Sermone de verbis Apoſtoli. Et ex iſtis aliqua diſcimus. Primò, quòd Africana Eccleſia Catechumenos admiſerit ad Epiſcopi verbum, adeoque & ad Evangelium. Etiam ad Evangelium de ſacroſancta Eucbariſtia. Secundò, quòd Africanæ Baſilicæ altare ſituatum habuerint in ſui medio. Tertiò, quòd etiam Catechumeni ipſum adſpexerint. Quartò, quòd poſt Epiſcopi verbum fuerint ejecti. Lucidè hoc Auguſtinus ſcribit in ſermone de tempore: *Ecce*
Serm. 137 cap. 8. *poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis. Manebunt Fideles, venietur ad locum orationis. Scitis quò acceſſuri ſumus, quid priùs Deo dicturi? Dimitte nobis debita noſtra.* Per orationem intelligit conſecrationem. Et poſt ipſam affirmat dici Orationem Dominicam ante Communionem. Miſſam, id eſt, dimiſſionem Catechumenorum laudat et-
Cap. 84. iam quarta Carthaginenſis Synodus. Laodicenſis item Synodus ſtatim poſt Epiſcopi verbum mandat fieri Catechumenorum orationes, & tunc ſtatim dimitti. Ex quo lucet, quòd Orientalis Eccleſia ante Nicænam Synodum cœperit Catechumenos ad Epiſcopi verbum admittere. Statim poſt datam Eccleſiis pacem.

Et hinc lucet labi venerabilem Hugonem de Sancto Victore, qui in ſpeculo de Eccleſiæ myſteriis laudat ſacri Canonis præfationem, & illi ſubjunctum Tris-Agion, atque proſequitur:
Poſt hæc Sacerdos Secretum incipit. Hoc à quibuſ- Cap. 3.
dam Miſſa vocatur. Quia in primitiva Eccleſia Catechumeni ſolebant intereſſe celebrationi Miſſæ uſque ad conſecrationem. Et tunc clamabat Diaconus: Catechumeni exeant foras: *Et quia tunc mittebantur foras, hoc myſterium Miſſa vocabatur.* Errorem revincunt plura adhuc Sancti Joannis Chryſoſtomi Teſtimonia. In trigeſima ſexta ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia profanos in Eccleſia fabulones durè arguit, affirmat illam ad inſtar cœleſtis palatii eſſe venerandam, & adjungit: *Quod ſi non credis, reſpice ad hanc Menſam, recordare propter quam cauſam, & quamobrem hic ſtes. Cogita quis ſit qui hic procedat. Venerare & obſtupeſce etiam ante tempus. Etenim ſi quis ſolum viderit Regis ſolium, animo adſurgit, exſpectans Regis exitum. Et tu ergò ante illud tempus ſtupendum venerare, & obſtupeſcere, & adſurge, antequam videas expanſas veſtes, ſtragulas, & tapetes, & procedentem chorum Angelorum. In iſtum ipſum adſcende. At hæc ignorant qui myſteriis non ſunt initiati.* Laudat magnum Sacrificii Introitum, qui noſtro reſpondet Offertorio, & fit ſtatim poſt cantatum Evangelium, Nam & olim, antequam cantaretur Symbolum, apud nos Offertorium tunc fiebat. Et Sanctus Joannes dicit iſta omnia ignorari à Catechumenis: Quòd nempè hi ſtatim poſt cantatum & à Sacerdote expoſitum Evangelium dimitterentur. Notanda ſunt verba: *Venerare & obſtupeſce ante tempus.* Sanctificata in Protheſi dona, dum per magnum introitum deferuntur ad ſacram menſam, Græci adeò venerantur, ut in Florentina Synodo Latini ipſos de exceſſu in Latriam habuerint ſuſpectos. At illi plenè ſatisfecerunt. Laudata Chryſoſtomi verba demonſtrant iſtam ritualem pietatem eſſe apud illos antiquiſſimam. Omninò enim hanc ſuo populo commendat Sanctus Joannes. Ex ejus verbis item vides, quod Græcorum Catechumeni nec altare videant. Donec illi dimittantur, eſt clauſum, & cortinis obductum. Aliud ſemper factum eſt in Latina Eccleſia. Ita ſuprà audivimus à Sancto Auguſtino.

Etiam in nona ſuper epiſtolam ad Coloſſenſes homilia laudatus Joannes ſcribit: *Quis ſit hymnus Supernorum, ſciunt fideles. Quod supernè dicunt Cherubim. Quod dicebant Angeli: Gloria in excelſis Deo.* Iſta omnia Græci dicunt intra aut circa Sacrificii Canonem: Hinc Sanctus Joannes dicit ipſa ſciri à ſolis fidelibus. Eundem Canonem laudat in ſexta homilia ſuper primam epiſtolam ad Timotheum, & denuò adjungit eſſe notum ſolis fidelibus. Proinde tunc Catechumeni fuerunt dimiſſi ſtatim poſt Epiſcopi ſermonem. Et iſtud ipſum lucet ex Diaconali, quam Hugo de Sancto Victore laudat, adversùm Catechumenos proclamatione. Hæc bis fiebat: Statim poſt Sacerdotis ſermonem, & ante Communionem. Hæc omnia tradit in ſua Eccleſiaſtica Hierarchia etiam antiquus ac eruditus Auctor; quem paſ-
ſim appellamus Sanctum Dionyſium Areopagi- Cap. 3.
tam: *Sacratum Scripturarum lectione finita, ſacro ambitu arceantur Catechumeni, & cum eis Energumeni*

meni ac Pœnitentes. His ejectis addit ſtatim claudi portas per Diaconos. Et proſequitur: *Catechumenos, & Energumenos, & eos qui pœnitentia ducuntur, ſacroſanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire ſacram Pſalmodiam, Divinamque ſacrarum Scripturarum recitationem, verùm ad ea quæ ſequuntur ſacrificia, ſpiritualiaque ſpectacula, nequaquam eos convocat, ſed perfectos Perfectorum oculos*. Ab hac Perfectione affirmat Catechumenos eſſe remotiſſimos, ideoque expelli primos. Cap. 6. Adjungit ab illis non ſolummodo Sacrificium, ſed etiam ipſam Euchariſtiam non poſſe videri. Omnes tres iſtos ordines eſſe perfectè purgandos, Cap. 7. *Ut ad illuminantem illuſtriſſimorum Sacrificiorum contemplationem & communionem traducantur*. Et iterùm: *Præcipuis Sacris illis Divinis, quæ ſub ſacroſanctis ſignis latitant, interdicuntur, & ab eorumdem adſpectu & communione meritò arcentur*. Quod intelligi debet de tribus dumtaxat prioribus Pœnitentium claſſibus. Quod enim Conſiſtentes ipſi etiam Sacrificio, licet offerre & ſumere vetarentur, adeſſent, eſt omnibus notum.

Catechumeni, licet ab iſta principali noſtra oratione arceantur principaliter, arcentur etiam ab aliis. Omnia noſtra Divina officia ſunt ſpe- Cap. 4. cies orationis. Idem ille laudatus Scriptor affirmat Catechumenos, imò Energumenos item ac Pœnitentes, arceri etiam à ſpectanda conſecratione Chriſmatis. Quoad mortuorum exequias addit ipſos differre. Iſtas videri poſſe ab Energumenis ac Pœnitentibus, non autem à Catechumenis. Hos arceri mandat ab omni publica oratione. Ita in ſexta ſuper primam epiſtolam ad Timotheum homilia ſcribit etiam Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Noverunt fideles, quomodo diebus ſingulis manè & veſperè orationes fundantur ad Dominum*. Dicit ſolos iſta noſſe fideles. In præfatione ſuorum commentariorum ſuper Sancti Joannis Evangelium laudat Baptiſmales Renuntiationes, ac etiam de ipſis dicit: *Noverunt fideles*. Quod ipſum facit in prima homilia ſuper epiſtolam ad Epheſios. Iſtud ipſum repetit in octogeſima quarta ſuper iſtud Evangelium homilia, ubi laudat ſacros Eccleſiæ fontes, ſacrum Baptiſterium. In octava decima ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia laudat ſacros Clericalis conſecrationis ritus, & iterum adjungit: *Norunt qui ſunt myſteriis initiati*. Loquitur cum Laodicenſi Synodo: *Non oportet ordinatio-* Cap. 5. *nes fieri in præſentia eorum qui audiunt*. Synodus omninò loquitur de conſecratione, non de electione. Etiam Theodoretus in vigeſimi ſecundi Pſalmi commentatio laudat Euchariſtiam, ſacras è Chriſmate unctiones, & alia Sacramenta, atque adjungit: *Manifeſta ſunt hæc iis, qui ſunt myſteriis initiati*. In libro de unico Baptiſmo ſcribit Cap. 2. Sanctus item Auguſtinus: *Quis coràm profanis quemquam baptizat? Et tamen baptizari Chriſtianos nullus profanus ignorat. Qui audit in publico, quod ſi credit, percipiat in ſecreto*. Et in libro de Cap. 3. cataclyſmo declamat ad Competentes: *Ecce venturi eſtis ad fontem aquæ. Nunc dicatis in cordibus veſtris: Hoc eſt totum quod pro magno deſiderabatur?*

Nempè Baptiſterium etiam Competentes intrare non poterant, nunquam viderant, ideoque debebant adversùs periculum ſcandali ex ſpectanda loci humilitate communiri. Baptiſterium enim eſt adſpectu humanum balneum. Et prima Arauſicana Synodus ſtatuit: *Ad Baptiſterium Catechu-* Cap. 19. *meni nunquam admittendi*. Iſtam avitam Eccleſiæ regulam Synodus innovat & firmat contra neſcio quos prævaricatores. Eandem à Donatiſtis fuiſſe tranſverſam quidam cenſent ex Sancti Auguſtini verbis in adducto libro de unico Baptiſmo: *Do-* Cap. 2. *natiſtæ verecundantur hoc in aperto dicere, quod utinam in aperto timeant facere*. Agit de iteratione Baptiſmi. At certum eſt Donatiſtas hoc in puncto nihil innovaſſe. Etenim eorum Conſtantinenſis, contra quem iſta ſcribit Auguſtinus, Epiſcopus Petilianus Auguſtinum arguit, quod de Baptiſmo libros conſcriberet, & adjunxit cauſam: *Quod ventilatur in publico res ſecreta*. Proindè apertum, in quo ipſos baptizaſſe Auguſtinus ſcribit, erat congregatio omnium ac ſolorum fidelium. Eodem modo intellige factum Petri Cnaphei, Pſeudo-Patriarchæ Antiocheni, de quo paſſim Græci Scriptores: *Petrus inſtituit ſacrum unguentum in Eccleſia coràm omni populo conſecrari*. Et iſtam Baptiſmi ac Baptiſterii occultationem viguiſſe etiam in Italia, infra audiemus à Sancto Ambroſio. Viguit etiam in Orientali Eccleſia. Etenim Petrum Apameenſem Epiſcopum, ſecundæ Syriæ Metropolitam, quod mulierem Catechumenam introduxiſſet in Baptiſterium, graviter in Conſtantinopolitana Mennæ Patriarchæ Synodo accuſavit ejuſdem Eccle- Act. 5. ſiæ Presbyter Antoninus. Antea item accuſaverant ejuſdem Diœceſis Archi-Mandritæ in libello exhibito Epiſcopis Provincialibus, ac rursùm lecto in laudata Synodo.

Iſtius occultationis radicem & ſcopum Sanctus Auguſtinus exponit in Tractatibus ſuper Sancti Joannis Evangelium. Quidam fideles propter Domini verbum, *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*, non audebant legere ſacras Litteras. Ad hos ille declamat: *Omnia quæ poſt Adſcenſionem Domini Canonica veritate at-* Tract. 96. *que auctoritate conſcripta ſunt, quis fidelis, vel etiam Catechumenus, antequam Spiritum Sanctum baptizatus accipiat, non æqua animo legit atque audit, etiamſi nondum, ſicut oportet, intelligat? Quomodo ergò aliquid eorum, quæ poſt Adſcenſionem Domini ſcripta ſunt, non poſſunt ferre diſcipuli, etiam nondum ſibi miſſo Spiritu Sancto, cùm omnia nunc ferant Catechumeni nondum accepto Spiritu Sancto? Quia etſi non eis fidelium Sacramenta produntur, non ideò fit quòd ea ferre non poſſint, ſed ut ab eis tantò ardentiùs concupiſcantur: quantò eis honorabiliùs occultantur*. Et in ſermone de Domini verbis declamat ad Catechumenos. *Tu Catechumenus* Serm. 46. *diceris Audiens, & ſurdus es. Aures enim corporis* cap. 5. *patentes habes, quia verba quæ dicta ſunt audis, ſed aures cordis adhuc clauſas habes, quia quod dictum eſt non intelligis. Ecce Paſcha eſt, da nomen ad Baptiſmum. Si non te excitat feſtivitas, ducat ipſa curioſitas, ut ſcias quid dictum ſit: Qui man-*

ducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. Gentilis circa noſtram Euchariſtiam præſertim curioſitas eſt omnibus notiſſima. De ipſa ſcribit noſter Septimius in primo libro ad Nationes:
Cap. 7. *Domeſticorum curioſitas furata eſt per rimulas & cavernas.* Hinc addit: *Converſatio* noſtra *notior facta eſt.* Et in ſecundo ad uxorem libro laudat Divinum mandatum de Margaritis ante porcos non projiciendis, & commentator: *Margaritæ veſtræ ſunt etiam quoti-*
Cap. 5. *dianæ converſationis inſignia. Quantò curaveris ea occultare, tantò ſuſpectiora feceris, & magis captanda gentili curioſitati.* Particula, *etiam*, inſinuat iſtam curioſitatem præſertim fuiſſe circa ſacroſanctam Euchariſtiam. Hinc ſubjungit: *Non*
Cap. 6. *ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciverit panem non illum credit eſſe qui dicitur.* Gentilis maritus omnia fidelis uxoris *ſpeculabatur.* Hinc Septimius iſtiuſmodi conjugium diſſuadet ex pectore. Ejuſdem curioſitatis teſtimonia habemus apud alios veteris Eccleſiæ Patres. Antiqui gentiles credebant noſtram Euchariſtiam eſſe Thyeſtæas epulas: Hinc curioſitas. Eadem tamen manſit poſt expunctam calumniam. Lucet ex curioſitate Imperatoris Numeriani. Hi non capiebant, quomodo Chriſtus Dominus à nobis immolaretur & manducaretur ſine effuſione ſanguinis. Et quidem Chriſtus exiſtens in cœlo. Eadem, at pia per fidem, curioſitas detinebat Catechumenos, & ad ipſam inflammandam, atque ita deſiderandum & accelerandum Baptiſma fiebat iſta occultatio. Porrò Sanctus Auguſtinus in adductis locis non affirmat cunctos Catechumenos eſſe capaces videndi myſterii. Multis in locis affirmat oppoſitum. Et eſt res manifeſta. Ejus igitur ſenſus eſt, quod etiam capacibus Catechumenis rectè fiat occultatio. Proindè fiebat ob duas cauſas. Propter Catechumenorum incapacitatem, & ad accendendam ipſorum curioſitatem. Et hæc multo & gravi ritu explebatur in nocte Paſchali ſtatim poſt Baptiſma. Baptizati induti albis, & Sancto Confirmationis Sacramento muniti, ducebantur ſolemniter ad altare, & ſumenda Euchariſtia ipſis ſingulari ritu demon-
Serm. 83. ſtrabatur. Ita habes apud Sanctum Auguſtinum in ſermone de diverſis, apud Sanctum Ambroſium in libris de Sacramentis, & apud alios. Tunc item Epiſcopus paſſim habebat ſolemnem ſacroſanctæ Euchariſtiæ panegyrim. Etenim Neophytis nihil oſtendi poterat, niſi ſpecies panis & vini. Hinc ne infirma fides caeſpitaret, myſterii ſublimitatem Epiſcopus ex pectore exponebat.

Etiam Ethnici, ſi ſupervenerint.

Hinc lucet Gnoſticis ac Marcionitis ſuperfuiſſe aliquid modicum Chriſtianæ diſciplinæ. Etenim licet cum Catechumenis adirent, tamen non adibant cum Ethnicis. Eos interim orationi ſupervenientes admiſerunt, Quod meritò damnat Septimius. Eſt enim prævaricatio, quam vel diſpenſatoriè patrare adeò horruit Sanctus Babylas Patriarcha Antiochenus, ut potiùs elegerit amicum Imperatorem Numerianum offendere & ejus gladio trucidari. Hac de re ſcribit in glorioſi Martyris Encomio Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quo pacto Babylas huic noſtræ Eccleſiæ præfectus fuerit, & in mediis procellis, tempeſtatibus, ac fluctibus ſacram hanc navim ſervaverit, quantamque fiduciam, cum Imperatorem alloqueretur, præ ſe tulerit, & quo pacto pro ovibus animam ſuam poſuerit, & beatam illam cædem ſubierit, hæc & alia hujuſmodi relinquimus commemoranda ſenioribus Doctoribus. Res enim antiquiores præclaræ vobis à ſenibus poſſunt narrari.* In ejuſdem Martyris vita affirmat eſſe *notam Tragœdiam.* Utinam nobis ipſam plenè enarraſſet. Refert illius aliqua: *Babylas per hos dies Chriſti Eccleſiam à Spiritus Sancti gratia ſibi concreditam cùm haberet, Eliam atque hujus æmulum Joannem, non dico præteriit, ne invidendo admodum verbo utar, ſed uſque adeò eſt aſſecutus, ut ne tantillum quidem illorum generoſorum pectorum libertati conceſſerit. Neque enim paucarum civitatum Tetrarcham, neque gentis unius Regem, ſed eum qui Imperio ſuo plurimam orbis partem contineret, tum ab Imperii amplitudine, tum armorum ferocitate terribilem, quaſi vile quoddam ac nullius pretii mancipium, ſic à Dei templo exegit, tanta adeò cum conſtantia atque animi præſentia, cum quanta Paſtor ſcabioſam ovem ab ovili excludit.* Imperator Numerianus, paganus noſtri incruenti, in quo hominis filium ſine ſanguinis effuſione & humanarum carnium voratione audiebat ſacrificari & manducari, myſterii curioſitate ductus, ſpectare voluit, & diſpenſatoriè admitti intra Eccleſiam. Et qui à Sancto Babyla impetrare non potuit, violentus irrupit, & voluit ſpectare. Erat nobis amicus, ideoque cenſuit ſe non exturbandum. Verùm Babylas erat Epiſcopus: Hoc eſt, perfectus ac imperterritus Chriſtianus. Hinc ejecit Auguſtum Principem ut vile mancipium: Et Epiſcopalem libertatem ſuo ſanguine obſignavit. Docuit Apoſtolicum Canonem, qui nos cum Ethnicis orare, & ipſos ad noſtrum Sacrificium ſpectandum admitti vetat, etiam in ſupervenientibus eſſe religioſè obſervandum. Rem hanc eleganti compendio complexus eſt in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria Cardinalis Anaſtaſius, Bibliothecarius Romanæ Eccleſiæ: *Numerianus, cùm veniſſet Antiochiam, voluit intrare in Eccleſiam, & explorare Chriſtianorum my-* Fol. 1.
ſteria. At verò Sanctus Babylas prohibuit eum dicens; Non licet tibi videre Divina Chriſtianorum myſteria, cùm ſis pollutus Idolicis Sacrificiis. Qui indignatus occidit eum. Quod ipſum eiſdem ferè verbis ſcribit Nicephorus Caliſtus. Quod item gentiles Anglorum Reges voluerint noſtro Sacrificio adeſſe, ſcribit in ſuæ gentis hiſtoria Venerabilis Beda. Et addit violenter ſpectaſſe. Etiam Theophili Patriarchæ Alexandrini factionem, quod ad ſe ejiciendum gentiles milites induxiſſent in ſecretiora Eccleſiæ adyta, atque ita ſacroſancta noſtra myſteria ab illis conſpici permiſiſſent, Lib. 2. cap. 5.

apud

apud Sanctum Innocentium Pontificem gráviſſimè accuſavit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et in litteris ad Africanos Epiſcopos Magnus Athanaſius pari modo accuſat Euſebianam Arianorum factionem, quòd ſuum Satellitem ac Pſeudo-Epiſcopum Georgium inthronizaſſent per Judæos ac gentiles, atque ita hi vidiſſent ſanctam menſam, ac intraſſent Baptiſterium. Noſtrorum Arcanorum nihil poterat videri ab infidelibus. Et hodierna diſciplina mandat, ut ſuperveniens etiam Excommunicatus ejiciatur, aut ſi non poſſit ob illius potentiam, inchoatum Sacrificium abrumpatur.

. Et hujus diſciplinæ poſteriores etiam Græci fuerunt ſemper obſervantiſſimi. Etenim de Imperatore Leone ſapiente, qui Saracenorum Legatos excepit honorificentiſſimè, adjungit Leo Grammaticus: *Imperator magnam Eccleſiam ſumptuoſo decoravit ornatu, omniaque pretioſa vaſa Agarenis oſtendit, quod indignum Imperatoriæ, & Chriſtianæ inſtitutionis extitit, ſacra Dei vaſa à Gentilibus conſpici.* Iſtud ipſum narrat Georgius
Fol. 605. Cedrenus, & adjungit: *Id quidem ſtatu Chriſtiano indignum fuit, peregrinis hominibus, eiſque à vera Religione alienis, ea oſtendere, quæ ne à piis quidem, & integræ vitæ hominibus temerè viſuntur.* Duodecimo Chriſti Domini ſæculo etiam Clitzieslan Turcorum Sultanus venit Conſtantinopolim, ab Imperatore Emmanuele Comneno fuit ſuperbiſſime exceptus, & Joannes Cinnamus adjun-
Lib. 4. Fol. 222. git: *Imperator rerum proſperarum magnitudine elatus, triumphum inſtruebat apparatiſſimum, quo Clitzieslan ab arce ſumma uſque ad inclytam Divinæ Sapientiæ templum in pompa traduceret. Sed non eſt exſecutus propoſitum. Lucas enim Eccleſiæ tunc Antiſtes huic actui reſiſtere: Non decere inquiens inter religionis inſtrumenta & ſacra ornamenta impium hominem tranſire.* Et accedens horrendus terræ-mo-
Lib. 3. cap. 5. tus Patriarchæ dicta confirmavit. Quod ipſam amplè refert Nicetas Choniates. Etiam Azatinus Græcorum Sultanus ſub Michaelis Palæologi Imperio venit Conſtantinopolim, & Patriarcha Arſenius fuit ipſi adeò familiaris, ut ſe reddiderit calumniis obnoxium. Etenim quidam Clerici adversùs illum Imperatori porrexerunt accuſatorium libellum, in quo erant hi articuli: *Quòd Arſenius nimium ſe propenſum & familiarem Sultano præbuiſſet, adeò ut ipſi & comitibus permiſerit ſæpius lavari in balneo Eccleſiæ, ubi ſunt ſigna venerandæ Crucis marmoribus inſculpta, cum iſti eſſent Agareni, & Chriſti myſteriorum expertes. Præterea quod ipſe Sultan cum ſuis Satrapis, per matutinum ſplendidæ & magnæ Dominicæ, Patriarchæ Litanias celebranti adfuiſſet, & ſimul Litanias recitaſſet.* Ita refert Georgius Pachymeres, addens Arſenium ea de cauſa fuiſſe degradatum. Quòd ip-
Lib. 4. cap. 3. & 6. ſum ſcribit Nicephorus Gregoras. Ex quibus vides paganos non ſolùm à Miſſæ Sacrificio, ſed etiam à quavis in Eccleſia oratione, immò & à quovis Baſilicæ ingreſſu eſſe excludendos.

Quæſtio eſt de ingreſſu & lavatione in Eccleſiæ balneo. Etenim hunc ingreſſum illis non poſſe permitti ſuſtinebant Arſenii accuſatores, verùm ipſe interceſſit: *Ad Sultani comites quod attineret, lotos eos Eccleſiæ Balneo ſe neſcire, neque id juſſiſſe. Cæterùm ſi allegata ratio valeret, excludendos eos cunctis pariter urbis Balneis, non minùs quàm illo quod ad Eccleſiam pertineret. Cum alia quoque thermæ, præterquam quod ſignis crucis inſculptæ ſint, ſacris etiam imaginibus ornentur. Si autem id non obſtat, quò minùs iis, quantumvis veræ religionis expertibus, uſus permittatur aliorum lavacrorum, quid eſt quod repellantur ab Eccleſiæ Balneo?* Scio Arſenii degradationem fuiſſe latrocinalem: Etenim Sultanus ille profitebatur ſe Chriſtianum. Interim ipſe etiam Arſenius profitetur iſta alia omnia, de quibus accuſabatur, in paganis non licuiſſe. Otto de Sancto Blaſio & Godefridus Coloniæ ad Sanctum Pantaleonem Monachus Fredericum primum Imperatorem laudant, quòd Gentiles Regis Babylonii Legatos, Domino ſuo illius filiam in uxorem, & Chriſtianitatem poſtulantes, medio anno honorificè detinuerit, circumduxerit per Imperii civitates, permiſeritque noſtra myſteria conſpici ab illis atque notari. Omninò peſſimè. Argui & cohiberi debuerat ab Epiſcopis, quos iſtud ſilentium demonſtrat fuiſſe imperitos Chriſtianæ diſciplinæ. Fredericus amplè exceſſit delictum Sancti Regis Ezechiæ, qui Babylonii etiam Regis Legatis oſtendit ſua omnia. Propheta Iſajas fuit iſtis Epiſcopis religioſior & conſtantior. Et hinc vides iſtum Canonem eſſe antiquiſſimum; è Synagoga veniſſe ad Eccleſiam. Hinc item Marcionitas & alios Gnoſticos, quod Gentiles etiam ad tremendam Sacrificii orationem, licet non inducerent, tamen ſupervenientes tolerarent, Septimius rectiſſimè arguit.

Sanctum canibus, & porcis margaritas, &c.

Quod vocem, *Sanctum*, pro Euchariſtiæ, ipſam veram ac ſubſtantialem ſanctitatem continentis, Sacramento antiqui Patres acceperint, lucet ex Doctoris noſtri libro de Spectaculis: *Quale eſt ex ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere?* Eodem ſenſu in Cap. 25.
ſermone de Lapſis ſcribit Sanctus Cyprianus: *Quædam arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentavit aperire.* Etiam in libris adversùs Celſum ita loquitur Origenes. Et in litteris ad Innocentium Pontificem Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Appellari reperias & *Sancta Sanctorum*. Eadem ratione antiqui Patres & Canones admirabile iſtud Sacramentum intitulant *Bonum*, *Perfectum*, *Perfectionem*. Hoc tamen loco Doctor noſter vocem iſtam non pro ſola Euchariſtia accipit, ſed pro omnibus illis, ad quorum non ſumptionem, ſed aditionem atque auditionem Catechumenos ac Gentiles unà cum ſuis Initiatis Marcionitæ admittebant. Hoc eſt, pro cunctis noſtris celandis Arcanis. Quod verò etiam pro ipſis Sacramentis, ſacroſancta præſer-

tim Euchariſtia, accipiat, dubitari non poſſit. Et lucet ex verbis ſequentibus: *Etiam Ethnici, ſi ſupervenerint*. Etenim Ethnicos omnium noſtrorum Sacramentorum, Euchariſtiæ præſertim, fuiſſe curioſiſſimos, ac ipſorum inſpectionem frequenter tentaſſe, eſt ſuprà demonſtratum. Ac inſuper lucet ex Actis Sancti Tharſitii Martyris, de quo Romanum Martyrologium:
Auguſt. 24. *Sanctum Tharſitium Acolythum Pagani cum inveniſſent, Corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere quid gereret. At ille indignum judicans porcis prodere margaritas, tamdiu ab illis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus, donec exhalaret Spiritum. Et revoluto ejus corpore ſacrilegi diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus repererunt*. Eccleſiæ ſuæ Canonem, qui iſta myſteria à Gentilibus etiam videri vetat, Dominus Deus etiam miraculo comprobavit.

Curioſitas invaſit & ipſos Romanos Imperatores. Etenim Trajanus Auguſtus Plinio ſecundo, regenti Bithyniæ Provinciam, injunxit ut Thyeſtæas Chriſtianorum epulas inquireret, referretque veritatem. Inquiſivit ille, at reſcire nihil potuit, niſi noſtram Diis non ſacrificandi pertinaciam, & quod manè ante lucem cuidam JESU Chriſto, homini Judæo, ſub Tiberio Auguſto per Pontium Pilatum Judææ Præſidem ad Judæorum accuſationes in crucem acto, quotidianas laudes caneremus, credentes ipſum vivere, immortalem Dei filium, unicumque cum Patre Deum. Et licet noſtras Presbyteras aut Diaconiſſas, ex ſexus fragilitate enontiare faciles, quæſtionibus applicuerit, de noſtro tamen myſtico pane & vino nihil valuit extorquere. Etiam Mammæa, Imperatoris Alexandri mater, fœmina aſtutiſſima, cum noſtro celeberrimo Doctore Origene familiaritatem iniit, utique animo ſcrutandi ac explorandi. Exploravit multa. Ejus namque filius Auguſtus Chriſtum Dominum noſtrum admiſit in ſuum Lararium, voluit referre in Deos Romanos, noſtros Canones accepit in leges, Evangelicam ſententiam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ubique locorum, inſcripſit; aſt quid de pane & vino ageremus, omninò ignoravit. Et primam, quam à Paganis Regibus apud Anglos paſſa eſt Sancti Auguſtini prædicatio, perſecutionem fuiſſe ob denegatam illis ſacroſanctæ Euchariſtiæ inſpectionem ac ſumptionem teſtatur in Anglorum Hiſtoria Venerabilis Beda.

Laudato hic Evangelii teſtimonio Doctor utitur etiam in ſecondo libro ad uxorem. Utuntur paſſim & alii Patres, præſertim Sanctus Joannes Chryſoſtomus, aſſeverans eſſe rigidum Chriſti Domini Præceptum, & in libris de cordis compunctione adjungens: *Nos laudis amore, & ja-*
Lib. 1. cap. 6. *ctantiæ vitio corrupti etiam huic Præcepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purum, neque ſanam fidem gerentibus, inſuper etiam maculis peccatorum inanitis, ſine ulla diſcretione myſteriorum Secreta credimus, & priuſquam mentis Propoſitum à nobis, vel ſenſus capacitas explorata ſit, Divinorum dogmatum veneranda eis Arcana committimus, & quibus prima rudimenta vixdum tradi oporteret, intrandis Adyta Divinæ ſcientiæ, Divinæque ſapientiæ patefacimus. Propterea nonnulli, ubi immundis pedibus Sancta noſtra calcarunt, & pleno ſordibus pectore hauſerunt purum Divinæ ſcientiæ poculum, non ſolùm evomuerunt quod hauſerant, ſed & contradixerunt, & tranſverſi ſunt, & inſurgentes in eos injuriis ac maledictis, atque accuſationibus eos opprobriiſque ruperunt*. Agit in garrulos fideles, qui infidelibus amicis enuntiabant noſtra myſteria, ac poſtmodò ab illis tamquam ſtoltæ prædicationis creduli exſibilabantur. Eundem locum ita exponit in vigeſima tertia ſuper Sancti Matthæi Evangelium homilia, & adjungit de curioſis noſtrorum myſteriorum paganis: *Modeſtiam ſimulant, ut Secreta condiſcant. Cum verò didicerint, repentè alii ex aliis effecti irrident, inſultant, atque illudunt quaſi à ſe quadam arte deceptis*. In fideles, quorum loquacitas aut ſimplicitas ipſa prodebat necdum Initiatis, graviter inſurgit, atque adjungit: *Nam & myſteria ideò januis clauſis celebramus, & eos qui nondum initiati ſunt, adeſſe prohibemus, non quia infirmitatem aliquam myſteriorum deprehendimus, ſed quia ad participationem eorum illi adhuc, quos arcemus, infirmi ſunt. Propter quod etiam ipſe Dominus multa ad Judæos in parabolis diſſerebat*. Noſtra myſteria ex laudato Evangelii verbo dicit eſſe ſimilia margaritis, quæ non ideò quia viles ſunt, calcantur porcorum pedibus, ſed quia dominorum aut cuſtodum incuria decidunt in iſtam vilitatem. Noſtrum eſſe affirmat tantam ab illis injuriam propulſare. Quod ipſum repetit in homilia ſeptuageſima ſecunda. Et in oratione adverſùm eos, qui Baptiſma differunt, Sanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus ſcribit Catechumenos eſſe puellos, qui Arcana nec capere poſſint, nec celare. Laudato Scripturæ loco eundem in ſenſum utitur Synodus Alexandrina in Apologeticis pro Sancto Athanaſio litteris ad omnes ubique Orthodoxos. Etiam alii paſſim Patres.

Ex quibus omnibus vides Secretum hoc eſſe non ſolummodò Canonem Apoſtolicum, ſed inſuper Evangelicum, atque naturalem. Et hinc in libro de Spiritu Sancto Magnus Baſilius affirmat ipſum ab Apoſtolis eſſe traductum in Eccleſiam ex lege Moyſis, *qui non omnia templi paſſus* Cap. 27. 29.
eſt, omnibus eſſe pervia, ſed profanos extra ſacros cancellos ſtatuit. Et quidem Sancta Sanctorum ſoli Pontifici, idque ſemel in anno, conſpicienda permiſit, probè ſciens pro ſua ſapientia, res uſu tritas & undecumque parabiles eſſe expoſitas contemptui; cæterùm ei quod ſepoſitum eſt, quodque rarum, huic natura conjunctam eſſe ſummam admirationem ac ſtudium. In ſexta decima ſuper Geneſim homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus rursùm prædicat Domini verbum de non projiciendis margaritis ante porcos, affirmat contentum in illis Mandatum obligaſſe etiam in Paradiſo, fuiſſe violatum ab Eva, quæ Divina ſibi credita Præcepta Serpenti prodidit, atque ita ab ipſo cum eiſdem Præceptis meruit conculcari. Et adjungit: *Tan-*

tum

tum malum eſt abſque delecta ſalvis & promiſcuè Divina myſteria detegere. Audiant qui ſine diſcrimine cum omnibus colloquuntur. Neque enim Chriſtus de ſenſibilibus porcis præcipit, ſed homines porcinis moribus denotat, qui ſicut Bruta illa in peccati luto involvuntur, doceat nos ut perſonarum diverſitatem dignoſcamus, & vitæ rationes inquiramus, quando aliquid Divinorum eloquiorum exponere fuerit opus, ne & illos & noſmetipſos lædamus. Iſtam legem pluribus commendat. Porrò in Paradiſo præter unicum de ligno vetito Præceptum omnis lex fuit naturalis.

Iſtius legis auctoritatem, vetuſtatem, ac rigidam obſervantiam prædicat in quinto Stromatum libro Sanctus etiam Clemens Alexandrinus. Adducit Apoſtoli ex litteris ad Epheſios verba de anterioribus generationibus abſcondito, ac tunc noviter revelato JESU Chriſti myſterio, & commentatur: *Alia ſunt myſteria, quæ fuerunt*
F. 576. *abſconſa uſque ad Apoſtolos, & tradita ſunt ab ipſis, ut à Domino acceperant. Abſconſa autem in veteri Teſtamento, quæ nunc manifeſtata ſunt Sanctis.* Antiqua Sacramenta, ſub quibus iſtud ſacroſanctum myſterium velabat Divina Majeſtas, celebrabant quidem multi, ſed pauci intelligebant. Prophetæ cunctis non poterant revelare. Hinc & Moyſes faciei ſuæ lumen velo temperabat. Et in primo iſtius operis libro idem Cle-
F. 275. mens ſcribit de Chriſto Domino: *Dominus Divinis myſteriis, & ſancta illa luce impartiri illos conceſſit, qui poſſent ea capere. Jam verò non revelavit multis ea quæ non erant multorum, ſed paucis, quibus ſciebat convenire, qui & ea poſſent accipere, & ex iis informari. Arcana autem, ut Deus, verbo creduntur, non ſcripto.* Et infra laudat Domini verbum, *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*, & commentatur: *Dominus arcanas traditiones veræ cognitioni, quæ occultè & excellenter explicantur, jubet ſuſcipere, & ſicut in aurem audimus, ita etiam tradere quibus oportet, non autem omnibus trudere, quæ eis in parabolis tradita erant.* Addit eundem eſſe ſenſum hujus Dominici Mandati: *Nolite margaritas veſtras ſpargere ante porcos.* Et dat cauſam: *Eſt difficile de vero lumine verè puros & perſpicuos declarare ſermones ſuillis & indoctis auditoribus.* In quinto rursùm libro affirmat Dominum fuiſſe paſſim lo-
F. 586. cutum in parabolis, & adjungit cauſam fuiſſe *occultationem*. Eodem in libro tranſit à Chriſto Domino ad ejus Apoſtolos. Laudat Sancti Pauli verbum in epiſtola ad Romanos: *Ut aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis.* Et commentatur: *Non poterant apertè litteris ſcribi ejuſmodi dona.* Ibidem laudat aliud Apoſtoli verbum: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et denuò commentatur: *Apoſtolus Paulus Propheticam, & verè antiquam conſervavit occultationem.* Adjungit hanc viguiſſe etiam apud antiquos Philoſophos, præſertim apud Platonem, ex cujus epiſtola tractante de Deo, adducit hæc verba: *Dicendum eſt tibi per Ænigmata, ut ſi tabulæ, vel in mari vel in terra, aliquid contigerit, qui legit non intelligat.* Prædicat iſtud Platonis Scriptum, & adjungit prædicationis cauſam: *Deus enim univerſorum, qui omnem vocem, omnem cognitionem, & omnem ſuperat notionem ac intelligentiam, nunquam mandari poterit litteris, cum ſit in poteſtate ſua ejuſmodi, ut verbis non poſſit exprimi.* Et certè Platonis conſilium probavit etiam Sanctus Papa Innocentius, dum Chriſtianæ Confirmationis verbum noluit credere litteris ad Decentium Epiſcopum Eugubinum. Eodem in libro Clemens demonſtrat iſtam Secreti legem fuiſſe cuſtoditam ab omnium etiam gentilium Philoſophis. Ex hoc principio plura ipſorum Dogmata eſſe ænigmatica, ideoque & obſcura. Eidem legi affirmat inniti quinquennale Pythagoræ ſilentium. Ac ex ipſa promanaſſe multa pulchra Philoſophorum Dogmata. Cenſuit legem eſſe naturalem, ideoque notam ac veneratam iſtis etiam Philoſophis.

Eadem in ſexto contra Celſum libro tradit Origenes: *Prophetæ altiora ſapiebant per ſilen-* F. 278. *tium, quàm quæ mandaverunt litteris. Nam Ezechiel accepit caput libri ſcriptum à fronte & à tergo, in quo enarrat lamentum, & canticum, & væ. Et juſſus librum devorat, ne eum ſcribat, & vulget indignis. De Joanne quoque ſcribitur ſimile quiddam eum vidiſſe & feciſſe. Sic & Paulus audivit verba ineffabilia, quæ non licet proloqui apud homines. Et major his omnibus* JESUS *legitur Diſcipulis privatim locutus verbum Dei, præſertim in receſſibus, ſed quid ibi dixerit, non legitur. Non enim videbantur talia vulgò ſcribenda vel prædicanda.* Et in ſeptimo libro pergit de omnibus Prophetis: *Certè* F. 338. *Prophetæ, quidquid erat opus non ab auditoribus intelligi, & quidquid ad corrigendos mores faciebat, abſque ullis involucris propoſuerunt eis, ita ut Deus voluit, quidquid autem arcanum erat, & diſpiciendum ampliùs, ut vulgari captu ſublimiùs, id figuris obſcurioribus convelaverant, ænigmatibus, allegoriis, parœmiis, ac parabolis, ut non ab ignavis inveniretur & ſegnibus, ſed à virtutis ac veritatis ſtudioſis perſcrutatoribus, & inventum juxta Divinam doctrinam in uſum proprium verteretur.* Et in quinto libro affirmat ac demonſtrat, quòd Sanctus Paulus etiam in prima ad Corinthios epiſtola ſcripſerit quædam apertè, quædam velaverit, idque propter Catechumenos. Adducit ejus de futura Reſurrectione, & glorioſi corporis dotibus verba, & adjungit: *Apoſtolus mox quaſi Arcana* F. 244. *ſcriptis ad poſteros prodito, haud ſecus ac decuit eum, qui poſteris, quæ ſibi innotuiſſent, deſcripta relinqueret, ſubdit;* Ecce myſterium vobis dico. *Quod dici ſolet de rebus ſecretioribus, nec cuivis è vulgo communicandis. Nam ut in Tobia legitur, Arcana Regis celare bonum eſt, cæterùm opera Dei magnificè diſpenſata ad utilitatem hominum, veraciter ad ipſius gloriam revelare, bonum eſt.* Affirmat iſtam Secreti legem & in antiquo & in novo viguiſſe Teſtamento, ac non tantùm à Prophetis atque Apoſtolis, ſed etiam ab ipſo Chriſto Domino fuiſſe venerabiliter obſervatam. Moſaica lex Sacerdotalis unctionis unguentum jubet eſſe ſacroſanctum, & omnem qui ipſius aliquid alienigenis dederit, mandat exterminari à populo.

lo. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in nono libro
de Adoratione in ſpiritu & veritate affirmat eſſe
iſtam ipſam Secreti legem, quam Chriſtus Do-
minus nobis dedit, vetans Sanctum dari canibus,
& margaritas projici porcis. Et dat cauſam: *Nam*
F. 324. *quæ recondita ſunt, & Sanctis dumtaxat conve-*
niant, ea nulla ratione habita, eis qui ſunt adhuc
infideles, prodere eſt plenum periculi. Nec enim qui
profani ſunt adhuc, & immodica imparitate labo-
rant, ſed ſancto Baptiſmate purgati ſanctificantur.
Affirmat noſtram legem fuiſſe in utroque Teſta-
mento. Quod ipſum affirmant cuncti paſſim Pa-
tres. Omittere non poſſum inſigne Tertulliani
Cap. 7. teſtimonium in libro Apologetico: *Vel ex forma*
omnibus myſteriis ſilentii fides debetur. Samothra &
Eleuſinia reticentur: Quantò magis talia, quæ pro-
dita interim etiam humanam animadverſionem provo-
cabunt, dum Divina ſervatur? Hoc eſt, Chri-
ſtiana. *Semper etiam piæ initiationes arcent profa-*
nos, & arbitris cavent. Hanc Secreti legem aſ-
firmat eſſe naturalem omnibus myſteriis debitam
reverentiam, ab ipſis etiam gentilibus delatam
ſuis Sacris ſacrilegis. Quod ipſum pluribus de-
monſtrat Sanctus Clemens Alexandrinus.

Et ex his lucet errare illos, qui cenſent iſtam
reverentiam à primitivis Fidelibus fuiſſe impen-
ſam ſoli ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Interim ipſa
huic, utpotè arcaniſſimo myſteriorum myſterio,
fuit ſemper impenſa ſingulariter. Et ejus præva-
ricatio ab antiquis Eccleſiæ Patribus numeratur
inter palmaria ſcelera Judæ Traditoris. Etenim
in Magni Baſilii Liturgia Sacerdos precatur ad
Chriſtum Dominum: *Cœnæ tuæ myſticæ hodiè,*
Fili Dei, aſſume me participem. Nec enim tuis ini-
micis dicam myſterium. Non dabo tibi oſculum, ſi-
cut Judas, ſed ut latro tibi confiteor. Exponit in
prima adverſùm ſuæ gentis errores Invectiva Iſaac
Armeniorum Catholicus: *Chriſtus cùm Diſcipulis*
in Cœna panem, uti Joannes ille Theologus docet,
daret, Judas quoque accepto pane egreſſus, panis
adminiculo prodidit. Bulgarorum Antiſtes Theo-
phylactus notat Chriſtum Dominum ad ſacri pa-
nis porrectionem ſimpliciter dixiſſe: *Accipite &*
comedite; at verò ad ſacroſancti Calicis donum
addidiſſe diſtributivum ſignum: *Bibite ex hoc om-*
nes. Et edicit cauſam: *Sunt qui dicant propter Ju-*
dam hoc eſſe dictum. Judas enim panem accepit, &
non comedit, ſed occultavit, ut monſtraret Judæis,
quod JESUS *panem vocaſſet ſuum corpus.* Quo fir-
maret Judæorum perfidiam, garrientium Domi-
num JESUM non eſſe Redemptorem humani
generis, ſed paradoxum Seductorem. Laudatus
Patriarcha Iſaac iſtud Judæ facinus probavit ex
Sancti Joannis Evangelio: *Poſt acceptam buccel-*
Cap. 13. *lam introivit in eum Satanas. Cum ergò accepiſſet*
buccellam, exivit continuò. Ante acceptum, im-
mò & ante conſecratum Calicem. Et acceptam,
quæ omninò Euchariſtica fuit, buccellam non
ſumpſit, ſed blaſphemè demonſtravit Judæis,
atque ita non ſolummodò enuntiavit myſterium,
ſed ipſos inſuper in ſua perfidia reddidit contuma-
ciſſimos. Hinc Dominus ad alios undecim dixit
de ſacro Calice: *Bibite ex eo omnes.* Nolite ip-
ſum, Judam imitati, abſcondere hic, & poſt-
modò prodere, ſed omnes reverenter bibite. Ita
inſuper demonſtravit clandeſtina Judæ cum Ju-
dæis facinora non eſſe ſibi ignota. Ex hoc fonte
Judæi contra ſacroſanctam Euchariſtiam imbibe-
runt ſingulare odium. Ipſam incœperunt de
Thyeſtæis infamare epulis: Et multis gentilibus
perſuaſerunt. Ipſos eſſe primos blaſphemæ ac
facinoroſæ calumniæ auctores disertè affirmat in
ſexto contra Celſum libro Origenes: *Judæi,* Fol. 293.
Chriſtianæ doctrinæ exordio, ſparſerunt rumores,
quòd ejus Sectæ homines mactati pueri carnibus ve-
ſcerentur. Ex eodem odio etiamnum hodiè ſa-
croſanctam Euchariſtiam ubique venantur, &
comprehenſam afficiunt iſtis ipſis tormentis, qui-
bus eorum Parentes viſibile Chriſti Domini cor-
pus inhonorarunt ac trucidarunt.

Iſtius Secreti ac reverentiæ lex debetur, ac
ſemper impenſa fuit omnibus novi Teſtamenti
Sacramentis. Uti extraneis nequierunt illa de-
monſtrari, ita nec enuntiari. Nequidem Baptiſ-
mus. Hinc Sanctum Auguſtinum, quòd libros
de Baptiſmo ſcripſiſſet, atque ita ſecretum Chri-
ſtianitatis myſterium enuntiaſſet, culpavit Con-
ſtantinenſis Donatiſtarum Epiſcopus Petilianus:
Quod ventilaſſet in publico rem Secretam. Et in li-
bro de unico Baptiſmo Sanctus Auguſtinus, aliud
reſpondere non ſcivit, quàm noſtrum Baptiſma,
licèt coràm profanis dari non poſſit, à nullo ta-
men profano jam ignorari, ideoque ſe non eſſe
reum enuntiati myſterii. Et certè etiam ſub pa-
ganis Imperatoribus Baptiſma erat cunctis adeò
notum, ut gentiles Mimi ipſum in theatris ad
populi riſum, quem Divina gratia quandoque
in ſeria vertit, exhiberent. Et adverſùm Impe-
ratoris Juliani Apoſtatæ calumnias in ſeptimo li-
bro Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus
ſcribit Baptiſma eſſe Divinum ac ſanctum myſte-
rium, atque adjungit: *Ne ergò ad profanorum*
aures Arcana deferens offendam Chriſtum dicentem.
Ne detis Sancta canibus, neque projiciatis mar-
garitas veſtras ante porcos, *relinquam ea quæ ſunt*
altioris intelligentiæ.

Etiam de Chriſtianæ Confirmationis forma ad
Decentium Eugubinum Epiſcopum, qui ipſam
ſibi tranſcribi ſupplicaverat, reſcripſit Sanctus
Pontifex Innocentius primus: *Verba dicere non*
poſſum, ne magis prodere videar, quàm ad conſul-
tationem reſpondere. Timuit ne forſan litteræ de-
venirent in manus & oculos extraneorum. Ad-
jungit etiam de Extremæ Unctionis forma: *Re-*
liqua quæ ſcribi fas non erat, cùm adfueris, inter-
rogati poterimus edicere. Nec miremur iſta de no-
vi Teſtamenti Sacramentis. Etenim etiam de Ju-
daica Circumciſione ſcribit in quinto contra Cel-
ſum libro Origenes: *Verùm iſta curioſitatis quan-* Fol. 263.
dam ſpeciem præ ſe ferentia, nec ſatis apta vulgi
auribus, hactenus ſum auſus prodere. Se de exceſ-
ſu purgat apud fidelem Lectorem. Sacri Chriſ-
matis conſecrationem nec fidelis olim Græcorum
populus adſpicere poterat: Quod ipſam publicè
primus fecerit, & faciendam ſanxerit Petrus
Fullo Patriarcha Antiochenus, teſtatur in Col-
le-

lectaneis Theodorus Lector. De ejuſdem Sacramenti ab Orientalibus olim Patribus uſitata forma obſcuram hodiè & intricatam habemus quæſtionem, in qua hærent & ipſi Græci: Quod nempe, oti io libro de Spiritu Sancto ſcribit Magnus Baſilius, Cap. 17. & Apoſtoli & Patres omniom penitùs Sacramentorum formas & ritus voluerint eſſe ſacroſanctos, ideoque ſola voce ſine ſcripto tradiderint. Quorumdam traditionem partim ex miſeranda ſub Saracenia captivitate, partim ex longo ſchiſmate eſſe apud iſtas Eccleſias paſſam lapſæ memoriæ tenebras, ideoqoe nunc quæſtionibus ſubjacere, affirmat in opuſculo de Euchariſticæ conſecrationis forma Venerabilis Beſſation, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac Metropolita Nicænus. Et de omnibus ſuis, in quibus non de ſola Euchariſtia, ſed de cunctis penitùs Sacramentis tractat, Catecheſibus præfatur Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus ad Lectorem: *Catecheſes iſtas Illuminatorum accedentibus quidem ad Baptiſmum, & his qui hoc Lavacrum habent jam fidelibus, legendas exhibeas, Catechumenis verò, & aliis qui non ſunt Chriſtiani, ne dederis. Alioquin redditurus es Domino rationem.* De omnibus item Sacramentis ſcribit in ſexta Catecheſi: *Hæc myſteria & Sacramenta nunc patefacit Eccleſia ei, qui ex Catechumenis excedit, nec moris eſt gentilibus exponere. Neque palàm apud Catechumenos de myſteriis verba facimus, ſed multa ſæpè loquimur occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, ne lædantur.* Affirmat hæc fundari in facto Domini, qui turbis loquebatur in parabolis; Diſcipulis privatim parabolas ac ſimilitudines exponebat. Et ad jam jam baptizandos Electos perorat ad Sanctum Fontem in libro de Initiandis Sanctus Ambroſius: Cap. 1. *Nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ſi ante Baptiſmum putaſſemus inſinuandam nondum Initiatis, prodidiſſe potiùs, quàm edidiſſe æſtimaremur.* Hinc ait inſtitutum ab Eccleſia, ut Adapertionis, quam in ſurdo & muto Dominus fecit, myſterium celebraretur priùs in Catechumenis, atque ita ad capienda noſtra myſteria pararentur. Laudatum librum concludit in hunc modum: Cap. 9. *Signatum debet apud te manere myſterium, ne divulgetur, quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona debet eſſe fidei tuæ cuſtodia, ut intemerata ſilentii integritas perſeveret.* Iſtud mandat de omnibus generatim Sacramentis, ſingulariter tamen de ſacroſancta Euchariſtia. Et hinc nos non à percepta in Baptiſmo virtute Theologica, ſed à data Euchariſtia, & promiſſa circa illam cuſtodiandam fide nos dici fideles, eſt ſuprà demonſtratum.
Cap. 1. Quod antiqui Patres Arcana quorumvis noſtrorum Sacramentorum myſteria omni ſtudio celaverint etiam in ſuis libris, teſtatur item Eccleſiaſtica Hierarchia vulgaris Dionyſii Areopagitæ.
Lib. 7. Et profitetur à ſe ſervari eandem regulam. Ipſam
fol. 766. à ſe ſervatam fuiſſe in ſuis Stromatum libris, teſtatur & Sanctus Clemens Alexandrinus.

In laudata ſexta Catecheſi adjungit Sanctus Cyrillus: *Gentili cuiquam de Patre & Filio & Spiritu Sancto arcana myſteria non declaramus.* Et in quinta Catecheſi declamat ad Competentes: *In paucis Symboli verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus, non in chartas inſcribendo, ſed in corde memoriam inſculpendo, & in meditatione cuſtodiendo, necubi Catechumenus, quæ vobis tradita ſunt, exaudiat.* Affirmat Symbolum tradi ſolis Competentibus, & quidem non in charta, ſed ſola viva voce, ne forſan cujuſpiam charta ad quempiam Catechomenum, quibus prodi omninò non poterat, caſu aliquo perveniret. Ad eoſdem Competentes præfatur in ſui operis exordio: *Cum Catecheſis recitatur, ſi Catechumenus ex te quæſierit, Quid dicebant Doctores, nihil dicas extraneo. Myſteria enim tibi & ſpem futuri ſæculi tradidimus. Cuſtodi hoc myſterium Retributori, nec unquam dicentem aliquem audi, Quid obeſt, ſi & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque poſtulant, quod intempeſtivè ſi illis detur, phreneſim conciliat, & duo hinc naſcuntur mala: Nam & æger interit, & medicus malè audit. Sic & Catechumenus, ſi audiat myſteria à fideli, phreneſim patitur: Neſcit enim quid audiverit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet. Fidelis verò tamquam proditor condemnatur.* Et hinc Nicænum Symbolum hiſtoriæ ſuæ inſerere, licèt vellet, non præſumpſit Hermias Zozomenus, & adjungit rationem: *Cùm pii viri, & amici, & iſtiuſmodi rerum periti* Lib. 1. *me docerent res tales à Sacerdotibus ſolùm & Epi-* cap. 19. *ſcopis debere dici atque audiri, eorum ſanè approbavi conſilium. Nam veriſimile eſt nonnullos, qui non ſunt initiati myſteriis, hunc librum perlecturos.*

Ex eodem fundamento iſtud ipſum Symbolum ſuo de Synodis libro inſerere ex cauſis compulſus Sanctus Hilarius Pictavienſis Epiſcopus præfatur: *Et ipſam quidem tum religioſè conſcriptam fidem* Can. 6. *nunc quoque huic ſermoni noſtro non irreligioſè inſeremus.* Et in ſuis ad Sancti Matthæi Evangelium Commentariis Sanctum & Margaritas, quæ porcis & canibus projicere ſumus vetiti, affirmat eſſe Chriſti Domini, gentilibus ac hæreticis non aperienda, Sacramenta, & adjungit: *Ergò & incorporationem Verbi Dei, & paſſionis myſterium, & virtutem Reſurrectionis non promiſcuè tractare nos convenit, neque imperitè incurioſeque proferre, ne ignorantiam noſtram, ſi perfectæ ſcientiæ deſit inſtructio, proterant hi, atque conculcent, & infirmitatem paſſionis in Deo irrideant, converſique in nos, contradictionum aculeis imperitiam noſtram fidemque diſrumpant.* Neſcio quem in Gallia Epiſcopum, qui contumacibus Arianis noſtram fidem expoſuerat, arguit etiam Sanctus Avitus Metropolita Viennenſis: *Inſtruxiſtis armis veſtris* Ep. 26. *Adverſarios, prodidiſtis imperfectis Secreta noſtra, cantaſtis canticum in terra aliena.* Ejus imprudentiam variè damnat.

Item Imperatorem Conſtantinum, qui coràm ſe adhuc Catechumeno juſſit de Dei Verbo in palatio diſputari, graviſſimè arguunt Eccleſiæ Patres. Seleucienſem quoque Synodum, & om- Orat. 21. nem Euſebianam factionem, quod coràm promiſcuo, etiam Gentili, vulgò de Sanctiſſima

Tri-

Trinitate diſceptarint, durè culpat Sanctus Gregorius Nazianzenus. Sanctus Ambroſius culpat Valentinianum ſecundum Imperatorem, quod adhuc Catechumenus, & fidei Sacramenta neſciens, vellet coràm ſe idem myſterium ab Ep. 13. Orthodoxis & Arianis Epiſcopis examinari. Noſtrarum item cum Donatiſtis quæſtionum judicem non poſſe eſſe paganum, quoniam *non poſſit* Lib. 5. *noſſe Chriſtiana Secreta*, aſſirmat Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus. Etiam Eutychianorum nobiſcum quæſtiones publicè ventilari vetuit rigidiſſimè Marcianus Auguſtus, quod *Judæis & paganis ex hujuſmodi certamine divulgarentur veneranda myſteria*. Exſtat Edictum poſt Cap. 3. Synodum Chalcedonenſem. Exponit Facundus Hermianenſis Epiſcopus: *Diſputamus inceſſanter atque inconditè de fidei Chriſtianæ Dogmatibus, & quæ reverenter pureque tractanda ſunt, cœleſtia paſſim myſteria ventilamus. Inane jam eis nomen relictum eſt, quo ſunt nuncupata myſteria. Nam inter otioſas fabulas & vulgares habentur neceſſariæ & paucis committendæ fidei quæſtiones.* Nomen, *Myſterium*, exponit Svidas: *Dicta ſunt Myſteria, eò quòd auditores os claudunt, neque cuiquam illa enunciant.* Loquitur ex Sancto Joanne Chryſoſtomo Homil. 23. in homiliis ad populum Antiochenum: *Ubi ſunt Myſteria, multum ſilentium eſt.* Etiam apud Photii Bibliothecam Sanctus Eulogius Patriarcha Alexandrinus diſtinguit inter Chriſtianitatis dogmata ac præconia, atque adjungit: *Dogmata cum occultatione & ſapientia declarantur, & obſcuritati ſæpè de induſtria involvuntur, ut profanis ſint Sancta expoſita, & Margaritæ porcis objiciantur; præconia ſine ulla obſcuritate dicuntur, præſertim illa quæ de Præceptorum & Divinæ reverentiæ obſervatione tractant.* Etiam in locis ſuprà adductis Sanctus Cyrillus ac Sanctus Ambroſius diſtinguunt dogmaticas & morales doctrinas, & has ſolas permittunt Catechumenis ſine occultatione declarari. Et in homilia de Sanctis Seraphim beatus Joannes Chryſoſtomus non de Divina Majeſtate, ſed de Angelica dumtaxat natu-Tom. 3. ra concionaturus edixit: *Nemo profanus adſit, nemo piacularis, immundus nemo, nemo hac auditione adſit indignus. Myſticè quippè nobis ſuſcipiendæ ſunt narrationes.* Et Anomæo hæretico interroganti, *Quid eſt Chriſtianiſmus*, in Dialogo de Sancta Trinitate reſpondet Sanctus Abbas & Martyr Maximus: *Dicere quid ſit Chriſtianiſmus, tutum non fuerit, niſi cognovero quiſnam ille ſit qui hoc percunctatur, ne fortè comperiar res ſanctas canibus, & porcis Margaritas projicere. Quid ſit fidelem eſſe non dixero, ne fortè ſis Judæus, qui me interrogas.* Et hinc olim Gentiles, Dominum Deum noſtrum eſſe unum ac Trinum, ejuſque unam perſonam ex Virgine natam, ac à Judæis crucifixam, nec non & alia Divinæ Incarnationis atque Euchariſtiæ Myſteria à ſuis Frumentariis audientes, & non valentes inter ſe combinare, finxerunt fœdum illud, à Tertulliano in libro Apologetico expoſitum, monſtrum cum hac inſcriptione. *Deus Chriſtianorum*. Ex eodem fundamento apud Minutium Felicem Cæcilius putavit à nobis Aſini caput, id eſt, paradoxa, & non niſi ab Aſini cerebro credi digna, dogmata adòrari. Hæc ſcandala proveniebant ex indiſcreta revelatione, aut pravo auditu noſtrorum Dogmatum.

Et hinc lucet omninò deviare hæc Iſaaci Caſauboni, Eccleſiaſticos Domini Cardinalis Cæſaris Baronii Annales exercitantis, verba: *Non recenſeo inter ſilenda myſteria Doctrinam de Sanctiſſima Trinitate, de Incarnatione* JESU *Chriſti, & ſimilia capita Evangelicæ prædicationis, ſine quorum notitia Chriſtianus nemo eſſe poteſt.* Quòd enim omnia hæc etiam occultaverit olim Eccleſia, eſt abundè oſtenſum. Verùm apud ſolos gentiles, Judæos, & adverſantes hæreticos. Catechumenis enim ſuo tempore omnia tradebantur: At pedetentim, & per gradus. Plura iſtis, quam his Mater provida occultabat. Rectè verò addit Caſaubonus. *Non adeò res in Sacramentis ſignificatas & efficaciam illorum ſiluit vetus Eccleſia, ac Symbola ipſa, & ritus celebrandi & rituum cauſas.* Inſigniter id patet ex ſecundo Theodoreti Dialogo. Eraniſtæ enim roganti, Quidnam eſſet Euchariſtia, Orthodoxus repoſuit: *Apertè dicendum non eſt, veriſimile eſt enim adeſſe aliquos Myſteriis non initiatos.* Et urgenti, *Reſpondeatur ænigmaticè*, reſpondit: *Cibum ex talibus ſeminibus.* Et pergenti quærere de ſacroſancto Calice reddidit: *Commune & hoc nomen eſt, poculi ſpeciem ſignificans.* Sunt vera ænigmata. Nec aliud Theodoretus edixit de Sacramenti elementis. At verò ipſorum ſignificata, contenta, tranſelementationem edixit lucidiſſimè: *Poſt ſanctificationem appello Corpus Chriſti, & Sanguinem Chriſti.* Diſcriminis radicem aperit in libro de Baptiſmo noſter Tertullianus: Cap. 2. *Nihil adeò eſt, quòd tam obduret mentes hominum, quam ſimplicitas Divinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur. Ut hic quoque quoniam tanta ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu novo aliquo denique ſine ſumptu homo in aqua demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multò nihilò mundior reſurgit, eò incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis.* A vilibus elementis donari Divinos adeò ac æternos effectus videbatur infidelibus vanum, riſu dignum, impoſſibile. Judicabant de aqua Baptiſmi, alioque omni Euchariſtico præſertim, Sacramentali elemento, quod olim de Jordanis aqua cenſuerat Naaman Syrus. Hinc illa ſingulariter ipſis Majores noſtri occultaverunt. In ſeptimo adverſùs Imperatorem Julianum Apoſtatam libro inſigniter hæc exponit Sanctus Cyrillus Alexandrinus.

Porrò hæreticos tractamus ad morem Pœnitentium ac Fidelium Energumenorum. Cum ipſis de noſtris, quæ noverunt, Arcanis ſermocinamur ac diſputamus, verùm ipſos ad noſtra Sacra non admittimus. Nequidem ad videndam Euchariſtiam. Primum inſigniter patet ex ſecundo Theodoreti Dialogo, ubi cum Eraniſta, Eutychiano hæretico, de Euchariſtia diſputaturus Orthodoxus præfatur: *Apertè dicendum non eſt. Veriſimile eſt enim adeſſe aliquos Myſteriis non initiatos.*

tos. Non propter Eraniſten, ſed dumtaxat propter non Initiatos, præſentes forſitan, cenſet ænigmaticè loquendum. Quòd nempè iſtiuſmodi hæretici non ab audiendis quibuſcumque noſtris Arcanis, ſed à ſolis ſumendis atque videndis Sacramentis eſſent ſuſpenſi. Ex eodem principio Orthodoxus cum Anomæo Arianiſta de Chriſtianiſmo, ſeu ſacroſancta Trinitate diſputaturus, apud Sanctum Martyrem ac Abbatem Maximum præfatur: *Quid ſit Chriſtianiſmus, dicere tutum non fuerit, niſi cognovero quiſnam ille ſit, qui hoc percunctatur.* Et apud Sanctum Athanaſium exſtat ficta inter eundem Athanaſium & Hæreſiarcham Arium coram laico ac gentili Judice Probo diſputatio, in qua hic ita proteſtatur: *Neque modò mihi profunda Myſteriorum Arcana pateſieri deſidero, ſed illa nunc flagito mihi demonſtrari, quæ in veſtra fide extrinſecùs habentur, & publicè prædicantur.* Et ut hoc liberiùs fiat, profitetur ſe eſſe animo Chriſtianum.. At verò de ſecundo hujus Aſſertionis articulo Conſtantius Harmenopulus in ſua Canonum epitome habet hunc Canonem Timothei Patriarchæ Alexandrini: *Cum oblatio ſit, hæretici non adſint, niſi fortè ſe pœnitentiam acturos pollicentur, & hæreſim fugituros.* Expleta Subſtrationis pœnitentia admittebantur ad Conſiſtentiam, adeoque ad intuitum Euchariſtiæ. Et in Rhemenſi Synodo Domini Caroli Cardinalis à Lotharingia Richardus à Prato, Doctor, Theologus & Rhemenſis Capituli
Seſſ. 17. Procurator, dixit: *Olim quando perventum erat ad Miſſam Catechumenorum, jubebantur exire Catechumeni, & Energumeni, & Pœnitentes. Ita hodiè expellendi ſunt hæretici, quando deventum eſt ad conſecrationem Corporis Chriſti.* Et in ſuæ Provinciæ Synodo ſtatuit Reginaldus de Beaulne Archi-Epiſcopus Bituricenſis: *Hæreticis Eccleſiarum aditus niſi cauſa audiendæ prædicationis non concedatur.* Et in ſua Synodo Alexander Canigianus Archi-Epiſcopus Aquenſis: *In Baptiſmo Sacerdos præſentem adeſſe non patiatur, neque Judæum, neque hæreticum, neque denique aliam quemquàm à fide Chriſtiana averſum.* Quod ipſum eiſdem verbis in ſua Synodo confirmavit Ludovicus de Vervins Archi-Epiſcopus Narbonenſis. Et in ſuæ Provinciæ Synodo Franciſcus de Goyoſa, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Tholoſanus. *A Baptiſmi ſolemni adminiſtratione procul arceantur hæretici, nec eis quavis occaſione vel minimum intereſſe permittatur.* Ex quibus vides iſtum avitum Canonem etiamnum hodiè omninò vivere ac obligare. Quare qui hæreticos non ſolummodo permittunt adeſſe Divinis officiis, ſed etiam ad ipſa ſpectanda invitant, horrendè prævaricantur. Res hodiè nobis notanda.

Licet non veras.

Cur Doctor noſter celebrata ab hæreticis Sacrificia ac Sacramenta dicat eſſe margaritas non ve-

ras, lucidiùs aperit in libro de Baptiſmo, affirmans Baptiſma illis non datum à Chriſto Domino, adeoque ab ipſis attentatum eſſe irritum & nullum. Audiamus ejus verba: *Hæretici nullum* Cap. 15. *habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo in illis agnoſcere, quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec unus Chriſtus, id eſt, idem, ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem cùm ritè non habeant, ſine dubio non habent. Nec capit numerari quod non habent. Ita nec poſſunt accipere quod non habent.* Loquitur de ſolis duplicis Divinitatis Fabulonibus. Quòd tamen iſtud ipſum de omnium penitùs hæreticorum Baptiſmate cenſeat, luces ex libro de Pudicitia: *Apud nos ut Ethnico par, immò & ſuper Ethnicum hæreticus etiam per Baptiſma veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Cap. 19. Manifeſtè loquitur de omni *inſtitutione decepto*, id eſt, de cunctis in hæreſi natis ac Baptizatis. Græcum ejus, quod in libro de Baptiſmo laudat, de hac materia opus quis non doleat periiſſe? Plura nos docuiſſet. Quòd Africana cum Romana, poſtquam plantata & ædificata, Eccleſia in Apoſtolico Symbolo & cuncto Chriſtiano Dogmate ſemper conteſſeraverit, ſuprà profeſſus eſt noſter iſte Septimius. Proindè & datum ab hæreticis Baptiſma eſſe ratum & validum ſemper credidit ac docuit. Utique uſque ad tempora Agrippini Carthaginenſis Archi-Epiſcopi, à quo cœpiſſe mutari avitam fidem & conſuetudinem, exſufflari & iterari Baptiſma iſtud, frequenter teſtatur ipſius & in Cathedra & in errore Succeſſor Sanctus Cyprianus. Quo Chriſti Domini ſæculo, aut quo anno ſederit Agrippinus, ignoratur. Sanctus Cyprianus ſucceſſit Donato: An hic Agrippino proximè ſucceſſerit, neſcimus. Certè non videtur. Etenim in litteris ad Jubajanum Epiſcopum memoratus Cyprianus ſcribit inter ſe & Agrippinum ac ejus infelicem Synodum intercesſiſſe annos multos & longam ætatem. Quod Epiſt. 70. ipſum reperit in litteris Synodalibus ad Januarium Primatem Numidiæ. Gratias Cypriano, qui nobis Agrippinum & Donatum edixit: Alios ejus Anteceſſores profundè ignoramus. Septimium noſtrum quidam exiſtimant fuiſſe Agrippini Presbyterum, qui nimio in hæreticos zelo primus cogitare cœperit de exſufflando ipſorum Baptiſmo, errorem Epiſcopo ſuo perſuaſerit, atque ita per ejus Primatialem authoritatem circumſcripſerit primò quidem Proconſularem Provinciam ac Numidiam, tandemque, operante Sancto Cypriano, univerſam Diœceſim Africanam. Hanc cenſent eſſe cauſam, ex qua in virorum illuſtrium catalogo ſcribit Sanctus Hieronymus: *Tertullianus cum uſque ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ permanſiſſet, invidia poſteà & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma delapſus eſt.* Exiſtimant ipſum ob hanc de Baptiſmo erroneam novitatem fuiſſe à Romanæ Eccleſiæ Clericis, antiquorum dogmatum ſemper tenaciſſimis, exagitatum & duriùs tractatum. Conjectura non caret fundamento. Ve-

rùm ego ſine lucidis teſtimoniis nihil de tanta re velim definire.

Quæſtio tamen eſt, An Valentiniani, Marcionitæ, & alii, de quibus hic præſertim Septimius loquitur, duplicis Divinitatis Fabulones habuerint veras Chriſti margaritas, verum Chriſti Baptiſmum, adeoque & reliqua Sacramenta? Partem affirmativam tueri in libris de Baptiſmo adversùm Donatiſtas videtur Sanctus Auguſtinus: Lib. 3. cap. 14. *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides, ſub iiſdem verbis aliud opinantis, non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.* Lib. 3. cap. 15. Quod ipſum dicit de Valentino. Loquitur ex Jubajano, neſcio cujus in Africa civitatis Epiſcopo, qui in ſuis ad ſuum Primatem Sanctum Cyprianum litteris Baptiſma hæreticorum volens eſſe ratum, Ep. 73. *etiam Marcionis fecerat mentionem, ut nec ab ipſo venientes diceret baptizari oportere, quod jam in nomine* JESU *Chriſti Baptizati eſſe viderentur*. Et ad Hilarum Romanæ Eccleſiæ Cap. 7. apud Luciferi ſchiſma Apoſtatam Diaconum ait in Dialogo adversùm Luciferianos Sanctus Hieronymus: *Diaconus eras, ò Hilare, & à Manichæis*, quos conſtat fuiſſe duplicis Divinitatis Fabulones, *Baptizatos recipiebas*. Utique ex more & Canone Romanæ Eccleſiæ, cui tunc orthodoxus Hilarus miniſtrabat.

Partem negativam ſuadet Sanctus Optatus Epiſcopus Milevitanus, Parmeniano Carthaginenſium Donatiſtarum Archi-Epiſcopo, nos quaſi omnium hæreticorum, adeoque & Marcionitarum ac Valentinianorum Sacramenta ratificantes ridenti, reſpondens diſertè & concedens apud Marcionem & Valentinum non eſſe Sacramenta: Eſſe illis aquam mendacem, id eſt, Baptiſma irritum ac nullum. Quod ipſum de Manichæis, licet in Sanctæ Trinitatis nomine baptizantibus, tradit in tertia adversùm Arianos oratione Sanctus Athanaſius. Quod nempè ſub iſtis verbis non Catholicam veritatem, ſed ſuum intelligant errorem. Cap. 7. Et in ſuis ad Sanctum Amphilochium canonicis Reſponſis ſcribit Sanctus Baſilius Encratitarum, Saccophororum, & Apotactitarum, trium perſonarum nomen omninò invocantium, Baptiſma eſſe penitùs nullum, & perperàm recipi à Romana Eccleſia, quod iſti ſint germen & ſurculus Marcionis. Marcionitas, Valentinianos, Baſilidianos, Carpocratianos, Simonianos, Manichæos, & omnes generatim duplicis Divinitatis Gnoſticos Fabulones eſſe rebaptizandos conſtanter docent Timotheus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, ac in litteris ad Naucrationem Sanctus Theodorus Abbas in Studii Monaſterio. Et Canon ſeptimus Conſtantinopolitanus per eos, qui ſunt de regione Galatiæ, omninò intelligit jam dictos Fabulones. Et mandat rebaptizari.

Et hæc pars eſt omninò vera atque ſequenda. Rationem dat in Apoſtolicæ ad Epheſios epiſtolæ commentariis, hæc verba, *Unum Baptiſma*, exponens Sanctus Hieronymus: *Contra Valentinum facit, qui duo Baptiſmata eſſe contendit*. Exponit Sanctus Irenæus, affirmans à Marco Ægyptio, & reliquis paſſim Valentinianis aliud in peccatorum remiſſionem, aliud in hominis redemptionem Baptiſma diſtingui ex Domini apud Sanctum Lucam verbo: *Baptiſmo habeo baptizari*. Sanctus Irenæus, adeoque & iſti Fabulones legebant: *Aliud Baptiſma habeo Baptizari*. Iſtorum quidam ſpernebant elementum aquæ, ſolius Balſami Unctione initiabant: Quin & aliqui proſcribebant omne viſibile elementum, garrientes à ſola interna fide dari nobis perfectam redemptionem. Alii ſolis neſcio quibus ſine elemento profanis verbis ſuos ſequaces ſacrabant. Qui baptizabant, utebantur hac forma: *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate Matris omnium, & in nomine deſcendentis* JESU *ad unitionem, & redemptionem, & communionem virtutum*. Adjungebant & Hebraica vocabula, per quæ ſuis Initiatis eſſent ſtupori ac terrori. Sanctus Irenæus loqui videtur de ſolis Valentinianis, attamen etiam Marcionitas ita baptizaſſe teſtatur in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſarienſis. Etiam in primo hæreticarum fabularum libro Theodoretus ex iſta per Marcum Lib. 4. cap. 10. Cap. 9. Ægyptium inducta forma affirmat pullulaſſe plures hæreſes, Aſcodrutas, Archonticos, Colorbaſios, Barbeliotas, ſeu Borboritas, & alias id genùs peſtes, quas in Galatarum præſertim Provinciis fuiſſe graſſatas jam dixi ex ſeptimo Canone Conſtantinopolitano. Quod ipſum affirmat in Apoſtolicæ ad Galatas epiſtolæ præfatione Sanctus Hieronymus, ac ejus magiſter in tertia oratione de pace Sanctus Gregorius Nazianzenus. Per Aſcodrutas omne corporeum elementum, tamquam animæ ſpirituali redimendæ ineptum, fuiſſe à Sacramentis proſcriptum, adeoque ipſos hoc in puncto notari à Sancto Irenæo, teſtatur laudatus Theodoretus. Addit & Archonticos, verùm ex alio principio, fuiſſe ejuſdem impietatis. Adjungit & de Menandro: Cap. 2. *Menander dixit ſalvari eos, qui in ipſum baptizantur*. Quod ipſum tradit Sanctus Irenæus. De quibus omnibus videndus etiam eſt Sanctus Epiphanius. Quare iſta omnia fabuloſa, uti Dogmata, ita & Baptiſmata, Eccleſia meritò damnavit, & cenſuit exſufflanda. Nec ipſa unquam admiſit Romana Eccleſia.

Neque his adverſatur Sanctus Auguſtinus. Etenim Marcionis Baptiſma nequaquam abſolutè probat, ſed omne dumtaxat in ſacroſancto trium perſonarum nomine datum licet à Marcione detur, affirmat eſſe probandum. Iſtam ſacroſanctæ invocationis formulam à pravo miniſtri ſenſu exiſtimat non vitiari. An verò Marcion ipſa fuerit uſus, nec definit, nec duxit exquirendum. Eadem eſt mens Jubajani Epiſcopi, haud dubiè loquentis ex antiqua traditione Romanæ Eccleſiæ, qua cum Africana etiam in hoc puncto uſque ad Agrippini tempora ſemper conteſſerarat. A qua conteſſeratione non diſcedi ſuadet Primati ſuo Cypriano. Alia eſt ratio Sancti Optati. Hic enim non ſolius Marcionis ac Valentini, ſed etiam Montani,

Pra-

Praxeæ, & Sabellii Baptiſma exſufflat. Diſtioguit ioter ſchiſmaticos ac hæreticos, & apud hos generatim aſſeverat nulla eſſe Sacramenta. Quod ipſum docuit in libro quarto & quinto. Et hinc Gabriel Albaſpinæus, doctiſſimus Aureliaoenſis Eccleſiæ Epiſcopus dat ipſi hoc Scholioo: *Ego ex hoc & aliis multis locis quantum conjicio, Optatus non exiſtimabat hæreticos poſſe baptizare. Quidquid ſit, magnum inter hæreticos & ſchiſmaticos ponit diſcrimen.* Quoad hæreticos videtur Sanctorum Cypriani ac Firmiliani errorem probaſſe.

Idem ducent vulgares Apoſtolorum Canooes, Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum, & in Caoonicis ad Sanctum Amphilochium litteris Magnus Baſilius, cujus ſenſum utcumque expoſui in ſcholio ſeptimi Canonis Conſtantinopolitani. Pepuzianorum ſeu Montaniſtarum, non in trium Divinarum perſonarum, ſed in Patris, filii, Montani, & Priſcillæ nomine abluentium, Baptiſma rectè addit à nemine probaodum. An tamen Sanctum Dionyſium Alexandrinum, qui iſtud probavit, rectè culpet, ignoro. Etenim Dionyſii Succeſſor Magnus Athaoaſius in tertia adversùm Arianos oratione palàm ac disertè affirmat Cata-Phryges in trium Divinarum perſonarum oomine baptizaſſe. Iſtud ipſum affirmat de Arianis, Paulianis, ac Manichæis. Diſcedit tamen à Dionyſii ſententia: Omnium iſtorum, quod Evangelicorum, quibus utuntur, verborum Evangelicum ſenſum non teneant, reprobans Baptiſma. Montaniſtæ igitur, ſolemoi hæreticorum more, diſtracti fuerunt in diverſas atque adverſas claſſes, Dogmata, ac Baptiſmata.

Nam Septimium noſtrum, etiam poſt admiſſam Montani Sectam, quis dubitet legitimo ſemper verbo baptizaſſe? Eadem eſt ratio Paulianiſtarum. Illegitimo quippe verbo ipſos fuiſſe uſos teſtatur in libro de hæreſibus Sanctus Auguſtinus; & in litteris ad Rofum Theſſalooicenſem Archi-Epiſcopum Sanctus Pontifex Innocentius primus. Quidam manifeſtè nullum, quidam ambiguum habebaot Sacramentum: Hinc ipſum generatim damoavit Nicæna Synodus. An omnium omninò hæreticorum, an ſolummodo illorum, qui circa ſanctiſſimam Trinitatem errant, ideoque Evangelica verba ſolo ore & lingua, non corde & veritate in Sacramento recitant, Baptiſma duxerit caſſandum Sanctus Athanaſius, poſſit quæri & agitari. Videtur idem ſenſiſſe de cunctis. Exprimit enim Montaniſtas, quos de Divina ſubſtantia conſtat rectum crediditſſe. Quidquid ſit, S. Optati & Magni Baſilii ſententiam videtur plenè ſecutus in Catecheſeon præfatione Sanctus Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus: *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Nam ſoli hæretici rebaptizantur. Siquidem prius illud non erat Baptiſma.* Hanc enim ſententiam uſque ad primam, à qua primùm plenè deciſa, Synodum Conſtantinopolitanam manſiſſe ac ambulaſſe probabilem, abundè in ejuſdem Synodi ſcholiis eſt demonſtratum. Porrò Sanctus Cyrillus, qui iſtas Catecheſes conſcripſit juvenis, huic Synodo ſenex Epiſcopus adfuit, atque ita propriam ſententiam ibi recantavit atque damoavit. Hinc item Jacobus Pamelius, Septimii noſtri Græcum de Baptiſmo librum dicens ſuppreſſum à Syoudo Nicæna, ſine fundamento divinat. Hoc autem in loco Septimius agit præſertim adversùm ſolos Gnoſticos: Ipſorum Sacramenta rectè affirmat eſſe non veras margaritas.

Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, &c.

Voces, *Proſtratio diſciplinæ*, edicunt myſteriorum noſtrorum coram Catechumenis aut aliis extraneis enuntiationem fuiſſe apud Patres noſtros ſummum crimen. Eorum porrò Secretum non ſoli Marcionitæ culparunt lenocinii, ſed etiam gentiles, ex quorum nomine apud Minutium Felicem Cæcilius poſt epulas Thyeſtæas, promiſcuum inceſtum, aliaque nobis impacta crimina dicit: *Multa prætereo conſultò. Nam & hæc nimis multa ſunt, quæ aut omnia, aut omnium pleraque vera declarat ipſius pravæ religionis obſcuritas. Cur etenim occultare & abſcondere, quidquid illud colunt, magnopere nituntur, cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint?* Omne illud, de quo nunquam palàm loqui liceat, affirmat ſemper eſſe puniendum aut pudendum. Et apud Origenem gentilis Celſus doctrinam Chriſtianam per ludibrium continuò appellat Dogma clandeſtinum. Quod ipſum à Juliano Auguſto fuiſſe improperatum, lucet ex Sancto Gregorio Nazianzeno, hæc reſpondente: *Sunt etiam apud nos quidam Sermones per occultationem prolati; nolo diffiteri.* Iſtud ſilentium affirmat & nobis & gentilibus eſſe commune, additque ipſum non ex ſemetipſo, ſed ex rerum occultarum dignitate vel ineptia eſſe judicandum, probandum, aut improbandum. Quin & noſter Septimius ſcribit in libro adversùm Valentinianos: *Nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant. Si tamen prædicant qui occultant. Cuſtodiæ officium, conſcientiæ officium eſt. Confuſio prædicatur, dum religio aſſeveratur. Nam & Eleuſinia, hæreſis & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent, pudor eſt. Et idcircò aditum priùs cruciant, diutius initiant, linguam conſignant, cum Epoptas ante quinquennium inſtituunt, ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent, atque ita tantam Majeſtatem exhibere videantur, quantam præſtruxerunt cupiditatem.* Hocce Valentinianorum coram ſuis Catechumenis ſilentium graviſſimè culpat.

Lib. 1.

Cap. 1.

Abſit tamen ut culpet noſtrorum myſteriorum ſilentium, ſeu Secretum. Valentiniani Catechumenatum non juxta Apoſtolicum Canonem ad biennium, ſed ad totos quinque annos extendebant. Catechumenis celabant non ſola Sacramentorum myſteria, ſed omne ſuum ſceleratum dogma, mendaciis ipſum incruſtantes, orthodoxè loquentes, proteſtantes ſeſe Orthodoxos nobiſcum, eademque ſentientes, & queritantes

ſibi à nobis non commonicari. Ita teſtatur San-
ctus Irenæus. Solis quinquennio probstis Epo-
Lib. 3. cap. 15. ptis ſua Senſa credebant ac enuntiabant. Obſcœ-
niſſimis Eleuſiniæ Dianæ, quæ ersnt genitalis
membri impudicum ſimulacrum, myſteriis Senſa
ſimilis: Immò longè fœdiora blaſphemiarum sc
fabnlarum portenta. Et hæc omnia meritò dam-
nat Tertullianus. Adjungn tamen atque ſateor
noſtri Secreti legem omninò fuiſſe lenocinium:
Utique sd inflammsndum videndorum nnſtro-
rum myſterinrum in Catechumenis deſiderium,
quo duras pœnitentiæ sd Baptiſmum Paraturas
prompti ae læti obirenr, & ad ſacroſanctum Fon-
tem tanquam ſitibundi cervi anhelsrent. *Etſi Ca-*
Tract. 96. *techumenis*, inquit ſuper Sancti Joannis Evange-
lium Beatus Auguſtinus, *fidelium Sacramenta non*
produntur, non ideò fit quod ea omnes & ſinguli
ferre non poſſint, ſed ut ab eis tantò ardentiùs concu-
piſcantur, quantò honorabiliùs occultantur. Et in
Ps. 109. Tractaiibus ſuper Pſalmns: *Si quid non intelligant*
Catechumeni, auferant inſcitiam, feſtinent ad noti-
tiam.

Pacem cum omnibus miſcent.

De averſanda hæreticnrum communione Apo-
ſtolicum Canonem habemus in ſecunda Sancti
Joannis epiſtola: *Si quis venit ad vos, & hanc*
doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum,
nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, com-
municat operibus ejus malignis. Etiam ob hnſpita-
litatem, quàm ſummoperè laudant omnes Apo-
ſtnli, & cujus deſectum in Diotrephe Epiſcopo
ipſe damnavit rigidiſſimè, noluit advenis & pe-
regrinis hæreticis enmmunicari. Hinc item cum
Cerinthn hæretico nec lavsri in eodem balnen au-
ſus, dixit ad Collegas: *Fugiamus ocyùs, ne bal-*
neum, in quo eſt Cerinthus veritati Adverſarius, ex-
templo corruat. Ita teſtantur Sanctus Irenæus,
Hieronymus, ae Epiphanins. Ejuſdem Apoſto-
li diſcipulus Sanctus Pnlycarpus, Smyrnenſis
Epiſcopus, Aſiaticaſum Eccleſiarum ad Apoſto-
licam Sedem Legatus obvium & ſalutantem Mar-
cionem nec reſslutare voluit, ſed repoſuit: *Co-*
gnoſco primogenitum Diaboli. Idem docuit Apnſtn-
lus Paulus, Timotheo mandans hæreticum bis
cnrripi, & tunc devitari. Et hinc in errantis
Cypriani Legatns Epiſcopos fecit Sanctus Ste-
phanus Papa quod ſcribit Firmilianus Cæſareenſis
in Cappadocia Epiſcopus: *Legatos Epiſcopos Ste-*
phanus patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec
ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret.
Adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor præci-
peret Fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum
ſuam reciperet, ut venientibus non ſolùm pax &
communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur.
Cum hæreticis nihil poſſe nobis eſſe communio-
nis ſcribit in dialogo cum Tryphone Judæo etiam
Martyr Juſtinus. Et Heraclam Alexsndriæ Pa-
triarcham, quòd non ſolùm hæreticos, ſed &
omnes illis familiariter communicantes ejecerit
ex Eccleſia, apud Euſebium Cæſareenſem in Ec-
cleſiaſtica hiſtoria laudat ejus Succeſſor Sanctus
Dionyſius. Et fideles unà cum Montaniſtis in-
carcera1os Confeſſores lsudans Sanctus Apollina- Lib. 7. cap. 6.
rius Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus ſcri-
bit apud eundem Euſebium: *Cum illis communi-*
care ad extremum uſque ſpiritum prorsùs recuſarunt. Lib. 5. cap. 15.
Et Pauli Ssmoſatenſis degradationem referens
Antiochens Synodus, Dionyſium Pnntificem
rogat, ne deinceps *Communionis litteras* ipſi ſcri-
bat, vel ab ipſn accipiat, & adjungit: *Paulus*
ad Artemonem, ejuſdem cum illo hæreſis Sectato-
rem, *litteras ſcribat, & ſi qui Artemonis partibus*
favent, cum eo communicent. Dicit, *Communio-*
nis litteras: Quod *communicatoriæ* & familiares
epiſtolæ differsnt plurimùm, & iſtæ ſolæ veten- Lib. 1.
tur ſcribi ad hæreticos, affirmat in libris contra cap. 1.
Petilianum, & in litteris ad quoſdam Donati-
ſtarum Epiſcopos Sanctus Auguſtinns. Cum Ca- Ep. 163.
thnlicis aliter, aliter cum hæreticis & per ſer-
monem, & per litterss eſſe tractandum affirmat
in litteris ad Euphemium Patrisrcham Conſtan-
tinopoliranum etiam Ssnctus Papa Gelaſius, &
addi1 canſam: *Quia ipſe Dominus alio modo verba* Ep. 1.
faciebat à ſua prædicatione diſcretis, alio diſcipulis
regni cœleſtis Secreta pandebat. Conſequenter quoque
Apoſtoli non ita à ſuo Collegio ſeparatis, quemad-
modum fidei domeſticis loquebantur. Eccleſiam ſem-
per fuiſſe ſuæ ab omni hæreſi diſcernendæ Com-
munionis nbſervantiſſimam ſcribit in litteris ad
Dardaniæ Epiſcopos. Qnin & familiares litteras
non niſi ad inſtruendum & corrigendum, aut
alia ejuſmodi de cauſa poſſint ſcribi. Et hinc
de Sanctn Antnnio ſcribit in ejus vits Magnus
Athanaſius: *Antonius neque cum Meletianis quid-*
quam habuit commercii, neque cum Manichæis, ali-
iſve hæreticis amicè contulit unquam, niſi monitu-
rus, ut mutato animo pietati ſeſe dederent. Exiſti-
mabat enim & aſſeverabat amicitiam horum & con-
ſuetudinem eſſe animi perniciem atque interitum.
Accedentes Arianos à ſuo monte projiciebat,
ipſorum ſermnnes aſſerens *Serpentum veneno dete-*
riores. Quæ omnia mnriens ſuis diſcipulis inſtan-
ter cnmmendsvit. Et de Sancto Hilario Pictsa-
vienſi Epiſcopo, adhuc laico, ſcribit in ejus
vita Presbyter Fortunatus: *Quod inter mortales*
adhuc valdè videtur difficile, tam cautum eſſe quem-
quam, qui ſe à Judæis vel hæreticis cibo ſuſpendit,
adeò vir ſanctiſſimus hoſtes Catholicæ Religionis ab-
horruit, ut non dicam convivium, ſed neque ſalu-
tatio fuerit prætereunti communis.

De Lucin Samoſatenſium Arisno Epiſcopo,
& fidelibus ibidem pueris rem inſignem memo-
rat in Eccleſiaſtics hiſtoria Theodoretns: *Pueri* Lib. 4.
in foro pilam mutuò contorſerunt, quo quidem luſu cap. 14.
ſe admodum oblectabant. Fortè fortuna, dum illac
tranſibat Lucius, pila è manibus pueri cujuſdam
elapſa per aſini ejus pedes provolvebatur. Pueri au-
tem vociferari. Quippè pilam ſcelere pollutam exi-
ſtimarunt. Quin & igne accenſo ipſam torſerant per
flammam, & ſic eam purgari cenſuerunt. Didice-
rant à ſuis Parentibus, qui Sanctum Joannem
Apoſtolum imitati, cum Lucii Anteceſſore Eu-
nomio

nemio nec lavari ſuſtinuerant in eodem balneo. *Aquam in qua ille laverat, hæreticæ nequitiæ contagio infectam rati, in cloacam emiſerant, aliamque ſibi imperaverant infundi*. Habemus plura iſtiuſmodi exempla. Quin & de Imperatore Valente, auxilium adversùm barbaros ſui Imperii invaſores Gothos poſtulante à fratre ſuo Valentiniano Auguſto, ſcribit idem Theodoretus: Cap. 18. *Reſcripſit Valentinianus nefas eſſe, homini bellum gerenti cum Deo opem ferre, cujus temeritas meritò coercenda eſſet*. Valentinianus enim orthodoxus, Valens erat Arianus. Quod exemplum utinam Chriſtiani Reges ex animo æmulentur. Quòd antiqui fideles mori & trucidari, quàm hæreticis in quavi etiam civili materia communicare maluerint, docent exempla plurima, præſertim Ariana tempora ſub Auguſto Conſtantio. Plurimi exindè Martyres proceſſerunt.

Longè minùs in quavis Divina re licet iſta Communio. Hinc ſtatuit vulgaris Canon Apo- Can. 63. ſtolicus: *Si quis Judæorum vel hæreticorum Synagogam ingreſſus ſit ad orandum, deponatur & ſegregetur*. Can. 9. 32. Et Canon Laodicenſis cum illis ora- 33. 34. 37. ri, ipſorum celebrari feſta, accedi Martyres, aut orationis vel ſanitatis gratia vetat intrari ipſorum Cœmeteria aut Eccleſias: Prævaricantes ſuſpendit à Communione. Etiam in privata domo cum ipſis orari interdicunt Conſtitutiones Apoſtolicæ apud Clementem Romanum. Et Can. 72. quarta Carthaginenſis Synodus ſanxit: *Cum hæreticis nec orandum, nec pſallendum*. Quem Canonem laudat in ſermone ad populum Cæſareenſem Sanctus Auguſtinus, dicens ad Emeritum Donatiſtarum iſtic Epiſcopum: *Fratrem me accipe, ut ſimul oremus. Non tecum oro*. Et rogatus, *An debet Clericus præſentibus Arianis, vel aliis hæreticis, orare, & an eum lædit, quando facit orationem, ſeu oblationem*, reſpondit Timotheus Patriarcha Alexandrinus: *In Divina oblatione Diaconus ante ſalutationem loquitur*, Qui non communicatis, ambulate. *Non debent ergò intereſſe, niſi profiteantur ſe pœnitentiam acturos, & hæreſim vitaturos*. Tunc tamquam Pœnitentes aut Catechumenos admittit ad Ferulam aut Narthecem, pertinacibus nullum in Eccleſia permittit locum. Ita rectè exponit Theodorus Balſamon. Quomodo Regiæ urbis Baſilicas Demophilo Arianorum Epiſcopo eripuerit, & Sancto Gregorio Nazianzeno Imperator Theodoſius tradiderit, refert Hermias Zozomenus, & adjungit: *Poſtquam Eccleſiam Demophilus reliquiſſet, in-* Lib. 7. cap. 5. *greſſus Imperator preces fudit*. Nempè antea illic orare noluerat. Et matrem ſuam Nonnam, quod hæreticorum Baſilicas tranſiens nec ſalutaret, prædicat præfatus Gregorius. Et de Saturnino Arelatenſi, ac aliis cum ipſo in Arium propendentibus Epiſcopis ſcribit in libro contra Imperatorem Conſtantium Sanctus Hilarius Pictavienſis: *Nec interim criminis loco duxi, quemquam aut cum his colloqui, aut ſuſpenſa licet communionis ſocietate, orationis domum adire, aut pacis optanda ſperare, dum erroris indulgentiam ab Anti-Chriſto ad Chriſtum recurrentium per pœnitentiam præparatemus*: Affirmat ſe ipſorum quidem non communicaſſe perſonis, ipſorum tamen adhuc intraſſe Eccleſias. Quod necdum eſſent manifeſtè Ariani. Et ad populum Mediolanenſem, recuſantem orare extra Baſilicas, ideoque ipſas cum Auxentio ſuo Ariano Epiſcopo intrantem, hæc ſcripſit: *Cavete Anti Chriſtum, malè vos parietum amor cepit, malè Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini, malè ſub his nomen pacis ingeritis*. Ut cum Prophetis ac Martyribus montes, ſylvas, lacus, carceres, voragines oraturi adeant, hortatur & mandat. Ita enim in Oriente feciſſe tunc paſſim fideles, demonſtrari poſſit exemplis ac teſtimoniis. Etiam ob Petrum Fullonem, Eutychianiſtam intruſum in Sedem Antiochenam, fideles plurimos *relictis ſuis ſedibus ceſſiſſe*, ac fugiſſe, teſtatur Felix tertius Pontifex in litteris ad Bithyniæ Eccleſiam & Conſtantinopolitanam. Metuebant illi cogi ad intrandam cum Petro Eccleſiam, ac ad ipſi in orationibus communicandum.

De noſtris vice verſa Eccleſiis ſtatuit laudata Synodus Laodicena: *Quod non oportet Hæreticis* Cap. 6. *concedere, ut in domum Dei ingrediantur, ſi in hæreſi permaneant*. Ipſos nec ad Narthecem aut Ferulam admittendos, ſupra nobis juxta Theodori Balſamonis Commentarium dixit Timotheus Patriarcha Alexandrinus. Qui tamen mos non fuit univerſalis. Et Sanctum Britannionem Schytarum in Thracia Epiſcopum, quòd Imperatore Valente Ariano Eccleſiam ſuam intrante fugerit cum omni ſuo populo ad aliam Baſilicam, laudat Hermias Zozomenus. Quoniam Princi- Lib. 6. pem expellere non poterat, ipſe cum populo exi- cap. 20. vit. Cur eundem Imperatorem Magnus Baſilius etiam ad ſpectandum ſuum Sacrificium admiſerit, ſuo loco exponetur. Quòd item Levigildi, Arianorum Gothorum in Hiſpania Regis, Legatos Gallicani Epiſcopi coegerint priùs ad Catholicæ fidei profeſſionem, quàm permitterent Eccleſiæ ingreſſum, habemus in Francorum hiſtoria apud Sanctum Gregorium Epiſcopum Tu- Lib. 6. ronenſem. cap. 40. Eſt antiquiſſimus omnium Eccleſiarum mos abundè demonſtratus in aliis locis. Romana Eccleſia hæreticorum communionem ſemper fuit adeò averſata, ut nec ad Epiſcopi ſui videndam faciem admitteret hæreticos, licet Epiſcopos ac Patriarchas. Quem morem eſſe etiam antiquiſſimum, lucet ex illis, quæ in errantes Cypriani Legatos acta fuiſſe à Sancto Stephano Pontifice, ſuprà audivimus à Sancto Firmiliano. Et hinc firmè colligitur paganis, Judæis, atque hæreticis, dum ad Epiſcopale verbum, adeoque & ad Narthecem fuerunt poſtmodò admiſſi, fuiſſe ſuum proprium & ſingularis locus, in quo ſinguli debuerunt collectim ſtare, & finito verbo poſſe collectim expelli. A cunctis in ingreſſu ignotis exigebatur ſymboli redditio: Et juxta hujus redditionis ſucceſſum quiſque intra Eccleſiam locabatur.

Romanæ Eccleſiæ pro Catholicæ communionis integritate conſtantia inſigniter ſplenduit in ſchiſmate Acaciano. Nequaquam hæreticus erat;

ſed Petro Mogo Alexandrinæ, & Petro Fulloni
Antiochenæ Eccleſiæ Eutychianiſtis Patriarchis
dumtaxat communicaverat Acacius Epiſcopus
Conſtantinopolitanus, ideoque ortas intet ipſum
ac Felicem tertium Pontificem lites & apertum
ſchiſma compoſiturus Anaſtaſius Auguſtus, unicam
à Sancto Gelaſio Pontifice poſtulavit gratiam,
ut Acacii jam defuncti, viri quoad cætera
optimè de Eccleſiis meriti, nomen in ſacris
perſeveraret tabulis, & ad Sacrificium recitaretur.
Verùm Gelaſius repoſuit: *Sicut in unaquaque
hæreſi cum pravitatis Auctore damnato, ſucceſ-*
Epiſt. 11. *ſores ejus & complices, atque hujuſmodi ſectatores
polluta communione permixtos Catholica vitare debet
integritas, ita cum Eutychete Dioſcorus ſimulque Timotheus
Ælurus & Petrus Alexandrinus, ejuſque
communicator Acacius, nec non etiam Antiochenus
Petrus, cum ſuis ſunt omninò participibus abdicandi.*
Non ſolùm ipſos hæreticos, ſed & ipſorum
omnes communicatores affirmat eſſe maculatos
& ſcabioſos; Contagioſam eſſe hanc ſcabiem
uſque in infinitum, ideoque ipſorum nulli poſſe
à Catholicis ſine ejuſdem ſcabiei incurſu communicari.
Et quia jam pridem defunctus, ideoque
à pœnitentiæ medicina excluſus erat Acacius,
addit nullum eſſe remedium, quàm ut ejus
contagioſum nomen ex omnibus Eccleſiarum
tabulis radatur. Romanam Eccleſiam aſſerit eſſe
totius Catholicæ communionis radicem, fundamentum,
& centrum, ideoque uti à recta fide
indeclinabilem, ita & in ſua communione immaculatam
ac immaculabilem. Et ita per omnia
oportere. Maculata enim Romana Eccleſia omnem
ſibi communicantem macularet Chriſtianitatem,
atque ita orthodoxæ communionis ſanctimoniam
demutaret in monſtrum fœdæ confuſionis.
Et hinc de Anaſtaſio ſecundo Pontifice
ſcribit liber Pontificalis: *Multi Clerici & Presbyteri
ſe à communione Anaſtaſii erexerunt, eò quòd
communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum vel Presbyterorum,
vel Cleri cunctæ catholicæ Eccleſiæ, Diacono
Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communis
erat Acacio. Et quia occultè voluit revocare Acacium,
& non potuit.* Aliud eſt Romanus Epiſcopus,
aliud Romana Eccleſia, aliud ejus Apoſtolica
Cathedra. Antiquiſſima apud Patres eſt
iſta diſtinctio. Ne ergò maculatus Anaſtaſius
Romanam etiam Eccleſiam aut Cathedram macularet,
ab ejus ſe communione Cardinales Epiſcopi
ac Presbyteri, & omnes Clerici ſejunxerunt.
Ex eodem principio Hormiſda Pontifex
Joanni Nicopolitano Epiſcopo, novæ Epiri
Metropolitæ, per Dorotheum Theſſalonicenſem
Acacianæ factionis Archi-Epiſcopum ad ipſi
communicandum exacto per pœnas graviſſimas,
ideoque iſtius communionis licentiam poſtulanti,
reſpondit: *Noſtra quoque communio contagium
ſuſtineret.* Ejuſmodi facultatem ſine ſuæ & perſonæ
& Eccleſiæ contagio affirmat non poſſe indulgeri,
ideoque moriendum potiùs, quàm Dorotheo
communicandum.

Et hinc etiam Apoſtolicum Canonem contemni
paſſim à Gnoſticis, Valentinianis præſertim,
ideoque apud ipſos non communionem eſſe Eccleſiaſticam,
ſed gentilem confuſionem Septimius
noſter rectè affirmat. Quòd enim Valentiniani
damnarent martyria, fidem ſuam occultarent,
immò & negarent liberrimè, ubique communicare
ſe fingerent, & cum ipſis etiam gentilibus
eſſent gentiles, inſuper teſtatur Sanctus Irenæus.
Eandem nequitiam amplexus fuit Priſcillianus,
& ad ipſam tutò exercendam aſſumpſit
hanc regulam: *Jura, perjura, Secretum prodere
noli.* Et Fauſtinus ac Marcellinus, Romanæ
Eccleſiæ Presbyteri, in ſuis ad Imperatorem
Theodoſium precibus ſcribunt de lapſis in Ariminenſi
Synodo Epiſcopis: *Cùm adversùs ſe libros
vel epiſtolas ſinguli quique conſcribant, tamen ſibi
omnes vel ex directo, vel ex obliqua concatenatione
communicant.* Ipſorum alios Origeniſtas, alios
Antropomorphitas, alios Apollinariſtas, alios
aſſeverant eſſe Arianos, ac proſequuntur: *Inani
ſtudio Philoſophorum ſolis diſputationibus litigantes,
non ut Chriſtiani ex devotione Sacramenti, alter
alterum velut impium devitantes, ut jam ſicut in
ſcholis ingenii videatur inter eos eſſe certamen, non
autem ſacra defenſio veræ Religionis, quandoquidem
inter ſe Sacramenta non ſeparant, cum impiis
ſententiis ab invicem ſeparentur. Hoc autem ideò
faciunt, quia eorum quidam humanæ gloriæ, quidam
avaritiæ ſtudent, & indè eſt quod ſibi invicem
ſub impia diſſimulatione conludant, ut nec poſſeſſiones
perdant Eccleſiæ, nec honores.* Ab ipſis Eccleſiam
in Academiam, & ſub fœdo pacis nomine
Catholicam communionem lamentantur demutari
in ſcabioſam confuſionem, ideoque ſibi potiùs
in ipſos placere bellum. Scio Fauſtinum ac
Marcellinum fuiſſe calumnioſos & ſchiſmaticos
Luciferi Calaritani Epiſcopi Sectatores: Addo
tamen quaſdam ipſorum querimonias omninò
fuiſſe veras. Quidquid de ipſorum Scripto ſit,
iſtud ipſum facinus factioni Euſebianæ ac omni- Ep. 82.
bus Arianis adſcribit in litteris ad Patrophilum
Schytopolitanum in Palæſtina Epiſcopum, ac
in epiſtola ad Evaſenos Magnus Baſilius: *Unus illorum
ſcopus eſt ubique quæ ſua ſunt quærere, & pro
amico habere, ſi quis deſideriis ipſorum cooperetur,
hoſtem verò ducant, ſi quis ipſorum deſideriis reſiſtat.*
Patenter hæc, quaſi totus mundus oculis careat, Ep. 52.
ab illis agi peſſimè indignatur. Etiam de Iberis
ſcribit ad ſeptimum Ancyrani Concilii Canonem
Theodorus Balſamon: *Nihil referre dicunt, an
cum Orthodoxis, an cum hæreticis commedatur.*
Et de neſcio quo imperito Monacho queritur in
Prato ſpirituali Sanctus Sophronius Patriarcha
Hieroſolymitanus; *Ubicumque eum eſſe contigiſſet,
indiſcretè communicabat.* Quo ipſum hodiè omni-
nò factitant Lutherani etiam & Calviniſtæ. Quis C. 178.
enim neſciat ab illis, ut hæreticorum nomen &
pœnas evadant, & Miſſas noſtras audiri diebus
feſtivis, ac in Paſchate ſumi & Euchariſtiam.
Et quis neſciat iſtud eſſe conſilium & dogma Calvini?
Quòd profanam iſtam confuſionem horrendè
ac frequenter caſtigare etiam in præſenti ſæculo
conſueverit Divina Juſtitia, demonſtrari poſſit
exemplis multis & certis. Quædam habes apud
me-

memoratos Fauſtinum ac Marcellinum.

Eſt tamen locus diſpenſationi ac epicheję. Etenim in Regionibus, ubi eſt hæreticorum aut ſchiſmaticorum cum Catholicis numeroſa ac inevitabilis permixtio, quis nullam etiam in Divinis quibuſdam indulgeat communionem? Moriendum potiùs eſt, quàm ullum ab ipſis accipiendum Sacramentum. Nam & Baptiſma ab ipſis ſuſcipi nonniſi in extrema neceſſitate permittit antiqua Eccleſiæ diſciplina. Attamen ſanxit quarta Carthaginenſis Synodus [Can. 70.]: *Clericus hæreticorum & ſchiſmaticorum tam convivia, quam ſodalitates evitet æqualiter*. Ob nimiam Donatiſtarum multitudinem ſolis id Clericis, non laicis interdicit. Et hinc de iiſdem Donatiſtis queritur in libris adversùs Creſconium [Lib. 4. cap. 37.] Sanctus Auguſtinus: *Contingat alicui veſtrum orare in navi nobiſcum, jam pollutus, jam Traditor appellatur*. Carthaginenſem, qui cum hæreticis orare vetat & pſallere, Canonem vult ad ſolas Eccleſias & loca libera, non ad naves extendi, aut [Lib. 4. cap. 16.] ſimiles neceſſitates. Ex ſimili cauſa Sanctus Baſilius apud Eccleſiaſticam Theodoreti hiſtoriam creditur Valentem Auguſtum, hominem Arianum, etiam intra ſacra vela, immò & ad altaris [Lib. 6. cap. 23.] oblationem admiſiſſe. Fuiſſe illi, qua Sanctus Paulus Timotheum circumcidit, ſimilem diſpenſationem affirmat in ſua hiſtoria Georgius Pachymeres. Iſtiuſmodi diſpenſationem extorquere per tormenta ac perſecutiones ſtuduit etiam Imperator Conſtantius terribiliter edicens: *Jubeo eſſe pacem in toto Imperio*. Utique communionis pacem inter Arianos & Orthodoxos. Aſt fuiſſe fruſtratum, & Orthodoxos potiùs pati quælibet, immò & occidi maluiſſe demonſtrat & comprobat in ſingulari contra iſtam communionem libro Lucifer Epiſcopus Calaritanus. Quare S. Baſilii factum eſt admirandum potiùs, quàm imitandum. Undè quod in quibuſdam Germaniæ locis Lutherani Canonici cum Catholicis ſimul pſallant in eodem Choro, & quòd in eadem Eccleſia aliud altare hi, aliud iſti habeant, nullo modo eſt probandum. Interim in quibuſdam etiam Orientalibus Baſilicis dicuntur & ſchiſmatici Græci & Orthodoxi Latini habere ſuum altare, [C. 124.] immò & in eodem ſucceſſivè celebrare. Rectè tamen laudatus Baſilius in brevioribus regulis permittit ſalutari hæreticos, & vetat cum ipſis manducari. Quin & ita affirmat ſanciri ab Apoſtolis, atque ab ipſo Domino. Verùm quomodo Sanctum Joannem Apoſtolum illis vel Ave dici vetantem ſibi conciliet, non video. Et omnes Apoſtolos cum Sancto Joanne ſenſiſſe atque egiſſe [Lib. 3. cap. 3.], diſertè affirmat Sanctus Irenæus. Interim ita ſervandum in ſua Diœceſi Baſilius nullibi ſanxit. Suum de Apoſtolico Canone ſenſum dumtaxat edixit. Pleroſque enim Ponticos tunc cum Arianis etiam comediſſe, videtur non dubitandum. Ut non à cunctis illis, licet pertinacibus, ſed à ſolis belli iſtius authoribus ſimus averſi penitùs [Ep. 265.] ac alieni, ſuadet in litteris ad Sanctum Euſebium, in Euphrateſia Provincia Epiſcopum Samoſatenſem. Quin ſuos firmiores fideles, ut cum Anomæis familiares eſſent, atque ipſos ita reducerent, ſuaſit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et in epiſtola, qua Cruce-ſignatos cum Excommunicatis Venetis permittit eadem navi ad terram ſanctam vehi, addit Innocentius tertius: *Eſt cautum in jure, quod ſi quiſpiam per terram hæreticorum tranſierit, neceſſaria emere atque recipere poterit ab eiſdem*. Exſtat epiſtola in ejus vita, publicata per Franciſcum Boſquetum. De qua re vide & jus noviſſimum Franciſci Zypæi.

Dum ad unius veritatis expugnationem, &c.

Ita de Meletianis ac Arianis, invicem ſemper inimiciſſimis, ſcribit in prima adversùs hos oratione Sanctus Athanaſius: *Cùm anteà inter ſe contentioſi eſſent, nunc Herodes & Pontius Pilatus in blaſphemias adversùs Chriſtum conſtituunt*. Quomodo ad reparandum Arium & ſubvertendum Athanaſium Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus, Arianorum Signifer, cum Meletianis Pacta & conjurationes inierit, in ſecunda ſua Apologia laudatus Athanaſius exponit. Conjuratio fuit tanta, ut de Georgio Alexandriæ Pſeudo-Epiſcopo ſcribat Sanctus Epiphanius: *Arianorum pariter ac Meletianorum fuit Epiſcopus*. [Hæreſi 76. cap. 1.] Verùm colligatio non fuit firma. Quod enim ambo iſti hæretici ſuo tempore ſeparatos agerent conventus, in quarto hæreticarum fabularum libro affirmat Theodoretus. [Cap. 7.] Quod item Euſebianæ factionis Philippopolitanum conventiculum tentaverit ſibi adversùs Orthodoxam fidem unire Donatiſtas, docet Synodalis eorum epiſtola, & in libris adversùs Creſconium confirmat Sanctus Auguſtinus. Et ad Comitem Bonifacium ſcribit de Donatiſtis: *Nonnulli ex Donatiſtis volentes ſibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid poſſe, dicunt hoc ſe credere quod illi credunt*. [Ep. 50.] Et de Urſicino Romanæ Cathedræ ſchiſmatico invaſore ſcribit ad Imperatorem Gratianum Sanctus Ambroſius: *Urſicinus plerumque cum Arianis copulatus atque conjunctus erat eo tempore, quo turbare Mediolanenſem Eccleſiam cœtu deteſtabili moliebatur, nunc ante Synagogæ fores, nunc in Arianorum domibus miſcens occulta conſilia, & ſua eis jungens*. [Epiſt. 4.] Etiam Julianum ac alios Pelagianorum degradatos Epiſcopos ad cauſam ſuam reparandam iniiſſe cum Hæreſiarcha Neſtorio Pacta, amboſque ſimul à Theodoſio Auguſto extorſiſſe Epheſinam Synodum, lucet ex Actis Synodalibus, nec non ex illis exſtantibus epiſtolis Sancti Pontificis Cæleſtini. Etiam hodiè Lutherani & Calviniſtæ diſſident hoſtiliſſimè; verùm ubi contra Papiſtas quid tentandum eſt, ſtatim fiunt fraternè amici. Præſens Septimii locus docet iſtum eſſe antiquiſſimum ac perpetuum ſpiritum quorumlibet Hæreticorum.

Omnes

Omnes tument.

Agit Doctor in Gnoſticos, quorum omnium
matrem fuiſſe ſui complacentiam & vanæ gloriæ
cupiditatem teſtatur Sanctus Irenæus. Luciſeria-
na, ex qua Simon Magus credi Deus voluit,
ſuperbia graſſata eſt in omnibus ejus diſcipulis,
atque ita quiſque voluit eſſe omnium maximus,
& non ſolùm ſupra Apoſtolos, ſed & ſupra ip-
ſum Chriſtum Dominum eminere. Eandem ſu-
perbiam Septimius notat in Marcione. Sic &
Lib. 1. Montanus ambiit eſſe Deus, ideoque finxit Spi-
cap. 14. ritum Sanctum in ſe incarnatum. Quam inſa-
nism poſtmodò ſibi adſcripſit etiam Manichæus.
Hinc nullius Canonicæ Scripturæ fuit illis ſacro-
ſancta authoritas: Singulas aut raſerunt, aut
esraxarunt. Nec mireris id in iſtis fabulonibus.
Etiam licet necdum lapſus, ſed dumtaxat la-
bens in hæreſim, Vincentius Victor principalem
Chriſti Domini, ſolis Baptizatis cæleſte regnum
promittentis, ſententiam refutare fuit auſus, &
Lib. 2. adversùs illam cenſere. In homiliis ſuper Sancti
cap. 12. Joannis Evangelio rectè ſcribit Sanctus Joannes
Lib. 3. Chryſoſtomus: *Prava doctrina nibil aliud eſt*
cap. 12. *quàm inanis gloriæ filia.* Hinc natam dicit hære-
Homil ſim Arianam. Et in homiliis de incomprehenſi-
65.& 38. bili Dei natura ſcribic de Anomæa Arianorum
factione: *Arborem banc plantavit rationum intem-
peſtiva ſcrutatio, rigavit ſtolida ſuperbia, ambitio-
ſa cupiditas auxit.* Etiam Apollinariſtas fuiſſe in-
Homil. 3. tolerabilis arrogantiæ notat Sanctus Baſilius.
Arrogantiam, qua omnem Romanam, etiam
Auguſtam, Poteſtatem ſprevit Donatiſtarum
Princeps Donatus Carthaginenſis Epiſcopus,
exaggerat in libris adversùs ejus Succeſſorem Par-
menianum Sanctus Optatus Milevitanus Epiſco-
Lib. 3. pus, ac pergit: *Donatus extulit cor ſuum, ut nul-
lum bominem ſibi comparandum arbitraretur, & de
tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt. Quia quid-
quid eſt ſupra bominee, jam quaſi Deus eſt. Et cum
Epiſcopi debeant Deo famulari, tantum ſibi de Epi-
ſcopis exegit, ut eum non minori metu omnes venera-
rentur, quàm Deum. Hoc eſt, quod ſibi Deus vi-
ſus eſt. Et cum per ſolum Deum ſoleant bomines ju-
rare, paſſus eſt per ſe jurari, tanquam per Deum.*
Edicit & alios ejus Thrazonicos tumores. Et
de Juliano Pelagianorum Goliath, ab iteratis
Romanæ Eccleſiæ Judiciis non ceſſante ad gene-
ralem Synodum provocare, ſcribit ad Sanctum
Lib. 4. Pontificem Bonifacium Sanctus Auguſtinus: *Iſto-
cap. 12. rum ſuperbia banc etiam gloriam captare intelligitur,
ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus con-
gregetur. Orbem quippe Catbolicum, quoniam per-
vertere nequeunt, ſaltem commovere conantur.* Af-
firmat Pelagianos eſſe ſimiles Maximianiſtis, qui
& ipſi, non minùs quàm Primianiſtæ, poſtula-
rant ſolemnem collationem, non quod ſperarent
victoriæ gloriam, ſed famam & nomen de certa-
mine ambirent. Notiſſima eſt iſtius Juliani ſu-
perbia, & major quàm ut paucis verbis expona-
tur. Ea eſt omnium hæreticorum mater & nu-
trix, adeò ut de paucis & vilibus Scytharum
Monachis, Eutychetem dumtaxat olentibus,
ſcripſerit ad Poſſeſſorem Africæ Epiſcopum Pon-
tifex Hormiſda: *Eò uſque tumoris elati ſunt, ut*
ad arbitrium ſuum utriuſque orbis putent inclinan- Epiſt. 70.
*dam eſſe judicium, nec in numero fidelium deputan-
tes Sequaces traditionis antiquæ, ſi ſuæ viderint ce-
dere nolle ſententiæ.*

Ex eodem ſpiritu ſcripſit in Romani Pontificis
xenio Martinus Lutherus: *Nòs non ſumus Papæ,
ſed Papa noſter eſt. Noſtrum eſt non judicari ab illo,
ſed illum judicare.* Papatum cum omnibus Epi-
ſcopatibus, Altaribus, & Sacramentis gloriatur
à ſe jam triumphari, atque adjungit: *Dogmata
mea ſtabunt, & Papa cadet, invitis omnibus portis
Inferorum, & Poteſtatibus aeris, terræ, ac ma-
ris. Ipſi me provocaverunt ad bellum, bellum igitur
babebunt: Pacem oblatam contempſerunt, pacem
igitur non babebunt. Deue videat, uter primò feſ-
ſus defecerit, Papa, an Lutherus.* Et in libro
adversùs Papæ ac Epiſcoporum ſtatum Eccleſia-
ſticum: *His certiores vos facio me de cætero vobis
non ampliùs eum bonorem eſſe exbibiturum, ut me
ſubmittam vobis, vel etiam ulli Angelo de cælo, ad
judicandam vel examinandam doctrinam meam.
Nam ſtultæ bumilitati jam tertiò ſatisfactum eſt
VVormaciæ, & tamen nibil prodeſt. Sed volo au-
diri, & juxta doctrinam Sancti Petri, doctrinæ
meæ rationem & fundamentum oſtendere coram uni-
verſo mundo, eamque babere injudicatam à quolibet,
etiam à cunctis Angelis. Cum enim de ea certus ſim,
volo per eam & veſter & Angelorum quoque judex
eſſe, ut quiſquis doctrinam meam non acceptaverit,
ſalvari non poſſit: Dei enim eſt, non mea.* Ejus
Scripta ſcatent iſtiuſmodi non tantùm in Papam
& Epiſcopos, ſed etiam in Imperatorem, Re-
geſque & Principes omnes Thrazoniſmis.

Omnes ſcientiam pollicentur.

Etiam hæc Doctor ſcribit in Gnoſticos, quo-
rum ipſum nomen pollicetur ſcientiam, & quo-
rum aliqui ſeſe non ſolummodo Apoſtolis, ſed
& ipſo Domino jactarent doctiores. Nec tantum
de nato ex ipſis verme Manichæo; ſed de omni-
bus generatim hæreticis ſcribit in libro de creden-
di utilitate Sanctus Auguſtinus: *Chriſtianam ve-* Cap. 7.
*ritatem profitentur omnes bæretici, ſed ita ut eis,
quos illectant, rationem ſe de obſcuriſſimis rebus pol-
liceantur reddituros, eoque Catbolicam maximè cri-
minentur, quod illis, qui ad eam veniunt, præci-
piatur ut credant, ſe autem non jugum credendi impo-
nere, ſed docendi fontem aperire glorientur.* Ita
ſuos Sectatores ex ſtultis inſanos, ac ex lethargi-
cis faciunt phreneticos. Et famoſa iſta pollicita-
tione etiam ſe fuiſſe circumſcriptum profitetur
ibidem Auguſtinus. Ita hanc vocem, *Nobis pri-
mum revelatum eſt, à Nobis incepit fides Chriſtiano-
rum*, fuiſſe Montaniſtis familiarem, ac poſtmo-
do reſumptam ab Arianis, ſcribit in epiſtola de
Seleu-

Seleucenſi ac Ariminenſi Synodis Sanctus Athanaſius. Et de Anomeæ factionis authore Ætio ſcribit apud Theodoretum Conſtantinopolitana Synodus: *Temeraria audacia elatus Ætius affirmat Deum ſibi revelaſſe, quæ uſque ab Apoſtolorum temporibus occultaverat*. Nec illic ſtetit inſania: Divinæ Majeſtatis eſſentiam blateravit à ſe non dumtaxat videri intuitivè, ſed inſuper plenè comprehendi. Et apud Sanctum Pacianum Barchinonenſem Epiſcopum blaterat homo Novatianenſis Symphotianus: *Per orbem totum nullus natus eſt, qui me convincat, & perſuadere poſſit contra quàm credam*. Et venerabilis Acacius Melitinenſis Epiſcopus, ſecundæ Armeniæ Metropolita, ad Epheſinam Synodum dixit de Hæreſiarcha Neſtorio: *Quòd doctrina admodum peregrina utatur Neſtorius, vel hoc argumento clarè demonſtrat, quod fidei dogma jam demùm opera ſua illuſtratum eſſe affirmare audet*. Omnes enim hæretici non qualemcumque, ſed novam ſemper pollicentur ſcientiam, atque ita ſemetipſos præſcribunt. Et quoniam omnis falſi nominis ſcientia inflat, hinc omnes præſertim tument. Quem tumorem fuiſſe & in Martino Luthero dominatum, oſtendit Joannes Cochlæus: *Lutherus ja-*
Anno 1522. *ctitabat, & multi cum eo, Germanis in eam uſque diem nunquam germanè & ſinceriter prædicatum fuiſſe Evangelium, ſe autem verum proferre Evangelium, quod multis annis ſub ſcamno latuiſſet*. Blaterabat uſque ad ſua tempora *univerſum Chriſtianum nomen fuiſſe in errore verſatum*. Hinc ſe ſcribebat *Eccleſiaſtes Dei gratia*. Quivis alius Doctor erat illi aſinus, porcus, Sophiſta, ventris animal, telluris inutile pondus. Qui ſpiritus omninò viguit etiam in Calvino.

Antè ſunt perfecti Catechumeni.

Hic locus demonſtrat etiam tunc fuiſſe varios gradus & claſſes Catechumenorum. Quod ipſum lucet ex quartodecimo Canone Nicæno: *De Catechumenis lapſis placuit ſanctæ & magnæ Synodo, ut iis tribus annis Audientes tantùm ſint, poſteà orent cum Catechumenis*. Alios dicit eſſe Orantes, alios tantummodo Audientes: Et Orantem lapſum rejicit ad Audientes. Conſonat quintus Canon Neo-Cæſaræenſis: *Catechumenus, ſi in Dominicum ingrediens in ordine Catechumenorum ſteterit, is autem peccet, ſi genu quidem flectens, audiat non ampliùs peccans, ſin autem Audiens peccet, expellatur*. Alios Genu-flectentes, ſeu Subſtratos, alios dicit eſſe tantummodo Audientes: Subſtratum peccantem ad Audientes, Audientem lapſum proſcribit extra Dominicum ſeu Eccleſiam. Supponit utrumque ingredi Dominicum, & illic ſtare in ſuo ordine aut claſſe. Domini trecenteſimo decimo ſexto, Imperatoris Conſtantini anno undecimo habita hæc Synodus Catechumenos ad publicum Dei verbum admittit intra Eccleſiam, immò ſupponit jam pridem admitti conſueviſſe, atque ita antiqua, Catechumenos cum fidelibus orare vetans, diſciplina erat ex tunc mutata. Mutata forſan fuit in gratiam Conſtantini, quem frequenter audiviſſe in Eccleſia, ſtetiſſe ſemper, & nunquam voluiſſe ſedere, affirmat in ejus vita Euſebius Cæſareenſis. Affirmat & ſemper fuiſſe Catechumenum, nec niſi in exitu baptizatum. Solos tunc Catechumenos, necdum autem hæreticos aut gentiles fuiſſe admiſſos ad publicum in Eccleſia verbum, lucidè laudatus etiam Canon edicit. Lapſum enim Audientem proſcribit ex Eccleſia. Quam diſciplinam, iſtumque unà Canonem laudat Sanctus Joannes Chryſoſtomus in homilia adversùm eos qui Paſcha jejunant: *Si ſit Catechumenus is, qui gravium* Tom. 5.
peccatorum morbo laborat, à veſtibulo templi arceatur. Loquitur de Audiente. Palàm ex Neo-Cæſaræenſi Canone. Eoſdem gradus laudant & Apoſtolicæ Conſtitutiones Romani Clementis. Catechumenum doceri mandant Divinæ ſubſtantiæ Unitatem ac Trinitatem, omnemque ejus in creando ac gubernando mundo providentiam, (Lib. 7. cap. 40.) & adjungunt: *Qui verò manus admovet Catechumeno, &c.* Fundendam ſuper ipſo orationem exponit, ac pergit: *Poſt hanc actionem gratiarum doceat Catechumenum de Incarnatione Domini, de Paſſione ejus, de Reſurrectione ex mortuis, & de Adſcenſione*. Per iſtam manus impoſitionem ſanxit Catechumenum tranſmitti ab Audientibus ad Orantes, ſive Subſtratos, & tunc altiora Chriſtianitatis myſteria eſſe ipſis pandenda.

Septimus Canon Conſtantinopolitanus, & ex ipſo nonageſimus quintus Trullanus adducunt & alios Catechumenorum gradus. Invalidum Baptiſma habentes hæreticos ſtatuunt tanquam gentiles admittendos in Eccleſiam, atque adjungunt: *Primo die eos Chriſtianos facimus, ſecundo Catechumenos, deindè tertio die adjuramus eos, ſive exorcizamus, ter ſimul in faciem eorum & aures inſufflando. Et ſic eos catechizamus, ſive initiamus, & curamus, ut longe tempore verſentur in Eccleſia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus*. Diſtinguunt Chriſtianos, Catechumenos, ac Initiatos. Et per hos aliqui intelligi volunt Competentes, utique jam proximos Baptiſmi Candidatos. At certum eſt Initiatos à Competentibus diſtingui etiam per præſentes Canones. Etenim Competentia in Palmarum Dominica priùs dabatur, adeoque non poſt ipſam, ſed dumtaxat poſt Initiationem Catechumenus longo tempore verſabatur in Eccleſia Scripturas audiens. Subſtratos comprehendunt ſub Catechumenis. Quod enim etiam ipſos habuerit omnis olim Orientalis Eccleſia, abunde lucet ex adductis Neo-Cæſaræenſi ac Nicæno Canonibus. Ex pluribus ſtatim oſtendetur. Proinde ſunt quinque Catechumenorum claſſes: Chriſtiani, Audientes, Subſtrati, Initiati, Competentes. Notata velim hæc verba Conſtantinopolitani Canonis: *Ut longo tempore verſentur in Eccleſia*. Dictis hæreticis dant ingrediendæ Eccleſiæ, & audiendi verbi facultatem, atque ita lucet ipſos, dum non eſſent noſtri Catechumeni, ad iſta tunc necdum fuiſſe admiſſos.

Qui-

Quidam volunt etiam Electos eſſe Catechumenos, atque ita eſſe ſex gradus. Electos enim laudat in litteris ad Himerium Tarraconenſem Archi-Epiſcopum Siricius Pontifex, mandans nul-
Cap. 2. lum ad Baptiſma eligi, niſi qui *ante quadraginta vel ampliùs dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque Orationibus, atque jejuniis fuerint expiati*. Eoſdem laudat in litteris ad Siciliæ Epi-
Epiſt. 4. ſcopos Magnus Papa Leo. Et in Sabbathi ſan-
cap. 56. cti officio dicit ad ipſos Antiquus Ordo Romanus: *Orate Electi*. Eorundem meminerunt Alcuinus Flaccus, & paſſim alii Baptiſmalium rituum expoſitores. Reſpondeo inter Catechumenos fuiſſe duplices Electos. Etenim laudatus Ordo habet & hunc titulum: *Incipit ordo vel denuntiatio Scrutinii ad Electos, quod tertia hebdomada in Quadrageſima, ſecunda feria initiatur*. Erat & duplex examen. Aliud quo Subſtrati, aliud quo Competentes de expletis ſui gradus functionibus diſcutiebantur. Poſt primum ad Initiationem, poſt ſecundum Cleri ſuffragio eligebantur ad Baptiſmum. Proindè Electio nequaquam erat gradus, ſed de gradu ad gradum tranſmiſſio. Nec dubitandum eſt, quin ad quamvis tranſmiſſionem intervenerit.

Quod primus gradus dederit Chriſtiani titulum, locum habuit non tantummodo apud Græcos, ſed etiam apud Latinos. Lucet ex Synodo Eliberina: *Gentiles, ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos*. Hoc eſt donari primo gradu Chriſtianitatis. Et in Sancti Martini vita ſcribit de Tetradio viro Proconſulari Sulpitius Severus: *Spondet ſe, ſi de puero Dæmon fuiſſet exactus, fo-*
Cap. 16. *re Chriſtianum*. Et ſtatim infra: *Catechumenus factus eſt*. Utique primi gradus. Et in ſecundo Dialogo Sulpitius pergit de aliis Galliæ gentilibus: *Cuncti catervatim ad genua beati Martini ruere*
Cap. 5. *cœperunt, fideliter poſtulantes, ut eos faceret Chriſtianos. Nec cunctatus, in medio ut erat campo, cunctos impoſita univerſis manu Catechumenos fecit*. Et hinc primum Catechumenatus gradum poſtulantium gentilium hæc olim fuit conſueta ad Epiſcopum aut Presbyterum vox: *Domine, volo Chriſtianus fieri*. Et de hujus gradus per impoſitam manum donatione pergit denuò in lau-
Cap. 10. data vita Sulpitius: *Nemo ferè ex immani illa gentilium multitudine fuit, qui non impoſitione manus deſiderata, in Dominum* JESUM *crediderit*. Et prima Synodus Arelatenſis habet: *De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi*. Non Baptiſmum ſtatim, ſed manum donatricem primæ Chriſtianitatis. Confirmat & innovat Canonem Eliberinum. Iſtud ipſum confirmat Sanctus Auguſtinus in libro de peccatorum meritis ac remiſſionibus: *Et Cate-*
Lib. 2. *chumenos ſecundùm quendam modum ſuum per ſi-*
cap. 26. *gnum Chriſti & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari*. Et de ſemetipſo adhuc puello ſcribit in primo libro confeſſionum: *Signabar jam ſigno*
Cap. 11. *Crucis Chriſti, & condiebar ejus ſale, jam indè ab utero matris meæ, quæ multùm ſperavit in te*. Hæc illum ſtatim à prima infantia curaverat Chriſtianum creari. Et de Sancto Hilario Pictavienſi Epiſcopo, proficiſcente ad Synodum Seleucienſem, ſcribit Fortunatus Presbyter: *Florentia puella gentilis, ad pedes Hilarii accurrens, non ceſſavit petere, niſi ſignum Crucis ab ipſo ſibi fieri*, atque ita ipſa fieri Chriſtiana *fideliter impetraſſet*. Quæ res & phraſis in antiquis Sanctorum Actis ſunt frequentiſſimæ. Ea igitur, quæ Chriſtianum creabat, non erat ſimplex, ſed cum Crucis ſigno impoſitio manus, unaque profeſſio fidei in Dominum JESUM Chriſtum. Et hinc de quocumque Catechumeno dicit in undecimo ſuper Sancti Joannis Evangelium Tractatu laudatus Auguſtinus: *Si dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum, reſpondet, Credo. Et ſignat ſe Cruce Chriſti. Portat in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui*. Creatio igitur Catechumeni habuit ritus varios: Impoſitionem manuum, impreſſionem Crucis in fronte, profeſſionem fidei in JESUM Chriſtum, & inſtructionem de formanda deinceps Cruce per ipſum Catechumenum. Hæc omnia ſunt inchoatæ Chriſtianitatis veri characteres, ideoque ipſorum ſuſceptio faciebat Chriſtianum. Ordo Baptiſmi ſecundùm uſum Æthiopum eleganter ipſos vocat *Parvos ac Novitios Chriſtianos*. Eo ſenſu, quo primæ tonſuræ Clericum Græci appellant *Parvum Papam*. Completa enim Chriſtianitas non niſi à Baptiſmo tribuitur, ideoque hæc præſens eſt novitia dumtaxat & parva. Et ita varia, in ſpeciem adverſa, ſanctorum Patrum loca conciliabis.

De Audientium gradu ſcribit ad ſuum Clerum exul Sanctus Cyprianus: *Optatum inter Lectores* Ep. 24.
Doctorem Audientium conſtituimus. Erant illi quibus jam per Crucis ſignum & generalem fidei profeſſionem creatis Chriſtianis olim dabatur Doctor privatim inſtructurus de Divina ſubſtantia ac providentia. Et quos poſterior diſciplina admiſit ad publicum in Eccleſia verbum. Ipſorum creandorum ritum exponit in Græcorum Euchologio ritus reconciliandi Manichæi: *Mox ipſe hæreticus anathematizans fit Chriſtianus, id eſt, reputatur ut Chriſtianus nondum baptizatus, quales ſolent eſſe Chriſtianorum pueri adhuc baptizandi. Sequenti autem die Catechumenis adnumeratur. Exutum enim illum, & pedibus nudatum inducit, & intra templi fores ad Orientem ſtatuit Sacerdos, & ter in faciem & pectus ejus exſufflans, imponenſque ejus capiti manum, dicit hanc orationem*. Edicit orationem, atque proſequitur: *Iterùm Sacerdos illum inducit in templum, & in faciem & in aures ejus exſufflat, atque exorciſmorum orationes ſubjungit, & rursùs Cruce ſignatum dimittit. Atque deinceps ut Catechumenus ſeu inſtructus in Eccleſia morandi & Scripturas audiendi jus obtinet*. Quem ritum videtur in libris de Symbolo ad Catechumenos laudare & Sanctus Auguſtinus. Inter ipſorum Sacramenta numerat & humilitatem, id eſt, nuditatem pedum. Conſonat in commentario ad quintum Neo-Cæſareenſem Canonem Theodorus Balſamon: *Duo ſunt ordines Catechumenorum. Hi enim nuper acceſſerunt, & ut imperfectiores poſt Scripturarum & Di-*

vinorum Evangeliorum auditionem ſtatim exeunt. Illi verò jam pridem acceſſerunt, & perfectiores facti ſunt. Unde & Orationem, quæ ſit ſuper Catechumenos, exſpectant, & genuflectunt. Quando autem pronuntiatum fuerit, Catechumeni procedite, *tunc & ipſi exeunt.* Alios eſſe audientes, alios dicit Orantes, Subſtratos, ſeu Genu-flectentes: Et illos audire Evangelium ac publicum de ipſo verbum, & tunc dimitti. Uti duplices hos Catechumenos, ita duplicem diſtinguit ipſorum Miſſam ſeu ejectionem. Iſte Manichæi reconciliandi Ordo quàm ſit antiquus, ignoro. Non eſt antiquiſſimus. Oſtendit ſuo tempore gentiles, ac duplicis Divinitatis fabulones hæreticos necdum fuiſſe admiſſos ad publicum Dei verbum. Iſtius enim auditionis jus nequidem Chriſtianis tribuit, ſed ſolis Audientibus. Nempè hac in re mos Eccleſiarum fuit ſemper varius.

Audientium claſſem rectè in duas dividit Theodorus Balſamon. Idipſum lucidè faciunt Canones Nicænus ac Neo-Cæſarienſis. Et idipſum ſupponit Conſtantinopolitanus. Et hinc Orantes ſeu Subſtrati dicuntur ſecundus Audientium ſeu Catechumenorum gradus: Quòd nempè Chriſtiani necdum ſint Audientes. Et hinc in Scholio ad quartum decimum Nicænum Canonem Chriſtophorus Juſtellus Orantes malè exiſtimat eſſe Competentes. Quo in lapſu hæret etiam Cardinalis Cæſaris Baronii hæreticus Exer-
Exercit. 16. citator Iſaac Caſaubonus: *Primò ſiebant Catechumeni, deinde Competentes, poſtremo Fideles & Chriſtiani.*
Lib. 5. cap. 26. Quin & in opere de Clericorum inſtitutione Rabanus Maurus ſecundùm Catechumenorum gradum ſcribit eſſe Competentes. Orantes ergò ſeu Subſtratos laudat in ſecunda ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, affirmans ſolemnes ab Eccleſia preces non ſolùm pro fidelibus fieri in quotidiano Sacrificio, ſed etiam pro Catechumenis, & iſtud lucere ex Diaconi ad Fideles ſolemni voce: *Pro Catechumenis intentè oremus.* Affirmat & Sacerdotem pro illis orare, & ipſos etiam illo præeunte orare aliqua. Solemnem Sacerdotis orationem adducit, exponit inſigniter atque adjungit: *Poſt hæc omnia jam eos ſurgere Sacerdos jubet. Nam cùm priùs eos humi proſtratos tenuiſſet, poſteaquam ea petierunt quæ petierant, ac fiducia perfuſi ſunt, jam eos ſermo erigit, ut deinceps ipſos quoque precationem ad Deum amplecti jubet. Siquidem quædam nos dicimus, quædam rursùs ipſis committimus, petitionis nempè januas ipſis aperientes, non ſecùs videlicet ac pueros primùm ipſi docemus, poſt autem ipſos quoque loqui jubemus.* Quoniam igitur & ipſi aliqua orarent, & aliqua ſuper ipſos Proſtratos à Sacerdote orarentur, antiqui Canones & Patres ipſos appellaverunt Proſtratos, Genuflectentes, atque Orantes. Pergit laudatus Chryſoſtomus: *Demum eos capita inclinare jubemus, hoc videlicet argumento preces exauditas eſſe ſtatuentes, quod Deus eos benedicat. Neque enim homo eſt qui benedicit, ſed per illius manum & linguam Regi ipſi capita eorum offerimus.* Erat itaque non ſimplex, ſed ſolemnis oratio cum impoſita Sacerdotali manu. Poſtulabat ipſis à Domino Deo aperiri cordium aures, inſtillari veritatis verbum, juſtitiæ Evangelium detegi, atque ita ipſos ad futura myſteria ac ipſum tandem Chriſtianæ Regenerationis donum per Divinam miſerationem aptari. Quas preces frequenter laudat, præſertim in Scriptis adversùs Pelagianos, etiam Sanctus Auguſtinus.

Quòd Initiati fuerint diſtincta claſſis, lucet ex ipſorum ad hanc electione & tranſmiſſione. Eccleſiaſtica enim electio non poteſt non eſſe ab inferiori gradu ad ſuperiorem tranſmiſſio. *Feria quarta* quartæ in Quadrageſima ſeptimanæ, inquit in libris de Divinis Officiis Abbas Rupertus, *Sacramenta quæ novæ Eccleſiæ propria ſunt, inchoantur, quibus ſacroſancta Redemptoris noſtri Paſſio, venerabili ritu ſanctæ Eccleſiæ, in filiis adoptionis ſanctam novitatem Spiritus operando figuratur.* Lib. 4. cap. 18.
Et infrà: *Quarta ergò feria novæ Eccleſiæ celebrantur initia, quæ appellantur Scrutinia. Scrutinia verò dicuntur à ſcrutando, videlicet quia perſcrutandum erat in his qui accedebant, ne qua radix amaritudinis ſubeſſet, velut fuit in Simone Mago.* Proſtratorum preces non erant niſi preces: Verùm poſt mediam Quadrageſimam incipiebant addi jejunia, ſaccus, cilicium, nudi pedes, variaque & dura pœnitentiæ opera, necnon exorciſmi, inſufflationes, & varia Catechumenorum Sacramenta, quibus ſuorum Novitiorum voluntatem, an verè ex Deo eſſet, ſcrutabatur Mater Eccleſia, atque examinabat. Examen hoc laudat Doctor noſter etiam in libro de Baptiſmo: *Ingreſſuros* Cap. 19.
Baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retrò delictorum. Et in litteris ad Himerium Tarraconenſem Archi-Epiſcopum Siricius Pontifex mandat ad Baptiſma admitti illos ſolos Catechumenos, *qui ante quadraginta vel ampliùs dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus atque jejuniis fuerint expiati.* Et quarta Synodus Carthaginenſis ſtatuit:
Baptizandi nomen ſuum dent, & diu ſub abſtinentia Cap. 80.
vini & carnium, ac manus impoſitione crebra examinati, Baptiſmum percipiant. Et in libro de Fide & Operibus Sanctus Auguſtinus: *Uſque adeò* Cap. 5.
diſſimulamus, ut non intueamur oculis noſtris, qui per annos ſingulos ad Lavacrum Regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, ſcrutantur? Eos affirmat in continuis duriſſimæ pœnitentiæ operibus eſſe ferventiſſimos. Hinc Alipium, nobilem Juvenem, cunctis Scrutiniorum diebus per glaciale Mediolanenſis Regionis ſolum ambulaſſe auſu inſolito nudipedem, ſcribit in libris confeſſionum. Firmam ſuam pro Chriſto Domino mentem iſtis actibus tunc quiſque ſatagebat profiteri. Pergit Auguſtinus in ſecundo libro de Symbolo ad Catechumenos:
Nondum quidem adhuc per ſacrum Baptiſmum renati eſtis, ſed per Crucis ſignum in utero ſanctæ Ma- Cap. 1.
tris Eccleſiæ jam concepti eſtis. Agit itaque hæc mater congruis alimentis priùs paſcere quos portat, ut poſt partum lætetur ſe tales ſuſcepiſſe, quos ſpiritualiter nutriat. Quid eſt, Dilectiſſimi, quod in vobis

cele-

celebratum eſt: Quid eſt quod hac nocte circa vos actum eſt, quod præteritis noctibus actum non eſt? Ut produceremini in conſpectum totius Eccleſiæ, ibique cervice humiliata, quæ malè antea fuerat exaltata, in humilitate pedum, cilicio ſubſtrato, in vobis celebraretur examen, atque ex vobis extirparetur Diabolus ſuperbus, dum ſuper vos invocatus eſt humilis Altiſſimus Chriſtus. Deſcribit Scrutinium ac exorciſmum Sabbathi ſancti, duriſſimum inter omnia ſeptem. Quod per impreſſum Crucis ſignum creemur primi gradus Catechumeni, ſeu nondum renati, ſed dumtaxat concepti ac parvi Chriſtiani, affirmat luculentiſſimè. Affirmat Scrutinia eſſe noſtrum in materno Eccleſiæ utero alimentum, quo pedetentim nutrimur, augemur, organizamur, ac tandem formamur in magnos Chriſtianos. Scrutinia ſunt materni in nos influxus perfectiora ac vivaciora exordia. Hinc Patres ipſa appellant Chriſtianitatis Initia, & ipſa percipientes vocant Initiatos. Hinc lucet & ratio, cur Clinici olim fuerint irregulares. Quod nempè ipſorum de Chriſto Domino mens laudatis Scrutiniis non fuiſſet plenè examinata, adeoque nec ſatis probata.

Competentium gradum, omnibus notiſſimum, exponit in opere de Eccleſiaſticis officiis Sanctus

Lib. 2. cap. 21. Iſidorus Archi-Epiſcopus Hiſpalenſis: *Competentes ſunt qui jam poſt doctrinam fidei, poſt continentiam vitæ, ad gratiam Chriſti percipiendam feſtinant, ideoque appellantur Competentes, id eſt, gratiam Chriſti petentes. Nam Catechumeni tantùm audiunt, necdum petunt. Sunt enim quaſi hoſpites & vicini fidelium. De foris audiunt myſteria, audiunt gratiam, ſed adhuc non appellantur fideles. Competentes autem jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, id eſt, inſtruuntur inſtructione fidei & Sacramentorum. Eis ſalutare Symbolum traditur, quaſi Commonitorium fidei.* Hoc eſt, quaſi character Chriſtianæ confeſſionis. Omnia noſtrorum Sacramentorum non tantùm ſignificata ſeu effectus, ſed inſuper elementa, ac illis per Eccleſiam appoſita ſacrorum rituum veſtimenta iſtis exponuntur, de quibus hucuſque fuerat eis dictum: *Norunt fideles.* Conſonat in libro de fide & operibus Sanctus Auguſtinus: *Quod fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes, Catechumenorum nomen accipiant, hoc fit multò diligentiùs, & inſtantiùs his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum Baptiſmum ſua nomina*

Serm. 116. de diver. *jam dederunt.* Et in ſermone ad Competentes: *Competentes iſti quare hoc nomine vocentur primùm agnoſcant. Competentes dicuntur ſimul petentes, quomodo conſidentes nihil eſt aliud quàm ſimul ſedentes.* Quare voculam *Simul* Sanctus Iſidorus debuerat addidiſſe. Et in epiſtola ad Sanctum Fulgentium Ruſpenſem Epiſcopum de Æthiopis Baptiſmo ſcribit Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Archi-Diaconus: *Æthiops Sacramentis Eccleſiaſticis imbuendus traditur ad Eccleſiam. Fit ex more Catechumenus. Poſt aliquantum nihilominùs temporis, propinquante ſolemnitate Paſchali, inter Competentes offertur, ſcribitur, traditur. Univerſa quoque Religionis Catholicæ veneranda myſteria cognoſcens atque percipiens, celebrato ſolemniter Scrutinio, per exorciſmum contra Diabolum vindicatur, cui ſe renunciare conſtanter, ſicut hic conſuetudo poſcebat, auditurus Symbolum profitetur. Ipſa interim ſancti Symboli verba in conſpectu fidelis populi clara voce pronuncians, piam regulam Dominicæ orationis accepit, ſimulque jam & quid crederet, & quid oraret intelligens, futuro Baptiſmati parabatur.*

Ex his verbis habemus varia. Primò, quòd Initiatus ad Competentium gradum non ſine ſolemnitate tranſiret, ſed per futurum ſui Baptiſmi Patrinum ſolemniter offerretur Epiſcopo, ac traderetur. Secundò, quòd hoc fieret circa Paſcha, nempè Sabbatho ante Dominicam Palmarum. Ipſa enim Dominica tradebatur Competentibus Symbolum ac exponebatur. Hinc vix ullus eſt antiquus Eccleſiæ ſcriptor Epiſcopus, cujus ad iſtam Dominicam non exſtet ſermo de tali materia. Tertiò habemus, quòd tranſitus hic fiaret celebrato ſolemniter ſcrutinio. Hinc enim ſupra nobis dixit & Sanctus Auguſtinus, quòd omnia Catechumenorum exercitia inſtantiùs ac diligentiùs fierent in Competentes. Quartò habemus, quòd illis primò Symbolum, ac poſtmodo oratio Dominica traderetur, adeoque quòd utrumque Cathecumenis eò uſq; celaretur. Et huc reſpicit in ſecunda ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Catechumeni nondum lege ſancitam, atque à Chriſto invectam precationem habent, nondum liberiùs orandi poteſtatem nacti ſunt, ſed aliorum, qui myſteriis initiati ſunt ope indigent.* Et ſtatim infrà: *Cordium aures occluſæ & obturatæ adhuc ſunt; neque enim arcana myſteria audierunt, ſed procul ac eminùs ſtant. Atque etiam ſi audiant, non tamen quid dicatur intelligunt.* Affirmat Dominicam Orationem ab ipſis ignorari, nec illius quidquam eſſe ab eis auditum niſi ſub conſueto velamine: *Norunt fideles.* Ex eodem fundamento Symbolum ante, Dominica oratio nonniſi poſt Baptiſmum ab illis reddebatur. Quia nempè fides Regenerationem præcedit, hujus autem præfatio, *Pater noſter*, dici non poteſt niſi à filiis, ſeu jam regeneratis ac juſtificatis. Ultimum Scrutinium fiebat Sabbatho ſancto, & tunc ſtatim celebrabatur electio ad Baptiſmum. Quòd tempus, quos ritus, quem ordinem habuerint ſinguli gradus, eſt operoſa quæſtio. Ego ipſos eſſe quinque debeo hic dumtaxat oſtendere. Ita enim abundè oſtendo ipſos peſſimè à Marcionitis ac aliis hæreticis fuiſſe neglectos ac confuſos, ideoque noſtri Doctoris de iſtis querelam eſſe juſtiſſimam.

Sanctus Ado Viennenſis Epiſcopus in libello de ſanctorum Apoſtolorum ac aliorum Domini Diſcipulorum feſtivitatibus ſcribit: *Sancti Proceſſus & Martinianus, cùm eſſent Magiſtriani Mello-Principi, & viderent mirabilia, quæ faciebat per Beatos Apoſtolos ſuos Petrum & Paulum Dominus* JESUS *Chriſtus, &c.* Ipſorum converſionem exponit, & adjungit factos tandem eſſe *Mello-Chriſtianos.* Quæſtio eſt, Quid ſit Mello-Chriſtianus?

nus? Reſpondeo hæc rectè exponi ab Heriberto Roſvveydo in Notis ad dictum libellum: *Mello-Peinceps eſt, qui proximus eſt Peincipatui, qui proximè futurus Princeps. Ita* μελλω *Græcum & cum Græcis & cum Latinis vocibus componitur. Geæca compoſitio notior, quàm ut exemplis ſit opus. Latina racior. Apud Juriſconſultos babes Mello-Peoximos. Id eſt, qui proximi ſunt ad gradam Peoximatus, ſeu qui fatuci ſunt Peoximi Scrinioeum. Sed quis bic Princeps, cui Proximus eſt Mello Princeps? Tuebat bic vaeia Codicum lectio. Si legas;* Qui erant Magiſtriani Mello-Principi, *vel* Mello-Principis, *videtne inſinuari, quòd Peoceſſus & Maetinianus mox futuro Principi alicui inſervierint. Sed nullus Neronis Impeeio proximus fuit ad Peincipatam. Quippè cui nec proles fuit, nec allas alias adoptatur. Veriorem lectionem banc quorumdam manu-ſcriptorum judico:* Qui etant Magiſtiani Mello Ptincipes. *Inter Magiſtrianos, ſeu Agentes in rebus quidam erant Principes. Hinc qui proximi erant buic Principatui, dicebantue Mello-Peincipes. Tales eeant Proceſſus & Martinianus.* Igitut Mello-Chriſtiani ſunt plenæ Chriſtianitati ptoximi Competentes ac Electi.

Ipſæ mulieres bæreticæ, &c.

Agit Doctot in Ponticas præſertim Marcionitatum mulieres, de quibus ſcribit & in primo libro
Cap. 1. adversùs Marcionem: *Nec fæminæ ſexu mitigantur ſecundùm pudorem, ubera excludant, penſum ſecuribus faciunt, malunt militare quàm nubere.* Et
Hæreſ. 42. Cap. 4. Sanctus Epiphanius: *Maecion mulierculis baptizandi poteſtatem facit.* Iſto quaſi beneficio feroces ac virilium functionum ambitioſas mulieres ſibi obligavit. Pontica quoque erat Pythoniſſa illa, de qua ad Sanctum Cyprianum ſcripſit Sanctus Firmilianus Cæſareenſis in Cappadocia Epiſcopus Exatchus Ponticæ Diœceſeos: *Inter cætera, quibus plurimos deceperat, boc etiam frequenter auſa eſt, ut invocatione non contemptibili ſanctificaee ſe panem, & Eucbariſtiam faceee ſimularet, & Sacrificium Domino ſine Sacramento ſolitæ precationis offerret. Baptizavit quoque multos, uſitata & legitima verba interrogationis aſurpans, ut nil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula videeetur.* Et de Marco
Lib. 1. cap. 9 Gnoſtico ſcribit Sanctus Irenæus: *Marcus mulieribus dans calices mixtos, ipſas jubet gratias agere ſe præſente.* Et de Pepuzianis hæreticis ſcribit
Hær. 49. cap. 2. laudatus Epiphanius: *Apud Pepuzianos mulieres ſunt Epiſcopi & Peesbyteri, & ad cæteeos gradus adlegantur, nullum ut ſexus diſcrimen ſervetur. Nam in Chriſto* JESU *neque mas*
Hær. 78. cap. 23. *eſt, neque fæmina.* Et in alio loco: *Ferunt mulierculas quaſdam in Arabia, quo è Thracia profectæ erant, novum dogma commentas fuiſſe, adeò ut in Deiparæ Virginis nomen & bonorem Collyriden ſive tortam panis ſacrificantes offeeant, & conventus babeant in ſanctiſſimæ Virginis nomen, modum omnem prætergreſſos, neſariam rem & cum Dei contumelia conjunctam aggredi, boc eſt, in illius nomen per mulieres Sacrificia facere.* Errones iſtos vocat Col-
Hær. 9. lyridianos, qui Mariæ Sacrificium offerunt. Nec dumtaxat hanc Dei contumeliam, ſed & iſtam mulierum audaciam teſutat inſigniter oſtendens ſacrificandi poteſtatem nec Evæ à Domino Deo, nec matri Virgini à Chriſto Domino, nec ulli unquam fœminæ Divinitùs permiſſam. Et in libro de velandis virginibus Septimius noſter ſcri-
Cap. 9. bit: *Non peemittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offeeee, nec allius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare.* Affirmat iſto Canone ligari & ſactas Virgines, ideoque & meritò quæritur ipſum à quibuſdam hæreticis violari. Ex eodem dudum poſt ſexta Pariſienſis Synodus, Iſaac Lingonenſis Epiſcopus, ac alii Patres ſolemnem Euchariſtiæ diſtributionem, aut ad infirmos delationem mulieribus rigidiſſimè interdixerunt.

Audeant docere.

Hanc procacitatem in neſcio qua Cajanæ hæreſis Sectatrice Quintilla Doctot damnat in libro de
Cap. 1. Baptiſmo: *Quintilla monſtroſiſſima, cui nec integrè quidem docendi jus erat.* Et in alio ejuſdem libri
Cap. 17. capite: *Petulaatia mulierum, quæ uſurpavit docere.* Et ſtatim infra: *Quòd ſi quæ Paulo perperàm adſcripta ſunt, ad licentiam mulierum docendi defendunt, ſciant in Aſia Presbyterum, qui eam Scripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans convictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe.* Hic eſt ille liber, de quo in illuſtrium virorum catalogo Sanctus Hieronymus: *Periodos Pauli & Tbeclæ, ac totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas Sceipturas camputamus.* Ex iſto igitur libro monſtroſa Quintilla ſibi arrogabat jus docendi. Etiam memorata per Sanctum Firmilianum Pythoniſſa audaciſſimè docebat. Et adversùs Pelagium Hæreſiarcham ſcripſit San-
Lib. 1. cap. 9. ctus Hieronymus: *Tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco ſcripſeeis ſcientiam legis etiam fæminas debere babere, cùm Apoſtolus doceat eſſe tacendum mulieribus in Eccleſia, & ſi quid ignorent, domi viros ſuos debere conſulere.* Et de Beguinis ad Viennenſem Synodum dixit Clemens quintus Pontifex: *Earum aliquæ, quaſi perductæ in mentis inſaniam, de ſumma Trinitate ac Divina eſſentia diſputant & prædicant, & circa fidei articulos & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones Catbolicæ fidei contrarias introducunt, & multos ſuper bis decipientes ſimplices, eos in errores diverſos inducunt.* Et de translato per Martinum Lutherum in linguam Germanicam novo Teſtamento, & exindè nata Lutheranarum mulierum procacitate ſcribit Joannes Cochlæus: *Mi-*
Anno 1522. *rum in modum multiplicabaeur per calcograpbos novum Teſtamentum Lutbeei, ut etiam ſutores & mulieres, & quilibet Idiotæ, qui Tbeutonicas litterae utcumque didicerant, novum illud Teſtamentum tanquam fontem omnis veritatis, avidiſſimè legerent, quicumque Lutberani erant, illudque ſæpè legendo*

memoriæ commendarent, in ſinu ſecum portantes codicem. Ex quo tautam ſibi intra paucos menſes doctrinam arrogabant, ut non ſolùm cum laicis partis Catholicæ, verùm etiam cum Sacerdotibus & Monachis, atque adeò etiam cum Magiſtris & Sacræ Theologiæ Doctoribus diſputare de fide & Evangelio non erubeſcerent. Quinimmò repertæ ſunt mulierculæ, quæ propoſitis thematibus ac editis libellis Theutonicis auſæ fuerant ultrò provocare, & quidem procaciſſimè inſultantes, ignorantiamque improperantes, & contemptui habentes viros, non modò laicos atque privatos, verùm etiam quoslibet Doctores, Licentiatos totius facultatis Theologicæ ac totas etiam Univerſitates. Quod de Argula nobili quadam muliere compertum habetur. Eoque audaciæ, abjecto muliebri pudore, proceſſerunt mulieres Lutheriſcæ, ut etiam jus officiumque publicè in Eccleſia docendi ſibi uſurparent. Nec deeraat eis defenſores viri Lutheriſci, qui dicerent Paulum eatenùs prohibuiſſe docendi munus mulieribus, quatenùs adſint viri, qui docere ſciant ac valeant. Et Lutherus ipſe longè anteà docuerat mulieres quoque Chriſtianorum verè Sacerdotes eſſe, atque adeò quidquid è Baptiſmo repſerit, eſſe verè Papam, Epiſcopum, Sacerdotem.

Adversùs hanc procacitatem concludit in libro de Baptiſmo noſter Septimius: *Quàm fidei proximum videretur, ut Paulus docendi daret fœminæ poteſtatem, qui nec diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit? Taceant, inquit, & domi maritos ſuos conſulant.* Viros & mulieres loco in Eccleſiis ſeparabat antiqua diſciplina, ac de ipſa in ſuarum catecheſeon præfatione ſcribit Sanctus Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus: *Adſidentes viri librum aliquem utilem habeant, & alius quidem legat, alius verò audiat.* Ejuſmodi lectionem interdicit mulieribus: *Virgo oret vel legat, ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perveniat.* Quod ipſum adversùs Priſcillianiſtarum mulieres ſtatuit Synodus Cæſar-Auguſtana. Et hinc Imperatoris Licinii legem, quæ fœminas non à Sacerdotibus in Eccleſia, ſed ab aliis fœminis doceri ſanxit in privatis domibus, fuiſſe irriſam ab omnibus & exſufflatam, affirmat in Magni Conſtantini vita Euſebius Cæ-
Lib. 1. cap. 46. ſareenſis. Ita & Trullana Synodus proſcripſit abuſum, de quo in ſuis ad ejus ſeptuageſimum Canonem Scholiis Theodorus Balſamon: *Mulieres quædam eo tempore Divinas Scripturas legere præ ſe ferentes, concionari ſæpè aggrediebantur, & ad interrogationes ac reſponſiones ſe comparare, quod quidem Patribus nequaquam mulieribus convenire viſum eſt, & ideò prohibitum. Privatim autem prudentiores interrogare de aliquibus animæ conducibilibus, vanum ac ineptum non eſt.* Quod prudentiores mulieres, viduæ præſertim, docere privatim poſſint ſuam familiam, frequenter tradit Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Gentiles fœminæ fidem & Chriſtianitatem, & varia quandoque de ipſis dubia, non proximè ab Epiſcopo ſolebant poſtulare, ſed ab Eccleſiaſticis viduis, ſimilium rerum mediatricibus ac directricibus. Et tamen etiam his, ne de ullo dogmate, niſi de Dei unitate adversùs Idololatriam reſpon- Lib. 3. cap. 5. Punc. 6.
deant, ac omnia alia remittant ad Eccleſiæ Præpoſitos, mandant Apoſtolicæ conſtitutiones. Et dant cauſam: *Quod Dominus ſolos Apoſtolos, nullam autem fœminam, ne ſuam quidem matrem, miſerit ad prædicandum.* Ex qua regula neſcio quam in Francia Prædicatricem fuiſſe ex Syno- Annò 847.
dali mandato publicè flagellis coercitam & caſtigatam, teſtantur Annales Francorum Fuldenſes. Ex eadem Beguinas damnavit Clemens quintus, Jeſuitiſſas extinxit Urbanus octavus.

Contendere.

Ita de ſeductis per Arium Hæreſiarcham mulieribus ſcribit ad Sanctum Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum Sanctus Alexander Patriarcha Alexandrinus: *Seditiones in nos quotidiè concitare, graves ciere perſecutiones, & interdum lites per mulierculārum impurarum ſermones, quas ipſi in fraudem impulerunt, intendere, nonnunquam religionem Chriſtianam, ſuas tenellas Juvenculas per ſingulas plateas turpiter circumducendo, graviſſimis contumeliis afficere Ariani non dubitarunt.* Alludit ad blaſphemas cantilenas, quas in Dei Verbi contumeliam Arius compoſuerat, & per ſuæ Parochiæ puellas curabat in compitis decantari. Et de eodem poſt Imperatoris Conſtantini mortem invaleſcente vitio ſcribit Socrates: *De opinione illa in ipſa Regia Cubicularii Regii cum mu-* Lib. 2. cap. 2.
lierculis digladiantur, in ſingulis urbis familiis litigioſa diſſerendi eſt pugna. Affirmat exindè fuiſſe concuſſum omne Orientis Imperium, & adjungit cauſam: *Nam cuique cauſam tumultus ſciſcitanti anſa ſtatim diſceptandi oblata eſt, & quiſque non modò de ea rogare, verùm etiam pugnaciter diſſerere voluit. Ita contentionis procella tranquillus rerum ſtatus labefactatus eſt penitùs atque everſus.* Cunctas hæreticas mulieres in contendendi ac diſputandi audacia ſuperarunt Pelagianæ, ideoque ipſas Sanctus Hieronymus rectè & meritò appellavit Amazonas. Nullam unquam ſine cooperatrice mulierum audacia fuiſſe in Eccleſia hæreſim, idem Doctor demonſtrat in litteris ad Cteſiphontem: *Simon Magus hæreſim condidit Helenæ mere-* Cap. 2.
tricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum operator, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philumenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius ut orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca, duxit in foveam, ſucceſſoremque ſibi Priſcillianum habuit. Etiam in Paradiſo Eva marito Adæ prædicavit ac perſuaſit Hæreſim

Pela-

Pelagianam. Hinc prædicandi munus eſt meritò
interdictum mulieribus.

Exorciſmos agere.

Quod etiam Judæi ex ſuæ gentis more Exorci-
ſtas habuerint, & hi per Divini nominis invo-
Cap. 12. cationem ejecerint Dœmonia, affirmat in San-
cti Matthæi commentariis Beatus Hieronymus.
Invocationes iſtas ſeu adjurationum formulas
fuiſſe à Salomone Rege compoſitas aſſerit in libro
Cap. 34. de Divinis Officiis Alcuinus Flaccus. Quidquid
de illo, de iſtis Exorciſtis ſcribit in Apoſtolo-
Cap. 19. rum Actis Sanctus Lucas: *Tentaverant quidam de
circumeuntibus Judæis Exorciſtis invocare ſuper eos,
qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini* JESU,
dicentes, Adjuro vos per JESUM, *quem Paulus
prædicat. Erant autem cujuſdam Scevæ Judæi
Principis Sacerdotum ſeptem filii, qui hoc faciebant.
Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis:* JE-
SUM *novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?
Et inſiliens homo in eos, in quo erat Dæmonium peſ-
ſimum, & dominatus amborum, invaluit contra
eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo
illa.* Ita quemdam ſamulum Heliopolitanum,
dum Exorciſtam Monachum jocosè ſimulat, cum
ſimiliter Dœmoniacos ludentibus puellis fuiſſe in-
Cap. 9. vaſum à vicino Dœmone, narrat in Monaſtica
hiſtoria Theodoretus. De Judæorum interim
exorciſmis rem admirabilem refert Sanctus Ire-
Lib. 2. næus: *Divini nominis invocationem tremit univerſa
cap. 5. creatura, & Principatus, & Potentia, & omnis
ſubjecta virtus. Et propter hoc Judæi uſque nunc
hac ipſa advocatione Dæmonas effugant, quando
omnia timeant invocationem ejus, qui fecit omnia.*
Conſonat in Dialogo adversùs Tryphonem in
Judaiſmo pertinacem Sanctus Martyr Juſtinus:
*Si Dæmonia adjuretis, per omnia nomina veſtrorum
Regum, Prophetarum, Patriarcharum, atque Ju-
ſtorum, nullum non erit contumax. At ſi quis ve-
ſtrum adjuret ea per Deum Abraham, Iſaac, &
Jacob, fortaſſe obſequentur. Utuntur tamen veſtri
Exorciſtæ arte hac, ſicut & gentes, adhibendo ſuf-
fitus & alligamenta.* Disertè affirmat à perfidis
etiam Judæis olim fuiſſe ejecta Dœmonia, & gra-
tiam durasse, uſque dum illi avitam pietatem ad-
jectis Paganorum Idololatricis ritibus macularint.
Deficientem gratiam ſic adjuvare ſperarunt, at
totam perdiderunt. Et jacturam hanc ſuo tempo-
re fuiſſe recentem, abundè Juſtinus inſinuat.
Divinum nomen, adinſtar noſtrorum Sacramen-
torum, operati operis virtutem quodammodo
habet: Hinc etiam ab impiis invocatum, licet
non ſtata lege, quandoque tamen admirandos
operatur effectus. Omnipotentiam ſuam ac bo-
nitatem apud omne hominum genus manifeſtat
ac effundit.

De Chriſtianis Exorciſtis habent Romani Cle-
Lib. 8. mentis Apoſtolicæ Conſtitutiones: *Exorciſta non
cap. 26. fit ordinatione. Certare enim pro præmio Exorciſtæ,
liberæ voluntatis eſt, ac Dei gratiæ per Chriſtum &*

adventum Spiritus Sancti. Exorciſtæ munus vult
eſſe, non Eccleſiaſticum Ordinem, ſed gratis
datam gratiam, qualis eſt gratia ſanitatum aut
aliorum miraculorum. Conſonat in homiliis ſu-
per primam ad Corinthios epiſtolam Sanctus Jo-
annes Chryſoſtomus. Conſueta enim in Baptiſ-
mo donari Chariſmata laudat, atque adjungit:
Quantam Apoſtoli hoc quoque primum ſignum accepe- Hom. 29.
*rant, fideles quoque hoc accipiebant, nempè lingua-
rum. Et non hoc ſolum, ſed etiam multa alia.
Nam & mortuos multi excitabant, & Dæmones ex-
pellebant, & plura alia faciebant miracula. Quin
etiam multa alia habebant Chariſmata: Alii paucio-
ra, alii plura.* Lucidè dicit non in Ordinatione,
ſed ſtatim, licet non cunctis, in Baptiſmo do-
natam virtutem hanc, adeoque ipſam non Cleri-
calem fuiſſe gradum, ſed gratiam gratis datam.
Quod ipſum manifeſtè tradit in libro Apologeti-
co noſter Doctor: *Edatur hic aliquis ſub Tribuna-
libus veſtris, quem Dæmone agi conſtet, juſſus à
quolibet Chriſtiano loqui Spiritus ille, tam ſe Dæmo-
nem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.*
Ejuſmodi Dœmonum adjurationes atque ejectio-
nes affirmat eſſe quotidianas, eò quòd omnis il-
la mendax & ficta Paganorum Divinitas ſubſit
non tantummodo noſtris Clericis, ſed quibusli-
bet Chriſtianis. Iſtud ipſum affirmat in libro ad
Scapulam Africæ Proconſulem, ac exemplis de-
monſtrat: *Quanti honeſti viri, de vulgaribus* Cap. 2.
enim non dicimus, aut à Dæmoniis aut valetudini- & 4.
bus remediati ſunt. Ipſe enim Severus Imperator,
Pater regnantis tunc *Antonini* Caracallæ, *Chri-
ſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtia-
num, qui Torpacion cognominabatur, Evodiæ
Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curave-
rat, requiſivit, & in Palatio ſuo habuit uſque ad
ejus mortem.* Proculus ille erat omninò laicus.
Etenim Clericum eſſe laicæ mulieris Procurato-
rem, nullo modo permittebat diſciplina iſtius
temporis. Et in libro de Corona militis Doctor
affirmat Chriſtianum non poſſe fieri militem, &
adjungit cauſam: *Excubabit pro templis, quibus* Cap. 11.
*renunciavit? Et quos interdiu Exorciſmis fugavit,
noctibus defenſabit?* Nequaquam ad ſolos Cleri-
cos, ſed manifeſtè concionatur ad omnes Chri-
ſtianos. Eoſdem alloquitur in libro ad Caſtita-
tem exhortatorio: *Si Dæmonem adjurat, confidit
ſibi.* Plura habet iſtiuſmodi loca. Quin igitur
omnis tunc Chriſtianus exorciſmos ageret, non
eſt dubitandum.

Duravit hæc forma uſque ad Synodum Laodi-
cenſem: *Quod hi, qui non ſunt ab Epiſcopis ordi-* Can. 26.
*dinati, tam in Eccleſiis quàm in domibus exorciza-
re non poſſint.* Exponit Theodorus Balſamon:
*Quidam aggrediebantur adjurare, hoc eſt, catechi-
zare Infideles, qui hoc per Epiſcopalem manuum
impoſitionem non acceperant, & cùm accuſarentur,
contendebant ſe hoc in Eccleſia non feciſſe, ſed in
quadam domo, & ideò ſe in nullum delictum incidiſ-
ſe, & nulli pœnæ obnoxios conſervari, æquum cen-
ſebant. Dicunt ergò Patres, quod etiam adjurare
eſt Eccleſiaſticum Miniſterium, nec oportet quempiam
hoc aggredi, niſi ab Epiſcopo fuerit promotus.* In-

tellexit Canonem non de Energumenorum, ſed de Catechumenorum Exorciſmis atque Scrutiniis. Hos enim non per quemvis Clericum, longè minùs per laicum, ſed per ſolos Sacerdotes agi ſolemniter in Eccleſia, ſanxit Apoſtolica traditio, ideoque nulla veri ſpecies ſuadet tantæ diſciplinæ prævaricationem tunc fuiſſe graſſatam in Orientali Eccleſia. Linguarum donum fuiſſe temporalem locutoræ quandoque omnibus linguis Eccleſiæ promiſſivam Prophetiam, ideoque ad hujus adimpletionem illud ceſſaſſe, & iſtam ceſſationem omninò conveniſſe, frequenter docet Sanctus Auguſtinus. Non in uno apud omnes gentes temporis puncto, ſed pedetentim ceſſavit iſta gratia. Sic & alia Chariſmata. Eodem modo poſtquam avita in adjuvandis Dæmoniis gratia cœpit vacillare, Exorciſmos componere, & ad ipſos ex totius Chriſtianitatis ſeu Sanctorum Communionis perſona dicendos conſecrare, aut deputare Exorciſtas Clericos cœpit Eccleſia: Et quod dudum per infallibilem poteſtatem dedetat, jam per fallibiles preces à Divina Clementia ſupplicare. Latina conſecravit, Græca Eccleſia dumtaxat deputavit Exorciſtas: Utraque iſtud opus laicis rigidè interdixit. Quod eos Africana Eccleſia ad imponendas Energumenis manus conſecratit, lucet ex quarta Synodo Carthaginenſi.
Cap. 7. Græci nullum habent, nec unquam habuerunt minorem Ordinem, niſi ſolum Lectoratum: Hinc apud ipſos manum iſtam ſoli ſemper impoſuerunt Sacerdotes. Laudati enim Laodiceni Canonis verba, *Qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati*, in
Cap. 6. Græco ſermone nequaquam conſecrationem important, ſed ſolam deputationem. Eandem formam dudum fuiſſe ſervatam in Romana Eccleſia, demonſtrat epiſtola Innocentii primi Pontificis ad Decentium Epiſcopum Eugubinum.

Dominus Nicolaus Aletenſis Epiſcopus non ita pridem edidit Scholia in Ritualem Romanæ Eccleſiæ librum, quæ Clemens nonus durè damnavit. Omnia exemplaria proſcripſit ad ignes. Inter proſcriptionis cauſas poſſit fuiſſe & hic articulos: *Expediret, ut Energumenorum Exorciſmi deinceps non fierent per Presbyteros, ſed per minores Clericos exorciſtas. Quia dum per Presbyterum fiunt, nimius honor impenditur Diabolo.* Eſt articulus erroneus, ridiculus, contrarius antiquis moribus omnium ſub cœlo Eccleſiarum. Etenim meam de Orientali Eccleſia aſſertionem confirmat in eruditis ad iſtius Eccleſiæ Euchologium ſcholiis Græcorum rituum peritiſſimus Ja-
Fol. 239. cobus Goar: *Exorciſtæ apud Græcos ex antiqua traditione ſunt ſoli Sacerdotes.* Et infra: *Ordinatus* apud Græcos *Lector ſacris altaris foribus adſtat, legendo Evangelio Cereum præfert, Scripturam ſacram legit, atque Energumenis ex Pontificis commiſſione, quæ nunc tantùm Sacerdotibus demandatur, manus poſſet imponere.* Non imponit, ſed poſſet imponere. Et adjungit iſtum eſſe ſenſum Canonis Laodicenſis. Et laudatum primi Innocentii Decretum volo verbatim adducere: *De his*
Epiſt. 1. cap. 6. *baptizatis, qui poſtea à Dæmonio corripiuntur, quæſivit Dilectio tua, ſi à Presbytero vel Diacono poſſint aut debeant conſignari? Quod hoc niſi Epiſcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omninò non eſt, niſi Epiſcopus authoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel à Presbytero, vel à cæteris Clericis imponatur. Nam quomodo id fieri ſine magno labore poterit, ut longè conſtitutus Energumenus ad Epiſcopum deducatur, cum ſi talis caſus ei in itinere acciderit, perferri ad Epiſcopum, nec referri ad ſua facilè poſſit?* Energumenos exorcizare erat tunc à minoribus Clericis adeò alienum, ut plures Italorum Epiſcopi cenſuerint privativè ſpectare ad ſeſe ſolos. Et ſine ſingulari Epiſcopi mandato non poterat fieri. Nequidem à Presbytero. Et in primo officiorum libro ſcribit Sanctus
Ambroſius: *Alius Clericus diſtinguendæ lectioni aptior, alius Pſalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant Spiritu, ſollicitior, alius Sacrario opportunior habetur. Hæc omnia ſpectet Sacerdos, & quot cuique congruerit, id officii deputet.* Loquitur de pleno univerſi Cleri corpore, ideoque & de Presbyteris. Et quod etiam Sanctus Bernardus ac Sanctus Norbertus, ſummi Gallicanæ Eccleſiæ Presbyteri, Energumenos exorcizaverint, eſt omnibus exploratum. Sub Innocentii tertii Pontificatu quædam propè Genuam civitas fuit plena Energumenis, ob enormes blaſphemias in Deiparam Virginem. Quod ipſos quidam Fol. 785.
è Ciſtercienſi ordine Abbas exorcizaverit atque purgaverit, teſtatur Rogerus Hovedenſis. Habemus plurima iſtiuſmodi exempla. Cap. 44.

Quin imò primitivæ Eccleſiæ Epiſcopi iſtam poteſtatem non ſolummodo delegabant ſuis Presbyteris, ſed & ipſi exercebant. Hoc demonſtrat antiqua & Latinæ & Græcæ Eccleſiæ Liturgia. Etenim poſt ſolemnem ſermonem Epiſcopus ſolemnes orationes ac manus impoſitiones dabat ſuper Energumenos, Pœnitentes, & Catechumenos. Et primæ non erant aliud quàm exorciſmi. Et omninò fiebant per ipſum Epiſcopum. Et de Sancto Anthimo Nicomedienſi Archi-Epiſcopo, quod ſingularem exorcizandi virtutem habuerit, atque ira offenſo Imperatori Diocletiano anſam movendæ nobis crudeliſſimæ perſecutionis dederit, teſtantur Nicephorus Caliſtus & alii Græcorum Scriptores. Et de Te- Lib. 7.
tradio, viro Proconſulari & adhuc gentili, quod cap. 6.
Sanctum Martinum ad ſuum Energumenum famulum exorcizandum permoverit, ſcribit in iſtius vita Sanctus Sulpitius Severus, atque ad-
jungit: *Martinus impoſita manu puero, immundum ab eo Spiritum ejecit. Quo viſo Tetradius in Dominum* JESUM *credidit, ſtatimque poſt Catechumenus factus, nec multò poſt baptizatus eſt, ſemperque Martinum ſalutis ſuæ authorem miro coluit affectu.* Sulpitius addit Martinum roganti iſtud officium Tetradio fuiſſe reluctatum, tan- Cap. 16.
demque compulſum conſenſiſſe: Non quod iſtum Cap. 17. 18.
exorciſmum, ſed quod Gentilis domus ingreſſum judicaret Epiſcopo non convenire. Hinc adjungit à ſpontaneo Martino alios plures fuiſſe exorcizatos ac liberatos. Notanda ſunt hæc Sancti Martini ad Dæmonem verba & Acta: *Sed*

cum

cum dentibus Diabolus fremeret, hianteque ore morſum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit. Si habes, inquit, aliquid poteſtatis, hoc devora. Tum verò, ac ſi candens ferrum faucibus accepiſſet, longè eductis dentibus digitos beati viri vitabat attingere. Iſtud fuit Sancti Martini chariſma, ideoque ab hodiernis Exorciſtis non imitandum. Et de Sancto Ambroſio, Florentinam civitatem viſitante, ſcribit in ejus vita Sanctus Paulinus Preſbyter: *Cum in domo clariſſimi quondam viri Decentii maneret, filius ipſius Panſophius nomine, admodum parvulus, cum Spiritu immundo laboraret, frequenti oratione & impoſitione manus ipſius Sacerdotis ſanatus eſt.* Et infrà: *Multos etiam diebus illis, Ambroſio imponente manus ac imperante, à Spiritibus immundis vidimus eſſe purgatos.* Etiam Sanctum Agericum, Virdunenſem Epiſcopum, quod Energumenum exorcizarit, & ſacro oleo unxerit, & tamen malignum Spiritum non potuerit ejicere, ſcribit in Francorum Hiſtoria Lib. 3. cap. 44. Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Nec iſta decreta & facta ſunt ad honorandum Diabolum, ſed ad magis terrendum. Quis enim ambigat Presbyterum, ac præſertim Epiſcopum, magis timeri à Diabolo, quàm ſimplicem Clericum? Quare Nicolaus Aletenſis Epiſcopus eſt hic palàm hallucinatus. Porrò primitivæ Eccleſiæ chariſmata ceſſare cœperunt dudum ante Laodicenam Synodum. Hinc aliqui cenſent etiam exorcizandi munus dudum antea fuiſſe per Epiſcopos reſervatum ſolis Clericis. At reſervationem fuiſſe generalem, ideoque quoſdam Laicos cenſuiſſe reſtrictam ad Baſilicas, atque ita antiquorum more extra ipſas perſeveraſſe. Et adversùs hanc opinionem emanaſſe Laodicenum Canonem. Res incerta caret fidis teſtimoniis.

Et hinc quæritur, Ex quo fundamento noſter Doctor Hæreticorum fœminas, exorcizare auſas, arguat procacitatis? Quod enim omnibus, aut ſanè plurimis fidelibus ea conſueta tunc Baptiſmi gratia competebat, videtur licuiſſe & fœminis. Et noſtræ etiam mulieres videntur iſtud ipſum tunc omninò egiſſe. Reſpondeo locum eſſe difficilem, de quo audire mallem, quam dicere. Reſpondeo igitur primitiva illa & temporalia Baptiſmatis Chariſmata ſolis viris, non mulieribus fuiſſe donata. Cunctarum enim vulgatiſſimum fuit linguarum donum, cujus nulla utilitas fuit mulieribus, quas Apoſtolica lex docere vetabat in Eccleſia, immò & loqui. Et omnium omninò iſtarum gratiarum finis fuit ſola proximorum utilitas atque doctrina. Et ipſis etiam Hebræorum Eccleſiaſticis viduis nihil legitur permiſſum ab Apoſtolis, niſi ſolum miniſterium menſarum. Quin & ipſa Deipara Virgo nec linguis locuta legitur, nec ullum patraſſe miraculum. Nam in Pentecoſtes die ſoli Apoſtoli & ipſorum Collegæ in prædicatione linguis loquebantur. Et de ſuo tempore ſcribit Sanctus Irenæus: Lib. 5. cap. 6. *Multos audivimus fratres in Eccleſia, prophetica habentes Chariſmata, & per Spiritum univerſis linguis loquentes.* Dicit fratres, non ſorores. Hinc ergo hæreticas mulieres, quod exorciſmos agerent, & ſanitates repromitterent, id eſt, ſuo ſexui non donata Chariſmata invaderent, arguit etiam noſter Septimius.

Forſitan & tingere.

Quòd nulla hæretica mulier eo uſque fuerit auſa palàm baptizare, Doctor affirmat etiam in libro de Baptiſmo. Cap. 17. Ordinarium Baptiſmi Miniſtrum docet eſſe ſolum Epiſcopum, Presbyterum, ac Diaconum, & in extrema nihilominus neceſſitate poſſe, immò & debere baptizare quemvis fidelem, atque adjungit: *Petulantia autem mulierum, quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet, niſi ſi quæ nova beſtia evenerit ſimilis priſtinæ, ut quemadmodum illa Baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat. Quod ſi quæ Paulo perperàm adſcripta ſunt, ad licentiam mulierum docendi, tingendique defendant, &c.* Affirmat in extrema etiam neceſſitate non poſſe baptizare mulierem, & ex apocrypho de Pauli Apoſtoli ac Sanctæ Theclæ Actis libro perperàm id à quibuſdam adſtrui: Rem eſſe adeò claram, ut nulla hucuſque hæreſis iſtud ſomniaverit. Cajanæ enim hæreſeos Sectatrix Quintilla, licet docere præſumeret, Baptiſma tamen auferre maluit, quàm ejus miniſterium ſibi præſumere, cernens illud eſſe longè facilius. Et favet quarta Synodus Carthaginenſis: Can. 127. *Mulier baptizare non præſumat.* Utique in extrema neceſſitate. Quaſdam baptizare ſupponunt, & graviſſimè interdicunt etiam Apoſtolicæ Conſtitutiones. Lib. 3. cap. 9. 10. Videntur tamen agere de Baptiſmate ex officio. Quidquid ſit, in Sententiarum Summa ſcribit Hugo de Sancto Victore: Tract. 5. cap. 8. *De his, qui à mulieribus baptizantur, quæritur, Utrum rebaptizari debeant? Quidam dicunt quòd rebaptizandi ſint, pro iſta authoritate ex Concilio Carthaginenſi.* Quæ opinio quibuſdam placuiſſe videtur tempore Sancti Iſidori Archi-Epiſcopi Hiſpalenſis. Verùm hanc quæſtionem decidit in fidei Decreto Synodus Florentina: *In cauſa neceſſitatis non ſolùm Sacerdos vel Diaconus, ſed etiam Laicus, & Mulier, immò etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt.* Quod ipſum dudum anteà ſtatuerat ſub Alexandri tertii Pontificatu celebrata Hibernorum Synodus Caſſelenſis. Fol. 528. Exſtat hæc apud Rogerum Hovedenſem.

Verùm quæſtio ex his naſcitur, Quomodo de Marcionitarum fœminis, quas baptizaſſe affirmat Sanctus Epiphanius, Septimius noſter dubitet? Etenim credi non poſſit Marcioniticarum rerum fuiſſe imperitus. Reſpondent aliqui fuiſſe non plenè peritum. Nam & ignoravit Marcionem fuiſſe Epiſcopi filium, non Romæ, ſed in Pontica Regione baptizatum. Et plura illorum, quæ in primo adversùs Marcionem libro declamat contra iſtius Regionis ſolum & cœlum, ſunt manifeſtè falſa. Ego crediderim diſtinguenda

tempora: Marcionis Amazones primùm clanculò, poſtmodo palàm baptizaſſe. Nam & illa, per Sanctum Firmilianum memorata Pontica Pythoniſſa, palàm baptizabat. Hinc igitur de procacitate iſta, quam conſtanter affirmat Sanctus Epiphanius, Septimius dubitavit. Et hinc etiam lucet Apoſtolicas, quas paſſim Romano Clementi adſcribimus, Conſtitutiones eſſe Septimio poſteriores. Earum enim tempore mulieres non ſolummodo palàm, ſed inſuper variis in locis videntur baptizaſſe.

Ordinationes eorum temerariæ.

Hæreticam converſationem eſſe ſine gravitate, authoritate, ac diſciplina Doctor ſuprà dixit. Hinc addit tales eſſe ipſorum etiam Ordinationes. Sine gravitate temerarias, leves ſine authoritate, inconſtantes ſine diſciplina. Temeraria Ordinatio, quam eſſe intolerabile crimen affirmat in prima ad Antiochenum populum homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, eſt illa, de qua ad Timotheum ſcripſit Apoſtolus: *Nemini citò manus impoſueris, ne communices peccatis alienis*. Eſt ſine competenti examinis legitimi fundamento facta Ordinatio. Nec enim de ſolis Sacerdotibus, ſed etiam de ordinandis Diaconis dixit
Lib. 3. Apoſtolus: *Probentur primùm*. Hinc iſtam pro-
cap. 30 bationem eſſe Apoſtolicum Canonem, in libris contra Petilianum rectè ſcripſit Sanctus Auguſtinus. Tantò illum rigore ſemper executa fuit Eccleſia, ut ipſum in promovendis etiam Romanæ Reipublicæ Magiſtratibus ſervandum ſanxerit gentilis Imperator Alexander. Adeò illum noverat & venerabatur. Ita habes apud Ælium Lampridium. Quomodo illum hæretici omnes paſſim fuerint prævaricati, lucet ex Arianis, à quibus vixdum natis tres in Syria Epiſcopos fuiſſe neſcio qualiter ordinatos, in litteris ad Sanctum Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum queſtus fuit Sanctus Alexander Patriarcha Alexan-
Can. 9. drinus. Et hac de cauſa omnes ſine legitimo examine promotos Presbyteros damnavit ac dejecit Synodus Nicæna. Quod homines impiè educatos, & rei Chriſtianæ penitùs imperitos, Ariani & ipſorum fratres Meletiani paſſim ad ſolas militum preces eveherent in Epiſcopales Cathedras, in litteris ad ſuos Monachos graviſſimè queritur Sanctus Athanaſius. Et de Valente ipſorum Murſienſi Epiſcopo, quòd in Gothica militari veſte vagaretur per Romanum Imperium, & ipſius etiam Italiæ florentiſſimas civitates fœdaret illicitis Ordinationibus, atque ita ſibi ſimiles crearet Epiſcopos, habes in Aquilejenſis Synodi Relatione ad Imperatorem Gratianum. Quòd temeraria Ordinatio eſſet Arianorum conſuetudo, atque ita ipſi tantum Eccleſiæ Sacramentum contumelia afficerent, ac ſuis Congerronibus in impietatis præmium darent, frequens lamentatur Sanctus Baſilius. Quod etiam Apollinarius ordi-
Ep. 293. naret *clancularios Emiſſarios, & ad ſchiſma faciendum, & privata Concilia cogenda* ablegaret per orthodoxas Eccleſias, idem Baſilius affirmat in litteris ad exules Ægypti Confeſſores. Quòd ipſum de Bonoſo Epiſcopo, Photi- Ep. 21.
nianæ impietatis promotore, ad Macedoniæ cap. 5.
Epiſcopos ſcribit Innocentius primus. Et in Epheſini Concilii ſchiſmate Joannes Patriarcha Antiochenus & Sanctus Cyrillus Alexandrinus accuſaverunt invicem, quòd ſuis Sectatoribus Epiſcopatus quaſi ſpolia dividerent. Et quidem ante Nicænam Synodum non ſoli hæretici, ſed & quidam Catholici temerè ordinarunt. Hinc enim inter horrendiſſimæ, quam Imperator Diocletianus in nos movit, perſecutionis cauſas Euſebius Cæſareenſis numerat & hanc: *Quòd Epiſcopi temerè, & contra leges nonnullis manus imponerent*. Neque enim ſola indigni ſpontanea, ſed etiam digni temeraria promotio eſt grande crimen. Quia nempè illius periculo te per hanc exponis. Et hinc omnes iſtiuſmodi Ordinationes laudata Synodus exſufflavit. Eodem ergò vitio per noſtri Septimii tempora laborabant Marcionitæ, Gnoſtici, ac alii hæretici.

Leves.

Leves Ordinationes Doctor appellat, quæ fiunt ſine legitima authoritate. Quod ipſum in litteris ad ſuos Monachos affirmat Sanctus Baſilius, Ep. 67.
quoſdam Arianorum Epiſcopos arguens, quod alienas invaderent Eccleſias, & *ſua ipſorum authoritate* illic Presbyteros & Diaconos conſecrarent. Clericum non niſi per proprii Epiſcopi, Epiſcopum nonniſi per proprii Metropolitæ, vel etiam Patriarchæ manum aut conſenſum conſecrari ſancit Apoſtolicus Canon, iſtumque conſenſum Eccleſiaſtica diſciplina paſſim appellat authoritatem. Ita de perperam ordinante Metropolita ſtatuit Taurinenſis Synodus: *Authoritatem in Ordinationibus minimè habebat*. Et in litteris ad Sanctum Alexandrum Patriarcham Antiochenum Ep. 18.
Sanctus Papa Innocentius primus: *Metropolitanos* cap. 1.
authoritate ordinans ſingulari. Et de Conſtantio, Mediolanenſium Electo, conſecrando ſcribit ad Joannem ſuum Subdiaconum Sanctus Gregorius Magnus: *Cum noſtræ authoritatis Præcepto facias* Lib. 2.
conſecrari. Et hæc eſt potens illa Metropolitæ In dict. 11.
ſententia ſeu Gnome, ſine qua quod *nullus poſſit* Ep. 30.
eſſe Epiſcopus, manifeſtum eſſe dicit ſextus Canon Nicænus. Inſuper requiritur Comprovincialium Collegarum aſſiſtentia, Cleri electio, populi aſſenſus, legitima ætas, competens tempus, debitus locus, aliique ritus, de quibus ad Ruſticum primæ Narbonenſis Provinciæ Metropolitam Sanctus Leo Magnus: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati*. Et in litteris ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis: Cap. 4.
Non paſſim, ſed die legitimo Ordinatio celebretur.

Nec

Nec ſibi conſtare ſtatus ſui noverit firmitatem, qui non die Sabbathi veſperè, quod luceſcit in primam Sabbathi, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus. Hujus ergò ſeu authoritatis, ſeu ſolemnitatis juſto pondere carentes Ordinationes Tertullianus appellat leves, infirmas, & ab omni executione proſcribendas.

Et hæreticorum Ordinationes paſſim fuiſſe
ejuſmodi, poſſit demonſtrari innumeris exem-
plis. Etenim Novatianum, primi in Romana
Cathedra ſchiſmatis Authorem, à tribus extra-
neis, imperitis, ac ebriis Epiſcopis fuiſſe hora diei
decima donatum *imaginaria ac vana quadam ma-
nus impoſitione*, in Euſebii Cæſarienſis Eccleſiaſti-
Lib. 6. ca hiſtoria ſcribit ad Fabium Antiochiæ Patriar-
cap 35. cham Sanctus Papa Cornelius. Et Fortunatum,
ſuæ Sedis Invaſorem ac Novatianenſis ſchiſmatis
fautorem in Africa, à quinque extraneis, & ob
hæreſim vel Lapſum jam dudum damnatis Ex-
Epiſcopis fuiſſe intruſum & ordinatum, ad lau-
datum Cornelium ſcribit Sanctus Cyprianus. Per
Epiſt. 55. omnem Ægypti Diœceſim ex Apoſtolica conſue-
tudine nullus ordinare poterat Epiſcopus, niſi
ſolus Patriarcha Alexandrinus. Eo ipſo iſtic
gaudebat jure, quo Romanus Pontifex in Eccle-
ſias ſuburbicarias. Hanc verò authoritatem adeò
prævaricatus fuit Meletius Lycopolitanus Epiſco-
pus, ut illi reparandæ fuerit neceſſarius ſextus
Canon Nicænus. Et de Urſicino Anti-Papa ſcri-
bit Socrates: *Non in Eccleſia creatus eſt, ſed in
Lib. 4. loco operto Baſilicæ, quæ Sicona dicitur.* Etiam
cap. 24. Maximum Cynicum in Cathedram Conſtantino-
politanam fuiſſe clandeſtinè & furtivè intruſum
ab Epiſcopis Ægyptiis, eſt omnibus notum.
Ab Ægypti Errone, ac imaginario Epiſcopo,
utpotè qui Presbyter ſe Epiſcopum mentiretur,
Colluiho ordinatos fuiſſe plures Presbyteros ac
alios Clericos, in litteris poſt Tyriam Synodum
exſtantibus, affirmant Clerici Mareotici, ac ple-
na Synodus Alexandrina. Ordinationes iſtas ex-
ſufflarat Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Sancti
Sylveſtri Pontificis per Ægyptum Legatus;
Iſchyram tamen, ex iſtis imaginariis Presbyte-
ris unum, Euſebiana factio creavit Epiſcopum.
Quot ſimul Canones Georgii Cappadocis in Ale-
xandrinam Cathedram intruſio fuerit prævarica-
ta, videre poſſis in litteris Sancti Papæ Julii ad
Synodum Antiochenam. Quod Timotheus
Ælurus ſe nec à Clero nec à populo electum, à
duobus extraneis ac damnatis Epiſcopis conſe-
crari fecerit, ac ſemetipſum in Alexandrinæ Ec-
cleſiæ Thronum intruſerit, teſtantur plures
Synodales litteræ ad Leonem Auguſtum, exſtan-
tes poſt Synodum Chalcedonenſem. Gennadius
Maſſilienſis affirmat fuiſſe conſecratum ab unico.
Illius item Succeſſorem Petrum Mogum fuiſſe
ab unico cum varia aliorum Canonum prævarica-
tione conſecratum affirmat in litteris ad Simpli-
cium Pontificem Acacius Epiſcopus Conſtanti-
nopolitanus. Sanctus Baſilius rectè ſcripſit Ca-
nonum prævaricationem eſſe luſum Hæretico-
rum.

Inconſtantes.

Uti datum ab hæreticis Baptiſma, ita & im-
preſſum ab ipſis Ordinem eſſe penitùs nullum, ac
exſufflandum, docuit omninò noſter Septimius,
ideoque videri poſſit hic dixiſſe illorum Ordina-
tiones eſſe inconſtantes. Verùm aliò reſpexit.
Eorum Ordinationes vult etiam apud ipſos ſui
authores non conſtare, ſed exſufflati ad libitum,
& has non minùs quàm iſtos, eſſe vertumnas.
Etenim de diverſis ac invicem capitaliter adverſis
Arianorum factionibus ſcribit ad Evaſenos San-
ctus Baſilius: *Dicant, quomodo Hæretici fuerint
illi, quorum depoſitionis ſententiam non agnoverunt,* Epiſt. 72.
*& quomodo jam Orthodoxi ſint, qui & ab illis ad
Epiſcopatus evecti ſunt, & eandem ſententiam cum
Majoribus ſuis tuentur. Si enim Orthodoxus eſt
Evippius, quomodo non Laicus eſt Euſtatius, qui
ab Evippio eſt Epiſcopatu depoſitus? Si verò Hære-
ticus eſt Evippius, quomodo ab Euſtatio in commu-
nionem receptus eſt is, qui per manum Evippii ordi-
natus eſt? Sed hi ſunt iſtorum ludi, quibus Eccleſiis
Dei pro ſuo ipſorum commodo illudunt.* Et in litteris
ad Patrophilum Epiſcopum Scythopolitanum: Epiſt. 82.
*Qui quingentorum Epiſcoporum contra ſe promulgato
Decreto non obedierunt, nec ab Eccleſiarum admini-
ſtratione amoveri ſuſtinuerunt, cum tot conſentien-
tium Epiſcoporum ſententia ab officio eſſent depoſiti,
propterea quod illi, ut ajebant, Spiritus Sancti non
eſſent participes, nec per Dei gratiam gubernarent
Eccleſias, ſed per humanam potentiam ex inanis
gloriæ deſiderio Eccleſiarum gubernationem rapuiſſent,
hi nunc eos, qui ab illis ordinati ſunt, pro Epiſco-
pis agnoſcunt. Quos meo roges nomine velim, an
univerſos mortales contemnant, quaſi nec oculos ha-
beant, nec aures, nec cor ſenſu præditum, ut eo-
rum quæ geruntur incohærentiam conſiderare queant.
Verſatur talis in cordibus ipſorum cogitatio: Quo-
modo duo poſſunt eſſe Epiſcopi, unus qui ab Evippio
depoſitus eſt Epiſcopatu, alter qui ab illo eſt ordina-
tus?* Agit in ipſorum Seleucienſem, Conſtanti-
nopolitanam, ac alias coævas Synodos, in qui-
bus ſeſe ultrò citroque damnarunt, mutuas dam-
nationes ſpreverunt, atqui ita unum ac eundem
hominem in uno Epiſcopum, in alio actu non-
niſi Laicum agnoverunt. Euſtatii Sebaſtenſis in
prima Armenia Metropolitæ majorem audaciam
exponit idem Baſilius in litteris ad Theodotum Epiſt. 196.
Epiſcopum: *Cui non horrorem incuteret Euſtatius,
qui etiam manus quibuſdam denuò imponere præſum-
pſit, quod nemo unquam ex Hæreticis feciſſe vide-
tur.* Suos ſimiles non tantummodo degradare,
ſed & ipſorum Conſecrationes exſufflare & ite-
rare præſumpſit, atqui ita ipſarum, uti execu-
tionem, ita & ſubſtantiam facere vertumnam.
Sanctus Baſilius meritò loquitur dubitanter:
Quod nemo unquam ex hæreticis feciſſe videtur. Ut
enim cum Donatiſtis omnes, quos etiam reordi-
naſſe conſtat, rebaptizantes omittam, illud fe-
ciſſe etiam Georgium, Alexandriæ Patriarcham
Arianum,

Arianum, teſtantur in precibus Imperatori Theodoſio exhibitis Fauſtinus ac Marcellinus Presbyteri Luciferiani. Theodorum Oxyrinchi in Ægypto Catholicum Epiſcopum affirmant ab ipſo fuiſſe ſeductum, ſub ipſo factum laicum, ac denuò ordinatum. Eum aſſiduè ac lepidè appellant *Bis Epiſcopum*. Et de Cyrillo, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Presbytero, ſcribit in appendice ad Euſebii Chronicon Sanctus Hieronymus:
Ann. 349. *Cyrillus cum à Maximo, Catholico Hieroſolymæ Epiſcopo, fuiſſet Presbyter ordinatus, & poſt mortem ejus ita ei ab Acacio Epiſcopo Cæſaræenſi, & cæteris Epiſcopis Arianis Epiſcopatus promitteretur, ſi Ordinationem Maximi repudiaſſet, Diaconus in Eccleſia adminiſtravit. Ob quam impietatem Sacerdotii mercede penſatus Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, varia fraude ſollicitatus, de Epiſcopo in Presbyterum regradavit.* Hic eſt Cyrillus qui poſtmodo meliora ſapuit, per Conſtantinopolitanam Synodum meruit confirmari in iſto Epiſcopatu, ac poſt mortem inſcribi in ſacras ſanctorum tabulas. Iſtiuſmodi ludos habuerunt & Gnoſtici, Marcionitæ, ac alii veteres hæretici, ideoque ipſorum Ordinationibus tantam inconſtantiam adſcribit Septimius, ut eadem Cathedra novum dietim haberet Epiſcopum, hodiè Diaconus cras eſſet Lector, & hodiè Presbyter cras fieret Laicus.

Neophytos conlocant.

Apoſtolicum Canonem, qui Neophytum vetat in Epiſcopum eligi aut Presbyterum, quanta reverentia honoraverit prima Chriſtianitas, docet Pontius Carthaginenſis Diaconus, ſcribens de ſuo Epiſcopo Sancto Cypriano: *Ille fuit primus, & puto ſolus exemplo, plus fide poſſe quàm tempore promoveri.* Non ſolo *populi favore*, ſed etiam *Dei judicio* affirmat electum, & tamen adjungit: *Quidam illi reſtiterunt.* Quod nempè violando Apoſtolico Canoni nollent hanc januam reſerare. Undè & Florentii Pupiani, quinque Presbyterorum, ac Pſeudo-Epiſcopi Fortunati poſterior in ejus Epiſcopatum maledicentia atque conſpiratio habuerunt idem fundamentum. Aſſeruerunt ipſum eſſe intruſum contra Apoſtolicam diſciplinam, ideoque ejiciendum. Et hinc iſtius diſciplinæ contemptum Septimius meritò numerat inter exceſſus & ludos Hæreticorum. Ita ab Euſebianis ac Meletianis plures non ſolummodò Neophytos, ſed etiam neceſſariis fidei articulis necdum imbutos Catechumenos fuiſſe per aurum evectos ad Epiſcopatum, in litteris ad ſuos monachos graviſſimè queritur Sanctus Athanaſius, addens horum authorem Conſtantium Auguſtum eſſe non dumtaxat Apoſtolicæ regulæ prævaricatorem, ſed inſuper præcurſorem Anti-Chriſti. Et adversùs hanc temeritatem prodiit ſecundus Canon Nicænus. Etiam de Laicis è Palatio aut foro ad Epiſcopatum evectis queſtus eſt Athanaſius; attamen in iſtos laudatus Canon nihil ſtatuit: Apoſtolicum de fidei Neophytis Canonem dumtaxat firmavit. Etenim Sanctum Philogonium Patriarcham Antiochenum, magnum laudatæ Synodi lumen, ac in ipſa ſanctiſſimè defunctum, fuiſſe etiam è foro & conjugio electum, teſtatur in ejus encomio Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Quod ipſum de Sancto Fabiano Papa affirmat liber Pontificalis. Ea eſt ſecunda Neophytorum ſpecies, in quam prima ſanxit Synodus Sardicenſis. Porrò vocem, *Conlocant*, intelliges ex libro ad caſtitatem exhortatorio: *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Epiſcopus in ſacro tribunali habebat Thronum excelſum & ornatum, eique omnes Presbyteri adſidebant: Septimius ergò arguit ſui temporis Hæreticos, quod ad hunc conſeſſum elevarent Neophytos, ideoque ipſos non in quoſcumque Clericos, ſed etiam in Presbyteros ac Epiſcopos exaltarent.

Sæculo obſtrictos.

Per ſæculo obſtrictos Doctor intelligit Curiales, de quibus in Novella ad Baſilium Prætorio Præfectum lege Imperator Leo: *Curiales ſervos eſſe Reipublicæ, ac viſcera civitatum, nullus ignorat, quorum cœtum antiquitas rectè appellavit minorem Senatum.* Lib. 4. Codicis Theodoſiani tit. 1. Eos *functionibus publicis occupari & obligari* ſcribit aliquoties Innocentius primus Pontifex. Quantas ex ipſorum Ordinatione vexationes ſuſtinuerit etiam à Chriſtianis Imperatoribus Eccleſia, audi à Sancto Ambroſio in litteris ad Auguſtum Theodoſium: *Quomodo excuſabo apud Epiſcopos, qui nunc quia per triginta & innumeros annos Presbyteri quidam gradu functi, vel miniſtri Eccleſiæ retrahuntur à munere ſacro, & Curiæ deputantur, graviter gemunt. Nam cum ii, qui vobis militant, certò militiæ tempore ſerventur, quantò magis etiam eos conſiderare debetis, qui Deo militant? Quomodo hoc excuſabo apud Epiſcopos, qui queruntur de Clericis, & impreſſione gravi vaſtari ſcribunt Eccleſias?* Epiſt. 17. Et in litteris ad Imperatorem Valentinianum ſecundum: *Si privilegium quærat Sacerdos, ne onus curiale declinet, patria atque avita, & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt. Quomodo hanc gentiles, ſi haberent, ingravarent querelam? Quòd Sacerdos ferias miniſterii ſui emat totius patrimonii damno, & privatus univerſæ commoditatis diſpendio uſum publici mercetur obſequii, prætendens communis ſalutis excubias, domeſticæ ſe inopiæ mercede ſoletur. Quia miniſterium non vendidit, ſed gratiam comparavit.* Epiſt. 12. Nemo poterat fieri Clericus, niſi antea liberatus à Curia, & hæc neminem liberabat niſi qui omnia ſua bona ipſi cederet, è quibus crearetur novus Curialis. Aliter ordinatus, etiam poſt triginta, quibus quarumvis rerum completur præſcriptio, annos retrahebatur ex Eccleſia ad Curiam, ac etiam Presbyteralis conſecratio quaſi exſufflabatur. Has Eccleſiæ injurias tandem per Chriſtianos Principes

pes

pes auferri ſupplicat Ambroſius, aut Clericatui ſaltem concedi privilegium armatæ militiæ, quæ certis geſta annis à Curia liberabat. Verùm non obtinuit, niſi levem moderationem. Plurimi enim poſteriores Canones conſtanter adhuc vetant, ne quis Curialis ordinetur. Eccleſia dudum ex Magni Conſtantini lege ordinavit ſolos pauperes, quibus ad Curiæ ſervitium deerat idonea facultas. Et hunc omninò ſcopum dicta lex reſpexit. Avitum Eccleſiæ morem confirmavit. Porrò Hæretici, uti Divinæ Majeſtati, ita & ſuo in terris Principi paſſim rebellant: Hinc quod Curiales ordinarent, atque ita ipſorum gentiles civitates, ac ipſos Romanos Principes offenderent graviter, & in omnes Chriſtianos incitarent, hic meritò queritur Septimius. Quod enim civitates invitiſſimè perderent ſuos Curiales, & ferventiſſimè repeterent, apud omnes iſtius juris aut ſervitutis peritos eſt manifeſtum. De publicis ipſorum functionibus hæc in litteris ad Sanctum Victricium Rothomagenſem Epiſcopum adjungit laudatus Papa Innocentius: *Conſtat eos*
Cap. 11. *in ipſis muniis etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inventas eſſe non dubium eſt, & ludorum vel munerum apparatibus vel præeſſe, vel intereſſe.* Quod ipſum repetit in litteris ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Multæ igitur Idololatriæ periculo expoſiti erant Curiales ſub Paganis Imperatoribus, ideoque etiam hac de cauſa non erant facilè ordinandi. Et huc poſſit Septimius principaliter reſpexiſſe.

Apoſtatas noſtros.

Avitam Eccleſiæ de hac re diſciplinam edicit
Can. 51. Synodus Eliberina: *Ex omni hæreſi qui ad nos fidelis venerit, minimè eſt ad Clerum promovendus, vel ſi ſint in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur.* Non ſolummodò Lapſos ſeu Apoſtatas, ſed etiam in hæreſi natos, immò & in ipſa conſecratos vetat Clericos fieri, aut manere. Poſteriorem partem mitigare cœpit Nicæna Synodus, Novatianenſium Epiſcopos & Clericos prohibens recipi in ſuum gradum. Quæ gratia fuit poſtmodo extenſa ad Ordinatos in quavis hæreſi, immò & ad Lapſos in quamvis hæreſim Clericos ac etiam Epiſcopos, dummodo non eſſent hæreſiarchæ, aut novæ Sectæ Primates. Hos dudum nonniſi ad laicam communionem admiſit Eccleſia. Altera laudatæ diſciplinæ pars Sancti Auguſtini tempore adeò adhuc vigebat, ut nec illos, qui ſtatim poſt infantiam à Donatiſtis venerant ad matrem Eccleſiam, ordinari ad ſummam Cleri inopiam in Africa ſupplendam diſpenſatoriè permiſerit Papa Siricius. Quam gratiam ſimilibus Arianorum filiis poſtulanti ob ſimilem in eadem Diœceſi cauſam Juſtiniano Imperatori negavit etiam Pontifex Agapetus. De prima autem parte ſcribit in libro de unico Baptiſmo Sanctus Auguſtinus: *Nec illud ſine diſtinctione*
Cap. 12. *prætterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Eccleſiam Catholicam deſeruerunt, quàm qui in illam nunquam fuerunt. Nec ad Clericatum admittantur, ſive ab hæreticis rebaptizati ſint, ſive priùs ſuſcepti ad illos redierint, ſive apud illos Clerici vel laici fuerint.* Et adjungit hanc regulam ſervari ubique, niſi forſan apud negligentiores Eccleſias. Ex harum numero erant quædam Macedonum Eccleſiæ, quas graviter proindè arguit Innocentius primus, addens regulam iſtam eſſe veterem, utpotè traductam ab Apoſtolis, vel certè viris Apoſtolicis. Apoſtatas iſtos non ſolius apoſtaſiæ, ſed & cauſa ſolemnis, ſine qua recipi non poterant, pœnitentiæ dicit irregulares. Recipi enim non poterant ſine impoſitione pœnitentialis manus, quæ ſemper fecit irregularem. Etiam quartæ Toletanæ Synodi tempore viguit plenè hæc diſciplina. Tertulliani ſæculo erat vigentiſſima, ideoque ex ejus prævaricatione adversùm hæreticos validè præſcribit. Ita & adversùm Arianos præſcribit in litteris ad ſuos Monachos Sanctus Athanaſius: *Etiam hinc eorum hæreſim cognoſcere, vel potiùs convincere poſſis, quòd quiſquis ipſis charus eſt, & ejuſdem impietatis ſocius, etiamſi aliis delictis, infinitiſque ſceleribus obnoxius ſit, etiamſi adversùs ſe habeat argumenta ſcelerum ſuorum, & demonſtrationes evidentiſſimas, probus tamen apud eos, & in pretio habetur, quinimmò ſtatim Imperatoris amicus efficitur, commendabilis ſcilicet ſua impietate.* Hujuſmodi profugos à nobis aut damnatos affirmat ab ipſis creari Epiſcopos, ac violenter intrudi in exulantium Catholicorum Antiſtitum principales etiam Cathedras, ac ex ipſis eſſe Stephanum ac Leontium Antiochenos, Georgium Laodicenſem, Theodoſium Tripolitanum, Eudoxium Germanicienſem, ac Euſtatium Sebaſtenum. Georgius ille, Alexandrinæ Eccleſiæ olim Presbyter, fuerat à Sancto Alexandro Patriarcha degradatus, ideoque ad Arium apoſtataverat. Et quis neſciat Iſchyræ, ruſtico Mareotæ, pro apoſtaſiæ & fictæ in Sanctum Athanaſium calumniæ præmio fuiſſe datum Epiſcopatum? Ejuſmodi plurimos exaltarunt, de quibus ad omnes ſub cœlo Eccleſias ſcripſit Synodus Sardicenſis: *Depoſitos olim & ejectos ob hæreſim Arianam non ſolùm receperunt Euſebiani, ſed & ad majores gradus evexerunt, ex Diaconis Presbyteros, ex Presbyteris Epiſcopos facientes, non in alium uſum, quàm ut impietatem diſſeminarent, latiuſque diffunderent, & piam fidem corrumperent.* Et de Anyſio neſcio cujus civitatis Ariano Epiſcopo, & Editio Parnaſſeno ſcribit ad Sanctum Gregorium Nazianzenum Magnus Baſilius: *Hi fratrem meum Gregorium ex Nyſſa abegerunt, & ejus loco virum intraduxerunt, immò potiùs mancipium triobolare. Et Doaris oppido hominem peſtilentem, orphanorum famulum, qui à propriis Dominis aufugerat, per aſſentationem impiæ mulierculæ, quæ priùs ad animi ſui libidinem Georgio abuſa eſt, nunc autem hunc habet, Succeſſorem illius miſerunt, miſerandum Epiſcopatus nomen contumelia afficientes. Quis autem res Nicopolitarum miſeri Phortani dignis ſuſpiriis queat proſequi? Qui priùs veritatis quaddam patrocinium* Ep. 10.

repræ-

repræſentabat, tandem verò & fidem & ſeipſum turpiter prodidit, proditionis autem mercedem, nempè ignominiæ nomen adeptus. Nam ad Epiſcopatus faſtigium eſt per ipſos evectus. Et in litteris
Ep. 63. ad Occidentales Epiſcopos: *Dominandi libido eorum, qui non timent Dominum, Præfecturas invaſit, & ex propatulo Præfectura eſt propoſita in præmium impietatis. Qui in graviorem blaſphemiam relapſus eſt, in populi Epiſcopatum præ aliis*
Cap. 30. *eligitur*. Quæ omnia repetit etiam in libro de Spiritu Sancto. Quòd etiam Donatiſtæ apoſtatas noſtros oblatis aut donatis honoribus ad ſe invitaverint, aut apud ſe firmaverint, adductis exemplis demonſtrat Sanctus Auguſtinus. Omnis enim Hæreſiarcha ſemper eſt noſter apoſtata, ideoque fratres ſuos non poſſit non exaltare. Et uti iſtos ad inchoandum, ita hos ad ſequendum devium Dogma paſſim ſeducit amor Primatus. Undè etiam Martinus Lutherus & Joannes Calvinus noſtros è Clericis & Monachis apoſtatas, utpotè blaſphemiis ac omni facinori aptiores, ad quinti ſui Evangelii ebuccinationem præſertim exaltarunt.

Laicis Sacerdotalia injungunt.

Præſcribit adversùm neſcio quos Errones, quibuſcum poſteà ad Montanum delapſus ſcribit in libro ad Caſtitatem exhortatorio: *Vani erimus,*
Cap. 7. *ſi putaverimus, quòd Sacerdotibus non liceat, laicis licere, nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt*: Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit: *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeò ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licèt laici. Unuſquiſque enim ſua fide vivit. Nec eſt perſonarum acceptio apud Deum: Quoniam non auditores legis juſtificantur à Deo, ſed factores. Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas oportet diſciplinam Sacerdotis, ubi neceſſe ſit habere jus Sacerdotis.* Apoſtolico Canone, qui mandat Epiſcopum ac Diaconum eſſe unius uxoris virum, affirmat non hoſce ſolos, ſed omnes adſtringi fideles, atque ita ſecundas nuptias eſſe omnibus æqualiter interdictas. Etiam ad alias omnes, quas in Epiſcopo requirit Apoſtolus, virtutes cunctum æqualiter adſtringi Chriſtianum cenſet in libro de Monogamia. Omnibus enim Chriſtianis, licèt non exercitium, tamen vult eſſe jus Sacerdotii, eò quòd Chriſtus Dominus omnes nos fecerit & Reges & Sacerdotes, & Cleri à plebe diſcrimen fit dumtaxat per Eccleſiæ authoritatem, & Ordinis in Eccleſia conſeſſum. Epiſcopos & omnem Clerum docet non eſſe aliud quàm illos, quibus ad ſcandalum & confuſionem vitandam quævis Eccleſia demandavit Sacrificii & omnis alterius ſacri Miniſterii functionem, & hujus cauſa honoratiorem in Eccleſia conſeſſum. Et hinc fidelem omnem, dum ſolus in deſerto aut inter Infideles degit, ſibi ipſi eſſe Sacerdotem, poſſeque tingere, immò & ſacrificare. Addit tres ſufficere ad Eccleſiam, ideoque illic omnes non poſſe miniſtrare, ſed unum ad id eſſe deligendum. De Doctore noſtro ſcribit in hæreticorum catalogo Sanctus Auguſtinus: *Tertullianus tranſiens ad Cataphryges, quos ante deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias damnare, & poſtmodum etiam ab ipſis diviſus ſua conventicula propagavit.* Et hinc cunctos errores iſtos an ipſe ſibi finxerit, an verò à Montaniſtis hauſerit, non plenè conſtat. Sanctus Epiphanius, Sanctus Philaſtrius, Sanctus Hieronymus, ac Sanctus Auguſtinus affirmant quidem à Montaniſtis etiam fœminas fuiſſe donatas Sacerdotio, verùm quòd omnem Chriſtianum aſſeruerint Sacerdotem, huc uſque non legi. Quidquid ſit, omninò fuerunt tunc neſcio qui tales Errones. Et ipſos ſecutus eſt etiam Pſeudo-Monachus Zachæus, de quo in Catholicæ fidei expoſitione
Sanctus Epiphanius: *Zachæus nuper in montana* Cap. 13.
regione ab Hieroſolyma mortuus eſt, qui cum nemine unquam precandi communione conjungi ſe paſſus eſt. Immò verò ex eodem Inſtituta Divina myſteria, cùm laicus eſſet, attingere ac Sacrificia celebrare nefario ac temerario auſu eſt aggreſſus. Et iſtiuſmodi alios commemorat. Cujus farinæ videntur fuiſſe etiam Meſſaliani ſeu Enthuſiaſtæ. Quòd enim ſacros Ordines, licèt ſuſciperent, contemnerent tamen, & ſine ipſis Sacerdotalia exercerent, teſtantur laudatus Epiphanius, Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Theodoretus, ac præſertim Sanctus Joannes Damaſcenus. Et ab hiſce Magiſtris Martinus Lutherus ac Joannes Calvinus didicerunt omne Eccleſiaſticæ Ordinationis Sacramentum blaſphemare, & Chriſtiani Sacerdotii jus non ſolùm omnibus viris, ſed & fœminis adſcribere. Quod ſemper abhorruit etiam Montaniſta Tertullianus. Et hæc forſan fuit una ex cauſis, ob quas ſuum ab illis Altare & Conventiculum ſeparavit.

Verùm his obeſſe videtur hiſtoria illa, quam in Prato ſpirituali refert Sanctus Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus. Laicus quidam Monachus Euchariſticas benedictiones, ſeu in Euchariſtiam conſecrandos panes de Monaſterio ad Eccleſiam deferens, *ſanctæ oblationis verba* ſuper ipſis *quaſi verſus aliquos* in via decantavit. Ac ecce poſtmodò illæ conſecrari non potuerunt per Presbyterum, conſultaque Divina Clementia
per Angelum reſpondit: *Quoniam frater ille, qui* Cap. 25.
oblationes attulit, verba ſanctæ oblationis in via dixit, ſanctificatæ jam ac perfectæ ſunt. Pergit Sanctus Sophronius: *Ex tunc ſtatuit Monachorum Senior, ut nullus deinceps addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet, neque paſſim ea quiſquam diceret quocumque tempore abſque loco conſecrato.* Et in animæ gemma ſcribit Honorius Auguſtodunenſis: *Fertur, dum Canon primitùs quotidiè publicè recitaretur, quod ab omnibus per uſum ſciretur, & cum eum Paſtores in agro ſuper panem & vinum dicerent, repentè carnem & ſanguinem ante ſe invenirent, atque indè Divinitùs*

tùs percuſſi interirent. Undè Synodali Decreto ſub anathemate eſt præceptum, ut Canon deinceps diceretur ſecretò, atque ita myſtica illa verba à populo non audirentur. Quod ipſum in libro de Divinis Officiis refert Albinus Flaccus, addens Cap. 40. ſacroſancta illa verba, dum Canon olim alta vo- Cap. 1. ce diceretur, paſſim per vicos & plateas fuiſſe Cap. 7. decantata à populis, atque ita non parùm viluiſ- Lib. 2. par. 6. ſe. Refert & Innocentius tertius in tertio libro cap. 13. de Sacrificio Miſſæ, & in Eccleſiæ ſpeculo Hugo Victorinus, adjungens in opere de Sacramentis: *Quidam exiſtimant verba illa, quæ ad conficiendam Eucbariſtiam inſtituta ſunt, à quacumque perſona, ſive in quocumque loco, & qualicumque intentione ſuper panem & vinum prolata, effectum conſecrationis & ſanctificationis habere.* Etiam de neſcio quibus ſui ſæculi Doctoribus ſcribit ad Ep. 63. Lendonem Preſbyterum Sanctus Ivo Epiſcopus Carnutenſis: *Dicunt quaſcumque perſonas, etiam ſacrum Ordinem non babentes, verba Dominica proferentes, Sacramenta Altaris, & cætera Eccleſiaſtica Sacramenta poſſe conficere, & ſalubriter accipientibus miniſtrare.* Ergò quod quivis fidelis, licèt non exercitio & functione, jure tamen & radicali conſecratione, cui quævis ſacra munia poſſunt injungi, ſit Sacerdos, videtur eſſe antiqua Catholicorum Doctorum ſententia, adeoque hinc adversùm hæreticos non poſſe præſcribi.

Reſpondeo Doctores iſtos ab Hugone Victorino imperitos, à Sancto Ivone appellari ſimplices, immò forſan & duplices, & qui neſciant de quibus negent vel affirment. Videntur fuiſſe Petri Bruſſii, & totius Sacramentariæ hæreſeos Præcurſores. Undè & Sacerdotii Sacramentum contra illos laudatus Ivo inſigniter & acriter confirmat. Factam ad ruſticorum verba conſecrationem, non verborum virtuti, ſed Divino temeritatem vindicanti miraculo aſſignant Alcuinus, Honorius Auguſtodunenſis, Victorinus Hugo, ac Pontifex Innocentius. Et omnes addunt: *Fertur*, aut, *Dicitur*. Quòd non ſit res authentica. Sancti Sophronii relatio videtur authentica. Sed & ipſe affirmat illam eſſe extraordinariam. Et hinc lucet etiam à Græca olim Eccleſia ſacroſanctam Euchariſtiam non per neſcio quas preces, laudatas hodiè à Photiani ſchiſmatis Sectatoribus, ſed per ſolemnia Chriſti Domini verba fuiſſe conſecratam. Cur autem, & quando eadem verba & omnem Miſſæ Canonem, quæ altè dudum dixit, ſecretò dicere cœperit Latina Eccleſia, non eſt hujus loci.

CAPUT XLII.

Studium eſt hæreticis ſua variare, noſtra ſubvertere.

De verbi autem adminiſtratione quid dicam; cùm hodiè ſit negotium illis, non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi? Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur: Quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis destructione noſtra ſuffodiunr, ut ſua ædificent. Adime illis legem Moyſi & Prophetas, & Creatorem Deum; accuſationem eloqui non habent. Ita fit ut ruinas faciliùs operenrur ſtantium ædificiorum, quàm exſtructionem jacentium ruinarum. Ad hæc ſolummodo opera humiles, & blandi, & ſubmiſſi agunt. Cæterùm, nec ſuis Præſidibus reverentiam moverunt. Et hoc eſt, quod ſchiſmata apud hæreticos ferè non ſunt: Quia cùm ſint, non parent. Schiſma eſt unitas ipſis. Mentior ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proindè ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de ſuo arbitrio fidem innovare. Denique penitùs inſpectæ hæreſes omnes in multis cum Authoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Plerique nec Eccleſias habent, ſine matre, ſine ſede, orbi fide, extorres quaſi Abii, latè vagantur.

SCHO-

SCHOLION.

De verbi autem adminiſtratione quid dicam, &c.

CHriſtiana diſciplina duas habet palmares partes: Sacramenti adminiſtrationem & Verbi. Priorem non eſſe apud hæreticos, præſertim Gnoſticos ac Marcionitas, demonſtravit caput proximum, præſens demonſtrat etiam non eſſe poſteriorem. Et quidem Manichæam, quæ eſt omninò Gnoſtica, fidem non ad faciendos è gentilibus Chriſtianos, ſed dumtaxat eſſe aptum ad ipſos ſeducendos, inſigniter demonſtrat in toto tertiodecimo adversùs Fauſtum libro Sanctus Auguſtinus. Legem enim & Prophetas, ac ipſorum etiam Authorem Deum illa blaſphemat, ideoque producit ſabuloſum, & omni teſte orbum Chriſtum: Quem qua via poſſis gentilibus perſuadere? Hinc omne iſtic verbi miniſterium eſſe debet ad Chriſtianos: Non faciendos, aut formandos, ſed dejiciendos. Etiam Donatiſtarum Epiſcopis & Clericis eſſe unicum, non convertendi aut plantandi, ſed pervertendi ac evellendi ſtudium, oſtendit multis S. Optatus Mile-
Lib. 6. vitanus Epiſcopus, atque proſequitur: *Sed concedatur vobis, qui erroris hujus magiſterium poſſidetis. Jam & de veſtris ſilere quis poſſit? De illis ſcilicet, quos aut factione, aut ſubtilitate, ut veſtros faceretis, ſeducere potuiſtis. Non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ ex ovibus ſubitò factæ ſunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex ſimplicibus ſeductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus malitiæ artifices. Poſt quod ad vos delapſi ſunt aut delapſæ, dolent alios ibi eſſe, ubi ſunt nati. Benè Stantes in lapſus ſuos invitant. Si ſeirent ſe gloriam conſecutos, felicitate ſua tacite fruerentur. Nunc autem perditi, tranſitus ſuos conſolari cupientes, cæteros ut ſimiliter labantur invitant. Et reſidentes in ſinu matris Eccleſiæ, quaſi pigros & tardos accuſant. His enim verbis loqui non erubeſcunt: Cai, Sei, Caja, Seja, quamdiu te tenes? Hoc eſt dicere, jam meum debes ſequi errorem, jam debes deſerere veritatem.* Quem ipſum impetum videmus in noſtris ad Lutheranos, ac præſertim ad Calviniſtas apoſtatis. Pruriunt ad diſputandum, & noſtris idiotis ſunt importuniſſimi crabrones. Quis umquam hæreticus ad barbaras gentes ivit Apoſtolus? Quis novam erexit apud Infideles Eccleſiam, aut Epiſcopalem Cathedram? Quis novas extruxit Baſilicas? Hujuſmodi rariſſimas habet orbis terrarum. Unica iſtorum venatio eſt noſtras invadere, ex ipſis fugare noſtros Epiſcopos, atque ita plebem captivare & ſeducere. Totius orbis ad Chriſtum Dominum concurſus, ac præſertim clauſa idolorum templa, ad ſuperſeminandos in tritici iſtius medio hæreticos impulerunt Diaboli invidiam. Hinc illi in ſolum iſtud triticum, non in mundi zizania poſſint ac debeant laborare.

Quàm vanus in Divini verbi adminiſtratione fuerit etiam Paulus Samoſatenus, apud Euſebium Cæſareenſem edicit Antiochenæ Synodi Relatio ad Sanctum Papam Dionyſium: *Qui,* Lib. 7.
cùm eum audirent concionantem, non laudibus ex- cap. 24.
tollerent, non ut in theatris fieri ſolet, ſe agitationibus, quò illi applauderent, in orbem verſarent, non more gladiatorum & mulierculaum, quos apud ſe habebat, inconcinnè et acclamarent, & quaſi tripudiis geſtirent, ſed in domo Dei, ut par eſt, modeſtè ac moderatè auſcultarent, eos graviter Paulus increpabat, & verbis contumelioſis excipiebat. Adjungit eadem Relatio: *In verbi Dei Interpretes, qui è vita exceſſiſſent, dum in hominum frequentia palàm prædicaret, petulanter & importunè debacchatus fuit, & non tamquam Epiſcopus, ſed tamquam Sophiſta ac præſtigiator de ſeipſo magnifica verba jactavit.* Et in prima ſua ad Conſtantinopolitanum populum concione Hæreſiarcha Neſtorius hæc blateravit ad Imperatorem Theodoſium: *Mihi, ò Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis ſubveni, & ego tibi ſubveniam in profligandis Perſis.* Quæ verba levitatis, iracundiæ, & vanæ gloriæ fuiſſe notata à Prudentibus, rectè advertit Socrates. Et de Neſtorii Lib. 7.
Satellite Dorotheo, Martianopolitano Epiſco- cap. 27.
po, ſecundæ Moeſiæ Metropolita, ad Cæleſtinum Pontificem ſcripſit Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: *Erat Epiſcopus quidam, Dorotheus nomine, Conſtantinopoli, eadem quæ Neſtorius ſapiens ac ſentiens, vir quæſtus cauſa adulationi impensè deditus, linguaque ad temeritatem uſque promptus. Hic, dum Sacra peragerentur, Reverendiſſimo Neſtorio in Cathedra Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ reſidente, ſurrexit, & magna ac elata voce inclamare auſus eſt: Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema ſit.* Exſtat epiſtola hæc Ep. 14.
in prima parte Epheſini Concilii. Dorotheus Judæos ac gentiles firmavit in ipſorum perfidia de Chriſto Domino, & totam Chriſtianitatem damnavit anathemate, atque omnem Regiam civitatem invitavit ad lapſum. Hæreſis eſt agnitæ veritatis non ædificatio, ſed contumax deſtructio, & peſſimus in mentis cæcitatem lapſus. Omnium prima Pelagiana in ipſo orta eſt cœlo. Hinc ſicut lapſus eſt Lucifer, & tertiam ſtellarum partem ſecum traxit in terram, & in paradiſum digreſſus etiam illic ſuum, *Eritis ſicut Dii*, impudenter prædicavit, ſtanteſque Proto-Plaſtos dejecit; ita & ejus Sectatores neminem jacentem erigere, ſed ſtantes præcipitare dumtaxat ambiunt, & iſto Diabolico opere inſuper gloriari.

Noſtra ſuffodiunt.

Suffodiunt criminando & calumniando. Etenim Marcionitæ blaterabant Moſaicam legem, ejuſque Prædicatores Prophetas adverſari novæ Evangelicæ Legi, ac ejus Prædicatoribus Apoſtolis, ideoque utrinſque non poſſe eſſe unum ac eundem Authorem, ſed palàm eſſe duos,

alium

alium malum Deum, alium bonum. Hocce ſuo palmari principio multos è carnali noſtra plebe, altam in antiqua lege ac ejus Sacramentis Divinam providentiam non penetrantes, ſeduxerunt. De laudata lege rectè ſcribit in libro de utilitate credendi Sanctus Auguſtinus: Cap. 1. *Quia ſunt ibi quædam, quæ ſuboffendant animos ignaros & negligentes ſui, quæ maxima turba eſt, populariter accuſari poſſunt, defendi autem populariter propter myſteria, quæ his continentur, non à multis admodum poſſunt.* Fœdiſſimi Manichæi etiam de Antropomorphitica hæreſi accuſabant Eccleſiam, ideoque per Sancti Ambroſii conciones meliora edoctus Sanctus Auguſtinus ſcribit in libris Confeſſionum: *Gaudeas erubui, non me tot annos adversùs Catholicam Fidem, ſed contra carnalium cogitationum figmenta latraſſe. Eò quippè temerarius & impius fueram, quod ea quæ debebam quærendo diſcere, accuſando dixeram.* Lib. 6. cap. 3. Ita Ariani de Sabellio, Sabelliani de Ario, Apollinariſtæ ac Eutychiani de Neſtorio, Neſtoriani de Apollinario aut Eutychete, Donatiſtæ de Traditorum communione, Pelagiani de erroribus Prædeſtinationis, Iconoclaſtæ de Idololatria, Lutherani & Calviniſtæ de multis ſuperſtitionibus ac prævaricationibus, alii hæretici de aliis nos criminantur & infamant. De omnibus hæreticis rectè pronuntiavit Facundus Hermianenſis Epiſcopus: *De reprehenſione Majorum ignominioſam gloriam captant.* Lib. 10. cap. 3. Imitantur ſuum principem Diabolum, qui ſuum, *Eritis ſicut Dii*, Proto-Plaſtis perſuaſurus, exordium duxit à Divinæ Majeſtatis criminatione, mentiens ſcientiæ lignum eſſe ipſis à Deo interdictum per invidiam. Ab hoc Magiſtro didicerunt omnes hæretici noſtra recta dogmata ſuffodere, ſeu criminari.

Adime illis legem.

Ubi dolet corpus ſtatim manum, ubi anima dolet, homo linguam ſtatim apponit. Porrò hæreſis eſt peſſimum animæ ulcus. Hinc Sabellianus ad Divinæ Eſſentiæ unitatem, Arianus ad Divini Verbi conſubſtantialitatem, Apollinariſta atque Eutychianus ad duarum in Chriſto Domino naturarum unionem, Neſtorianus ad ejuſdem Domini perſonam, Monothelita ad ejus voluntates & operationes, Pelagianus ad Divinam gratiam ac liberum arbitrium, Iconoclaſta linguam ſtatim apponit ad ſacras Imagines. Etiam hic imitantur ſuum principem Diabolum, cujus prima ad Evam verba erant: *Eritis ſicut Dii.* Ille enim hoc ulcere laborabat. Marcionitarum & quorumdam Gnoſticorum ulcus erat circa legem Moyſi, Prophetas, ac Deum Creatorem: Ea ſola in omni ſuo ſermone noverant & pruriebant accuſare. Horum ſtabilitio erat deſtructio totius Marcionis. Porrò omnis accuſatio non ad erigendum inſtituitur, ſed ad dejiciendum. Hinc ſtantia fidelium animarum ædificia dejicere duntaxat poterant fabuloſi iſti criminatores, nequaquam erigere jacentes animas Paganorum.

Humiles & blandi.

Omnem hæreticum eſſe linguam doloſam ac iniqua labia affirmat in quinto ſermone de Decembris jejunio Sanctus Papa Leo, atque adjungit: *Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt. Veniunt enim, ſicut Salvator prædicat, ſub veſtitu ovium, intùs autem ſunt lupi rapaces, quia non poſſent veras & ſimplices oves fallere, niſi Chriſti nomine tegerent rabiem beſtialem. In iis autem omnibus operatur, qui cum ſit veræ illuminationis inimicus, in lucis ſe Angelum transfigurat. Hujus arte Baſilides, hujus Marcion callet ingenio, hoc duce agitur Sabellius, hoc præcipitatur rectore Photinus, hujus poteſtati famulatur Arius, hujus Spiritui ſervit Eunomius.* De primis Gnoſticorum Authoribus omninò ſcripſit ad Timotheum Apoſtolus: *Penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Ep. 2. c. 3. Et iſta arte inſigniter valuiſſe Marcum Ægyptium, amplè demonſtrat Sanctus Irenæus. Lib. 1. cap. 9. Quod ipſum ſingulariter calluiſſe Pelagianos teſtatur frequenter Sanctus Auguſtinus. Et de Arianis ad occidentales Epiſcopos ſcribit Magnus Baſilius: Ep. 64. *Deducunt peregrè quoſvis progredientes, inviſunt infirmos, ſolantur mœſtos, adjuvant laborantes & preſſos, omnis generis opem adferunt, myſteriorum communionem adminiſtrant.* Ea dicit eſſe retinacula, quibus ſeductas ac ſimplices plebes illi ſibi adſtringant.

Nec ſuis Præſidibus reverentiam noverunt.

Quanta fuerit antiquiorum fidelium erga ſuos Epiſcopos ac alios Præpoſitos reverentia, lucet ex hoc Apoſtolico Canone: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Hæb. 13. Hinc de Abgaro Edeſſenorum Rege, & adventante ad ipſum Sancto Thaddæo Apoſtolo ſcribit in Eccleſiaſtica Hiſtoria Euſebius Cæſareenſis: *Abgarus Thaddæum ſupplex adoravit.* Lib. 1. cap. 13. Addit quid Divinum apparuiſſe in facie Apoſtoli, atque ita tantam illi præſtitam reverentiam fuiſſe potiùs Dei opus, quàm Regis. Et de S. Polycarpo Epiſcopo ſuo, per Aſiæ Proconſulem damnato ad ignes, ideoque ſeſe veſtimentis & calceis exuente, ad omnes ſub cœlo Eccleſias ſcribit Eccleſia Smyrnenſis: *Polycarpus id antea aliquando facere non conſueverat, propterea quod ſinguli fideles magno ſtudio inter ſe contenderent, quis primum ei in iſto munere deſerviens, corpus illius poſſet contrectare.* Exſtat epiſtola apud præfatum Euſebium. Lib. 4. cap. 14. Quod Imperator Conſtantinus non ſolos Epiſcopos, ſed Monachos honoraverit omni officio, idem Scriptor teſtatur in ejus vita. Quod & ipſe & ejus filii Sancto præſertim Antonio tamquam Patri ſcriberent plenas omni reverentia epiſtolas, ejuſque Reſponſa exoptarent, affirmat in hujus vita Sanctus Athanaſius. Addit Balacium, militiæ Magiſtrum, quòd ejuſdem Antonii litteras

ras ac preces inhonotaſſet, fuiſſe percuſſum à Domino Deo, ac miſerum interiiſſe. Quod Imperator Conſtantius *Sacerdotes oſculo exciperet, ac ipſorum benedictioni caput ſubmitteret*, laudat in ſuo adversùs illum libro Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictavienſis. Et in oratione ad Hermelium Cynicum ſcribit Imperator Apoſtata Julianus: *Genus eſt quoddam hominum, quos infelices Galilæi* Orat. 7. *Renuntiatores vulgò nominant. Horum pleriqae, poſtquam exiguis ſeſe bonis abdicaverint, admodum multa, vel omnia potiùs undique corraduat, adeò ut ingenti aliorum honore ſtipati atque officio celebrentur*. Renuntiatores erant noſtri Monachi, qui paſſim in Epiſcopos electi ita mutabant ſortem, atque ideò peſſimus Princeps ipſis invidebat. Pergit Julianus in epiſtola ad neſcio quem gentilium Pontificem: *Rationi etiam valdè conſentaneum eſt, ut & Sacerdotes honorentur, tamquam Deorum miniſtri. Quare non minùs ipſis, imò amplius, quàm civilibus Magiſtratibus, æquum eſt honoris adhiberi*. Hæc eſt illa epiſtola, qua Chriſtianos ritus induci in Deorum fana, adeoque & Sacerdotum noſtrorum honorem vult etiam in ſuos impendi. Et de Anaſtaſio Presbytero ſcribit in Sancti Baſilii vita Sanctus Amphilochius: *Presbyter viſitanti Baſilio Epiſcopo ſuo, obviam factus, honorabiles viri pedes eſt oſculatus*. Quod Chriſtianus populus quorumvis Epiſcoporum pedes oſculari olim conſueverit, pluribus oſtendi in ſcholiis ad Dictatum Sancti Gregorii ſeptimi.

Et reverentia fundata eſt in Actis Sanctorum Apoſtolorum. Etenim de Cornelio Centurione, veniente ad Sanctum Petrum Apoſtolum, ſcribit Cap. 10. in Actis Sanctus Lucas: *Procidens ad pedes ejus adoravit*. Ad quæ verba Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Hoc faciens humilitatem ſuam oſtendit, & alios docuit*. Hinc alibi docet Epiſcopos honorandos pluſquam Reges ipſorum manibus figendum oſculum, genibus inclinandum caput, dandum ubique primum locum. Et quoſdam quod ſolos ſanguine nobiles honorarent Epiſcopos, graviſſimè increpat. Epiſcopalem Dignitatem affirmat omni mundi apice ſuperiorem. Et hinc in Carthaginenſi Collatione, quod Donatiſtarum Epiſcopi ſedere nollent, etiam Comes & Cognitor Marcellinus noluit ſedere. Et Sancto Auguſtino, in Comitem Paſcentium diſputaturo, primum locum detulit Cognitor Laurentius. In eundem Auguſtinum diſputare compulſus Felix Manichæus ita excepit: Lib. 1. cap. 12. *Non tantùm ego poſſum contra tuam Virtutem, quia mira eſt virtus gradus Epiſcopalis*. Et ipſe Auguſtinus ſcribit ad Proculianum Donatiſtarum Epiſcopum Hipponenſem: *Honorant nos veſtri, honorant vos noſtri. Per* Ep. 147. *coronam noſtram adjurant nos veſtri, per coronam veſtram adjurant vos noſtri. Capita ſubmittant qui nos ſalutant*. Quod non tantummodò Comes Maſcezil, ſed & ipſe Magnus Imperator Theodoſius ſe ad Sancti Ambroſii pedes proſternere ſoleret, affirmat in hujus vita Sanctus Presbyter Paulinus. Et ita oportere, dum Auxentium abjici ac alium eligi juſſit Epiſcopum, apud Eccleſiæ Mediolanenſis Clerum profeſſus fuit Imperator Lib. 4. cap. 5. Valentinianus. Exſtat profeſſio in Eccleſiaſtica Hiſtoria Theodoreti. Avitæ in Clerum reverentiæ teſtimonia ac exempla ſunt ſine numero. Et hinc Gnoſticos, quod Præpoſitis ſuis, uti nullam authoritatem, ita & nullam reverentiam noviſſent, meritò damnat Tertullianus. Loquitur ex ſecunda Sancti Petri epiſtola: *Dominationem* Cap. 2. *contemnunt*. Quod ipſum ſcribit Sanctus Judas Apoſtolus. Et omninò loquuntur de primis Principibus Gnoſticorum. Ita de Feliciſſimi Diaconi & quinque Presbyterorum ſibi rebelli factione ſcribit ad Sanctum Pontificem Cornelium Sanctus Cyprianus: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ* Ep. 55. *ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur*. Negata Præpoſito obedientia paſſim in Para-Synagogam, hinc in ſchiſma, tandemque in hæreſim, id eſt, Divinæ majeſtatis rebellionem ebullit: Qui autem Deo rebellat, quomodo poſſit homines obedienter revereri? Hinc iſtos rebelles, licet extrema comminentur, ab Epiſcopis non timendos addit Cyprianus, atque concludit: *Actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac Divina poteſtate, nec Chriſtiani ultra aut durare aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus*. Everſa enim obedientia inducit Acephaliam. Inſigniter id olim patuit in Francorum monarchia. Quod enim ſub poſterioribus Merovingii generis Regibus amiſerimus omnem ferè Chriſtianam vitam, præſertim effecerunt per ipſos invaſa Eccleſiarum bona, atque ita everſa Epiſcoporum obedientia. Quare huic reparandæ Sanctus Bonifacius, Gregorii ſecundi Pontificis ad nos Legatus, variæ ſub Pippino Rege ac ejus filio Carolo Magno Synodi, Epiſcopi plures in ſuis Capitularibus, & nominatim Sanctus Agobardus Lugdunenſis edito ad Bernardum Viennenſem inſigni libello operosè laboraverunt. Quod ipſum omni ferè ſæculo factum fuiſſe apud alias gentes poſſit lucidè demonſtrari. Nam & apud Italos viguit malum. Quod Lib. 2. cap. 76. ipſum correxerit Imperator Fredericus primus, affirmat Radevicus Presbyter Friſingenſis. De Epiſcopis præſertim, ne laicis Principibus ſuam dignitatem ſubmitterent, Eccleſia ſemper cavit.

Noſter Septimius arguit ſolos Gnoſticos. Plures hæreſes iſto vitio non laborarunt. Etenim de Paulo Samoſateno, in mediis Gentilium perſecutionibus Antiocheno Patriarcha, ad Sanctum Dionyſium Pontificem ſcripſit Synodus Antiochena: *Inſolenter Paulus ſe extulit, & ſæcularium honorum gradus ſibi aſſumpſit, ſeque arroganter in eiſdem geſſit, & Ducenarius potiùs quàm Epiſcopus nuncupari voluit, & per forum volitavit, modò epiſtolas legendo, modò quid illis Reſponſi daretur præſcribendo, magna Satellitum turba, partim ipſam antecedentium, partim ſubſequentium ſtipatus, ſuperbo gradu palàm inceſſit, adeò ut propter intolerandum ejus faſtidium, & nimiam animi elationem, fides noſtra gravem invidiæ notam, odiumque permagnum ſubierit*. Exſtat epiſtola apud Euſebium Lib. 7. cap. 24. Cæſareenſem. Ejuſdem Pauli in celebrandis etiam Synodis faſtum ac pompam, variumque in Clero ac fideli populo Dominatum exponit iſta

Syno-

Digitized by Google

Synodus, & proſequitur: *Sedem & thronum ſibi ſublimem paravit, eumque non ut Chriſti diſcipulum decet, ſed ut mundi Principes ſoleat, ſecretum ac ſeparatum inſtituit, nomine ſuo appellavit, in eo ſedens femur manu percuſſit, ipſumque aliquando calcibus pulſavit*. Varios Ducenarios habuit Romana Reſpublica, & de quapiam ipſorum ſpecie ſcribit in Imperatoris Claudii vita Svetonius: Cap. 24. *Ducenarii Procuratores, quibus etiam Claudius ornatum Conſularem indulſit*. Et hanc ſpeciem Paulus videtur aſſumpſiſſe. Quod & Donatiſtarum Epiſcopi non ſolùm à ſuo, ſed etiam à noſtro populo haberentur in reverentia, ſuprà audivimus à Sancto Auguſtino. Quod illi item ſumma cum pompa ad nobiſcum diſputandum intraverint Carthaginem, habes in Breviculo Collatio- Lib. 1. cap. 11. nis. Neque mireris. Etenim Donato magno nihil fuit ſub cœlo ſuperbius. Quòd omnes non ſolummodo Epiſcopos, ſed & ſublimiſſimas Romani Imperii Poteſtates ſperneret; quòd appellari vellet non Donatus Epiſcopus, ſed Donatus Carthaginis; quod per nomen ſuum jurari permitteret, aliaque id genùs affirmat de ipſo, atque demonſtrat Sanctus Optatus Milevitanus. Quòd etiam Novatianenſium Epiſcopi in religioſa ſpecie procederent, ideoque apud populum eſſent in ſumma reverentia, teſtatur Sanctus Gregorius Nazianzenus. Porrò Lutheranæ & Calvinianæ factionis Præfecti ſunt paſſim homines plebei, viles, etiam apud ſuos nullius reverentiæ: Nullus inter ipſos nobilis, immò vix ullus ingenuus. Vel infimus nobilis iſto quinti Evangelii miniſterio exiſtimat nobilitatem ſuam polluí & perdi. Hinc illi ſe agnoſcant non politioris alicujus hæreſis eſſe filios, ſed Gnoſticorum.

Schiſmata apud hæreticos ferè non ſunt, &c.

Doctor loquitur præſertim de Marcionitis, Valentinianis, & aliis Gnoſticis. Non negat apud illos eſſe ſchiſmata, ſed affirmat non apparere. Omnis iſta fæx fuit plena ſchiſmatibus, lacerata in innumera fruſta. Hinc Doctor ſcribit Cap. 23. in libro de Anima: *Examen Valentini*. Et in li- Cap. 15. bro de Carne Chriſti: *Penes quemdam de natione Valentini legi*. Nempè multò alia dogmata, quàm apud ipſum Valentinum. Et in libro contra Va- Cap. 1. lentinianos: *Valentiniani, frequentiſſimum planè* Cap. 4. *collegium inter hæreticos. Quia plurimum ex apoſtatis veritatis*. Et infrà: *Novimus optimè originem quoque ipſorum, & ſcimus cur Valentinianos appellemus, licèt non eſſe videantur. Abſceſſerunt enim à Conditore, ſed minimè origo deletur. Et ſi fortè mutatur, teſtatio eſt ipſa mutatio. Valentinus Colorbarſo viam delineavit. Eam poſtmodò Ptolomæus inſtauravit, nominibus & numeris Deorum diſtinctis in perſonales ſubſtantias, ſed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipſa Summa Divinitatis, ut ſenſus, & affectus, & motus incluſerat. Deduxit & Heracleon indè tramites quoſdam, & Secundus, & magus Marcus. Multùm circa imagines legis Theotimus operatus eſt. Ita nuſquam jam Valentinus, ſed tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra cuſtodia regularum ejus conſolatur*. Valentini ac Ptolomæi dogma exponit inferiùs, & adjungit: *Hoc eſt mulam de aſino* Cap. 19. *pingere, & Ptolomæum deſcribere de Valentino*. Etiam Ptolomæi Emendatores memorat, & dicit cauſam: *Extiterunt de ſchola ipſius, diſcipuli* Cap. 33. *ſupra Magiſtrum*. Et in alio capite pergit: *Accipe alia ingenia Curruca Enniani, inſignis apud eos magiſtri, qui & Pontificali ſua authoritate in hunc modum cenſuit*. Curruca fuit neſcio quis impolitus Mimologus, de quo Juvenalis: *Tu tibi nunc* Saty. 6. *Curruca places, fletumque labellis extorques*. Ejus ridiculam perſonam primus induxit Ennius. Hinc neſcio quem ſtolidum & ſuperbum Valentinianæ factionis Doctorem Septimius per ſarcaſmum appellat Currucam Ennianum. Ita & in ſecundo adversùs Ruffinum libro ſcripſit, frequens Tertulliani imitator, Sanctus Hieronymus: *Didymi interpretare Scholion, in quo ille caſſo labore conatur aliorum laborem defendere, quòd Origenes benè quidem dixerit, ſed nos ſimplices homines, Curruca Enniani, nec illius ſapientiam, nec tuam, qui interpretatus es, intelligere poſſimus*. Septimii voces, *Authoritate Pontificali*, videntur innuere, quòd Valentiniana factio ſibi finxerit proprium Romanum Epiſcopum, ſpectrum ſummi Pontificis. Ita enim frequenter finxerunt antiqui hæretici, atque ita Romanæ Eccleſiæ Primatum inſigniter confirmarunt. Suum contra Valentinianos librum Septimius tandem concludit: *Talia myſteria ſuperfruticant* Cap. 39. *apud illos ex materni ſeminis redundantia. Atque ita inoleſcentes doctrinæ Valentinianorum, in ſilvas jam exoleverunt Gnoſticorum*. Quæ omnia iſtius factionis ſchiſmata ac fruſta adducunt, & ipſorum fabulas exponunt Sanctus Irenæus ac Sanctus Clemens Alexandrinus. Nec major unitas fuit inter Marcionitas. Etenim Marcion à Cerdone, à Marcione defecerunt Lucanus & Apelles, & alii plures. Et cuncti ſe in ſuprema capita erexerunt. Nec mireris. Etenim omnes deſcendunt ex Simone Mago: Omnes ex ipſo, dum quiſque ſupra magiſtrum vult tumere ac ſapere, velut è terra fungi eruperunt. Licèt Cadmæi fratres eſſent, ac ſeſe mutuò uti canes & angues odiſſent ac morderent, omnes tamen erant unicum Valentini aut Marcionis examen: Amicum collegium adversùs veritatem. Erant ſchiſmata, ſed vix apparebant. Quia nempè ſuis Præſidibus nullam noverant reverentiam. Hinc & nullam in damnandis Dogmatum quæſtionibus poteſtatem. Licèt Ennianus Curruca Pontificali authoritate ediceret, ſpernebant alii, & ſe cenſebant ſapientiores. Quod ipſum malum fuiſſe etiam in Sabellianis, Arianis, Apollinariſtis, & aliis cunctis hæreticis, poſſit facilè demonſtrari. Hinc inter Eutychianiſtas fuerunt & Acephali. Eadem forma hodiè etiam viget apud Lutheranos & Calviniſtas. Etenim Puritani, Independentes, Arminiani, Gummariſtæ, Memnoniſtæ, & alia id genùs plurima Calvini fruſta, licèt invicem pejùs, quàm diverſi generis feræ, ſeſe oderint, ſolo Romanæ Eccle-

ſiæ communi odio ſunt optimi fratres, & intimi amici. Uti olim Pilatus & Herodes. Iſtud veritatis odium eſt ipſis veritas.

Ex iſtorum ſchiſmatum Septimius dat inſignem cauſam: *Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem profectus rei.* Hoc eſt, juxta eandem regulam ac morem res creſcit ac proficit, juxta quem nata eſt atque cœpit. Porrò omnis hæreſis naſcitur ex ſuperbia, qua Baſilides, Valentinus, Marcion, ac alii omnes Hæreſiarchæ ſe cenſuerunt doctiores omni Eccleſia, ac ipſis etiam Apoſtolis, atque ita non ſunt veriti lacerare illam, & ſe ab ipſa ſeparare. Hinc uti Valentino & Marcioni, ita Valentinianis ac Marcionitis eodem jure licèt *de ſuo arbitrio fidem innovare*. Eodem jure non dumtaxat Lutherus & Calvinus uſi ſunt, ſed plures etiam Lutherani & Calviniſtæ. Marcionis ſchiſmata enumerat in primo hæreticarum fabularum libro Theodo-
Cap. 25. retus: *Apelles, Potitus, Blaſtus, Syneros, Prepon, & Pithon diverſis doctrinis præfuerunt. Omnes autem occaſionem acceperunt ex blaſphemiis Marcionis.* Vide & Sanctum Epiphanium ac Sanctum Philaſtrium.

Plerique nec Eccleſias habent.

Hunc locum Septimius elucidat in quarto libro contra Marcionem. Apoſtolicarum Eccleſiarum dignitatem, ac ipſarum unanime de quatuor unius Evangelii libris judicium exponit,
Cap. 5. ac proſequitur de Marcionis Evangelio: *Habet planè & illud Eccleſias, ſed ſuas, tam poſteras, quàm adulteras. Quarum ſi cenſum requiras, faciliùs apoſtaticum invenias, quàm Apoſtolicam: Marcione ſcilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos & veſpæ, faciunt Eccleſias & Marcionitæ.* Palàm affirmat quòd Marcionitæ habuerint Eccleſias. Utique Epiſcopales. Quia ſine Epiſcopo non poſſit eſſe Eccleſia: Etenim Martyr Ignatius ac Sanctus Cyprianus rectè affirmant Eccleſiam eſſe *adunatum Epiſcopo populum*. An integras illi civitates, & ſoli iſtic Eccleſiam habuerint, nec affirmare poſſim, nec inficiari. Fidelem quarumdam civitatum populum haud dubiè lacerarunt, & ex aliquo ejus fruſto conflarunt ſibi Eccleſiam. Ita enim fecerunt Novatianenſes, Donatiſtæ, Ariani, Apollinariſtæ, Neſtoriani, Eutychiani, ac aliæ omnes majores hæreſes. Ita haud dubiè, quem Epiſcopatus cupiditas abrupit à nobis, fecit & Valentinus. Erant non Apoſtolicæ, ſed apoſtaticæ Eccleſiæ. Quia ipſarum cenſus, ſeu origo referri non poterat, niſi in noſtrum Apoſtatam Marcionem aut Valentinum. Hæc poſterioritas præſcribebat ipſas non eſſe Chriſtianas. Et erant admodum paucæ. Hinc de cunctis iſtis Erronibus, ac indiſciplinata ipſorum converſatione hic dicit Tertullianus: *Plerique nec Eccleſias habent.* Agit de ipſorum præſertim Epiſcopis & Clericis. Et aſſirmat ipſos contra Apoſtolicum Canonem eſſe ordinatos ſine Eccleſiaſtico titulo.

Etenim Presbyteros, Epiſcopos, ac omnem Clerum nonniſi ad Civitates & loca, id eſt, nonniſi ad certam Eccleſiam, & certum in ipſa miniſterium conſecrari omninò mandat Apoſtolicus Canon, laudatus præſertim in epiſtola ad Titum. Hunc adeò venerata eſt omnis ſemper Antiquitas, ut procaciſſima Canonum prævaricatrix Euſebiana factio, volens Iſchyram, Sancti Athanaſii protervum calumniatorem, hominem ineptum & ruſticum, ſaltem in pictura creare Epiſcopum, creaverit ad ſui pagi titulum, mandans illic Eccleſiam ædificari. Pagus ille erat minimus in Mareote, carebat Eccleſia, ejus plebs frequentabat vicini pagi Eccleſiam, nec unquam poſteà accepit Eccleſiam, ideoque Ordinatio iſta erat ſine titulo. Attamen prodire non præſumpſit ſine tituli fuco. Habes hæc in ſecunda Apologia laudati Athanaſii. Hinc de Canonis iſtius prævaricatione Doctor noſter meritò notat ſui temporis hæreticos, & exindè præſcribit ipſos non eſſe veros Chriſtianos. Hinc etiam Sanctum Hieronymum Joannes Hieroſolymæ Epiſcopus, & Sanctum Paulinum arguit Siricius Pontifex: Quòd hic à Lampio Barchinonenſi Antiſtite, ille à Paulino Antiochiæ Patriarcha eſſet abſolutè in Presbyterum conſecratus. Uterque iſtos ſanctiſſimos viros eſt durè perſecutus. Et malum poſtmodò in tantum invaluit, ut ipſi obviare, & omnem abſolutam Ordinationem proſcribere compulſa fuerit Synodus Chalcedonenſis. Et hæc non de ſolis majoribus Ordinibus ſtatuit, ſed palàm etiam de minoribus. Quoſdam ſuo tempore aliud cenſentes meritò reprehendit Theodorus Balſamon. Et Romana Eccleſia, licèt iſtos Canones dudum non probaverit, iſtius tamen Apoſtolicæ regulæ quoad minores etiam
Ordines fuit ſemper tenaciſſima. Ita lucet ex Fol. 95. 98.
antiquo Ordine Romano. Non ita tamen reliquus Occidens. Hunc enim nimia abſolutè ordinatorum Clericorum numeroſitate fuiſſe pollutum queritur in ſecundo de Divinis officiis libro Sanctus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis. Et malum videtur ſemper increviſſe. Etenim in Hibernia non ſolos Clericos, ſed etiam Epiſcopos fuiſſe abſolutè ordinatos affirmat & corrigit Sanctus Anſelmus in literis ad ipſorum Regem Muriadarchum. Etiam Carolus Magnus, Merovingiorum Regum ignavia lapſam Chriſtianitatem reparans, laudati Chalcedonenſis Canonis uſum innovavit in ſuis Capitularibus, ac iſtud ipſum fieri juſſit per Synodum Francofordienſem. Quod ipſum fecerunt Meldenſis Synodus, ac Regia-Ticinenſis. Apud Hiſpanos item Valentina Synodus, & quarta Toletana.

Eaſdem Ordinationes videtur damnaſſe ac proſcripſiſſe Urbanus ſecundus. Etenim Gratianus ſuo Decreto inſeruit hunc illius Canonem: *Sanctorum Patrum Statutis conſona ſanctitate decerni-* Dist. 70. cap. 2.
mus, ut ſine titulo facta Ordinatio irrita habeatur. Et in qua Eccleſia quilibet titulatus eſt, in ea perpetuò perſeveret. Et affirmat editum in Synodo Placentina. Verùm Illuſtriſſimus Dominus Lucas Holſtenius è Vaticana Bibliotheca vulgavit omnes iſtius Synodi Canones, & iſte ibi non reperitur. Biniana Synodorum collectio poſteriorem dumtaxat partem adducit aliis verbis: *Ut*

omnis

Can. 13. *omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus eſt, ſemper ordinetur*. Et adſcribit Synodo Claromontanæ. Verùm prioris partis nemo alius meminit. Et Gregorius ſeptimus, cujus Synodalia veſtigia ſequi ſtuduit ſecundus Urbanus, nullum iſtiuſmodi edidit Canonem, ideoque videtur etiam Urbanus non edidiſſe. Etiam in noviſſima ac ampliſſima Synodorum collectione Philippus Labbæus & Gabriel Coſſartius nullam iſtius Canonis habuerunt rationem. Interim ille poſſit eſſe ab Urbano, & ejus ſtylum ac zelum manifeſtè redolet. Quidquid ſit, certum eſt iſtas Ordinationes & ſeptimo Gregorio & ſecundo Urbano diſplicuiſſe. Videntur tamen tunc non fuiſſe graſſatæ. Etenim Alexandrum Leodienſem Epiſcopum, qui ſub Innocentio ſecundo vixit, quòd ſine Canonia ſeu Præbenda, id eſt, ſine Eccleſiaſtico titulo ordinaſſet neſcio quem Theodoricum, arguit Magnum Belgii Chronicon, atque adjungit: *Quod numquam priùs in more habuerat, vel in illa, vel in alia civitate Eccleſia*. Eodem tempore floruit etiam Robertus Cardinalis Pullus, in ſeptima ſuæ Theologiæ parte ſcribens: *Patet quod abſque titulo ordinari non licet*. Quòd quidam ſub ficto titulo irreperent, queritur & damnat, atque ita affirmat abſolutas Ordinationes tunc necdum fuiſſe. Interim ipſas ex integro eradicare numquam potuit Eccleſia. Cap. 10.

Et hinc oritur quæſtio, Quis Romanorum Pontificum primus ipſas probaverit, aut potiùs permiſerit? Reſpondeo primum hujuſmodi Decretum eſſe à Londinenſi Synodo, celebrata per Joannem Cardinalem de Crema, Honorii ſecundi Pontificis per Angliam Legato: *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum, niſi ad certum titulum ordinetur*. Solos Presbyteros ac Diaconos vetat, ſubdiaconos ac alios inferiores Clericos permittit abſolutè ordinari. Nempè malum tunc adeò invaluerat, ut iſta Synodus deſperaret ſe valere in plenam ejus correctionem. Verùm in ſola Anglia. De Gallia enim atque Germania aliud jam audivimus à Magno Belgarum Chronico, & à Cardinale Pullo. Quare non niſi ſub iſtius Innocentii Papatu cœpit malum invaleſcere. Haud dubiè per occaſionem ſchiſmatis, in quo Cardinalis Petrus Leonis, Anacleti ſecundi nomen & larvam indutus, libertinis Clericis ac Laicis permiſit omnia, atque ita multum Eccleſiaſticæ diſciplinæ aurum eſt verſum in ſcoriam, vinum in aquam. Hic enim eſt conſuetus fructus ſchiſmatum. Et hinc Albertus ac Theodoinus, Alexandri tertii per Normandiam Cardinales Legati, debuerunt edere hunc longè mitiorem ac ſolutiorem Canonem in Abrincenſi Synodo: *Sacerdotes non ordinentur ſine certo titulo*. Soli Sacerdotes. Arctiorem diſciplinam reponere, quia fructum & executionem non ſperavit, non tentavit ipſa magna Lateranenſis Synodus Alexandri tertii: *Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet, niſi talis Ordinatus de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*.

Etiam Presbyterorum abſolutas Ordinationes permittit. Epiſcopum ſolummodò adſtringit ad onus alimentandi, dum Ordinatus nequidem habuerit patrimonium. Quare permittit ordinari ad titulum patrimonii. Et quod Gallicani Epiſcopi tunc paſſim ita ordinarent, lucidè affirmat in litteris ad Urbanum tertium Stephanus Epiſcopus Tornacenſis. Quare moris hujus exordium aliqui perperàm adſcribunt Innocentio tertio. Ep. 12.

Laudatus itaque Lateranenſis Canon ſtatuit varia. Primò ut deinceps nullus in Presbyterum aut Diaconum ordinetur ſine Eccleſiaſtico aut patrimoniali titulo. Secundò permittit ordinari ſine quovis titulo, & tunc alimentandi onus devolvit in Ordinatorem. Et iſtud onus, donec Ordinatus vel beneficium vel patrimonium fuerit adeptus, ſancit tranſire ad Succeſſores. Tertiò, non ſolummodò ordinandis, ſed etiam jam ordinatis Presbyteris atque Diaconis facit iſtum favorem. Etiam Ordinatis per defunctos præſentium tunc Epiſcoporum Anteceſſores. Ita in laudata epiſtola affirmat laudatus Stephanus, unus ex iſtius Canonis conditoribus. Quartò permittit inferiores Clericos ſine quovis titulo ordinari. Quare errorem continet hæc gloſſa: *Idem intellige de Subdiacono*. Rectiùs, qui ſub laudato Alexandro Pontifice vixit, in opere de Sacramentis ſcripſit Hugo de Sancto Victore: *Quod ſine certo titulo Presbyter aut Diaconus ordinari non debeat, dicere quid refert? Cum etiam, ſi perfectionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſequeremur, aliter in Clerum adſumendus non eſſet*. Implicitè queritur Chalcedonenſem Canonem ab Alexandro non fuiſſe reſtitutum. Hubertus tamen Cantuarienſis Archi-Epiſcopus Lateranenſem Canonem in ſua Londinenſi Synodo, exſtante apud Rogerum Hovedenſem, extendit ad Subdiaconos, atque ità ſervatum voluit per omnem Eccleſiam Anglicanam. Eccleſiaſticæ diſciplinæ perfectionem ampliare ſtuduit Urbanus tertius. Iſtum enim Canonem extendit ad omnem Clericum, etiam primæ dumtaxat tonſuræ. Imò deinceps nullum ſine Canonico titulo voluit vel tonſurari. Hinc ad ipſum ſcripſit laudatus Stephanus: *Impoſſibile nobis eſt nomina vel numerum eorum, quos infra Diaconatum ordinavimus, memoriter tenere. Nec minùs impoſſibile eſt omnibus eis vel conferre beneficia, vel neceſſaria providere. Satiùs erit nobis amodò non celebrare Ordines, quàm hæc importabilia ſuſcipere onera. Quod ſi fortè ceſſare nos contigerit, quantum periculum futuris temporibus vel perſonis immineat, nemo dubitat vel ignorat. In Gallicanis enim partibus ad hoc tantùm plerique litteras addiſcunt, ſive parvuli, ſive adulti, ut in Eccleſia Dei gradatim per Ordines promoti Deo ſerviant & miniſtrent. Quod ſi Ordinatores defecerint, deficient Ordinandi: Et ceſſabunt myſteria, ſi miniſteria ceſſare contigerit*. Et ſe & collegas ſuos ad ſervandum Lateranenſem Canonem profitetur paratos & ſtudioſos; verùm ut deinceps nemo ad minores etiam Ordines ſine titulo aut alimentis adſumatur, affirmat eſſe impoſſibile. Nihilominus videtur Pontifex in ſuo Decreto perſtitiſſe. Hinc enim ut abſolutè ordinato Subdiacono competens beneficium conferatur, Epiſcopo Zamorenſi Parte 2. Lib. 3. cap 22.

renſi poſtea mandavit Innocentius tertius. Et adducta per ipſum ratio locum habet in quovis Clerico, ideoque omninò videtur ſe fundare in laudato Decreto Urbani. Lib. 3. Decret. ti. 5. c. 16. Hinc item nata eſt illa Mauritii Pictavienſis Epiſcopi techna, adversùs quam laudatus Innocentius. Lib. 3. Ep. 184. *Audivimus quod anno præterito, antequam Ordines celebrares, per Officialem tuum à ducentis ferè Clericis ordinandis, in eluſionem conſtitutionis Apoſtolicæ, qua Ordinatis ſine titulo per Ordinatores, vel Repræſentatores, aut Succeſſores eorum volumus provideri, feciſti exigi & recipi juramenta, quod nullam à te proviſionem exigerent ratione Ordinationis illius. In quo cum non habueris judicium nec juſtitiam, ſed juri & Sedi Apoſtolicæ injuriam feceris manifeſtam, tranſgreſſioni Canonum adaperiens aditum, & nitens claudere viam proviſioni pauperum Clericorum, quam eis per Conſtitutionem noſtram miſericorditer curavimus aperire.* Hæc ejus conſtitutio eſt laudatum Reſcriptum ad Epiſcopum Zamotrenſem. Etiam in hocce ad Mauritium Reſcripto loquitur generaliter de omni Clerico, atque ita in utroque Urbani tertii Decretum omninò videtur confirmare.

Verùm abuſus pedetentim adeò revixit, ut inter centum adversùs Clerum non toleranda gravamina, quæ è Conventu Nurembergenſi ad Adrianum ſextum retulit, & porrigi inſtitit natio Germanica, quadrageſimus ſeptimus articulus affirmet ab Epiſcopis paſſim ſine & beneficii & patrimonii titulo ordinari homines ineptiſſimos, qui poſtea ex ſcandaloſis ſordibus & pravis artibus coguntur cum Chriſtianæ Religionis dedecore victitare. Et inter antiquæ diſciplinæ articulos, quos è ſacra Tridentina Synodo reſtitui petiit Carolus nonus Galliæ Rex, hic fuit tertius: *Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuò ſecundùm Concilium Chalcedonenſe detur unà cum Ordine beneficium, aut miniſterium aliquod Eccleſiaſticum. Sic enim fiebant Ordinationes à priſcis illis Patribus, qui titulos Presbyterales, multo poſtea tempore inventos, non agnoverunt.* Poſtulavit pro ſolis Presbyteris: Quod plenam totius Chalcedonenſis Canonis reparationem videret depravatis noviſſimorum ſæculorum moribus impoſſibilem. Laudata tamen Synodus eſt ulteriùs progreſſa. Nullum ſine competenti beneficio aut patrimonio permiſit ordinari, adjungens omnes ad patrimonii titulum ordinatos adſcribi miniſterio certæ Eccleſiæ, & nullum ordinari permittens, niſi quos Epiſcopus ad tale miniſterium neceſſarios, aut certè utiles judicaret.

Sine Matre.

Exponit hoc in ſecundo de Eccleſiaſticis officiis libro Sanctus Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis: Cap. 41. *Duo ſunt genera Clericorum. Unum Eccleſiaſticorum ſub regimine Epiſcopali degentium, aliud acephalorum, id eſt, ſine capite, quem ſequantur ignorantium.* Abſolutè ordinatos Clericos, quod neque ullam Eccleſiam in matrem, neque ullum Epiſcopum habeant in patrem, rectè appellavit acephalos. Et Regia-Ticinenſis Synodus: *Nulla ratione Clerici aut Sacerdotes habendi ſunt, qui ſub nullius* Can. 13. *Epiſcopi diſciplina & providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id eſt, ſine capite, priſca Eccleſiæ conſuetudo nuncupavit.* Catholica Eccleſia, uti per Baptiſma generat omnes fideles, etiam hæreticos, ita per ſacroſanctum Ordinationis Sacramentum creat omnes Epiſcopos & Clericos, etiam acephalos ſeu abſolutè ordinatos. Etiam hæreticos. Hinc enim Patriarchæ aut Metropolitæ Epiſcopum conſecraturo aſſiſtens Epiſcopus, Clericos conſecraturo Epiſcopo acclamat Archi-Diaconus: *Venerabilis Pater poſtulat ſancta mater Eccleſia, ut hos Electos conſecretis.* Sine hoc materno totius ſanctæ & Catholicæ communionis influxu nullus poſſit regenerari in Chriſtianum, nullus in Clericum promoveri. Nec apud hæreticos. Verùm magna iſta mater illic per alienum uterum generat, creat per alienas manus. Ad illum modum, quo Sara ex ancillæ utero generavit Iſmaelem. Et hinc quæſtio eſt, Quomodo hic dicat Septimius abſolutè ordinatos Clericos eſſe ſine matre? Reſpondeo hoſce Clericos eſſe projectis & expoſitis filiis ſimiles, qui habent matrem, & non habent. Habent quoad generationem, non habent quoad alimentationis lac, & maternum miniſterium. Quævis Catholica Eccleſia habet ſibi miniſtrantium Clericorum tabulam, ipſam appellat Matriculam, & ipſi inſcriptos regit atque alit ut filios. Alit & in ſpiritu & in corpore. Olim per menſtruas diviſiones ac ſportulas, nunc per beneficia aut alium modum. Iſtic non ſcriptos nec regit, nec illis ſuos titulos aut miniſteria dividit. Hinc Septimius non omnes, ſed dumtaxat pleroſque hæreticorum Epiſcopos & Clericos dixit eſſe ſine matre. Quia nempè ad certum titulum conſecrati illam habent. Aſt ancillam ac repudiatam, non liberam. Creationis ſeu conſecrationis mater eſt univerſalis, miniſterii ac alimentationis mater eſt aliqua ſingularis Eccleſia.

Sine Sede.

Hanc Sedem exponit ipſe Septimius in libro ad Caſtitatem exhortatorio: Cap. 7. *Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus.* Iſte conſeſſus ſeu iſta Sedes olim erat tantæ dignitatis, ut de quibuſdam intruſis Presbyteris ſcribat Sanctus Irenæus: *Principalis conſeſſionis honore elati ſunt.* Lib. 4. cap. 44. Eandem dignitatem in ſuis litteris laudat Martyr Ignatius. Et Sanctus Cyprianus de Aurelio & Celerino, quos Lectores conſecrarat, ſcripſit ad ſuum Clerum: Epiſt. 34. *Presbyteri honorem nos illis deſignaſſe jam ſciatis, ut ſeſſuri nobiſcum.* Et de Numidico à ſe in Presbyterum conſecrato: Ep. 35. *Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero.* Et in litteris ad Sanctum Papam Cornelium laudat *Presbyteros cum ipſo conſidentes.* Epiſt. 42. Et in alia ad eundem epiſtola ſcribit: *Florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti.* Epiſt. 55. Et iterùm in eadem epiſtola: *Cleri noſtri Sacrum, venerandumque conſeſſum.* Epiſt. 66. Et in litteris

ad

Can. 35. ad Clerum Furnenſis Eccleſiæ: *Com · Preſbyteri*
noſtri, qui nobis adſidebant. Et quarta Carthagi-
nenſis Synodus habet: *Epiſcopus in Eccleſia, &*
in conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat, intrà do-
mum verò Collegam ſe Preſbyterorum eſſe cognoſcat.
Et de quibuſdam in perſecutione lapſis Presby-
Can. 1. teris ſanxit Ancyrana Synodus: *Viſum eſt eos bo-*
norem Sedis tenere. Et de Magno Baſilio, ſuo
nuper ſodali, jam in Epiſcopum promoto, ſcri-
bit in ejus encomio Sanctus Gregorius Nazianze-
nus: *Poſteà cum ad eum veniſſem, atque Cathe-*
dræ honorem, inſigniorisque inter Preſbyteros hono-
ris locum recuſaſſem, &c. Et in habita ad Con-
ſtantinopolitanam Synodum oratione exclamat:
Vale Cathedra, invidioſum hoc ac periculoſum faſti-
gium. Pontificum Concilium, Sacerdotum non minùs
majeſtate, quàm ætate ornatorum, & quicumque
tandem alii circa Sacroſanctam Menſam Deo miniſtra-
tis atque ad appropinquantem Deum appropinquatis.
Laudat non ſolorum Preſbyterorum, ſed & Epi-
ſcoporum cum Conſtantinopolitano Antiſtite con-
ſeſſum ad ſacram Menſam. Quem ipſum fuiſſe et-
iam S. Joanni Chryſoſtomo, ac Hæreſiarchæ Neſto-
rio, habemus in Dialogo Palladii Helenopolitani
Epiſcopi, ac in Actis Concilii Epheſini. Quòd nem-
pè ex iſto tempore Conſtantinopolitanus Epiſco-
pus inciperet agere Patriarcham. Conſeſſum iſtum
idem Gregorius eleganter deſcribit in carmine de
Conſtantinopolitana S. Anaſtaſiæ Baſilica: *Sede*
alta, aut alta conſidere mente videbar. Nam neque per
ſomnum mente ſuperbus eram. Preſbyterique graves
ſellis utrimque ſedebant demiſſis: Ætas lecta, Du-
ceſque gregis. Veſtibus in niveis adſtabat turba mi-
niſtrans: Splendorem referens ordinis Angelici. Hi
erant Diaconi in Albis, & Stolis referentibus alas
Sanctorum Angelorum. Hunc conſeſſus Ordi-
nem eſſe antiquum Synagogæ morem, & per
Apoſtolos inductum in Eccleſias, affirmat in pri-
mæ ad Corinthios epiſtolæ commentariis Hilarus
Cap. 14. Romanæ Eccleſiæ Diaconus: *Hæc traditio Syna-*
gogæ eſt, quam nos vult ſectari Apoſtolus, quia Chri-
ſtianis quidem ſcribit, ſed factis ex gentibus, & non
ex Judæis, ut ſedentes diſputent Seniores dignitate
in Cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in
pavimento ſuper mattas. Et hæc eſt Cathedra ſeu
Sedes, qua pleroſque hæreticos carere affirmat
Septimius. Nempè omnes abſolutè ordinatos.
Agit de ſolis Epiſcopis ac Preſbyteris. His enim
ſolis antiqua diſciplina dedit in ſolemni Eccleſiæ
conventu Cathedram, Sedem, aut jus conſeſ-
ſus. Diaconi, utpotè miniſtri, ſtabant parati
ad miniſterium.

Porrò quod abſolutè ordinatus Epiſcopus aut
Preſbyter nullam in Eccleſiaſtica Apparitura Se-
dem, Cathedram, aut conſidendi jus habeat,
res ipſa clamat. Eſt manifeſtum. Hinc de ſe-
metipſo per Paulinum Antiochiæ Patriarcham
abſolutè in Preſbyterum conſecrato ſcribit ad Jo-
annem Hieroſolymæ Epiſcopum Sanctus Hiero-
Epiſt. 61. cap. 16. nymus: *Extra cellulas noſtras locum Eccleſiæ non*
habemus. Nullam in publica Eccleſia Sedem.
Et ad Theophilum Alexandriæ Patriarcham:
Ep. 62. *Unus è populo ſum*. Plura de hac re dixi in noviſſi-
mo opuſculo de Regularium Eccleſiarum jure,
demonſtrans Sanctum Hieronymum non fuiſſe
Rectorem Parochiæ Bethleemiticæ. De cunctis
iſtiuſmodi Clericis ſcribit in opere de Divinis of-
ficiis Sanctus Iſidorus Archi-Epiſcopus Hiſpalen-
ſis: *Hos neque inter laicos ſæcularium officiorum ſtu-* Lib. 21.
dia, neque inter Clericos religio detentat Divina. cap. 3.
Habent ſignum Religionis, non Religionis officium.
Hippo centauris ſimiles: Neque equi, neque homines.
Mixtum genus, proleſque biformis. Et de ita ordi-
natis Monachis habet quarta Toletana Synodus:
Nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur.
Abſolutè ordinatus ſolum Clerici Sacramentum Cap. 52.
& characterem habet, non officium. Et ideò
nec honoratam in Eccleſia Sedem.

Hæc tamen ſunt cum moderamine accipienda.
Etenim uſque ad Chalcedonenſem Synodum,
quæ Monachos ad ſui Monaſterii titulum ordina-
ri permiſit, abſoluta Ordinatio fuit duplex, lar-
ga & ſtricta. Damnata & permiſſa. Etenim
ſtatim à primo Cœnobiticæ per Sanctum Anto-
nium inductæ vitæ exordio Orientalis præſertim
Eccleſia cœpit ad Monaſterii titulum ac miniſte-
rium conſecrare non ſolummodo Preſbyteros,
ſed & Epiſcopos. Pluribus hoc demonſtravi in
opuſculis de Jure Regularium Eccleſiarum. Et
iſtas conſecrationes, licèt nullus tunc Canon,
tamen conſuetudo & ordinantium Epiſcoporum
conſenſus probavit. Et hinc ipſas iſtorum tem-
porum Patres ac alii Scriptores paſſim appellant
abſolutas. Quia nempè ordinatos non adſtringe-
bant ad publicum fidelis populi miniſterium. Ita
S. Hieronymum, ejus fratrem Paulinianum, S. Epi-
phanium, S. Hilarionem, alioſque id genùs Hiero-
Monachos etiamnum hodiè ponimus in iſto gra-
du. Hinc Sanctus Hieronymus dixit ſibi in Ec-
cleſia non eſſe Sedem, niſi intra ſua Monaſteria:
Et in publicis Eccleſiis ſe cenſeri & ſtare inter
populum. Et rectè dixit ſibi eſſe locum in ſuis
cellulis ſeu Monaſteriis. Etenim plurium Mo-
naſteriorum gerebat Præfecturam, atque ita in
ſingulorum Tribunali ac Preſbyterio non ſede-
bat ſolummodo, ſed & præſidebat. Et ex hoc
principio de ejus fratre, à ſe in Preſbyterum con-
ſecrato, Pauliniano ſcribit ad Joannem Hieroſo-
lymæ Epiſcopum Sanctus Epiphanius: *Primùm*
Diaconum ordinavimus, compellentes ut miniſtraret.
Vix compulimus eum & perſuadere potuimus. Et
cùm miniſtraret in ſanctis Sacrificiis, rursùm eum
ordinavimus Preſbyterum. Et impulimus ut ſederet
in ordine Preſbyterii. Poſteà ſcripſimus ad ſanctos
Preſbyteros Monaſterii, & cæteros fratres. Et in-
crepavimus, quare non ſcripſiſſent ſuper eo, cùm
ante annum multos eorum queri audiſſem, cur non
haberent, qui ſibi Domini Sacramenta conficerent,
& illum omnes ſuo poſcerent teſtimonio, & grandem
utilitatem in commune Monaſterii teſtarentur. Ex
his vides in iſtius Monaſterii Eccleſia fuiſſe Pres-
byterium ac Tribunal, atque in ipſo ejus Preſ-
byteros conſediſſe. Iſtic habuiſſe Sedem & Ca-
thedram. Et hoc ad grandem utilitatem. Quæ
omnia conſiderans Chalcedonenſis Synodus pro-
bavit morem, & Monaſterii titulum juſſit dein-
ceps ad ſacros Ordines eſſe authenticum. Et tunc
Hiero-Monachi deſierunt cenſeri inter abſolutè
Ordinatos. Fateor adducta Sancti Iſidori Hiſpa-
lenſis ac quartæ Toletanæ Synodi verba ſonare

aliud.

aliud. Quia nempè loquuntur de alia facti ſpecie. Loquuntur de Monachis neque ad Eccleſiæ, neque ad Monaſterii officium conſecratis. De conſceratis ad valedicendum Monaſterio, & nulli deſerviendum Eccleſiæ. Ad libertinè vagandum. Gnoſtico more.

Monachos ad ſui Monaſterii titulnm ordinati nequaquam induxit, ſed ſolummodo firmavit, & ad omnem Eccleſiſm extendit Chalcedonenſis Synodus. Et iſtos Ordinatos tanti fecerunt magni & antiqui Epiſcopi, ut ipſos ſolemni intra publicam Eccleſiæ Apparitoram Sede honoraverint. Ita fecit Flavianus Patriarcha Antiochiæ. Teſtem adduco religioſam Theodoreti hiſtoriam, quæ de Anachoreta Macedonio, per Flavianum conſecrato in Presbyterum, hæc ſcribit: *Expleto hebdomadæ circulo,* [Cap. 13.] *cùm rediiſſet dies Dominicus, Macedonium rursùs evocat magnus Flavianus, rogatque ut celebritati cum ipſis interſit. Tam ille ad eos, qui venerant, ait: An vobis non ſufficiunt quæ jam acta ſunt, ſed iterùm me vultis Presbyterum creare? Et reſpondentibus illis fieri non poſſe, ut bis fiat eadem manuum impoſitio, non acquievit, nec profectus eſt, donec illum tempus & familiares hoc ſæpius edocuerint.* Macedonius tunc erat, ac ſemper manſit Anachoreta, ideoque nec ad Cœnobii titulum fuit ordinatus: Et tamen ipſum adeò honoravit tantus Epiſcopus. Ipſum invitavit ad ſolemnem Sedem in ipſa Patriarchali Eccleſia. Ejus ſanctitati iſtud deferebat. Quæ omnia largiùs paro exponere in Scholiis ad Canones Chalcedonenſes. Proindè hæreticorum Ordinatio, quam ſine Sede fuiſſe hic ſcribit Septimius, erat omni modo abſoluta. Ad nullum titulum. Vaga & acephala. Creatrix hippo-centaurorum.

Ex iiſdem principiis de Clericis ad patrimonii titulum ordinandis ſtatuit ſacroſancta Tridentina Synodus: *Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio* [Seſſ. 23. cap. 16.] *ſui Epiſcopi non ſit utilis aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus, veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit ut nullus impoſterùm ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aut utilitate adſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus, quod ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.* Chalcedonenſem Canonem juxta Caroli noni Francorum Regis preces plenè reſtituere non voluit, ſed ad patrimonii titulum Ordinationes permiſit ſacra Synodus, attamen & ab iſtis ordinatis juſſit laudatum Canonem cuſtodiri. Omnes hujuſmodi ordinatos juſſit adſcribi ad certam Eccleſiam, illic deſervire gratis, atque ita non eſſe ſine Eccleſia, ſine Matre, ſine Sede. Non eſſe partim laicos, partim Clericos, id eſt monſtra biformia, ac hippo-centauros.

Extorres latè vagantur.

Hanc vagandi libidinem eſſe omnibus abſolutè ordinatis Clericis communem novit & laudata Tridentina Synodus. Hinc enim etiam ad pſtrimonii titulum ordinatos Clericos, ne *incertis ſedibus vagarentur*, adſcribi juſſit certæ Eccleſiæ, & hujus deſertores ſuſpendi ab omni Divino miniſterio. Ab iiſdem paſſim diligi peregrinationes, contemni Canones, & errores ſpargi, affirmat [Can. 18. & 23.] item Synodus Regia-Ticinenſis, ideoque ipſis interdicit omne miniſterium. Loquitur enim præſertim adversùs Godeſchalcum Monachum Orbacenſem, quem à Risboldo Rhemenſium Chor-Epiſcopo conſtat abſolutè ordinatum. De iiſdem habet quarta Toletana Synodus: *Per diverſa loca vagi feruntur.* [Lib. 2. cap 3.] Et Sanctus Iſidorus: *Solutos atque oberrantes ſola vaga vita complectitur.* Etiam Petronianus, quem vagum & ſemper Erronem communione privari per Ravennium Arelatenſem Archi-Epiſcopum mandavit Magnus Papa Leo, erat abſolutè ordinatus. Hinc enim [Epiſt. 107.] ſe mentiebatur Diaconum Romanæ Eccleſiæ. Et Leptinenſis ſub Pippino Francorum Rege Synodus ſtatuit: [Can. 4.] *Omnes undecumque venientes Epiſcopi ignoti vel Presbyteri ante probationem Synodalem in Eccleſiaſticum miniſterium non admittantur.* Quod ipſum repetiit Sueſſionenſis ſub eodem Rege Synodus. [Can. 5.] Addidit Vermerienſis: *Ut ab Epiſcopis ambulantibus per Patrias Ordinatio Presbyterorum non fiat; ſi autem boni ſint illi Presbyteri, iterùm conſecrentur.* Quod ipſum confirmavit & Vernenſis Synodus, adducens cauſam, quòd iſti *vagantes Epiſcopi nec Parochias habeant, nec ſciamus Ordinationes eorum qualiter ſint.* Omnem ipſorum defenſorem mandat excommunicari. Exponit ſecunda Synodus Cabilonenſis: [Can. 43.] *Sunt in quibuſdam locis Scoti, qui ſe dicunt Epiſcopos eſſe, & multos negligentes, abſque licentia Dominorum ſuorum ſeu Magiſtrorum, Presbyteros & Diaconos ordinant. Quorum Ordinationem, quia plerumque in Simoniacam incidit hæreſim, & multis erroribus ſubjacet, modis omnibus irritam fieri debere, omnes uno conſenſu decrevimus.* Antiquam & heteroclitam, Scotis ac Hibernis à Sancto Columbano Hyenſis Monaſterii Fundatore datam, Hierarchiam deſcribit in libris de ejus vita Adamannus Scotus: *Hyenſe Monaſterium, in quo ipſe requieſcit corpore, inter omnia Principatum tenet. Habere autem ſolet ipſa Inſula Rectorem ſemper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipſi etiam Epiſcopi, ordine inuſitato, debeant eſſe ſubjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed Presbyter exſtitit & Monachus.* Et in edita nuper per Abrahamum Wehelocum Chronologia Saxonica Venerabilis Beda: *Præeſſe debet ſemper in hac Inſula Abbas, non autem Epiſcopus,* [An. 563.] *cui porrò omnes Scotorum Epiſcopi ſubjici debent, quoniam Columbanus Abbas fuit, non Epiſcopus.* Iſtic non ad certas Sedes ac Diœceſes, ſed ad ſolum ſub Abbate honorem & obedientiam conſecrabantur Epiſcopi, quos ille prædicaturos mittebat pro arbitrio etiam ad exteras gentes. Porrò noviſſimi Francorum Merovingii Reges labi apud nos permiſerunt omnem Eccleſiaſticam diſciplinam & Chriſtianitatem, atque ita tunc plures iſtius generis Epiſcopi intrarunt noſtras Regiones: Quidam ad prædicandum, quidam ad vagandum & implendos loculos. Hiberni propter priores gloriantur Chriſtianitatem apud nos fuiſſe reparatam à ſuis Majoribus, po-

ſterio-

ſteriores compeſcere & ad ipſorum telegare Monaſterium laudatæ Syondi ſunt conatæ. Verùm plenè noo obtinuerunt. Quod enim hetroclita iſta Epiſcoporum conſecratio adhuc duraret tempore Sancti Aoſelmi, eſt ſuprà oſtenſum. Et quod nec ipſe obtinuerit mali medelam, lucet ex Richardi, qui Sancto Martyri Thomæ proximus ſucceſſit in Cantnarienſem Cathedram, lit-
Epiſt. 53. teris ad ſuos Suffrsganeos: *Diu eſt quod Angelus Satanæ transfiguenee ſe novit in Angelum lucis, & in veſtimentis ovium, atque ſub adumbento ſimplicitate deſævit ab antiquo lupina rapacitas. Sed & diebus iſtis quidam Pſeudo-Epiſcopi Hibernienſes, aut Scoticæ linguæ ſimulantes barbariem, cùm à nullo impoſi··:nem manus acceperint, Epiſcopalia populis adminiſtrant. Teſte quidem Apoſtolo*: Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; *illi verò non per oſtium, ſed aliundè intrantes Eccleſiam Chriſti commaculant, & ut vituperetur miniſterium noſtrum, præſumptione ſacrilega adminiſtrant Epiſcopalis eminentiæ Sacramenta. Cùm enim gratiam ſacræ Unctionis numquam acceperint, celebrant Oedines, Eccleſias dedicant, Altaria conſecrant, benedicunt Abbates, & ſic victum & veſtitum miſerè mendicantes, Sacramenta noſtræ Redemptionis convertant in quæſtum. Ex talium adminiſtratione in Eccleſia Anglicana multiplex occaſio ſcandalorum jam emerſit.* Exſtat epiſtola apud Petrum Bleſenſem. Iſtorum Ordinationem affirmat *dubiam atque incertam*, & adverſam ſacris Canonibus: Quòd oempè abſolutè, neſcio quibus ritibus, ſine Caoonica electione conſecrati, eſſent ſine Eccleſia & Sede, atque ita vsgari & turpiter mendicare cogereatur.

Quod in Sacramentorum adminiſtratione & cunctis Divinis officiis ſingulæ paſſim gentes, immò & ejuſdem gentis quædam Eccleſiæ diverſos olim ritus habuerint, affirmat in libro de Divi-
Cap. 25. nis Officiis Wslafridus Strabo. Et poſſit demooſtrari multis exemplis. Cameracenſis Eccleſia à facta Regnorum per Ludovicum Pium in filios diviſione ſemper reſpexit Lotharingiam ac Germanicum Imperium, atque ita ejus Epiſcopus Metropolitæ ſuo Rhemenſi, ſpectanti ad Galliæ Regnum, non ſemper ex æquo paruit, nec ab illo ſemper fuit conſecratus. Porrò illius electus Gerardus, ſciens ob ſortis diviſionem infringi non poſſe jus Metropoliticum, neqnidem Romæ ab ipſo Pontifice, ſed à ſuo Metropolita conſecrari voluit. Aliud non potuit perſuaderi. Hinc de Henrico tertio Imperatore ſcribit in laudatæ Eccleſiæ Chronico Baldricus Epiſcopus Torna-
Lib. 3. cap. 2. cenſis: *Imperator altioris conſilii illum advertens, libenter acquievit, dataque reditus licentia, largitus eſt ei librum, conſecrationes Clericorum & Ordinationem Epiſcopi continentem, ut per hunc videlicet conſecratus haud fortaſſe in diſciplinatis moribus Carlenſium irregulariter ordinaretur.* Tantum tunc inter Francorum & Germanorum Ordioationes erat rituum diſcrimen. Per Carlenſes enim intelliguntur Fraoci regnantes in Gallia. Longè magis diſtabaot ritus Britonom ac Hibernorum. Quòd enim Nobilium filios in vino, ruſticorum proles in lacte baptizaverint, & Heoricus ſecundus Anglorum Rex iſtos exceſſus corrigi tandem juſſerit, teſtantur authentici Scriptores. Rectè igitur laudatas Francorum Synodos imitatus Richardus data per iſtos Epiſcopos Sacramenta cenſuit dubia, juſſitque iterari. Adversùm eoſdem ſtatuiſſe videtur Francofordienſis Syoodus: *Ut* Can. 57. 58.
non abſolutè ordinentur.

Abſolutas Clericorum Ordinationes, & taliter Ordinatorum vagationes olim fuiſſe frequentiſſimas queritur, & corrigi poſtulat etiam in litteris ad Sanctum Cyrillum, ſuum Alexandriæ Patriarcham, Sanctus Syneſius Ptolomaidis Epiſcopus, Pentapolitanæ Provinciæ Metropolita, Alexander è Cyrenenſi cive & Monacho Baſiloopolitanus in Bithynia Epiſcopus, quòd Sancto Joanni Chryſoſtomo per Synodum ad Quercum damnato communicare conſtanter perrexiſſet, & quod ab ipſo contra Nicomedienſis Metropolitæ jura fuiſſet conſecratus, ejectus fuit cum aliis laudati Joannis Fautoribus, atque ita rediit in patriam Provinciam, ſedemque fixit Ptolomaide, civitate Metropolitana. Et quooiam Provincia hæc ſuberat Alexaodrino Patriarchatui, ex Theophili, qui damnaodi Joannis fuerat author, Patriarchæ metu fuit ille neglectus, ne peregrina quidem communione honoratus. Tandem verò ſuper Joannis memoria coiit Eccleſiarum pax, & jam à triennio cojerat, & tamen Alexander permaoſit Ptolomaide, ne vel cogitans de ſibi commiſſa Eccleſia. Hinc an, & qualiter cogendus ad reditum, & quomodo interim tractandus eſſet, hæſit, ac ad ſuum Patriarcham retulit Syneſius, atque hac occaſione addidit de Clericis vacantivis: *Vagantur quidam* Epiſt. 66. & 67.
apud nos vacantivi. Patieris enim me paululum barbarè loquentem, ut uſitata apud Rempublicam voce nonnullorum nequitiam expreſſiùs declarem. Hi certam quidem nullam Sedem habere volunt, qui quam habebant antea reliquerunt, non ulla calamitate pulſi, ſed ſponte locum mutantes. Honoribus porrò ſequuntur, eò vagantes ubi majus eſt compendium. Mihi verò, Reverendiſſime Pater, ita videtur oportere eis, qui ſuas Eccleſias reliquerunt, omni Eccleſia interdici, & priuſquam illuc redeuntes ſe receperint, neminem ad Altare eos admittere, neque ad primas Sedes invitare, ſed inter gregarios in plebeis ſubſelliis relinquere, cum Eccleſiam adibunt. Nam citiùs ad ſua loca revertentur, ſi honoris ſui jacturam metuant, quem capere ubivis malunt, quàm ibi, ubi convenit: Malint autem illic ſaltem, quàm nuſquam omninò percipere. Hæ litteræ paſſim putantur ſcriptæ ad Theophilum, Sancti Cyrilli avunculum, ac in Alexandrino Throno proximum Præceſſorem. Verùm Eccleſiarum, quam laudant, à triennio facta ſuper Sancti Joannis memoria pax aliud evincit. Theophilus enim nonniſi in mortis lecto admiſit Joannis memoriam, ipſamque denuò Cyrillus abjecit, ideoque hæ Syneſii litteræ debent eſſe ad ipſum, & quidem poſt initam pacem. Laudant item hac de re ſcriptas ad Atticum Epiſcopum Conſtantinopolitanum litteras, quas conſtat non Theophili eſſe, ſed Cyrilli. Laudant non qualemcumque, ſed plenam Eccleſiarum pacem, quæ omnes ob Sancti Joannis communionem fugatos Epiſcopos redire permiſit, etiam dubiæ Ordinationis Ale-

xan-

Digitized by Google

xandrum. Hæc autem pax eſt Theophili morte multò poſterior.

Verùm quid ſunt Epiſcopi aut Clerici vacantivi? In ſuis ad Syneſium Scholiis Dionyſius Petavius affirmat fuiſſe abſolutè ordinatos, quales fuerunt Hyenſes Hiberni. Etenim vocem, *Vacantivus*, licèt ſemi-barbaram, Syneſius aſſerit à Republica uſurpari, ac ſe in ejus ſenſu loqui. Ea utitur Ælius Lampridius in vita Alexandri Auguſti: *Nec quemquam paſſus eſt Alexander eſſe in Palatinis, niſi neceſſarios homines. Jurejurando denique conſtrinxit, ne quem adſcriptitium, id eſt, vacantivum haberet.* Et in Baliſtæ vita Pollio: *Quod ejus conſilio nullum adſcriptitium, id eſt, vacantem, & Tribunum nullum ſtipatorem haberet, qui non verè pugnaret.* In lege ad Paulinum Officiorum Magiſtrum, exſtante in ſexto libro Theodoſiani Codicis, ſtatuunt Imperatores Theodoſius
Tit. 27. ſecundus ac Valentinianus tertius, ut Agentes
cap. 13. in rebus, qui actu ſerviant ac ſtipendia percipiant, ſint deinceps in certo numero, *vacantes autem præeuntium gradus obſequendi ordine mereantur*. In legibus ad Conſtantium & Longianum, ſacrarum largitionum Comites, Imperatores Ar-
Tit. 20. cadius & Honorius diſtinguunt Palatinos ordi-
cap. 15. narios & *ſupernumerarios, ex quibus in decedentium*
17. *tium locum ſubrogentur*. Hi omninò ſunt, quos
Tit. 22. Lampridius appellat *Vacantivos*. Supernumera-
cap. 2. rios etiam Caſtrenſianos, qui loca vacantia occupent ſuo tempore, memorant Honorius &
Lib. 2. Theodoſius Auguſti in lege ad Scholaſticum
tit. 1. Comitem Sacri Palatii. Eoſdem in lege ad Se-
cap. 15. leucum Prætorio Italiæ Præfectum Honorius *nullius corporis ſocietate conjunctos*, in lege ad Altimum Romanæ Urbis Præfectum Valentinianus
Tit. 16. ſecundus inſcribit *Otioſos*. Etiam *Adcreſcentes* re-
cap. 1. perias dici, ac ex ejuſmodi præſertim militibus & Curialibus fieri deficientis militiæ & Curiæ ſupplementa. Quocirca Vacantivus etiam Clericus aliud non eſt, quàm Clericus dumtaxat adſcriptitius, ſupernumerarius, adcreſcens, otioſus, abſolutè ordinatus, qui obſequii aut ætatis merito in alicujus titulati locum ac ſtipendium ſuccederet, atque ita fieret deficientis Hierarchiæ ſupplementum. Abſolutè enim ordinatus Clericus, quoniam nec Præfecturam nec officium habet, non ſpectat ad Hierarchiam.

Sed quæſtionem faciunt hæc Sancti Syneſii verba: *Suas Eccleſias reliquerunt*. Et hæc: *Honoris ſui jacturam metuunt*. Utique honoris, quo primas in Eccleſia Sedes habent, ſeu conſeſſum in Sacro Tribunali. Hi ergò non erant ſine Eccleſiis, Matre, ac Sede, ideoque nec abſolutè ordinati. Reſpondeo ipſos fuiſſe ſimiles hodiernis Clericis patrimonialibus, quos nonniſi ad certum certæ Eccleſiæ, quod gratis exequantur, miniſterium ordinari permiſit, & ſub ſuſpenſionis reatu vagari prohibuit ſacroſancta Tridentina Synodus. Hanc ipſiſſimam diſciplinam laudat Syneſius, ſupplicatque per Patriarcham Cyrillum mitti in executionem. Viguit illa uſque ad Synodum Chalcedonenſem. Per hanc, quod vacantivis iſtis eſſet nimia, & quaſi inſuperabilis vagandi licentia, fuit abolita, exſtincti omnes vacantivi Clerici, ſancitumque ne quis ſine firmo ac reali titulo deinceps ordinaretur. Sancitum fuit de ſolis Clericis. Vacantivos enim Epiſcopos Eccleſia numquam, aut longè rariſſimos conſecravit, ideoque reformator Canon non fuit neceſſarius. Ex quo vides avitam diſciplinam, quam Chalcedonenſis Synodus correxit, fuiſſe reſtitutam à Tridentina Synodo: Aut potiùs, quòd Chalcedonenſis correctio corruptis noviſſimorum temporum moribus videretur nimiùm ardua, permiſſam. An ipſam habuerit etiam Tertulliani ſæculum ignoro. Quidquid ſit, ille Gnoſticorum Clericorum Clericos rectè arguit, quòd nec Eccleſiam haberent nec Sedem, utique laudatam hic à Syneſio, quæ palàm eſt Sedes Sacri Tribunalis. Ipſos arguit, quòd neque iſtam laxiorem ſervarent diſciplinam.

Porrò dicta vagandi libido poſſedit etiam aliorum hæreticorum Epiſcopos & Clericos. Etiam abſolutè non ordinatos. Ita ad Sanctum Cyprianum Sanctus Papa Cornelius ſcripſit, neſcio Ep. 48.
quem hæreticum *Evariſtum de Epiſcopo jam nec laicum remanſiſſe, Cathedræ & plebis extorrem, & de Eccleſia Chriſti exulem, per alias longè Provincias oberrare, & ipſum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quoſdam ſui ſimiles paria naufragia concitare*. Addiderat & ſimilem Eccleſiæ ſuæ Diaconum Nicoſtratum fugiſſe in Africam, ac de ipſo reſcripſit Cyprianus: *Et nunc Eccleſiæ deſertor ac profugus, quaſi mutaſſe ſit hominem mutare regionem*. Etiam Sancti Cypriani hæreticus Diaconus Novatus per omnem Africam atque Italiam vagatus eſt, ipſam Romanam turbavit Eccleſiam, & primus Novatiani ſchiſma in ipſa conflavit. Etiam ob errores à Demetrio Epiſcopo damnatus Origenes, profectus eſt in Palæſtinam, & quaquaversùs venenum ſeminavit. Et adversùm ſimiles Atii & Arianorum Epiſcoporum & Clericorum gyros prodiit ſextus Canon Nicænus. Et de Valente, Murſienſis in Illyrico civitatis Epiſcopo & Proditore, quod in Gothico militari habitu vagaretur, & ipſis etiam Italiæ Eccleſiis præſumeret novos intrudere Epiſcopos in litteris ad Imperatorem Gratianum quæritur Synodus Aquilejenſis. Et ad Nicetam Aquilejenſem Epiſcopum ſcribit de Pelagianorum Clericis Magnus
Papa Leo: *Relictis Eccleſiis, in quibus Clericatum aut acceperant aut receperant, inſtabilitate ſua per diverſa circumferuntur, amantes ſemper errare, & nunquam in Apoſtolico fundamento permanere*. Ep. 86.
Imitabantur Principes ſuos, Pelagium, Cœleſtium, Julianum, Marcellum, Florum, Orentium, quos toto Romano orbe fuiſſe vagatos docent varia Romanorum Pontificum ac Imperatorum Reſcripta, Actaque Synodi Epheſinæ. Poſt inflictam damnationem præſertim vagantur iſtiuſmodi homines. Damnatio enim habet Divinæ in Cain ſententiæ virtutem & characterem, atque ita percuſſos à ſe Epiſcopos & Clericos cauteriatæ conſcientiæ tremore percellit, proſcribit à Dei facie, & compellit ad toto orbe vagandum. Et hinc Imperator Gratianus ſuam, qua degradatum Epiſcopum à ſola ablata Cathedra relegavit ad centum millia paſſuum, & alibi ubivis permiſit quietè vivere, legem noluit favere hæreticis.

Avi-

Avitam exilii, & in qnodpiam Romani Imperii extremum antrum deportationis pœnam voluit eſſe firmam ac inconcuſſam. Etiam de hæreticis ſcripſit ad Timotheum Apoſtolus. *Ex his ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis*. Hoc vitium quam maximè poſſedit Gnoſticos, quos ad lubricarum mulierum non ſolummodo carnem, ſed etiam crumenam captivandam ſcimus fuiſſe ſalaciſſimos. Hæc enim libido Marcum Ægyptium vagari adegit uſque in Galliam Lugdunenſem. Quare præſertim adversùm illos noſter Septimins hoc in loco loquitur.

Eandem vagandi licentiam in ſuis etiam Epiſcopis quandoque paſſa eſt Matet Eccleſia, ac ſemper damnavit. Etenim in ſermone de Lapſis ſcribit S. Cyprianus: *Epiſcopi plurimi, quos & hortamento oportet cæteris eſſe & exemplo, Divina procuratione contempta, procuratores rerum ſæcularium fieri, derelicta Cathedra, Plebe deſerta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari*. Affirmat hoc eſſe nnum è peccatis, quibus Divina vindicta & generalem peſtilentiam immiſetat, & captivitatem à Barbaris, & ab Imperatore Decio crudeliſſimam perſecutionem. Et hinc [illegible]pem iſtam in Epiſcopis & Clericis licentiam ti[illegible]ſſimè circumcidunt & damnant Canones Apoſtolici, Antiocheni, & Sardicenſes. Ipſos obligant ad conſtantem reſidentiam. Quin & Baccharii, viri eruditi & Sancti, peregrinationem, licèt Dei amore factam ad exemplum Abrahæ, apud Romanum Pontificem fuiſſe accuſatam, & indiguiſſe apologia, teſtarur in virorum illuſtrium catalogo Gennadius Maſſilienſis.

CAPUT XLIII.

Notata hæreticorum cum curioſis omnibus commercia.

NOtata ſunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quàm pluribus, cum Circulatoribus, cum Aſtrologis, cum Philoſophis, curioſitati ſcilicet deditis. *Quærite & invenietis*, ubique meminerunt. Adeò & de genere converſationis qualitas fidei æſtimari poteſt. Doctrinæ judex diſciplina eſt. Negant Deum timendum. Itaque libera ſunt illis omnia & ſoluta. Ubi autem Deus non timetur, niſi ubi non eſt? Ubi Deus non eſt, nec veritas ulla eſt: Ubi veritas nulla eſt, meritò & talis diſciplina eſt. At ubi Deus, ibi metus in Deum, ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio devota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia unita, & Dei omnia.

SCHOLION.

Commercia hæreticorum cum Magis.

Cap. 57. DOctor pluta dicit in libro de Anima: *Ecce hodiè Simonis hæreticos tanta præſumptio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab Inferis movere ſe ſpondeat, & credo quia mendacio poſſunt*. Per Simonis hæreticos intelligit omnes cujuſcumque factionis Gnoſticos: Quòd omnes è Simonis diſciplina proceſſerint, tanquam fungi ex eadem
Cap. 34. corruptæ arboris radice. Et quidem Simon poſt ſibi inflictam à Sancto Petro Apoſtolo damnationem fuit tantus ejeratæ Magiæ reſumptor, ut Helenam Tytiam meretricem ad ejus complementum è proſtibulo emerit iſto ipſo pretio, quo emere voluerat Spiritum Sanctum. Etiam de ejus diſcipulo Carpocrate ſcribit Septimius: *Carpocra-* Cap. 35.
tes pariter Magus, pariter Fornicarius. Et in primo contra Matcionem libro ſcribit de Marcionitis:
Nam & Mathematici plurimùm Marcionitæ. Con- Cap. 18.
ſonat Sanctus Irenæus. Simonis Magiam ae dogmata amplè exponit, atque proſequitur de omni ipſius turpiſſima progenie: *Igitur horum myſtici Sa-* Lib. 1.
cerdotes libidinosè quidem vivunt, Magias autem cap. 20.
perficiunt, quemadmodùm poteſt unuſquiſque ipſorum. Amatoria quoque & Agogima, & qui dicuntur Paredri, & Oniropompi, & quæcumque ſunt alia parerga, apud eos ſtudiosè exercentur. Et in alio
libro: *Super hæc arguentur qui ſunt à Simone &* Lib. 2.
Carpocrate, & ſi qui alii virtutes operari dicuntur, cap. 56.
non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis hominibus facientes ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas illuſiones, & uni-

verſu

verſa fraude plus lædentes, quam utilitatem præſtantes his, qui credunt eis in eo quod ſeducant. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur: Si tamen & hoc faciunt. Neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos, quemadmodum ſæpè even[illegible]*eri ſecundùm corporalem infirmitatem, vel earu*[illegible]*que à foris accidunt infirmitatum bonas valetudines reſtaurare. Tantùm abſunt ab eo ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem.* Et in ſequenti capite pergit de iiſdem Erronibus: *Dicentes autem ſe ex eadem circulatione cum* JESU *habere animas, & ſimiles ei eſſe, aliquando autem & meliores, ad opera producti quæ ille ad utilitatem hominum & firmitatem fecit, nihil tale nec ſimile neque ſecundùm aliquid in comparationem quod venire poſſit, perficere inveniuntur. Sed etſi aliquid faciunt per Magiam quemadmodum diximus operari, fraudulenter ſeducere nituntur inſenſatos, fructum quidem & utilitatem nullam præſtantes, in quos virtutes perficere ſe dicunt; adducentes autem pueros inveſtes, & oculos deludentes, & phantaſmata oſtendentes ſtatim ceſſantia, & nequidem ſtillicidio temporis perſeverantia, non* JESU *Domino noſtro, ſed Simoni Mago ſimiles oſtenduntur.* Aſſerebant dari animas diverſæ ſubſtantiæ: Et ſuas eſſe ex iſta materia, ex qua fuit & Domini anima. Hinc ſibi eſſe eandem, immò majorem virtutem miraculorum. Ita pravas artes ſtuduerunt operire. Etiam Ophitarum dogma exponit in ſexto contra Celſum libro Origenes, & adjungit: *An Oſtentatores* Fol. 300. *talium rerum pollicentur aliquas artes Magicas, & hæc ſit Summa eorum ſapientiæ, nos nihil ſuper hoc habemus compertum. Numquam enim horum quicquam ſpectavimus.* Et pergit in ſeptimo libro: *Ophiani, aut qui ſunt horum alii ſimiles ſpe-* Fol. 352. *ctra commendant, homines Magi & impoſtores.* Et de Carpocratis fœda fæce Sanctus Epiphanius: *Hujus deteſtandæ diſciplinæ alumni horribilium ac teterrimorum facinorum varia genera moliuntur. Nam & maleficas artes exercent, & ad machinanda quælibet, veneficia & cantiones excogitarunt, velut ad philtra & amoris illecebras. Immò etiam familiares ſibi Dæmones quoſdam alliciunt, ut multiplicibus iis præſtigiis ſummam ſibi, ut ajunt, in omnia poteſtatem vindicent, ac quod cuique libuerit, & quodcumque agere in animum induxerit, idipſum audeat ſuſcipere. Hoc autem eo conſilio faciunt, quod certè ſibi perſuadeant per tot & tam diverſa facinora mundi fabricatoribus Angelis, omnibuſque quæ in mundo ſunt proſtratis atque contemptis, illorum ſe non mundi fabularum potiùs artificum poteſtatem tranſgredi, quo cœleſtem libertatem obtineant, & ſursùm ſuſpirare atque evolare poſſint.* Magica Gnoſticorum hæreticorum nequitia eſt omnibus nota. Sceleratos homines eò ſeduxit malus intellectus Dominici mandati: *Quærite, & invenietis.* Per ſceleratam, & apud omne hominum genus damnatiſſimam artem tentarunt eminere ſupra ipſum Chriſtum Dominum. Et ipſius immaculatam Religionem fecerunt apud gentiles horrendùm fœtere; ad iſtud immiſſi à Diabolo.

De genere converſationis qualitas fidei æſtimari poteſt.

Uti in libro de velandis Virginibus, ita & hic Cap. 1. Septimius diſtinguit fidei regulam à diſciplina ſeu à morum regulis, quas Græca voce paſſim appellamus Canones. Quod ipſum affirmat, ac ex Nicæna Synodo demonſtrat in libro de Ariminenſi ac Seleucienſi Synodis Sanctus Athanaſius. Laudata enim Synodus ſub alia Decretum fidei, ſub alia forma concepit Canonem Paſchalis feſtivitatis. De hoc dixit: *Viſum eſt.* Hoc eſt, ita nos ſtatuimus & ſancimus. De illo dixit: *Ita credit Eccleſia Catholica.* Utique tanquam à Deo traditum. Non fidei dumtaxat ſymbolum, ſed & alia Decreta; quæ Canones appellant, iſtic fuiſſe edita, affirmat etiam Socrates. Et in litteris ad Sanctum Exuperium Tholoſæ Epiſcopum Sanctus Innocentius primus Pontifex ſcribit Canones eſſe *vitæ & morum probabilium* diſciplinas, quibus Chriſtianorum vita *in ſua cujuſque profeſſione debeat contineri.* Et in Chalcedonenſi Synodo dixit Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus: *Aliud eſt definitio, aliud regula.* Act. 1. Quòd definitio de fide ſit, regula ſeu diſciplina de moribus. Et in litteris ad Hiſtriæ Epiſcopos Pelagius ſecundus: *Omnes novimus, quod in Synodis num-* Cap. 17. *quam Cnaones, niſi peractis definitionibus fidei, niſi perfectis Synodalibus Geſtis habeantur, at ſervato ordine, cùm priùs Synodus ad fidem corda ædificet, tunc per regulas Canonum mores Eccleſiæ & actus componat.*

Porrò Canones eſſe aut Apoſtolica, aut certè Apoſtolicorum Patrum Conſtituta, addit in laudata epiſtola Innocentius Pontifex, ac probat ex ſecunda Apoſtoli ad Theſſalonicenſes epiſtola: *State ac tenete traditiones noſtras, quas tra-* Cap. 2. *didi vobis, ſive per verbum, ſive per epiſtolam.* Vox, *Noſtras*, & vox, *Tradidi*, vario ſuo numero edicunt traditiones ſeu ſanctiones iſtas fuiſſe Apoſtolici Collegii, & Paulum ipſarum fuiſſe dumtaxat Præconem ac Executorem. Eas in litteris, per quas Dioſcori Patriarchæ degradationem Aleaandrino Clero ac Imperatori Martiano retulit, Chalcedonenſis Synodus appellat *Canones Divinos.* Eodem modo in libellis, quos Agapeto Pontifici adversùs Anthymum Trapezuntis Epiſcopum obtulerunt Conſtantinopoli, loquuntur ſecondæ Syriæ Mōnachi, & cuncti Epiſcopi Orientales. Nicænos Canones eſſe *Spiritus* Ep. 53. & 54. *Sancti Conſtituta* affirmat in variis litteris Sanctus Leo Magnus. Et ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum in Illyrico Vicarium, ſcribit cunctos generatim *Patrum Canones eſſe Spi-* Ep 84. *ritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſe-* cap. 2. *cratos.* Quod ipſum affirmat ſeptima Synodus, ideoque atium appellat *Divinos.* Eos octava Synodus vocat *ſecunda Dei eloquia, & Mandatum Domi-* Can. 1. *ni lucidum, illuminans oculos.* Et adjungit cauſam: *Luci veraciter adſimilatæ ſunt Divinorum Ca-* Can. 1. *nonum hortationes & dehortationes, ſecundùm quod diſcernitur meliùs à pejori, & expediens atque proficuum*

ſicuum ab eo quod non expedire, ſed obeſſe dignoſcitur. Addit Anaſtaſii Bibliothecarii marginale Scholion: *Secunda eloquia Patrum dicit, quia Divina ſunt prima*.

Et hinc ad Africæ, Galliæ, atque Hiſpaniæ Epiſcopos rectè ſcripſit Papa Zozimus: *Cùm adverſùs Statuta Patrum venitur, non tantùm illorum prudentiæ atque ſententiæ, qui in ævum victura ſanxerunt, ſed ipſi quodammodo fidei & Catholicæ diſciplinæ, irrogatur injuria.* Epiſt. 2. cap. 1. *Quid enim tam ſanctum atque venerabile eſt, quàm penitùs non exorbitare ab itinere Majorum, quorum Canonica Inſtituta veluti quædam fundamenta ſunt ferendis fidei jacta ponderibus*. Et ad Orientales Epiſcopos Symmachus Pontifex: *Quando Paternarum regularum deſpiciuntur inventa, nec eorum quæ benè inſtituta ſunt firmitas vindicatur, hujuſmodi impietates neceſſe eſt fidei ſupervenire. Nam ubi facilis diſſolutio eſt rationabilis Conſtituti, ibi omnis ſanctitatis forma corrumpitur, Chriſtus impetitur*. Laxato Canonum fundamento ſuperpoſitum fidei pondus non poteſt non ruere. Laxatio enim iſta laxat & charitatem, per quam non ſolùm operatur fides, ſed quæ & fidem in nobis operatur. Et hinc protervi Canonum prævaricatores etiam de prava fide ſemper fuere ſuſpecti. Porrò apud Gnoſticos non hic aut ille Epiſcopus aut Clericus, ſed omnis ipſorum factio Apoſtolicos, hoc & proximo capite laudatos, Canones non tantùm prævaricata fuit, ſed & exſufflavit, ac pro Patrum diſciplina induxit acephalam vivendi licentiam. Quod enim etiam Eccleſiaſtica jejunia, uti ad Deum legis ſpectantia, exſufflaverit, ac inſigniter epularetur, affirmat Sanctus Epiphanius. Hær. 26. cap. 5. Rectè igitur Septimius ex ipſorum converſatione præſcribit etiam fidem æſtimandam, & diſciplinam eſſe doctrinæ indicem. Vera enim Eccleſia, uti non circa fidem, ita nec circa mores poſſit à paterna, Apoſtolica præſertim, traditione deviare. Etiam Lutherani & Calviniſtæ Eccleſiaſtica jejunia, ſacros ritus, Sacramentorum cæremonias, immò & quædam Sacramenta exſufflant, rident, proſcribunt ad ſervitutem legis. Quia nempè ſunt filii Gnoſticorum.

Negant Deum timendum.

Marcionitæ duplicem ſunt fabulati Deum, plenè bonum alterum, alterum plenè malum, ideoque iſtum diligendum tantummodò, hunc dumtaxat timendum. Hunc veteris, illum garrierunt eſſe Deum novi Teſtamenti. Quidquid timetur, credidere malum. Novi Teſtamenti garriverunt adeò bonum, adeoque nullas ab ipſo irrogari pœnas, ut etiam Cain, Sodomitas, Pharaonem cum ſuis Ægyptiis, & quoſvis alios à veteris Teſtamenti Deo damnatos impios blaterarint ab iſto abſolutos & ſalvatos. Ita teſtatur Sanctus Irenæus, addens nos, quòd Deum timeamus, ab illis tamquam idiotas derideri. Lib. 1. cap. 29. Verùm enim verò aliud eſt Deum eſſe malum, aliud eſſe juſtum. Nec ſolum malum aut ſupplicium, ſed & illum, qui hujus infligendi legitimam poteſtatem habet, legitimè ac meritò timemus. Quin & ſupplicium, dum juſtum eſt, non eſt malum. Impius enim nullibi eſt convenientiùs, quàm in pœnis. Et hinc nequaquam ſola bonitate, ſed inſuper juſtitia, etiam vindicativa, conſtare debet vera Divinitas. Qualis enim Rex, qualis Deus, qui impios non caſtiget? Quod ipſum inficiari & ipſi non potuerunt Gnoſtici, apud laudatum Irenæum aſſerentes Abel, Enoch, alioſque Patriarchas & Prophetas, ob adoratum Legis Deum ab Evangelii Deo eſſe damnatos. Iſti igitur Fabulones ſibi finxerunt ridiculum Divinitatis ſpectrum: Fœdum idolum. Quæ omnia validè & ſolidè noſter Septimius demonſtrat in primo ac ſecundo libro contra Marcionem. Lib. 1. Ibidem frequenter dicit Marcionitarum Deum eſſe Deum Epicuri. cap. 25. Quod ipſum ſuprà dixit Sanctus Irenæus. Lib. 2. Rationem dat in quinto Divinarum Inſtitutionum libro cap. 27. Lactantius Firmianus: Lib. 4. cap. 15. *Epicuri Philoſophia nihil ad Deos pertinere cenſet, nec gratia eos tangi, nec ira moveri*. Lib. 5. cap. 19. Ob nulla facinora aut flagitia. Hinc non timendos. Cap. 10.

At inquies Sodomitas, Pharaonem cum ſuis Ægyptiis, Deo rebelles in eremo Judæos, ac perditos in diluvio impios fuiſſe dumtaxat temporaliter caſtigatos, & ſervatos in vitam æternam docet etiam Robertus Cardinalis Pullus. Part. 6. cap. 53. Etiam in ſuis ad Nahum Prophetam Commentariis Sanctus Hieronymus. Ejuſdem ſententiæ fuiſſe Sanctum Auguſtinum affirmat in litteris ad Robertum Lincolnienſem Epiſcopum Theobaldus Stampenſis. De quo quidquid ſit, Auguſtinus in libris adverſùs Parmenianum omninò ita docet Lib. 3. cap. 1. de Anania & Sapphira, percuſſis ab Apoſtolo Petro. Etiam de malè communicantibus, quos in prima ad Corinthios epiſtola notat Sanctus Paulus: Cap. 11. *Idcircò inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi*. Et addit: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Item de Felice, Ruſpenſis Eccleſiæ ambitioſo Diacono, & Sancti Fulgentii Epiſcopi ſui peſſimo hoſte, ideoque intra annum Divinitùs percuſſo, ſcribit in laudati Antiſtitis vita Ferrandus Diaconus Carthaginenſis: Cap. 17. *Felix, & conſentiens ei Procurator dederunt pœnas temporalis audaciæ, quibus potens eſt Deus præparare in futuro gratiam cœleſtis indulgentiæ*. An ergò tanti viri delirarunt cum Gnoſticis? Reſpondeo inter ipſos & Gnoſticos eſſe magnum chaos. Exponit illud præfatus Theobaldus: *Auguſtinus dicit quod quidam ex Sodomitis ſalvati ſunt per bonam compunctionem & verum cordis gemitum*. Gnoſtici cunctos ſine pœnitentia, Patres per finalem pœnitentiam dumtaxat aliquos, non à diverſo, ſed ab unico Deo vivo & vero affirmant ſalvatos. Quæ miſericors ſententia an vera ſit, nolim hic diſputare. Lib. 4. diſt. 15. Videatur Petrus Lombardus.

Libera ſunt illis omnia.

Rectè ad Anaſtaſium ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Ille eſt iniquiſſimus, quem nec pœnæ corporales deterrent ab immundis operibus ſordidæ voluptatis*. Ep. 144.

tis. Et in libro de ſpiritu ac littera: *Ubi Sanctus* Cap. 4 *non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, profectò lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum, ſicut aquæ impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, majori cumulo præcipitatus, violentiùs per prona provolvitur*. Hujus obiecis ſolutio Marcionitas, ac præſertim Gnoſticos, reddidit vario facinore & omni etiam contra naturam flagitii monſtro longè fœdiſſimos, atque inſanos ſupra omnem hircum. Etenim Thyeſtææ in Euchariſtia epulæ, & promiſcua in nocturno Eccleſiæ conventu libido, de quibus novella Chriſti Domini Religio dudum fœtuit apud Romanum Imperium, omninò fuerunt Dogmata & Canones horum nebulonum. Bonum ſuum Deum blaterarunt delectari ſola noſtra ſine operibus dilectione ac fide, nullo crimine offendi, aut moveri ad vindictam. Blaſphemiæ radices ſunt ſuperiùs expoſitæ. Divini, licet dumtaxat ſervilis, timoris neceſſitatem ac variam utilitatem expoſui in Diſſertatione de Chriſtiana Contritione.

Divinam Majeſtatem ita carere, ideoque nec timendam eſſe, eſt Epicuri & quorundam aliorum Gentilium Philoſophorum dogma, ex quo ille profecit ad abnegandam omnem Divinam Providentiam. Et hinc, Marcionis Deum antiqui Patres rectè dixerunt eſſe Deum Epicuri. Errorem inſigni libro, quem de ira Dei inſcripſit, ſcrutavit Lactantius Firmianus, ac demonſtravit ab ipſo everti omne humanum genus. Audia-
Cap. 12. mus pauca ejus verba: *Niſi cupiditates noſtras Deus, qui falli non poteſt, coercuerit, ſceleratè impieque vivemus. Spectari ergò actus noſtros à Deo, non modò ad utilitatem communis vitæ attinet, ſed etiam ad veritatem, quia religione juſtitiaque detracta, vel ad ſtultitiam pecudum amiſſa ratione devolvimur, vel ad beſtiarum immanitatem: Imò verò ampliùs. Siquidem beſtiæ ſui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi dempto metu ſuperiore vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor aufertur, ſi fuerit homini perſuaſum, quod iræ ſit expers Deus, quem moveri, & indignari non modò, cum injuſta fiunt, communis utilitas, ſed etiam ratio ipſa & veritas perſuadet*. Quod ipſum tradit etiam in aliis ejuſdem libri locis.

Niſi ubi non eſt.

Veram Divinitatem non ſola bonitate, ſed vindicativa etiam juſtitia conſtare, & duo hæc Attributa nequaquam poſſe dividi in duos, ſed in unicum Deum neceſſariò uniri, inſigniter demonſtrat Septimius in primo libro adversùs Marcionem, ideoque & hic ſcribit apud eos varias Divinitatis Fabulones non eſſe, hoc eſt, non credi & coli verum Deum. Mendacium ſibi fingunt & venerantur, omnem exceedunt gentilem Idololatriam, ideoque apud ipſos nihil poſſit eſſe Chriſtianæ veritatis, nihil legitimæ diſciplinæ. Quod Marcionitæ & cuncti variæ Divinitatis Fabulones ſibi idola fingant, ſint pleni Idololatræ, ac verum Deum nec agnoſcant nec colant, eſt ſuprà abundè demonſtratum. Volo quædam Septimii teſtimonia ſuperaddere. In libro de carnis reſurrectione adversùs bonum Marcionis, qui nec judex nec Creator garriebatur, Deum ſcribit: *Ille neſcio quis hæreticorum* Cap. 14.
Deus, meritò non judex, non enim Deus. Meritò non Dominus, non enim Author. Neſcio jam ſi Deus, qui nec Author, quod Deus; nec Dominus, quod Author. Et in primo adversùs Marcionem libro: *Deus ſi non unus eſt, non eſt. Quia digniùs* Cap. 3.
credimus non eſſe, quodcumque non ita fuerit, ut eſſe debebit. Hinc concludit utrumque Marcionis Deum eſſe indignum Dei nomine. Et infra ſcribit: *Accedamus jam ad ipſam Dei perſonam, vel* Cap. 22.
potiùs umbram & phantaſma. Marcionis Deum affirmat eſſe confictum ab ipſo phantaſma, ideoque & hic dicit verum Deum non eſſe apud Marcionitas, atque ita non timeri.

Gravitas honeſta.

Sanctus Auguſtinus eruditum ſcripſit librum de moribus Catholicæ Eccleſiæ, alium de moribus Manichæorum. Hos profanos & omnis regulæ prævaricatores, iſtos demonſtrat ſanctos per omnia, & Recti cuſtodes. Hinc concludit apud nos etiam rectam eſſe fidem, apud illos non eſſe. Eſt firma præſcriptio. Eadem adverſùm gentiles utitur in quinto Divinarum inſtitutionum libro Lactantius Firmianus, demonſtrans gentilium ſpurciſſimam, Chriſtianorum vitam eſſe per omnia integram, atque concludens: *Cum igitur gentiles videant ſe ac ſuos ea,* Cap. 9.
quæ diximus, gerere, noſtros autem nihil aliud operari, niſi æquum & bonum, poterant, ſi quid ſaperent, ex hoc intelligere, & illos qui bonum faciunt, pios eſſe, & ſe impios, qui nefanda committunt. Neque enim fieri poteſt, ut qui in omnibus vitæ ſuæ actibus non errant, in ipſa Summa errent, hoc eſt, in ipſa Religione, quæ rerum omnium caput eſt. Impietas enim ſuſcepta in eo, quod eſt ſummum, per cætera univerſa ſequitur. Æquè fieri non poteſt, ut ipſi, qui errant in omni vita, non & in Religione fallantur. Quoniam pietas in ſummo regulam tenens tenorem ſuum ſervat & in cæteris. Ita fit ut in utraque parte de conditione rerum, quæ geruntur, qualis ſit Summa ipſa noſcatur. Et in ſequenti capite oſtendit gentilium Deos fuiſſe ſceleratiſſimos homines, atque concludit: *Poſſuntne inter hæc juſti eſſe homines, qui etiamſi natura ſint boni, ab ipſis tamen Diis erudiantur ad injuſtitiam? Ad placandum enim Deum, quem colas, iis rebus opus eſt, quibus illum gaudere ac delectari ſcias. Sic fit ut vitam colentium Deus pro qualitate numinis ſui formet: Quoniam religioſiſſimus eſt cultus imitari*. Per veram Dominus Deus, per falſam Religionem nos regit Diabolus, ideoque ut ille rectos, ita hic etiam noſtros mores non po-

teſt

teſt oon facere pravos. Et hanc præſcriptionem firmavit Conſtantinopolitana Synodus, inter veros Eccleſiæ characteres ſuo in Symbolo ponens & hunc: *Sanctam*. Non quoad ſingulorum vitam, ſed quoad regulas morum.

Eadem præſcriptione hic utitur noſter Doctor. Catholicam converſatinnem, ſeu nrthodoxam diſciplinam à jam expoſitis Gnoſticorum, ac aliorum Erronum moribus oſtendit diſtare plurimùm, utpotè quæ in omoi nnſtro opere & motu exquirat noo oimiam, ſed honeſtam gravitatem, attonitam ſeu attentiſſimam cum timore ac tremore diligentiam & curam ſollicitam, ne vel per ignoruntiam labamur. Hæreticorum Ordinationes ſine examine temerarias, ooſtras io Clerum adlectiones affirmat eſſe exploratas: Utpotè quæ nec fierent, nec *factæ* firmarentur, oiſi de perſoois per publicum examen atque Edictum exploratæ probitatis. Ab hæreticis Neophytos, ſæculo obſtrictos, apoſtatas noſtros; à nobis conlocari ſeu promnveri aſſeverat ſolna emeritos, de quibus ſcribit etiam in libro Apologetico: *Præſident probati quique Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Hæreticorum vagam atque confuſam, Catholicam communionem laudat eſſe deliberatam, ſeu magna cum deliberatione ab omni contagioſa perſnna diſcretam. Apud illos nullam Præſidibus reverentiam, apud nos eſſe ſubjectiooem religioſam. Epiſcnpum enim & omnem Clericum, tamquam Dei & Chriſti Domini Vicarios veneramur, ipſis profuudiùs, qoàm ſæculi Regibus ſubjecti. Apud hæreticos plurima eſſe ſchiſmata, adeò ut ſchiſma ſit ipſis onitas; nobis eſſe aſſerit Eccleſiam unitam, & Dei nmnia. Quiſquis enim vel ab uno Divini ac Evangelici Dngmatis articulo deviarit, tamquam extraneus ab Eccleſia ejicitur.

Apparitio devota.

Vox, *Apparitio*, eſt Romaoæ Reipublicæ vocabulum, ac ipſo in lege ad Ruffinum, Orientali Prætnrio Præfectum, exſtante io Codice Theodoſiano, otitur Magnus Imperator Theo-
Lib. 7. doſius: *In omnibus, qui militiæ nomen dederint,*
titul. 2. *ratio eſt habenda meritorum, ut is potiſſimùm prio-*
cap. 1. *rem adipiſcatur gradum qui meruerit de labore ſuffragium. Nec quæratur, quis militarit primus, ſed quis manſerit in ſtudio Apparitionis aſſiduus.* Voces, *Apparitor*, *Apparitio*, *Apparitura*, frequentiſſimæ ſunt in Jure Romano. Hinc ad Conſtantinopolitanam Sancti Flaviani Synodum dixit de Hæreſiarcha Eutychete Joannes Conſtantinnpolitanæ Eccleſiæ Presbyter ac Defenſor: *Occurrit Re-*
Act. 7. *verendus Presbyter, & Archi-Mandrita Eutyches cum magna multitudine militum, & Monachorum, & Præfectianorum Apparitorum ſublimiſſimæ poteſtatis Præfectorum Prætorio.* Præfectiani Apparitores, ſeu Præfectiana Apparitio erant Stipatores ac Satellites, ſine quibus Prætorio Præfectus noo prodibat in publicum. Armati ipſum cingebant, apparebant illi, coram miniſtrabant in omni ſolemni functione, & item ipſum toti populo faciebant apparere ſeu eminere. Etiam Conſules, ProConſules, cuncti Provinciarum Rectores, & cæteri Romanæ Monarchiæ ſublimes Poteſtates, ac ipſe item Auguſtus Princeps habebant ſuam Apparituram. Hanc leges & Romani Scriptores paſſim appellant Domeſticos aut Palatinns Protectores. Etiam dicebantur Officium, Officiales, Militia, Cohors, Cohortales. Domino enim ſuo miniſtrabant in omnibus, ac erant digeſti in formam Cohortis. Huc reſpicit S. Joannes Evangeliſta:
Judas cum accepiſſet Cohortem. Et S. Matthæus: Cap. 18.
Milites Præſidis ad eum congregarunt univerſam
Cohortem. Hoc eſt, totam Præſidis Apparitnram. Cap. 27.
Ad hanc enim ex nfficio ſpectabat à Stationariis, Curioſis, aut Frumentariis proditos latrones ac alios ctiminoſns capere, cuſtodire, deducere ad campnm ſceleratum. Et hinc ad ipſos dixit Dominus: *Tamquam ad Latronem exiſtis.* Imperatnrem Alexandrnm, quod Tribuno quatuor, Duci ſex, Legato dumtaxat decem Apparitores permiſerit, laudat Ælius Lampridius. Verùm crevit faſtus. Etenim quod Africæ ProConſul trecentos nonaginta octo viros, Scrinia decem, Scholas undecim; Orientis verò Comes ſexcentas perſooas habuerit in Officiom ac Apparitionem, lucet ex Codice Imperatoria Juſtinianoi. Et hunc in ſenſum præſenti voce Doctor noſter utitur etiam in libro Apologetico: *Aruſpex* Cap. 3.
mortuis apparet. Hoc eſt, coràm miniſtrat. Et in libro de Monogamia: *Idolis & viduitas & mo-*
nogamia apparent. Hoc eſt, ſervire illis poſſint Cap. 17.
& Satellitiom præbere. Io libro de Spectaculis Chriſtianas aures & oculos cautè cuſtodiendos monet, & adjungit caoſam: *Spiritui apparent,*
id eſt, tamquam Satellites deſerviunt, *oculi &* Cap. 17.
aures, nec poteſt mundus præſtari, ſeu cuſtodiri, *cujus Apparitores inquinantur.* In ſecundo libro ad Nationes: *Aliqua Dominatio præeſt, cui apparere videatur univerſa negotiatio mundialis.* Id eſt, cui omnis creatura tamquam ſupremo Domino adſit ac miniſtret. Et io libro adversùs Praxeam Danielis Prophetæ locum ſic legit: *Millies* Cap. 3.
millia adſiſtebant ei, millies centena millia apparebant ei. Nos legimus: *Miniſtrabant ei.* Et reverà totus Sanctorum Angelnrum innumerabilis exercitus eſt domeſtica ac Palatina Divinæ Majeſtatis Apparitura. Etiam Chriſtiana vita eſt & armata & officialis militia, ſtatutis temporibus apparere debet coram Deo Optimo Maximo, ſtipare ipſum, ac variis modis mioiſtrare. Ipſius Apparitio fit præſertim in Eccleſiaſtico conventu. Hanc Doctor noſter hoc in loco laodat, aſſeverans eſſe devotam. Eandem laudat in libro
Apologetico: *Coimus in cœtum & congregationem,* Cap. 39.
ut ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Iſtius noſtræ Apparitionis varias devotiones & functinnes largiùs iſtic exponit. Et in ſecundo de Monaſticis Inſtitutionibus libro Joannes Caſſianus:
Cum ſolemnitates, quas illi Synaxes vocant, cele- Cap. 10.
braturi conveniunt Ægyptii Monachi, *tantum à cunctis ſilentium præbetur, ut cum in unum tam numeroſa fratrum multitudo concurrit, præter illum, qui conſurgens pſalterium cantat in medio, nullus hominum penitùs adeſſe videatur.* Euchariſticæ

præſertim conſecrationis, & collectæ per Sacerdotem orationis tempore nemo tuſſit, oſcitat, exſpuit, gemit, ſuſpirat. Hæc eſt antiqua totius Eccleſiæ devotio, quæ cum multis avitæ ſanctimoniæ aliis capitibus erat tunc contracta ad ſolos Monachos, apud quos nunc utinam perſeveret. Divinorum in Eccleſia Officiorum tempore fabulas, riſus, & omnem immodeſtiam duriſſimè inſectantur omnes antiqui Patres, præſertim tamen Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Videri poſſit Jonas Aurelianenſis Epiſcopus in opuſculis de Regia & laica inſtitutione.

Proceſſio modeſta.

Chriſtianos olim, præſertim fœminas, rariſſimè ac modeſtiſſimè, ſine ſuperfluo veſtium ornatu, proceſſiſſe in publicum, docet vulgare tunc gentilis in nos dicacitatis adagium: *Ex quo facta eſt Chriſtiana, paupertius incedit.* Hinc & ad Sanctam Agatham dixit Quinctianus Siciliæ Prætor: *Nonne te pudet nobili genere natam, humilem & ſervilem Chriſtianorum vitam agere?* Hæc improperia ut Chriſtianæ fœminæ diſcerent non curare, erudititiſſimum de ipſarum cultu librum ſcripſit Septimius, & iſtic habet de earumdem
Cap. 11. in publicum proceſſu: *Vobis nulla cauſa procedendi non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitatur, aut Sacrificium offertur, aut Dei ſermo adminiſtratur. Quidvis horum, gravitatis & ſanctitatis negotium eſt, cui opus non ſit habitu extraordinario, & compoſito, & ſoluto.* Etiam dum ex quovis humano officio paganas perſonas viſitant, vult aliter non procedi. Eodem ſenſu vocem hanc uſurpat in ſecundo ad uxorem libro: *Si pro-*
Cap. 3. *cedendum erit.* Et iterùm: *procedat de janua lau-*
Cap. 7. *reata.* Eamdem in fœminarum proceſſu diſciplinam acerrimè urget in ſuo Pædagogo Sanctus Clemens Alexandrinus, addens etiam à gentilibus Lacedæmoniis aurum & floridas veſtes fuiſſe permiſſas ſolis meretricibus. Quòd fœminæ non tantùm in compita & forum, ſed etiam in Eccleſiam pompoſæ & ornatæ procederent, adeoque hanc quaſi in fornicem & lupanar tranſmutarent, in homilia de non contemnendis Dei Eccleſiis graviſſimè queritur & damnat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Avitam procedendi modeſtiam voluit ab illis ſaltem in Eccleſia ſervari. Eamdem dum inconditò zelo reparare molitur Euſtatius Sebaſtenus in prima Armenia Archi-Epiſcopus, decidit in errores damnatos à Synodo Gangrenſi. Erat enim Macedonianæ, cujus præſertim Epiſcopos & Clericos cum ſingulari modeſtia & humilitate prodiiſſe in publicum teſtatur Sanctus Gregorius Nazianzenus, hæreſeos ſectator & vertumnus, atque ita eamdem virtutis ſpeciem ſtuduit in ſuæ factionis populum traducere. Verùm non erat de ſemine illorum virorum, per quos eſt facta ſalus in Iſrael. Hanc interim procedendi modeſtiam aliqui volunt hic laudari à Septimio.

Verùm non hanc, ſed ſolam in Eccleſiaſtica apparitione fieri conſuetam proceſſionem lucidè laudat. Ipſam in primo officiorum libro exponit Sanctus Ambroſius, afferens neſcio quem ſuſpenſum Clericum ſuiſſe officio à ſe reſtitutum, cum hac tamen exceptione: *Ne unquam ipſum præ-* Cap. 18.
iret. Utique in ſolemni Eccleſiæ officio præſertim in Sacrificio. Et in litteris ad Dioſcorum Alexandriæ Patriarcham ſcribit Magnus Papa Leo: *Poſſidonius Presbyter noſtris proceſſionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, & toties ad nos miſſus, quid in omnibus Apoſtolicæ Sedis authoritate teneremus, agnovit.* Affirmat Romanæ Eccleſiæ in Divinis officiis ritum non poſſe ignorari à Dioſcoro, cujus Presbyter ac Legatus Poſſidonius frequenter cum Pontifice ad ſolemne Sacrificium & alia officia proceſſiſſet. Et Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, multa Eutychianiſtarum communione pollutum, quòd Vitalem ac Miſenum, Legatos à ſe Epiſcopos, violenter coegiſſet ſecum procedere, damnavit
Felix tertius. Etiam Sebaſtianum, ſuum Dia- Ep. 6.
conum, quod cum Honorio Salonitano apud Dalmatas Archi-Epiſcopo, & per ipſum malè ordinatis Clericis proceſſiſſet, atque ita ejus ſcabioſa communione ſe ob venalitatem fœdaſſet, Vigilius Pontifex degradavit. Diploma exſtat
in quinta Synodo. Et cum Joanne Jejunatore, Act. 7.
Conſtantinopolitano Epiſcopo, quòd *univerſalis Epiſcopi* ſibi arrogaſſet titulum, procedere ſuo Apocriſario Diacono primùm Pelagius ſecundus, deinde Magnus Gregorius rigidiſſimè interdixerunt. Mandatum hoc pluribus epiſtolis iteravit Gregorius, & de iſtis ſcribit ad ſuum Diaconum ac Apocriſarium Sabinianum: *Sicut tibi* Lib. 4.
jam tranſactis epiſtolis ſcripſi, numquam cum eo ep. 39.
procedere præſumas. Et in litteris ad ipſum Joan- Ep. 38.
nem, ac in litteris ad Eulogium Alexandrinum, ac Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum ſcribit de Anteceſſore ſuo Pelagio ſecundo: *Diaconum, qui juxta morem pro Reſponſis Eccleſiæ faciendis piiſſimorum Dominorum veſtigiis adhærebat, cum Joanne Miſſarum ſolemnia celebrare prohibuit.* Et de Joannis uti in Cathedram, ita in ſuperbum titulum Succeſſore Cyriaco pergit ad Mauritium Auguſtum: *Cyriaci Reſponſales cum magno affectu ſuſcepi. Quidquid debuit charitatis exhibui, meliuſque eos, quàm conſuetudo priſca fuerat, honoravi, & mecum feci eos ſacra Miſſarum ſolemnia celebrare. Quia ſicut meus Diaconus ad exhibenda ſancta myſteria illi non debet miniſtrare, qui elationis culpam aut commiſit, aut ab aliis commiſſam non corrigit, ita Miniſtri illius in celebratione Miſſarum mihi adeſſe debuerunt, qui in ſuperbiæ errorem non decidi* Et Joanni Ravennæ Archi-Epiſcopo, inter Eccleſiæ ſuæ privilegia numeranti, quòd ſecum ſui Presbyteri ac Diaconi ſemper Romæ in Domini Papæ obſequio procederent, & ipſum non auferri ſupplicanti, reſpondit: *Ne*
credas, quod ego Eccleſiam tuam in aliquo gravari Lib. 2.
aut minui volo. Recordare in Romanorum Miſſarum indict. 11.
ſolemnibus, ubi Ravennas Diaconus ſtabat, & re- Ep. 55.
quire ubi hodiè ſtat, & cognoſce quia Eccleſiam Ra-
vennatem honorare deſidero. Et Theophilus Ico- Lib. 4.
nienſis in Lycaonia, & Zacharias Tauromentanæ ep. 15.
in Sicilia Epiſcopus, homines Photiani, quo ſe in octava Synodo oſtentarent Catholicos, jactarunt

ſtarunt

ctarunt ſe Romæ Nicolao Pontifici comminiſtraſſe & communicaſſe. Sacerdoti olim, Epiſcopo præſertim, Metropolitæ, aut Patriarchæ, ſolemniter celebranti, non unus tantùm Diaconus & Subdiaconus cum unico aſſiſtente Presbytero & aliquot minoribus Clericis miniſtrabant, ſed etiam omnes peregrini Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi, præſertim qui eſſent ſuorum Epiſcoporum aut Eccleſiarum Legati vel Apocriſarii. Epiſcopus, Metropolita, Patriarcha advenam Epiſcopum, Metropolitam, Patriarcham invitabat ad offerendum ſuo loco & celebrandum: Patriarcha autem Metropolitas, Metropolita Epiſcopos dumtaxat ad ſibi miniſtrandum in Sacrificio, & ſecum procedendum. Eundem honorem Epiſcopus deferebat peregrinis Clericis. Et quia Romæ omnium Patriarchalium ac aliarum majorum Eccleſiarum paſſim aderant Apocriſarii aut Legati, procedebat & celebrabat paſſim Pontifex cum magno numero Epiſcoporum & Clericorum, & ipſorum quiſque juxta Eccleſiæ aut gradus ſui dignitatem habebat locum. Hinc Conſtantinopolitanæ ac Ravennatis Eccleſiæ Clericis locum quam antea digniorem fuiſſe à ſe attributum affirmat Sanctus Gregorius. Et hoc cum Papa miniſterium erat integræ atque immaculatæ communionis irrefragabile teſtimonium. Rectiſſimè appellatur proceſſio. Ejus enim exordium ſeu introitus olim fuit, ac etiamnum eſt ſolemniſſima Pontificaliter ornati Epiſcopi cum omnibus ei miniſtrantibus de Baſilicæ Secretario ad Altare proceſſio, repræſentans adorandum illius, qua Dominus noſter JESUS Chriſtus è ſecreto Dei Patris ſinu per Incarnationem ſuam tamquam plurimo Sanctorum Angelorum miniſterio ſtipatus ſponſus proceſſit in mundum, proceſſionis myſterium. Græci ſemper habuerunt duplex Offertorium, & utrique addiderunt ſuam proceſſionem. Ab hiſce ritibus totum noſtrum Sacrificium antiqua Chriſtianitas appellavit proceſſionem. Hanc laudat hic Septimius, affirmatque ex avita Patrum diſciplina eſſe gravem atque modeſtam. Eſt enim nobilior pars, & quaſi anima totius noſtræ Eccleſiaſticæ Apparituræ.

Et hinc intellige quod & quale crimen notet in ſermone de Lapſis Sanctus Cyprianus: *In Sacerdotibus non Religio devota.* Decianam perſecutionem affirmat fuiſſe Divinum peccantis Eccleſiæ flagellum, & peccatorum iſtorum unum fuiſſe, quod Sacerdotum & Clericorum in Eccleſiaſtica Appaŗitura proceſſio non fuiſſet modeſta ſatis & devota. Imitari oportet Magnum Baſilium, qui laudatur tanta diſciplina peregiſſe Divina officia, ut ipſorum conſpectu ſtupefactus ac territus Imperator Valens, omnium Catholicorum Epiſcoporum crudeliſſimus propter Arii hæreſim perſecutor, hunc ferè ſolum non vexaverit, ſed fuerit ſummè veneratus. Hinc & miniſtrantem ſibi Diaconum, quòd adſtanti fœminæ fixiſſet oculum, degradavit idem Baſilius. Et hunc ejus rigorem amplè laudat in ejus vita Sanctus Amphilochius. Spiritus Sancti in Miſſæ Canone adventum, factamque ab ipſo Euchariſticam conſecrationem cognoſcere ex aliquo viſibili ſigno, Sanctis olim Sacerdotibus, quos inter Baſilius, fuit olim familiare. Iſtud Divinum beneficium interpolavit impudicus Diaconi oculus, ideoque degradatione fuit omninò dignus. Ab illis enim, qui ad formoſas videndas facies adeunt, Eccleſias verti in fornicem aut lupanar, & quemvis iſtiuſmodi adſpectum eſſe iſtic lethale crimen, conſtanter affirmat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Et ſuum etiam Diaconum ob iſtud degradavit. Neſcio quem Clericum, quod vagis in Eccleſia eſſet oculis, numquam ſecum in hac Apparitura permiſit procedere, ac fœdè poſtmodo apoſtataſſe teſtatur in primo Officiorum libro Sanctus Ambroſius. (Cap. 18.) Martyrium, neſcio cujus in Ægypto civitatis Epiſcopum, quod ſub Divinis officiis colloquia permitteret populo, ac ipſe miſceret, de temeraria audacia ac Evangelii prævaricatione notat Sanctus Iſidorus Peluſiotes. (Lib. 1. Ep. 45.) Ut enim adversùs omnem vanum cogitatum obſerato cordis oſtio oremus Patrem, rigidè mandat Evangelium. Quod ipſum vitium in Theophylacto Patriarcha Conſtantinopolitano culpat Georgius Cedrenus. Wilderaldum Argentinenſem Epiſcopum, quod in ſolemni Pontificali Miſſa cantaturus, *Pax vobiſcum*, Henrico ſecundo Imperatori petulanter anniſiſſet, eodem die fuiſſe percuſſum à Divina Juſtitia, ac infeliciter extinctum, ſcribit in Sancti Heriberti Colonienſis Archi-Epiſcopi vita venerabilis Rupertus Abbas Tuitienſis. (Cap. 18.) Regni ſui Clerum, quod ad Divina officia, non quaſi ad cœleſtem Pſalmodiam, ſed quaſi ad luſum conveniret, graviſſimè arguit, ac rigidiſſimè reformavit Edgarus Rex Anglorum. Sanctiſſimum optimi Regis Edictum exſtat apud Alredum Abbatem Rievallenſem. Rogerium Sareſberienſem Epiſcopum, quod indevotè & præcipitanter celebraret Miſſam, atque iſta arte ab Henrico primo Anglorum Rege meruiſſet Epiſcopatum, malè tandem periiſſe demonſtrat Guilielmus Neubrigenſis. (Lib. 1. cap. 6. Lib. 2. cap. 10.) Etiam Bonifacium nonum Pontificem, quod ſubmiſſa voce loqueretur cum Prælatis, culpat Theodoricus à Niem. Et inter articulos, ob quos Joannem vigeſimum tertium dejecit Conſtantienſis Synodus, fuit & hic: *Quod Miſſam rarò, currenter, ſine devotione celebraret.* Exſtat Juliani Cardinalis Cæſarini doctiſſima pro continuando Baſileenſi Concilio ad Eugenium quartum Pontificem epiſtola, qua Germanici Cleri in Divinis etiam officiis immodeſtiam inſigniter exponit, ac reformari expoſtulat, prædicens alioquin non dumtaxat confortandam Huſſiticam hæreſim, ſed & novam, quæ Clerum furibunda ejiciat, Sectam ſuſcitandam. Nobilium enim Collegiorum Clerus, armis & calcaribus ſub ſerica tunica indutus, frequentabat tunc Eccleſiam, habens cor à Deo adeò longinquum, ut ipſum nec labiis honoraret. Quam peſſimam licentiam dicta Synodus rigidiſſimè proſcripſit. Et quia Clerus nec hunc, nec laudatum audivit Cardinalem, Divina juſtitia Joanni Huſſo ſuperponi permiſit Martinum Lutherum, qui dictam prophetiam nimis adimplevit.

Eccleſia unita.

Noſtræ in Eccleſia Apparituræ diſciplinam Septimius pergit commendare. Ab hæreticis, quos non ſolùm cum Catecbumenis ſuis, ſed & cum aliis Sectariis ac ipſis etiam gentilibus orare in ſuis conventibus culpaverat, affirmat nos longiſſimè remotos: Utpotè qui ſolam admittamus Eccleſiam, ſolos Orthodoxos ac integros fideles. Quod inſigniter patuit in Martyrio Sancti Babylæ Patriarchæ Antiocheni, ac ejus lucta adversùs Imperatorem Numerianum. Septimius addit Eccleſiam iſtic non tantummodo eſſe ſolam, ſed inſuper, utique ad Deum Optimum Maximum exorandum, unitam. Hujus unionis vim exponit in libro apologetico: *Coimus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt.* Et in ſequenti ejuſdem libri capite: *Nos*, in publicis Imperii neceſſitatibus, *jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, & miſericordiam extorquemus.* Et in libro ad Scapulam Africæ Pro-Conſulem: *Marcus Aurelius in Germanica ex-*
Cap. 4. *peditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in ſiti illa impetravit. Quando non geniculationibus & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ? Tunc & populus adclamans Deo Deorum, qui ſolus potens eſt, in Jovis nomine Deo noſtro teſtimonium reddidit.* Cæci enim gentiles invocatum à Chriſtianis militibus Dominum opinati ſunt eſſe ſuum Jovem. De qua cæca in Deum vivum & verum injuria queritur etiam in libro Apologetico. Romani exercitus extremam in
Cap. 40. Germania partim à ſiti & æſtu, partim à barbaris neceſſitatem, & incruentum Chriſtianæ fulminatricis Legionis de hiſce triumphum, latiùs referunt in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebius Cæſareenſis, in ſecunda de quadraginta Martyribus oratione Sanctus Gregorius Epiſcopus Nyſſenus, Paulus Oroſius, in Marci Aurelii vita Julius Capitolinus, Ammianus Marcellinus, & in Dionis Epitome Joannes Xiphilinus. Nongenta ſeptuaginta Germanorum millia Romanum, qui per quinque dies non biberat, circumcingebant exercitum, & hic cum Auguſto Principe fremebat ex more in Chriſtianos, uti Atheos, & cauſam tantæ calamitatis. Hinc illi Divinæ injuriæ zelo accenſi ſegregarunt ſe ab exercitus corpore, & facta unitæ geniculationis & orationis manu, Romanis pluviam & potum, igneam in barbaros cum fulminibus grandinem à Divina clementia extorſerunt. Hinc palinodiam cantavit Imperator Aurelius Antoninus, & ſolemnes de inviſibili Chriſtianorum Deo litteras ſcripſit ad Senatum, vetans ipſos accuſari deinceps, aut ulla perſecutione vexari. Exſtant litteræ apud laudatum Euſebium, ipſaſque in libro Apologetico laudat etiam Septimius. Ajunt id factum fuiſſe
Cap. 5. propè Carnuntum à Legione gemina, quam Euſebius vocat Melitinam. Ipſam enim ex duabus mixtis fuiſſe conflatam affirmat præfatus Xiphilinus. Poſtmodo ad perpetuam rei memoriam fuit appellata Legio fulminatrix. Verùm ex ipſis fuiſſe ſuos quadraginta Martyres habitur Gregorius Nyſſenus. Hi ſunt longè juniores. Utpotè paſſi ſub Imperatore Licinio. Item legendum non eſt, *Carnutum*, ſed *Carnuntum*. Hæc enim eſt civitas primæ Pannoniæ. Carnutum eſt in Gallia.

Communis ab unita Eccleſia orationis virtutem laudat etiam Sanctus Irenæus, aſſeverans ſuſcitandorum mortuorum & aliorum miraculorum gratiam ſuo adhuc tempore perſeveraſſe in Eccleſiis, ac ipſa fieri *ſæpiſſimè propter aliquid neceſſarium, Fraternitate univerſa per jejunium & ſupplicationem multam poſtulante.* Lib. 2. cap. 56. Ninivitarum jejunium & orationem laudat etiam in ſecunda ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & adjungit: *Perſæpè Deus quaſi pudore commovetur, dum multitudinem in precatione concordem atque conſpirantem cernit.* Vario id demonſtrat exemplo. In quartadecima ſuper epiſtolam ad Romanos ad hæc Apoſtoli verba, *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ſcribit: *Obſcurum eſt hoc Dictum, propterea quod multa ex iis miracula, quæ tunc fierent, fieri nunc deſierint. Ea propter neceſſe nobis eſt rerum illarum ſtatum vos docere, atque ita demum apertior erit ſermo*, Inter primævas gratis datas gratias affirmat olim fuiſſe & ſpiritale precandi Chariſma, quo quis noſſet quid Divina clementia ſe orari vellet ab Eccleſia, quid concedere, quid denegare. *Hic*, inquit, *obtinebat Prophetiæ donum, ille ſapientiæ, ille ſanitatum, ille poteſtatum, ille autem linguarum. Porrò una cum his omnibus erat & precum donum, quod & ipſum Spiritus dicebatur. Quo qui præditus erat, pro plebe univerſa preces fundebat. Quandoquidem enim permulta cum ignoremus eorum quæ nobis conducunt, quæ minimè conducunt poſtulamus, acceſſit donum precum ad unum aliquem eorum qui tum viverent, qui quod communiter univerſitati Eccleſiæ conducebat, id tum ipſe pro omnibus poſtulans ſtaret, tum alios doceret. Spiritum igitur Apoſtolus hic vocat tum tale donum, tum animam, quæ donum id ſuſciperet, quæque apud eum intercederet ac gemeret. Qui enim hujuſmodi gratia dignus eſt habitus, is magna cum animi compunctione ſtans, multis item cum gemitibus poſtulat quæ omnibus ſunt uſui. Cujus & nunc ſignum Diaconus eſt, pro populo preces ejus offerens.* Per hocce unius donum quævis adunata Eccleſia communes ſuas poſtulationes certò obtinebat.

Et hinc Collectam ſeu communem orationem dicturus Sacerdos præmittit: *Dominus vobiſcum*: Et omnis populus reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo.* Etiam de his dico: *Obſcura ſunt hæc, quia ipſorum radix & ratio nos deſeruere.* Laudata Spiritus Chariſmata iterum laudat in trigeſima ſexta ſuper primam ad Corinthios epiſtolam homilia Sanctus Joannes Chryſoſtomus, & pergit: *Sed nunc illorum donorum ſymbola ac ſigna tantùm tenemus. Nam nunc quoque duo aut tres dicimus, & viciſſim, & alio tacente alius incipit. Sed hæc ſunt tantùm illorum ſigna & monimenta. Propterea quando incepertimus dicere, populus reſpondet*, Et cum ſpiritu tuo, *oſtendens quod olim ſic dicebant, non ſua*

moti

mori ſapientia, ſed ſpiritu. Per verba, *Dominus vobiſcum*, nt precum donum vel eunctis adſtantibus, vel certè ipſorum quibuſdam infundere dignaretur Divina benignitas, flagitabat Sacerdos, reponebatque populus id longè magis Sacerdoti, utpotè qui per jam acceptum ſacræ Ordinationis Spiritum eſſet ſuis apud Deum Mediator ac Legatus, eſſe neceſſarium & convenire. Quod ipſum tradit idem Chryſoſtomus in decima octava ſuper ſecundam ad Corinthios epiſtolam homilia, & in prima ſuper epiſtolam ad Coloſſenſes, atque proſequitur in laudata trigeſima ſexta: *Eccleſia nunc eſt ſimilis mulieri, quæ à veteri proſperitate excidit, & multis in locis ſola tenet ſymbola antiquæ illius felicitatis, & monilium quidem ſolas oſtendit thecas & arculas, divitiis autem eſt privata. Ei nunc ſimilis eſt Eccleſia.* Laudata Sacerdotis & populi ſolemnia verba erant laudati Chariſmatis per Apoſtolos inſtituta Symbola. Ipſum apud nullam hæreſim, apud nos verò in multis ſupereſſe Eccleſiis gloriatur in ſuperiùs adducto loco Sanctus Irenæus: & ex ipſo adversùm omnes generatim hæreticos præſcribit. Quod ipſum hoc loco agit Septimius. In libro de Eccleſiæ unitate agit & Sanctus Cyprianus: *Pacificos eſſe oportet Dei filios, corde mites, ſermone ſimplices, affectione concordes, fideliter ſibi unanimitatis nexibus cohærentes. Hæc unanimitas ſub Apoſtolis olim fuit. Sic novus Credentium populus, Domini mandata cuſtodiens, charitatem ſuam tenuit. Et ideò efficacibus precibus orabant: Ideò impetrare cum fiducia poterant, quodcumque de Domini miſericordia poſtulabant. In nobis verò ſic unanimitas diminuta eſt, ut & largitas operationis infracta.* Hæreticis & Schiſmaticis ex Domini verbo, *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio ſum eorum*, paucitatem ſuam ſemper conſolantibus, fatetur *non multitudini, ſed deprecantium unanimitati plurimùm tribui* à Divina clementia, & adjungit: *Non homines ab Eccleſia dividit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam, ſed exprobrans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſua voce commendans, oſtendit magìs eſſe ſe cum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quàm cum diſſidentibus plurimis, pluſque impetrari poſſe concordi paucorum prece, quàm diſcordioſa oratione multorum.* Affirmat hæreticos & ſchiſmaticos & cum Chriſto capite, & cum Catholico ejus corpore, immò & inter ſeſe non eſſe unitam Eccleſiam, ſed multæ diviſionis confuſionem, ideoque à duobus aut tribus orthodoxis, quàm ab innumera ipſorum turba efficaciorem orationem prodire. An Septimii tempore adhuc ſuperfuerit, & quo tempore ceſſarit precum Chariſma, ignoro: Ipſum ſuo tempore ceſſaſſe palàm fatetur Sanctus Cyprianus, ac meritò deplorat Sanctus Joannes Chryſoſtomus. Ejus tamen ſymbola ad perpetuam avitæ gratiæ memoriam rectè etiamnum retinet Eccleſia. Et ipſi non ſunt penitùs vacua atque egena elementa. Quod poſterioribus etiam temporibus
Lib. 3. cap. 13. Apollonius ac Joannes Monachi, & alii quidam viguerint iſto Chariſmate, docent Hermias Zomenus, & in Lauſiaca hiſtoria Palladius Epiſcopus Helenopolitanus. Hinc item vides varios noſtri Sacrificii ritus eſſe Inſtitutum Apoſtolicum.

Ex præſentibus Septimii verbis patet & ratio, cur communis & publica Eccleſiæ per Sacerdotem oratio paſſim appelletur *Collecta*. Antiquiſſima eſt iſta nomenclatura. Etenim antiqua variarum Eccleſiarum, quæ Sanctos Martyres etiam in ipſis carceribus Dominicum & Collectam egiſſe teſtabantur, Acta & Scripta laudat in Carthaginenſis Collationis Breviculo Sanctus Auguſtinus. (Lib. 3. cap. 17.) Ejus ſignificatio apud varios eſt varia. In eruditis ad Græcorum Euchologium Scholiis ſcribit Jacobus Goar: *Pro variis perſonis & rebus preces compoſitas, & in unum collectas, Græci Synapes vocant, nos Collectas interpretamur.* (Fol. 30.) Quod ipſum in libro de Divinis officiis habet Alcuinus Flaccus. (Cap. 40.) Et in libro de Eccleſiaſticis obſervationibus Guido Abbas Micrologus: *Sequitur oratio, quam Collectam dicunt. Eò quòd Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat, atque concludat. Illæ tamen orationes ſpecialiter Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper Collectam populi fiunt, dum colligitur ut procedat de una Eccleſia ad aliam, ad Stationem faciendam.* Miſſæ orationem diſtinguit à Collecta. Conſonat in animæ gemma Honorius Auguſtodunenſis: *Oratio ab orando dicitur, Collecta verò dicitur, quia ſub ea populus in unum colligitur. Hæc eſt autem differentia inter orationem & Collectam, quòd hæc oratio vocatur, quod ad Miſſam dicitur; hæc autem Collecta, quod ad proceſſionem in Statione ſuper populum dicitur.* (Lib. 1. cap. 94.) Quod ipſum in libris de ſacroſancti Sacrificii ritibus probat Innocentius tertius. (Lib. 2. cap. 27.) Hanc differentiam Hugo Victorinus negligit in opere de Eccleſiaſticis Officiis: Sacrificii orationem & Collectam confundit, & ſola priora Micrologi adducit verba. (Lib. 2. cap. 16.) Et antiqua Miſſæ per neſcio quem eruditum Anonymum expoſitio habet: *Hæc eadem nunc oratio, nunc Collecta dicitur. Oratio dicitur, quia bona orantur cœleſtia venire populo; Collecta verò ideò nuncupatur, quia incipit ſe populus in unum colligere.* Et in Synodali ſermone Petrus Bleſenſis: *Sacerdos orationem dirigit ad Patrem, quæ Collecta dicitur, quia tamquam Advocatus omnium orationes colligit, & defert ad Dominum.*

Authentica ſignificatio haurienda eſt ex vetuſtiori fonte, Joanne Caſſiano, in Monaſticarum Inſtitutionum libris deſcribente antiquas Synaxes Ægyptiorum Cœnobitarum: *Cum is, qui orationem collecturus eſt, è terra ſurrexit, omnes pariter eriguntur, ita ut nullus, nec antequam inclinetur ille, genuflectere, nec cum è terra ſurrexerit, remorari præſumat, ne non tam ſecutus fuiſſe illius concluſionem, qui precem colligit, quàm ſuam celebraſſe credatur.* (Lib. 2. cap. 7.) Et infra in eodem libro: *Vox Sacerdotis precem concludentis.* (Cap. 10.) Et in decima octava Collatione: *Senex ut orationem colligeret, hortabatur.* (Cap. 11.) In Miſſa aut alio quovis officio decantata per Sacerdotem oratio omnium præſentium orationes colligit & concludit ex avito Matris Eccleſiæ Inſtituto, atque ita rectè appellatur Collecta. Hinc ipſius decantatæ tempore neminem poſſe tuſſire, oſcitare, ſpuere, gemere, ſuſpirare, & cunctos cum ſtante tunc Sacerdote debere ad ejus vocem attentos ſtare affirmat laudatus Caſſianus. Quòd nempè ipſa ſit una omnium

oratio,

oratio, adeoque omnes obligentur ad ipſam cooperari. Hinc etiamnum ad ipſam omnis Clerus quandoque procumbit in genua, quandoque ſtat inclinatus aut erectus. Ubi precandi donum nos deſeruit, adſiſtentem ſibi Sanctum JESU Chriſti Spiritum non amiſit Mater Eccleſia. Hinc illud ipſa utcumque ſupplevit: Singulis Dominicis & feſtivitatibus dedit ſuas Miſſas & Orationes, haſce à toto populo dici & offerri per Sacerdotem voluit, ideoque appellari Collectas. Hinc item ipſas dicturus Sacerdos præfatur: *Dominus vobiſcum*. Et populus reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*. Omnia ſua vota in unam colligunt & concludunt precem ac perſonam, & avitum orandi Chariſma ſibi ultrò citròque apprecantur.

Privatas Miſſas, quidquid blaterent hodierni hæretici, ſemper celebravit Eccleſia. Hinc Micrologus, Honorius Auguſtodunenſis, ac Innocentius tertius inter orationem & Collectam diſtinguunt, & ſolius publicæ Miſſæ orationes volunt eſſe Collectas. Nec ſine fundamento. Privatis enim Miſſis non adeſt frequens Eccleſia, cujus orationes per Sacerdotem colligantur. Etiam ex fundamento Victorinus Hugo & Petrus Bleſenſis diſcrimen iſtud non probaverunt. Etenim non præſentis ſolummodo, ſed totius omninò Chriſtiani populi vota ad cujuslibet Miſſæ aut alterius Sacerdotalis officii orationes jam dudum adligavit Mater Eccleſia, atque ita illæ etiam omnes ſunt veraciter Collectæ. Ea eſt virtus communionis Sanctorum, de qua in libris de Baptiſmo Sanctus Auguſtinus: *Idem Spiritus* [Lib. 8. cap. 4] *Sanctus peccata dimittit, qui datus eſt omnibus Sanctis ſibi charitate cohærentibus, ſive ſe noverint corporaliter, ſive non noverint*. Ita & Mater Eccleſia omnium fidelium preces colligit & concludit. Uti apud ſacram Apocalypſim Sancti Angeli plurima odoramenta in unam auream phialam, ita miniſtrans Sacerdos in ſuam vocem colligit orationes totius communionis Sanctorum. Iſtæ phialæ fuerunt harum vocum Sacramenta.

Attamen non eſt dubitandum, quin præſentis Eccleſiæ oratio ſit longè potentior. Hinc enim de quæſtionibus ſibi à ſuo Epiſcopo & populo propoſitis ſcribit in ſermonibus ſuper Geneſim Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Non viribus no-* [Serm. 2.] *ſtris confidentes, ſed Antiſtitum precibus ac veſtris omnia committentes, ad ineundum ſtadium nos accinximus. Tanta porrò vis eſt precum Eccleſiæ, ut licèt magis muti, quàm lapides eſſemus, penna quavis leviorem linguam noſtram efficiant: Nam quemadmodum in media navis velo incidens Zephyrus ſagitta velociùs cymbam promovet, ſic & in linguam dicentis incidens Eccleſiæ oratio vehementiùs, quàm Zephyrus, ſermonem promovet*. Et adverſùm eos, qui neglecto Eccleſiæ conventu ſe domi orare prætexebant, exclamat in homiliis ad populum Antiochenum: *Te homo decipis, & magno in errore verſaris. Nam etſi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, ut domi tam benè ores, quàm in Eccleſia, ubi tot Patres, ubi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exaudis, cum ſolus obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid; Videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum preces. Præſunt enim eam ob rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illius complexæ ſimul in cælum evehantur*. Quod ipſum iiſdem ferè verbis repetit in homilia de oratione, atque adjungit: *Propterea Sacerdotes Præpoſiti ſunt, ut multitudinis orationes, cùm ſint infirmiores, horum velut potentiorum precibus ſe conjungentes, pariter cum illis in cælum adſcendant*. Subjectæ, præſertim præſentis, multitudinis orationes Præpoſiti Sacerdotes colligunt, ex cunctis unam faciunt Collectam, ipſamque tamquam Legati & Mediatores Deo Omnipotenti referunt ac præſentant. Et hinc de quovis Sacerdote omninò verum eſt, quod de ſemetipſo in Pontificem electo timuit, & ad quatuor Orientalis Eccleſiæ Patriarchas ſcripſit Magnus Gregorius: *Quid Antiſtes ad Dominum, niſi pro delictis populi* [Lib. 1. Ep. 24] *interceſſor eligitur? Qua itaque fiducia ad Deum pro peccatis alienis interceſſor venio, apud quem de propriis ſecurus non ſum? Si fortaſſè quiſpiam apud potentem virum, qui & ſibi iratus, & mihi eſſet incognitus, interceſſorem ſuum me fieri quæreret, protinùs reſponderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia ejus notitiam ex ſedula familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem, de quo minimè præſumpſiſſem, fieri interceſſor erubeſcerem, quantæ hoc audaciæ eſt, quod apud Deum pro populo locum interceſſoris obtineo, cui familiarem me eſſe per vitæ meritum non agnoſco? Qua in re & mihi aliud graviùs formidandum. Quia ſicut cuncti liquidò novimus, cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur. Et valdè pertimeſco, ne commiſſa mihi plebs fidelium reatus mei additamento depereat, cujus nunc uſque delictu Dominus æquanimiter tolerabat*.

Item hinc diſcordes aut inimicos inter ſe fideles ab Oblatione, atque etiam à Conſiſtentia, ſeu arcanarum precum communione excluſit antiqua diſciplina. Quod nempe ipſorum animi eſſe non poſſent Eccleſia unita. Eodem ex fundamento vitam Cœnobiticam eſſe anachoretica meliorem docet in ſermone de Dei & proximi amore Sanctus Baſilius: *Quod ipſa etiam precatio, quæ comprecationibus caret, eſſe ſeipſa longè debilior deprehendatur*. Et de quopiam ſolemniter pœnitente Mathematico declamat ad ſuum populum in ſexti Pſalmi Commentario Sanctus Auguſtinus: *Orate pro illo Chriſtum. Prorsùs hodiernam precem pro illo fundite. Scimus enim, & certi ſumus, quia oratio veſtra delet omnes ejus iniquitates. Dominus vobiſcum*. In Flentium gradu olim conſtituti volutabantur in ſacco & cinere ad Cleri & fidelis populi pedes, unanimem ipſorum orationem expoſtulantes, qua & ab Epiſcopo, & à Deo optimo maximo reconciliatricis Pacis ac etiam germanæ contritionis donum conſequerentur. Hanc orationem eſſe viduæ matris pro defuncto unico filio efficaciſſimas lachrymas docet in libris de Pœnitentia Sanctus Ambroſius, & de ejus infallibili impetrandi virtute Auguſtinus vult non dubitari. Hinc addit: *Dominus vobiſcum*. Avitum orandi ac impetrandi Chariſma ſuo populo apprecatur. Et in tertio ſermone de ſeptimi menſis jejunio ſcribit Magnus Leo: *Plo-*

niſſima

niſſima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Eccleſiæ una eſt oratio, & una confeſſio. Si enim duorum vel trium Sanctorum pio conſenſui omnia, quæ popoſcerint, Dominus præſtanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi, unam obſervantiam pariter exequenti, & per unum ſpiritum concorditer ſupplicanti? Hanc omnem in ſacris conventibus unitatem hic prædicat Septimius, affirmat Eccleſiæ neceſſariam, atque ita præſcribit neutram apud hæreticos reperiri.

CAPUT XLIV.

Fidem nemo ſtuprabit, qui futuri meminerit judicii.

PRoinde hæc preſſioris apud nos teſtimonia diſciplinæ ad probationem veritatis accedunt: A qua devertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes nos neceſſe eſt apud Chriſti tribunal adſtare, reddentes rationem, in primis ipſius fidei. Quid ergò dicent qui illam ſtupraverint adulterio hæretico, virginem traditam à Chriſto? Credo allegabunt, nihil unquam ſibi ab illo, vel ab Apoſtolis ejus, de ſeris & perverſis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cavendis abominandiſque præceptum. Agnoſcant ſuam potiùs culpam quàm illorum, qui nos tantò antè præſtruxerunt: Adjicient præterea multa de auctoritate cujuſque Doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, uti meritò Apoſtoli crederentur. Quaſi nec hoc ſcriptum ſit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. Itaque veniam merebuntur. Qui verò memores Dominicarum & Apoſtolicarum denuntiationum in fide integri ſteterint, credo de venia periclitabuntur, reſpondente Domino: Prænuntiaveram planè futuros fallaciæ Magiſtros in meo nomine, & Prophetarum, & Apoſtolorum etiam; & Diſcentibus meis eadem ad vos prædicare mandaveram; ſemel Evangelium, & ejuſdem regulæ doctrinam Apoſtolis meis delegaveram: Sed quum vos non crederetis, libuit mihi poſtea aliquid inde mutare. Reſurrectionem promiſeram, etiam carnis; ſed recogitavi ne implere non poſſem. Natum me oſtenderam ex virgine; ſed poſtea turpe mihi viſum eſt. Patrem dixeram, qui ſolem & pluvias facit; ſed alius me pater melior adoptavit. Prohibueram vos aurem accommodare hæreticis, ſed erravi. Talia capit opinari eos qui exorbitant, & fidei veritatis periculum non cavent.

SCHOLION.

Preſſioris diſciplinæ, &c.

SAcrorum rituum & omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ preſſiorem obſervantiam apud Eccleſiam, neglectum apud hæreſes & ſchiſmata vigere Doctor affirmat denuò, præſcribens hunc eſſe firmum characterem amiſſæ Catholicæ veritatis. Omnem item poſteriorem doctrinam repetit eſſe perverſam, utpotè vocum novitatem, quæ Apoſtolico dogmati non poſſit eſſe conſanguinea. Etiam per Virginem illam, quam *Dei* æmulatione æmulatur, & uni viro Chriſto caſtam exhibere deſpondit Apoſtolus, rectè intelligit fidem Chriſtianam. Uti corpore per Virginem & Spiritum Sanctum conceptus & natus eſt Dominus, ita per Matrem Spiritu Virginem & Deum Patrem concipitur atque renaſcitur omnis Chriſtianus. Et hinc laudatam à Septimio fidem eſſe potiùs ipſam hujus Catholicæ Matris virginitatem

tra-

tradit paſſim Sauctus Auguſtinus. In ſuis ſuper
Sancti Joannis Evangelium Tractatibus diſtingnit virginiratem mentis & corporia, corpore
virgines aſſerit eſſe paucas in Eccleſia, atqne
Tract. 13 proſequitur: *Alia membra non in corpore, ſed
omnia in mente ſervant virginitatem. Quæ eſt
virginitas mentis? Integra fides, ſolida ſpes,
ſancta charitas*. In alio Tractatu laudar integram ſolummodo fidem, & adjungit: *Nul-*
Tract. 8. *lus vobis corrumpat hanc fidem, ſi vultis Sponſo
ſervare caſtam virginitatem*. Et iterùm: *Et hæretici & Mathematici à ſerpente illo venîunt, volentes
corrumpere virginitatem cordis Eccleſiæ quam habet
in integra fide*. Etiam aliis in locis videtur banc
virginiratem io ſola fidei integritate collocare.
Er certè ſola perfidia videtur ſpiritus fornicatio,
fidelium peccara videntur eſſe dumraxat maculæ
& rugæ. Et Eva, ad quam reſpicit Apoſtolus,
ante datam Serpenti fidem non fuit ſeducta, nec
cum ipſo adul erata. Reſpondeò tamen Auguſtinum iſtic loqui non de quavis, ſed de illa fide,
qua Chriſtus nobis ponitur fundamentum, quam
clarum eſt non eſſe ſine ſolida ſpe & ſancta charirate. Er omne morrale peccatum quis ambigat
eſſe noſtri ſpiritus, licèt non cum ipſo Serpente,
tamen cum aliqua creatura fornicationem?

Mortuos ſuſcitaſſe.

Miraculorum paratinnem, atque indè ſui erroria aucboritatem venari eſt avita ſuperbia omnium hæreticorum. Etenim Spiritum Sanctum,
quem ab Apoſtolis temere tentavit Simon Magus,
fuit gratia miraculorum. Er hinc de cunctis generarim Gnoſticis, qui ex ipſo uti ex purrido cadavere vermes ſcaturierunt, ſcribir Sanctus Ire-
Lib. 1 cap. 56. næus: *Virtutes operari dicuntur, non in virtute
Dei, neque in veritate, neque in beneficiis facientes
hominibus ea quæ faciunt, ſed in pernicem & errorem per magicas illuſiones, & univerſâ fraude plus
lædentes, quàm utilitatem præſtantes his, qui credunt eis, in eo quod ſeducunt*. Et ſuperiùs memorara ipſorum cum Circulatoribus & Magis familiaritas præſertim ambiit, licet non veritatem,
ſaltem fucum miraculorum obtinere. Et in iſtos
hic omninò ſcribir Septimius. Etiam adversùs
Hær. 30. cap. 34. Ebionem ſcribit Sanctus Epiphanius: *Verùm agedum è monumento Lazarum acceſſe, aut alium quempiam mortuum excitato. Aut infectos lepra repurga,
cæcis viſum, nervorum reſolutione laborantibus ſanitatem, ſi potes, reſtitue. Sed ideò non potes,
quod infidelitate, carniſque vinculis, & legis imperfectis cæremoniis illigatus contraria illi omnia facis.
Atque ut præſtare maximè poſſes id, quod propter
depravatam tuam fidem minimè potes aſſequi, non
inſtar Chriſti dico, ſed neque Chriſti nomen ad edenda prodigia potes invocare, aut ſi tamen invocaveris,
efficies quidquam*. Nempè Ebion ac Ebionitæ
omni ſtudio gratiæ hujus ſeu veritatem ſeu fucum
ambiebant. Addir eadem vanitare tumuiſſe &
Manerem: Et quidem ad ſanandum filium Re-
Hær 66. cap. 4. 5. gis Perſarum. Verùm hic inter illius manus exſpiravit, atque ita convicit omne præſtigium.

Et adversùm Donatiſtas in Tractatibus ſuper
Sancti Joannis Evangelium declamat ad ſuam
plebem Sanctus Auguſtinus: *Nemo vobis fabulas* Tract. 13.
vendat, dicendo, *Et Pontius fecit miraculum, &
reſpondit ei Deus de cælo*. Et in libro de unitate
Eccleſiæ: *Nemo* Donatiſta *dicat ideo verum eſt* no- Cap. 19.
ſtrum dogma, *quid illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias Martyrum noſtrorum orant &
exaudiuntur, aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit vel tale viſum dormiens ſomniavit*. Epiſcoporum iſtorum, qui parti ſuæ Baſilicas, & in
ipſis Conventuum libertarem reddi imperrarunt
ab Imperatore ac Apoſtata Juliano, Princeps
erat Pontius, & hunc cum Donato Magno fuiſſe
Thaumaturgum buccinabant Donatiſtæ, ideoque ſuum dogma eſſe legitimum ac à Deo confirmatum. Etiam neſcio quem ipſorum Presbyterum de ſibi facta Angeli apparitione fuiſſe gloriatum, lucet ex Sancti Auguſtini litteris ad nobilem virum Generoſum. Idem actum à Valente, Ep. 165.
Murſienſi Arianorum Epiſcopo, atque ita Imperatorem Conſtantium fuiſſe in ejus communione
firmatum ſcribit in Eccleſiaſtica hiſtoria Sulpitius
Severus. Quomodo Cyrola, Wandalorum in
Africa ſub Hunuerico Rege Arianus Epiſcopus,
neſcio quem pauperem, qui ſe cæcum & ab ipſo
illuminandum fingeret, doloſè ſubornaverit,
multis refert in Francorum hiſtoria Sanctus Gregorius Epiſcopus Turonenſis. Verùm fraus non Lib. 2.
ſucceſſit. Etenim Dominus Deus è mendacio ve- cap. 3.
ritatem fecit, cæcus ille permanſit cæcus, uſque
dum noſtris Epiſcopis ſupplex viſum recuperaret.
In foro item Conſtantinopolitano delirus ſenex
Polychronius dum ſuam Monothelitícam hæreſim per ſolemnem defuncti ſuſcitationem confirmare tentavit, deriſus ab omni populo, à ſexta
Synodo fuit horrendè & juſtè damnatus. Etiam
à Joanne Calvino, dum è mortuo vivum facere Act. 15.
tentat mendacio, è vivo factum eſſe mortuum
teſtantur graviſſimi Scriptores. Eandem, licèt
non vafritiem, tamen vanitatem notat in Lutheranis Eraſmus, addens ab illis uſque huc nec
unum canem potuiſſe ſuſcitari. Eſt juſtus Sarcaſmus. Quod tamen venerabilis Guido, Abbas
Piſcarienſis, à ſuis ruſticis occiſum Traſmundi
Comitis equum reſuſcitaverit, atque ita hunc ab
iſtorum cæde revocaverit, in ejuſdem Cœnobii
Chronico teſtatur Joannes Berardi.

Quæſtio eſt, An mortuorum ſuſcitandorum, A. 1038.
& iſtiuſmodi vera miracula patrandi gratia detur
quandoque hæreticis, aut aliis Infidelibus? Partem affirmativam Doctor noſter hic quaſi ſupponit. Quin & de Apollonio Thyaneuſi, homine
gentili & ſceleratiſſimo Mago, ſcribit in Aureliano Auguſto Flavius Vopiſcus: *Quid illo viro* Cap. 24.
*ſanctius, venerabilius, antiquius, Diviniuſque
inter homines fuit? Ille mortuis reddidit vitam,
ille multa ultra homines & fecit & dixit, quæ qui
velit noſſe, Græcos legat libros, qui de ejus vita
ſunt conſcripti*. Quòd illum, uti & Apulejum
Madaurenſem, ob patrata miracola gentiles Chriſto Domino prætulerint, teſtatur in litteris ad
Sanctum Comitem Marcellinum beatus Auguſtinus. Et inter iſtos fuerunt Porphyrius, & Hierocles,

rocles, quorum Sripta memorat Lactontius Fir-
mianus. Et de Imperotore Veſpoſiano, flagitio-
Cap. 5. ſiſſimo Sodomita, præter ſpem ad Imperium eve-
cto, ſcribir Svetonius Tranquillus: *Authoritas,*
& qvaſi majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato &
Lib 10. *novo adhuc Principi, deerat. Hæc quoque acceſſit.*
cap. 7. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili*
crure, ſedentem pro Tribunali pariter adierunt,
orantes opem valetudini, demonſtratam à Serapide
per quietem: Reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet; con-
firmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere. Cum
vix fides eſſet rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne
experiri quidem auderet, extremò hortantibus ami-
cis, palàm pro concione utrumque tentavit, nec
eventus defuit. Quod ipſum in Hiſtoriorum libris
confirmet Cornelius Tacitus, addens cæcum
iſtum fuiſſe Ægyptium, ideoqne monitum à Se-
rapide. Et de Imperatore Adriano, eorundem
flagitiorum fœdiſſimo ſervo, & per morbi impa-
tientiam volente ſemetipſum occidere, ſcribit
Ælius Spartianus: *Ea tempeſtate supervenit qua-*
dam mulier, quæ diceret ſomnio ſe monitam, ut in-
ſinuaret Adriano, ne ſe occideret, quod eſſet benè
Cap. 25. *valiturus. Quod cum non feciſſet, eſſe cæcatam.*
Juſſam tamen iterùm, Adriano eadem diceret, at-
que genua ejus oſcularetur, receptura viſum, ſi fe-
ciſſet. Quod inſomnium cum impleſſet, oculos rece-
pit, cum aqua, quæ in Fano erat, ex quo venerat,
oculos abluiſſet. Venit & de Pannonia quidam natus
cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit:
Quo facto & ipſe oculos recepit, & Adrianum febris
reliquit. Et de Mopſo, Argonautarum Vate,
defuncto circa Africam, ac ibidem ſepulto, ha-
bet Ammianus Marcellinus: *Ceſpite Punico tecti*
manes dolorum varietati medentur, plerumque ſoſpi-
tales. Er Ariſtæum Battum, Cyrenenſis in Li-
byca Pentopoli civitatis Conditorem oc Regem,
Lib. 14. ad Cyreni Patris preces per Apollinem fuiſſe à
cap. 25. noturali balbutie liberatum affirmat Juſtinus. Et-
iam Æſculapii, Ariſtæi Proconneſii, Ariſtæi
Clazomenii, Cleomedis Aſtypalenſis, aliorum-
Lib. 13. que Gentilium miracula jactavit apud Origenem,
& ex Pindaro ac Herodoto confirmavit Celſus
Philoſophus Epicuræus, exindè concludens Do-
minum noſtrum JESUM Chriſtum in nullo fuiſ-
ſe iſtis majorem. Inſuper alia videre poſſis apud
Lactantium Firmianum in ſecundo libro Divina-
Lib. 3. rum Inſtitutionum. Idem affirmat inter Anti-
Chriſti miracula fore mortuorum ſuſcitationem.
Et de iſtis generatim ſcribit in libro de unitate
Eccleſiæ Sanctus Auguſtinus; *Exaudiuntur multi,*
& multis modis, non ſolùm Chriſtiani Catholici,
ſed & Pagani, Judæi, & hæretici, variis errori-
bus & ſuperſtitionibus dediti. Exaudiuntur autem
vel à Spiritibus ſeductoribus, qui tamen nihil fa-
ciunt, niſi permittantur à Deo ſublimiter atque ineſ-
fabiliter judicante quid cuique tribuendum ſit, vel
ab ipſo Deo, vel ad pœnam malitiæ ſuæ, vel ad
ſolatium miſeriæ, vel ad monitionem quærendæ ſa-
lutis æternæ. Ad ipſam verò ſalutem ac vitam æter-
nam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum.
A gentilibus Scriptoribus jam memorata miracula
videtur palàm confirmare. In homiliis ad popu-
lum Antiochenum confirmare videtur etiam San-
Hom. 36. ctus Joannes Chryſoſtomus: *Ethnici Dæmoniorum*
arte morbos ſæpè curarunt, & ægrotos ſanitati reſti-
tuerunt. Fugienda eſſe ejuſmodi miracula de-
monſtrat ex Deuteronomii Mandato, ac ipſum
exponit: *Si Propheta quiſpiam ſurrexerit, & ſi-*
gnum ediderit, vel mortuum excitaverit, vel mun-
daverit leproſum, vel debilem ſanaverit, ſignoque
edito te invitaverit ad impietatem, ne propter ſigni
eventum obedias. Admittit hæc omnia non ſemper
phantaſticè, ſed quandoque etiam veritate fieri,
atque adjungit: *Permiſſio iſta à Deo fit ad tui ex-*
plorationem, non quod Deus neſciat, ſed ut diſcas
iſtos etiam Dæmones miſſos facere, qui medentur.
Quæ omnia repetit in ſexto homilia adversùm Ju-
dæos: *Si falſus Propheta poſſit mederi cæco, aut*
excitare mortuum, nec iſta præſtanti crediderìs.
Quare? Eò quod Deus tentans te permiſit, ut ille
hoc poſſit. Non quod ille non noſſet animum tuum,
ſed ut tibi probationis occaſionem exhiberet, an verè
diligeres Deum. Lucidè ſupponit à Pſeudo Pro-
phetis poſſe & illuminari cæcos, & mortuos ſu-
ſcitari. Hæreticorum in templis ſanotiones, ex-
pulſiones Dæmoniorum, aliaque fieri miracula Quæ. 5.
atque virtutes, ſupponit apud Sanctum Juſti-
num Martyrem etiam Author Chriſtianorum Quæ-
ſtionum. Item de Pſeudo-Prophetis in Dialogo
cum Tryphone Judæo ſupponit ipſe Juſtinus.
Quomodo cuidam Judæo, qui pluties fictè bapti-
zatus etiam Paulum Conſtantinopolitanum No-
vatianenſium Epiſcopum circumſcribere tentabat,
ſacri Fontis aquam ſubſtraxerit Divina Juſtitia,
narrat Socrates, atque adjungit: *Hoc miraculum* Lib. 7.
per Paulum fuit editum. Eccleſiam item fuiſſe ejus cap. 17.
precibus liberatam ſcribit ab horrendo incendio,
& concludit: *Deus igitur ejus preces audivit.* Et
de Eutychiano, Novationenſi itidem apud Bi- Lib. 1.
thynos Monacho, ſcribit Hermias Zozomenus: cap. 14.
Sanavit morbos, & facta mirabilia edidit. Et de
Ariano homine Euſebio Epiſcopo Emeſeno: *Fer-* Lib. 3.
tur Deus multa per ipſum edidiſſe miracula, uti Geor- cap. 5.
gius Laodicenſis teſtatur. Plura ſunt iſtius generis
exempla.

Reſpondeo tamen nullum unquam à Paganis
ſuſcitatum mortuum, nullum veraciter cæcum
illuminatum, nullum germanum editum miracu-
lum. Veriſſimè enim in libro Apologetico affir- Cap. 22.
mat Doctor noſter ſumma gentilium miracula eſſe 23.
phantaſmata Caſtorum, aquam cribro geſtatam,
navem cingulo protractam, barbam tactu inrufa-
tam, caprarum & menſorum Divinationes, alia-
que id genùs, edita *ut numina lapides crederentur,*
& Deus verus non quæreretur. Addit in eodem li-
bro: *Pindarus Æſculapium canit avaritiæ merito,* Cap. 14.
quia medicinam nocenter exercebat, fulmine judica-
tum. Nicolaus Rigaltius rectè exponit: *Gentiles*
fabulantur Æſculapium adverſùs fata, hoc eſt, ad-
verſùs voluntatem Jovis, mortuos quoſdam, ingen-
ti pretio captum, ad vitam revocaſſe. Cuncta iſtiuſ-
modi miracula Doctor proſcribit ad figmenta.
Etiam Magorum in Ægypto adverſùs Moyſem
miracula affirmat fuiſſe fucos Diabolicos. Alii
tamen affirmant hæc fuiſſe veritatem. Quidquid
ſit, Imperatoris Veſpaſiani miracula inſigniter
exponit in quarto Hiſtoriarum libro Cornelius
Tacitus: *Per eos menſes, quibus Veſpaſianus Ale-* Cap. 8.
xandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies, & certa maris

opperie-

operiebatur, multa evenere miracula, queis cœleſtis favor, & quædam in Veſpaſianum inclinatio Numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit. Precabaturque Principem ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo authore, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus primò irridere, adſpernari, atque illis inſtantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obſecratione ipſorum & vocibus adulantium in ſpem induci. Poſtremò æſtimari à Medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana ſuperabiles forent. Medici variè diſſerere. Hi non exeſam vim luminis, & rediturum ſi pellerentur obſtantia; illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Id fortaſſe cordi Deis, & Divino miniſterio Principem electum. Denique patrati remedii gloriam penes Cæſarem, irriti ludibrium penes miſeros fore. Igitur Veſpaſianus, cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipſe vultu, erecta quæ adſtabat multitudine, juſſa exequitur. Statim converſa ad uſum manus, & cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium. Palàm vides haſce ſanitates Angelica arte non fuiſſe ſuperiores. Florentia tunc Chriſtianorum miracula Diabolus iſta forſan via tentavit obnubilare. Ad ſimilia Imperatoris Adriani miracula addit Ælius Spartianus:
Cap 25. *Quamvis Marius Maximus hæc per ſimulationem facta commemoret.* Et ad Apollonii Thyanenſis
Lib. 2. miracula ſcribit Sanctus Iſidorus Peluſiotes: *Qui-*
Ep. 398. *dam novis ſermonibus homines deceperunt, Thyanæum Apollonium inducentes, qui multa pleriſque in locis, tutæ habitationis cauſa, ut ajunt, effecerit. At nihil, quod ab ipſo factum ſit, oſtendere poſſunt. Nam alioquin illi, qui nudos etiam ipſius ſermones litteris mandarunt, totamque ipſius vitam accuratè conſcripſerunt, actiones eas, quæ vulgi ſermonibus celebrantur, non omiſiſſent. Habes autem Philoſtratum, qui ipſius vitam magna cura & diligentia in lucem edidit. Ex quo intellige, quàm perſpicuam hujuſmodi præſtigiarum calumniam viri illius hoſtes, ut vero conſentaneum eſt, concinnaverint.* Similem ejus apologiam habet Svidas. Quod ejus, uti viri eximiè probi, imaginem in ſuo Larario habuerit & coluerit Alexander Severus, à Magis alieniſſimus Imperator, teſtatur Ælius Lampridius. Et uti inſignem Philoſophum laudat in Chronico Aurelius Caſſiodorus. Vixit cum Apoſtolis, in prima Evangelii & noſtrorum ubique miraculorum gloria. Hinc illa Adverſarii noſtri Gentiles per afficta Magiæ mendacia conati ſunt offuſcare.

Eadem eſt ratio hæreticorum. Hinc enim in Evangelio natus ille cæcus ad Judæos dixit, inauditum eſſe in mundo, ut quis Pſeudo-Propheta ſibi ſimilem illuminaverit, ac inde concluſit Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eſſe verum Prophetam. Quod ipſum & illi ipſi, qui eundem Dominum lapidare ut blaſphemum voluerant à paucis diebus, ex Lazari reſuſcitatione concluſerunt. Et nec Scribæ, nec Phariſæi, nec quis alius Doctor ſciverunt aliud opponere. Et Sanctus Irenæus ſcribit: *Super hæc arguentur qui* Lib. 2.
ſunt à Simone Mago, & Carpocrate, & ſi qui alii cap. 56.
virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei, neque in veritate, neque in beneficiis facientes hominibus ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas illuſiones, & univerſa fraude plus lædentes, quàm utilitatem præſtantes his qui credunt eis, in eo quod ſeducunt. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum, nec ſurdis auditum, neque omnes Dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur. Si tamen & hoc faciunt. Neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam corporis parte vexatos, quemadmodum ſæpè evenit fieri ſecundùm corporalem infirmitatem, vel earum, quæ foris accidunt infirmitatum, bonas valetudines reſtaurare. Tantùm abſunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodùm Dominus excitavit, & Apoſtoli per orationem, & in fraternitate ſæpiſſimè propter aliquod neceſſarium, ea quæ eſt in quoque loco Eccleſia univerſa poſtulante per jejunium & poſtulationem multam, reverſus eſt ſpiritus mortui, & donatus eſt homo orationibus Sanctorum. Miraculorum gratiam eſſe in ſola Eccleſia oſtendit multis, ideoque apud hæreticos reperiri ſola Magiæ mendacia & fucos. Quæ ejus verba probavit, & ſuæ Hiſtoriæ inſeruit Euſebius Epiſcopus Cæſareenſis. Et ſupra Lib. 5.
Septimius noſter edixit miraculorum virtutem eſ- cap. 7.
ſe proprium characterem Apoſtolatus. Et pergit in eoſdem Gnoſticos: *Volo igitur & virtutes eorum proferri.* Affirmat ipſorum miracula eſſe mortuos è vivis, non è mortuis vivos. Et in libro de Cap. 30.
anima ſcribit: *Multa & adversùs Apoſtolos Simon* Cap. 57.
& Elymas Magi ediderunt miraculorum præſtigia, *ſed plaga cæcitatis de præſtigiis non fuit. Quid novi æmulatio veritatis à ſpiritu immundo? Ecce hodiè, ejuſdem Simonis hæreticos tanta præſumptio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere ſe ſpondeant. Et credo quia mendacio poſſint.* Omnia ipſorum miracula amplè demonſtrat eſſe mendacia, atque proſequitur: *Sed etſi quoſdam revocavit in corpora Dei virtus, in documenta juris ſui, non ideò communicabitur fidei & audaciæ Magorum.* Defunctorum excitationem affirmat eſſe Divini ſolius juris ſeu poteſtatis, ideoque nonniſi per Chriſtum Dominum, aut ejus Prophetas ac Apoſtolos poſſe fieri, aut impetrari. Et ad Montanum delapſus Apoſtolorum ac Prophetarum miracula laudat in libro de Pudicitia, & pergit in Sanctum Zephyrinum Ponti-
ficem: *Exhibe & nunc mihi, Apoſtolice, Prophe-* Cap. 21.
tica exempla, & agnoſcam Divinitatem, & vendica tibi remittendorum ejuſmodi delictorum poteſtatem. Laudatum Pontificem ob nuperam in mœchos clementiam exiſtimabat, uti Chriſtiani dogmatis prævaricatorem, excidiſſe vera Eccleſia, ideoque ab illo exigit miracula, certus ipſa ab hæretico non poſſe patrari. Quomodo Elias Propheta Sacerdotes Baal, ita noſtri Epiſcopi, Clerici, aut Monachi variorum hæreticorum Epiſcopos, Clericos, aut monachos, neceſſitate cogente, provocarunt ad miraculum, & nullum unquam, niſi à ſeſe editum, viderunt. Plurima ſunt hujus generis exempla. E ſummis Latinæ Eccleſiæ Thaumaturgis fuit Sanctus Martinus Epiſcopus

Turo-

Turonenſis: At ecce ipſum, ubi Ithacianæ fa-
ctioni communicavit ob humanum diem, fuiſſe
ſuſpenſum ab iſta gratia teſtatur in ejus vita San-
ctus Sulpitius Severus. Quod nempe illa nec ad
ſchiſmata derivetur. Sic apud Colchos & Iberos
poſt *rejectam* Florentinæ Synodi unionem ceſſaſ-
ſe eandem teſtatur in opere de eorum cum Lati-
cap. 12. nis unione Clemens Galanus. Etiam miraculo-
ſam Paſchalis luminis gratiam tunc ceſſaſſe in
Hieroſolymitana Eccleſia, eſt cunctis notum.

Verùm quid ad præſentem Septimii locum?
Ipſum enim in tertio libro adversùs Marcionem
Chriſti ſui ſine prǽviis Prophetarum prædicationi-
bus repentinum adventum per ſola *virtutum docu-
menta* ſufficienter probari volentem, acriter con-
Cap. 3. firmat: *At ego negabo ſolam hanc illi ſpeciem ad te-
ſtimonium competiſſe, quam & ipſe poſtmodum exau-
thoravit. Si quidem edicens multos venturos, & ſi-
gna facturos, & virtutes magnas edituros, averſio-
nem etiam Electorum, nec ideò tamen admittendos,
temerariam ſignorum & virtutum fidem oſtendit ut et-
iam apud Pſeudo-Prophetas faciliimam.* Et ſcele-
rato Hierocli, qui Chriſti Domini miracula
Apollonii Thyanæi miraculis æquabat, ideo-
que illa non eſſe firmum prætenſæ à nobis in
Chriſto Divinitatis argumentum blaterabat, reſ-
Lib. 5. pondet Lactantius Firmianus: *Diſce igitur, ſi
cap. 3. quid tibi cordis eſt, non ſolùm idcircò à nobis Deum
creditum Chriſtum, quia mirabilia fecit, verùm
etiam quia videmus in eo facta eſſe omnia, quæ nobis
annunciata ſunt vaticinio Prophetarum.* Pluribus
demonſtrat miracula eſſe magna & magni facien-
da, attamen non ipſa, ſed utriuſque Teſtamenti
conſenſum, & Prophetarum adimpletionem eſſe
palmare fidei noſtræ firmamentum. Quod ipſum
conſtanter tradunt & alii Patres.

Reſpondeo hæc exponi inſigniter à S. Auguſti-
no, ſcribente in Faſtum Manichæum: *Unde huc
exiſtis? Unde confiditis? Scripturas tanta authoritate
Lib. 13. firmatas, commendataſque reſpuiſtis, miracula non
cap. 5. facitis: Quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis cavere-
mus, præſtruente nos Domino, & dicente, Exurgent
Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ, & facient ſigna
& prodigia multa, ut fallant, ſi fieri poteſt, etiam
Electos.* Sola miracula vult non eſſe plenum recti
dogmatis teſtimonium. Hinc ſuadet ſcrupuloſè
non quærendum, quæ & qualia patrare poſſint hæ-
retici, quod conſtet ipſos, qualiacumque aut
quantacumque quavis virtute patrarint, caven-
dos eſſe ac deteſtandos. Etiam Celſo, Chriſti
Domini miracula uti magica, ideoque & inepta
rectæ prædicationis teſtimonia calumnianti, Ori-
genes reſpondit de ipſis, ut ad utilem hominum
inſtitutionem, & legitimam doctrinæ confirma-
tionem ſint efficacia, priùs diſquirendum, à quo
rectè patrentur, ne alioquin damnemus omnia,
vel omnia comprobemus. Lucidè ſupponit Divi-
nam Majeſtatem Pſeudo-Prophetis ad vera Mira-
cula non cooperari. Etiam Sanctus Joannes
Lib. 2. Chryſoſtomus dumtaxat vult Hæreticorum, li-
cèt excitarent mortuos, prædicationibus non cre-
dendum. Per Hermiam Zozomenum pro Euſe-
bio Emiſeno laudata Georgii Laodicenſis fides
eſt nullius ponderis. Hunc enim Alexandrinæ
Eccleſiæ Presbyterum fuiſſe non ſolummodo ob
Arii patrocinium, ſed & ob alia crimina degra-
datum à Sancto ſuo Patriarcha Alexandro, & ob
pertinacem dictæ hæreſeos tutelam poſt modò in-
truſum in Sedem Laodicenſem, teſtatur Sanctus
Athanaſius. Socrates fuit homo Novatianenſis:
Hinc & ejus pro Paulo ſuæ Sectæ Epiſcopo teſti-
monium eſt infirmum. Hæretici hanc virtutem
non ambiunt, niſi ob turpem quæſtum, popula-
rem gloriam, aut erroris ſui firmitatem, ad quæ
Divinam bonitatem cooperari non poſſe ſupponit
in adducto ſuperiùs loco Sanctus Irenæus, & Cap. 1.
in quinta decima Collatione demonſtrat Joannes
Caſſianus. Hinc & ab Anti-Chriſto, omnium
hæreticorum Principe, non niſi Diabolica edenda
miracula affirmat in libris de Dei civitate Sanctus
Auguſtinus.

Quo igitur ſenſu idem Auguſtinus in libro de
unitate Eccleſiæ affirmat non ſolùm hæreticos,
ſed inſuper Judæos & Paganos quandoque à Deo
exaudiri etiam ad gratias curationum? Quin &
poſt laudata, quæ apud nos fiunt, frequentiſſi-
ma miracula adjungit: *Quæcumque talia in Catho-* Cap. 15.
*lica fiunt, ideò ſunt approbanda, quia in Catholica
fiunt, non ideò ipſa manifeſtatur Catholica, quia
hæc in ea fiunt.* Videtur cum Tertulliano affirma-
re, quòd ſolæ jam valeant Canonicæ litteræ, &
cuncta miracula ſint à Chriſto Domino exautho-
rata. Reſpondeo, aliud eſſe hæreticos à Domi-
no Deo exaudiri ad faciendas, aliud ipſos exau-
diri ad accipiendas gratias ſanitatum. Solum po-
ſtremum Auguſtinus aſſerit, & dat cauſam di-
cens id fieri, vel ad pœnam malitiæ vel ad ſola-
latium miſeriæ, vel ad monitionem ſalutis æter-
næ. Loquitur cum Tertulliano, qui & ipſe in
libro de Anima laudat ac enumerat Eccleſiæ mi-
racula, atque adjungit: *Si & apud Ethnicos tale* Cap. 53.
*quid traditur, ubique Deus poteſtatis ſuæ ſigna pro-
ponit, ſuis in ſolatium, extraneis in teſtimonium.*
Neuter miracula, ſed dumtaxat vidua, ſeu à Chri-
ſtiana vita, ac præſertim à recto dogmate deſtitu-
ta miracula affirmat à Chriſto Domino exautho-
rata. Alludunt ad vigeſimum quartum S. Mat-
thæi caput, ubi fallacia Anti-Chriſtorum prodi-
gia Chriſtus Dominus monuit vitanda. Quæ om-
nia apud S. Juſtinum Martyrem tradit etiam Chri-
ſtianarum Quæſtionum Author, inſigniter oſten-
dens iſtiuſmodi miracula nullatenùs eſſe confirma-
tionem hæretici erroris.

Rem inſignem in ſeptimo hiſtoriarum libro
refert Paulus Oroſius. Affirmat Sanctum Petrum
Apoſtolum ſub Claudii Imperatoris exordio ve-
niſſe Romam, ac iſthic fundaſſe Eccleſiam, at-
que adjungit: *Accidit eodem tempore præſentis gra-
tiæ Dei grande miraculum. Si quidem Furius Camil-
lus Scribonianus, Dalmatiæ Legatus, bellum civile
molitus, Legiones multas fortiſſimaſque ad Sacra-
menti mutationem pellexerat. Itaque die dicto ut in
unum undique ad novum Imperatorem conveniretur,
neque Aquilæ ornari, neque convelli quoquo modo
ſigna moverive potuerunt. Exercitus tanta & tam
inuſitata miraculi fide motus, & converſus in pœni-
tentiam, Scribonianum quinto ſtatim die deſtitutum
interfecit, ſeſeque Sacramento prioris militiæ conti-
nuit. Triſtius ac perniciosius urbi Romæ nihil un-
quam fuiſſe quàm bella civilia, ſatis notum eſt. Ita-*

que propter adventum Apoſtoli Petri, & tenera Chriſtianorum germina, vixdum adbuc pauca ad ſanctæ fidei profeſſionem erumpentia, banc exorientem tyrannidem & conſurgens iſtud civile bellum neget quiſquam Divinitùs eſſe compreſſam, qui præteritis temporibus de compreſſione civilium bellorum ſimile probarit exemplum.

Etiam primam in oos ab Imperatore Nerone motam perſecutionem, ac ejus mortem ſubſecuta bella civilia exponit idem Oroſius, atque ſubjungit: *Luit Roma cædibus Principum, excitatiſque civilibus bellis recentes Chriſtianæ Religionis injurias, & ſigna Legionum illa, quæ ſub adventu in urbem Petri Apoſtoli Divinitùs coercita, convelli nullo modo ad extitandum civile bellum valuerant, quod per Stribonianum parabatur, Petro in Urbe interfecta, & Chriſtianis pœnarum diverſitate laniatis,* Cap. 8. *toto ſe orbe ſolverunt.* Divina Benignitas Gentiles Romaoos ob latentis io Urbe Petri merita bonoravit, & cuſtodivit ampliſſimo miraculo. Ita ob occulta aliorum Sanctorum merita poſſit egiſſe etiam in aliis apud Gentiles miraculis. Iſta benignitas in omne bumanum genus ſe ſemper effudit, quod quàm maximè cœpit eſſe verum Chriſtianis temporibus. Etenim cladea & calamitates, quibus ſtatim ab Adami lapſu bumanum genua fuit ſemper obnoxium, ante iſta tempora fuerunt longè acerbiores & plures, & laudatus Oroſius edicit cauſam: *Quia adbuc per univerſum mun-* Lib. 6. cap. 1. *dum nulla erat Eccleſia, quæ interventu fidelium precum meritas mundi pœnas, Juſtumque judicium Dei, exorata ipſius clementia temperaret.* Et de ſtatim præter morem extinctis, licet horrendis, poſt Neronis mortem civilibus bellis adjungit: Lib. 7. cap. 8. *Jam enim erat Romæ, quamvis perſecutione vexata, Eccleſia, quæ Judici omnium Chriſto pro inimicis & perſecutoribus ſupplicaret.* Hæ ſupplicationes poſſint etiam Gentilibus impetraſſe miracula. Hojus impetrationis modum & ordinem & Geotiles & ipſi etiam impetratores fideles poſſint ignoraſſe. Divina in bumanum genus providentia eſt longè ſecretiſſima.

Quaſi nec boc ſcriptum ſit, venturos multos, &c.

Doctor pergit firmare, quòd qualiacumque hæreticorum miracula ſint nobis non attendenda, ſed ſola irrefragabilis, quæ omnis hujus libri fundamentum eſt, præſcriptio: *Quidquid in Dogmate eſt poſterius, eſt & falſum.* Quaſvis doctrinas feras affirmat eſſe perverſas. Et omnem, qui neglecta hac præſcriptione attenderit ad iſta miracula, affirmat inexcuſabilem, ac apud Divinam Juſtitiam indignum omni venia. Et adjungit cauſam: *Credo allegabunt, nibil unquam ſibi ab illo vel ab Apoſtolis ejus de ſeeis & perverſis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cavendis abominandiſque præceptum. Agnoſcant ſuam potiùs culpam, quàm illorum, qui nos tantò ante præſtruxerunt.* Doctor affirmat iſtam præſcriptionem nobis eſſe non à ſolis Apoſtolis traditam, ſed & ab ipſo Domino: Ejus adverſùm naſcituras quovis tempore bæreſes neceſſitatem eſſe prædictam, uſum præceptum atque inculcatum. Hinc ab ejus neglectoribus non poſſe accuſari Chriſtum Dominum aut Apoſtolos, ſed omnem culpam eſſe ipſorum. Etiam purgari non poſſe per qualiacumque Hæreſiarcharum miracula. Hæc verba, *Itaque veniam merebuntur*, ſunt acerba in iſtorum miraculorum Sectatores ironia. Eandem continent cuncta ſequentia. Rodunt Marcionitas, & omnem Gnoſticorum fæcem, qui impodoratè blaterabant non ſolummodo omnem uſque ad ſuas blaſphemas fabulas Eccleſiam crediđiſſe perperàm, ſed & ipſum Chriſtum Dominum devia per fallaciam aut imperitiam prædicaſſe. Blaterabant ſe & Chriſto Domino, & ipſo etiam Demiurgo ſapientiores. Ita eſt ſupra demonſtratum.

Sed alius me Pater melior adoptavit.

Eſt durus, ſed verus ſarcaſmus in Marcionitas, qui Chriſtum Dominum cogunt, ut ſibi ipſi in ſua prædicatione contradixerit. Etenim ille palàm prædicavit ſe Dei Creatoris Filium, veram ſibi adſcripſit carnem, ac in ipſa veram mortem, promiſit veram carnis reſurrectionem: Illi autem ipſum coguot ad horum omnium paliodiam. Inſuper ipſum cogunt ut iſtius melioris Dei ſit non naturalis filius, ſed dumtaxat adoptivus. Adoptionis naturam inſigniter ex Sancto Auguſtino exponit Beatus Alcuinus Flaccus io primo libro contra Elipandum Archi-Epiſcopum Toletanum: *Beatus Auguſtinus in diſputatione, quam babuit cum Feliciano quodam Arianæ Sectæ defenſore, diſcrevit ita dicens; Filiorum alii ſunt adoptivi, naturales alii. Hi quia geniti, ab initio ſemper filii, ac proprii ſunt. Illi primò alieni, poſt filii: Cùm per adoptionem in familiam videntur adſciſci.* Affirmat adoptionem eſſe gratuitam Extranei aſſumptionem in digniorem familiam ac filiationem. Hinc adoptandus debet renuntiare prioribus natalibus. Antiquum ejus ritum producit in opere de ſacro bello Venerabilis Guibertus, Abbas Sanctæ Mariæ Centulenſis, agens Lib. 1. f. 496. de Comitis Balduini adoptione in filium & ſucceſſorem Principis Edeſſeni: *Adoptationis pro gentis conſuetudine dicitur fuiſſe talis modus. Intra lineam interulam, quam nos vocamus camiſiam, Princeps Balduinum nudum faciens intrare, ſibi adſtrinxit: Et bæc omnia oſculo libata firmavit. Idem & mulier poſtmodum fecit. Sic ab utroque eſt in filium adoptatus.* Adoptandus ita profitebatur ſe priſtino generi, ac ejus omnibus ex integro valedicere. Eſt antiquus mos Romani Imperii. Etenim Edeſſa uſque tunc & Romana & Chriſtiana manſerat, numquam pervaſa à Saracenis aut Turcis. Et bæc forſitan eſt rationum una, ob quas avita diſciplina juſſit Baptiſmales Renuntiatiooes in interula fieri, Baptiſma ſuſcipi à naturaliter nudo. Quòd nempè illic moremus Parentes, ac ex ſervili & damnata Adami familia ac filiatione adoptemur io Chriſti Domini ac Dei Patris liberam atque Divinam. Etenim plu-

piures ritus primitiva Eccleſia eſt mutuata à Romano Imperio. Quidquid ſit, hoc item in loco Septimius inſigniter profitetur adoptionem adverſari Chriſto Domino, atque ita ſubvertit errorem Theodori Mopſueſtienſis, Hæreſiarchæ Neſtorii, Elipandi Toletani Epiſcopi, ac Felicis Urgelitani. Hiſpania quintam Synodum, ac præſertim iſtius Theodori damnationem admittere numquam voluit: Hinc Synodus, quæ nobis eſt ſexta, ipſi olim fuit quinta. Ea de cauſa qoidam Sancti Toletanorum Antiſtites videntur ſacroſanctis Miſſarum ritibus adoptionis dogma inſeruiſſe. Videntur æmulati fuiſſe Facundi Hermianenſis Epiſcopi: pro iſta Theodori phraſi apologiam. Rei ſeries ſuo loco exponetur.

CAPUT XLV.

Generalia expedita ſunt, promiſſa ſpecialia.

SEd nunc quidem generaliter actum eſt à nobis adversùs hæreſes omnes, certis, & juſtis, & neceſſariis præſcriptionibus repellendas à conlatione Scripturarum. De reliquo, ſi Dei gratia annuerit, etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus. Hæc in fide veritatis legentibus pax & gratia Domini noſtri *JESU* Chriſti in æternum.

SCHOLION.

Conlatione Scripturarum, &c.

EX his verbis lucet hujus aurei libelli ſcopum eſſe, ut oſtendat hæreticos non eſſe admittendos ad nobiſcum è ſacris litteris diſputandum. Etenim à Matre Eccleſia, unica iſtius Divini Depoſiti cuſtode atque authentica expoſitrice, exciderunt per apoſtaſiam, à Deo devii errant, ideoque dumtaxat corripiendi ſunt ad reditum, & ob non redeundi contumaciam condemnandi. Et hic quidem eſt hujus libelli finis. Ita notat & antiquiſſimus Codex Sancti Agobardi Archi-Epiſcopi Lugdunenſis. Sequentia capita eſſe ſpuria, & ſub Septimii nomine conficta, liquet ex variis. Primò, ſtylus nihil habet Tertulliani. Secundò, cum Sancto Epiphanio faciunt Marcionem Epiſcopi filium, & neſcio cujus virginis ſtupratorem. Quæ nuſquam dixit Septimius, ac videtur ignoraſſe. Tertiò, iſtorum capitum Author ſuum exordium mutuatus eſt ex hiſce Sancti Hieronymi verbis in libro contra Luciferianos: *Taceo de Judaiſmi hæreticis, qui ante adventum Chriſti Legem traditam diſſiparunt. Quod Doſitheus, Samaritanorum Princeps, Prophetas repudiavit. Quod Sadducæi, ex illius radice naſcentes, etiam Reſurrectionem carnis negaverunt. Quod Phariſæi, à Judæis diviſi propter quaſdam obſervationes ſuperfluas, nomen quoque à diſſidio ſuſceperunt. Quod Herodiani Herodem Regem ſuſcepere pro Chriſto. Ad eos venio hæreticos, qui Evangelium laniaverunt.* Plura habet manifeſtè deſumpta ex eodem libro. Nempè Tertulliani ſtylum & dogmata in multis æmulatus fuit Sanctus Hieronymus, ideoque jam dicta ejus omnia, quo ſcopo & ſpiritu neſcio, iſte Author tranſcripſit. Erudita hæc tamen ſunt, & lectu digna.

FINIS TOMI NONI.

Ad majorem Dei, ac omnium Sanctorum gloriam.

INDEX RERUM, ET VERBORUM.

A

ABbatiſſæ Græcorum, Monialium ſuarum Confeſſiones voluerunt audire. *Pag.* 36. 1.
Abbatiſſæ quædam malè attentantes conſecrationem Virginum. *ibid.* 2. Cauſæ cur id attentaververint. *ibid.*
Abſolutio hæreticis ſemper conceſſa. 248. 2.
Abſolutio Mœchiæ olim denegata. 246. 2. Quibuſdam in caſibus fuit miſerationi, ac diſpenſationi locus. *ibid.* Rigida illa erga Mœchos diſciplina viguit in Eccleſia Romana, Aſiatica, Gallica, Africana, Hiſpana, Pontica, &c. *ibid.*
Achajæ Eccleſia ſpectat ad Romanum Patriarchatum. 138. 1.
Acta Apoſtolorum non admittunt Marcionitæ. 217. 2. 221. 1.
Adamitarum hæreſis. 11. 2. Uxores communes ſanciunt, & publicam Venerem vocant *Myſticam communionem.* *ibid.*
Adoptio quid? 382. 2.
Adrianus Imperator patraveritne vera miracula? 378. 2. 379. 2.
Æones quid ſint apud Valentinianos? 106. 1. Undè habeant originem quærunt Valentiniani. 115. 1.
Africana Eccleſia eſt antiquiſſima. 285. 2. Fuit ante Agrippinum. *ibid.* Spectat ad Patriarchatum Romanum. 286. 1.
Afris familiare ſacræ Scripturæ litteram detorquere. 98. 1.
Agellius Primas Novatianenſium nudis inceſſit pedibus, unica, & vili tunica contentus. 65. 2.
Albigenſes Scripturas truncant. 171. 2.
Aletenſis Epiſcopi ſententia, quòd nimius honor impendatur Diabolo, ſi per Presbyteros fiant Exorciſmi. 343. 1. Rejicitur ea doctrina tamquam repugnans moribus omnium ſub cœlo Eccleſiarum. *ibid.*
Alexandrina Sedes Apoſtolica Cathedra, quod illam Sanctus Marcus Vicario Sancti Petri nomine fundaverit. 192. 2.
Alexius Comnenus ampliſſima Doctoribus è publico dedit ſtipendia. 46. 2.
Sanctus Ambroſius natus Treviris, adeoque Belga. 44. 1. Arianæ Sanctimonialis in illum patrata audacia. *ibid.* 2.
Anabaptiſtarum hypocriſis. 66. 2.
Anacletus, fueritne conſecratus Epiſcopus Romanus ante Sanctum Clementem? 264. 1.
Ananias, & Sapphira juxta Auguſtinum ſalvati. 369. 2.
Animales in Eccleſia, ſi priuſquam ſpiritales fiant, ex hac vita rapiuntur, per Sacramenti ſanctitatem cuſtodiuntur. 56. 2.
Animam interire, qui dicant? 110. 2. & ſeq. Arabes aſſerunt hominum animos unà cum corporibus mori & tempore reſurrectionis vitam denuò recuperaturos. *ibid.* Epicuri de mortalitate animæ ſententia. 111. 1.
Anti-Chriſti plurimi. 67. 1.
Anti-Chriſtus nonniſi diabolica edet miracula. 381. 1.
Anti-Chriſtus principalis futurus eſt homo ſingularis. 67. 2. Ejus duo characteres, blaſphemum dogma, & tyranni poteſtas. 75. 1.
Sanctus Antonius Cœnobia primus induxit. 246. 1. Solam Ægyptiacam linguam noverat. 187. 2.
Apelles, cujus mentionem facit Apoſtolus ad Romanos, fuit Smyrnæ Epiſcopus ante Polycarpum. 263. 2.
Apelles primus Marcionis Apoſtata. 249. 1. Ejus errores. 249. 2. De Deo igneo ſententia. 113. 2. In carnem lapſus à Marcione ſe ſeparavit. 250. 2. Articuli in quibus Marcionem deſeruit. *ibid.* & ſeq. Inſectatur libros veteris Teſtamenti. 251. 1. Agnoſcit Deum, qui licet quædam crearit, nullius tamen curam gerat, *ibid.* 2. Admittit veram in Chriſto carnem, ſed ſumptam ex elementis. *ibid.*
Apocalypſis liber, ſitne Canonicus? 272. 2. & ſeq. Quis ejus Author? *ibid.*
Apocrypha Scriptura, quæ vocetur? 175. 2. & ſeq.
Apollinariſtarum ſuperbia. 340. 1.
Sanctus Apollonius Scriptor nobiliſſimus fidem ſuo ſanguine ſigillavit. 190. 2.
Apollonius Thyanenſis patraveritne vera miracula? 378. 2.
Apophoretum quid? 42. 2. Miſſum in virginum conſecratione. *ibid.*
Apoſtatæ noſtri ſtatim apud hæreticos promoti. 353. 1. 2.
Apoſtolatus eſt Spiritus Sancti plenitudo. 181. 1. Eſt ſpiritualis Magiſtratus, ſeu Conſulatus. 181. 1. 2. Requirit immediatam à Chriſto Domino vocationem, & familiarem cum ipſo habitationem. 182. 2. & ſeq. 185. 1. 210. 2. Apoſtolos M. Antonius de Dominis malè garrit ſolo miniſterio præfediſſe. 184. 1.
Apoſtolatus Prophetia major. 181. 2. 184. 2.
Apoſtoli an fuerint Cardinales ſingularium Eccleſiarum Epiſcopi? 261. 2. & ſeq. Verius eſt ſolum Petrum, & Jacobum fuiſſe Cardinalem Epiſcopum ſingularis Eccleſiæ. 262. 2.
Apoſtolica Cathedra, & Apoſtolica Eccleſia plurimùm differunt. 192. 2.
Apoſtolica Sedes, Romana Eccleſia, omnium radicatorum & radicum radix. 89. 1. Ab Arianis circumſcripta. 62. 1. A Pelagianis, à Montaniſtis, & à Vitali Apollinariſta. 63. 2.

Vide

Vide Sanctus Petrus.
Apoſtolicæ Eccleſiæ, quænam dicautur? 194. 2.
Apoſtoli duodecim annis à morte Chriſti per Judæam & vicinas Provincias fundant Eccleſias. 190. 2. 192. 1.
Apoſtoli in erigenda Hierarchia ſunt ſecuti formam Romanæ Monarchiæ. 191. 2. 192. 2.
Apoſtoli non alia docuerunt ſecretò, quàm publicè. 227. & ſeq. Proprium id hæreticis, non Catholicis. 227. 2. Apoſtoli ſine timore prædicaverunt omnem veritatem. 234. 1.
Apoſtoli non per linguarum Chariſma, ſed per directam à Spiritu Sancto ſortitionem acceperunt ſuæ prædicationis Provincias. 190. 2.
Apoſtoli omnium Gentium linguis locuti. 186. 2. & ſeq. Chariſma illud in alios fideles traduxerunt. *ibid.* Plurium linguarum peritia olim valde rara. 186. 1.
Apoſtoli plenè de omnibus à Chriſto inſtructi. 209. Ante Spiritus Sancti donationem complura ignoraverunt. 215. 1. Patrem filio majorem crediderunt. *ibid.* Poſt acceptum Spiritum Sanctum nihil ignorarunt eorum, quæ ſcire, & poſſe eos oportebat. 216. 2. Humanarum diſputationum imperiti, etiam accepto Spiritu Sancto. *ibid.* Ratio cur ita factum ſit. 217. 1.
Apoſtolorum Chorus diverſis perſonis conſtat, non doctrina. 211. 2
Apoſtolorum quatuor genera. 255. 2.
Apoſtolum, qui ſe affirmat, miſſionem probet. 255. 1. ut novi creentur Apoſtoli, opùs eſt novo Chriſto. *ibid.*
Apparitio, *Apparitor*, *Apparitura*, quid ſignificent? 371. 1. 2.
Apulejus Madaurenſis, an vera miracula patraverit? 378. 2.
Aquariorum exordium. 308. 1.
Aquilejenſis Eccleſia à Sancto Barnaba fundata. 143. 2.
Archi-Præſul. Vox eſt primis Eccleſiæ temporibus recentior. 263. 2.
Archontici hæretici Apocryphos quoſdam libros confinxerunt. 174. 1.
Ariani Apoſtolicam Sedem circumſcribunt. 62. 1. Liberium Pontificem ſibi adjungere ſtuduerunt. 89. 2.
Ariani inter ſe diviſi, & Cadmæi fratres. 62. 1.
Ariani ſub orthodoxis vocibus dogmata ſua tegere conantur. 62. 1. & ſeq. Falſant Scripturas Divinas. 143. 2.
Arianorum æmulata ſanitas. 66. 1. & ſeq.
Ariminenſis Synodus per Urſacium & Valentem ita circumſcripta, ut ingemiſcens poſteà terrarum orbis fuerit miratus ſe Arianum. 63. 2.
Ariſtotelis Dialectica artifex ſtruendi, & deſtruendi, verſipellis in ſententiis, coacta in conjecturis, dura in argumentis, operaria contentionum, moleſta etiam ſibi ipſi, omnia retractans, ne quid omninò tractaverit. 101. 2. Gnoſticorum blaſphemias adjuvat. 115. 2. Eam Epiphanius *virus Ariſtotelis* appellat. 117. 1.
Ariſtotelis Philoſophia Pariſiis doceri prohibita. 116. 2. Varii Authores notati, quod ejus Dialecticæ nimiùm tribuerent. *ibid.*

Arius ſeptingentas Virgines in hæreſim ſolus ſeducit. 29. 1.
Audientes. Gradus ſecundus Catechumenorum. 342. 2. Inſtruebantur de Divina ſubſtantia, ac providentia. *ibid.* Admiſſi ad publicum in Eccleſia verbum. *ibid.*
Auguſtini Dialectica Pariſiis olim prælecta. 116. 2. Expediret illam reſumi in ſcholas. *ibid.*
Auguſtini ſingulare ſtudium, ut illuſtres è Donati parte perſonas ad Catholicam Eccleſiam reduceret. 52. 1.
Auguſtini tempore & opera Africana Eccleſia cœpit virorum & virginum Cœnobia, quæ anteà ignorabat, agnoſcere. 41. 1.
Auguſtini tomus decimus indiget magna reviſione, atque correctione. 143. 2.
Auguſtinus à Semipelagianis, & calumnioſis Gallis perperàm accuſatus. 16. 2. Item à Gennadio Maſſilienſi de reſurrectione Abortivorum. 112. 1. Culpatur, ſed malè, quod Baptiſmi myſterium ſuis ſcriptis enuntiaſſet. 330. 2.
Auguſtinus cenſet diſputationis cum hæreticis nullum eſſe fructum. 178. 2.
Auguſtinus ex tempore contra Manichæos declamat. 322. 1.
Auguſtinus titulo *Apoſtoli* condecoratus. 384. 2. Eſt titulus nimiùm eminens. *ibid.*
Authoritas. Ex Romano jure vox deſumpta. quid ſignificet? 315. 1. Eſt ſuffragii Prærogativa. *ibid.*
Authoritas. Tertulliano ſignificat originem. 285. 1.

B

S. BAbylas Imperatorem Numerianum à Dei templo exegit, & Epiſcopalem libertatem ſuo ſanguine obſignavit. 326. 2. 374. 1.
Babylonis nomine, quid intellexerit Sanctus Petrus? 190. 2. Petrus à Marca intellexit Babylonem Aſſyriorum. 191. 1. Opinio ſuſpecta eſt. *ibid.*
Baptiſmus acceptus ſine notitia Symboli, valet quidem, ſed tamen eſt informis. 156. 1. Quomodo Eunuchus Candacis Reginæ, & aliquot Judæorum millia Symboli notitiam acceperint, priuſquam baptizarentur. 157. 2. 158. 1.
Baptiſmus datus à muliere eſt validus. 349. 2. Diſſentit Tertullianus. 349. 1.
Baptiſmus extraneis olim non enuntiandus 330. 1. Auguſtinus culpatus, licet immeritò, quod Baptiſmum ſuis ſcriptis enuntiaſſet. *ibid.*
Baptiſmus, non ſemel, ſed tertiò apud Marcionitas collatus. 246. 2.
Baptiſmus Paganorum ad imitationem Catholicorum. 306. 1. Valere dicunt ad purgationem animarum ſuarum. 306. 2.
Baptiſmus præparat, ac imbuit nos ad legitimum interpretandæ Scripturæ donum. 123. 1.
Baptiſmus Tertulliano dicitur *Tinctio*. 184. 1. Julianus ab Auguſtino reprehenſus, quod uteretur voce, *Perfuſio*. *ibid.*
Baptizandi olim intrabant fontem naturaliter nudi. 24. 1. Apud Græcos ungebantur toto corpore. *ibid.*

Baptizare non poſſe hæreticos exiſtimaſſe videtur Optatus Mileritanus 335. 1. Item vulgares Apoſtolorum Canones, Author Apnſtolicarum Conſtitutionnm, & Sanctns Baſilins. *ibid.* Etiam Sanctus Cyrillus Hietoſnlymitanus juvenis, ſed revocat ſenex. 335. 2.
Baptizari quomodo debeant muti & ſurdi. 159 1.
Baptizati ſingulare cum Deo pactnm ineunr de ſubeundo martyrio. 298. 2.
Sanctus Barnabas ſundavit Eccleſiam Mediolanenſem. 139. 2.
Baſileenſis Synodus non tantum Spiritu Sancto, ſed etiam per humanam indoſtriam acquiſitæ eruditionis dono ſuir deſtituta. 166. 2. Bohemos, & Huſſitas ſub ſalvo conductu ad diſputandum peſſimè invitavit. *ibid.* Fruſtrà nititur factum ſuum per ſabulas purgare. *ibid.*
Baſilicæ novæ non erigendæ, niſi Epiſcopus locum deſignet, ac benedicat. 85. 2.
Baſilides cum Martino Luthero negat liberum arbitrium. 81. 2.
Baſilidianorum etrores. *ibid.*
Sanctus Baſilius de Baptiſmo dato ab hæreticis ſenſit cum Cypriano, & Firmiliano. 84. 2. Novatiannenſes cenſuit, non bæreticos, ſed dumtaxat ſchiſmaticos. *ibid.*
Sanctus Baſilius, & Euſtatins Sebaſtenſis, primi in Ponto Cœnobiorum authores. 246. 1.
Sanctus Baſilius ſibi miniſtrantem Diaconum degradat, quód adſtanti fœminæ fixiſſet oculum. 373. 1.
Sanctus Baſilius Valentem Auguſtum Arianum admittit intra ſacra vela. 339. 1. Factum eſt admirandum potiùs, quàm imitandum. *ibid.*
Beguinæ de Summa Trinitate, ac Divina eſſentia diſputant & prædicant. 346. 1. Damnatæ à Clemente quinto. *ibid.* 2.
Benedictus. Titulus olim adeò eminens, ut Romanus Pontiſex non baberet eminentiorem. 48. 1. Attributus Martyribus. *Ibid.* Item fidelibus mulieribus. 245. 1.
Berengarius in ſeſto Epiphaniæ deſunctus. 249. 1. Sibi timet propter eos, quos ante ſeduxerat. *ibid.*
Sanctus Bernardus Gallieanæ Eccleſiæ Presbyter exorcizavit. 348. 2.
Bigamia ſucceſſiva non damnatur ab Evangelio, & tamen ex ipſa non poſſe creari Epiſcopum ob deſectnm Sacramenti, ſeu ſacræ ſignificationis, docet Auguſtinus. 39. 2.
Bonifacii ſecundi epiſtola ad Eulalium Alexandriæ Patriarcham, eſt maniſeſtè ſtraminea. 86. 2.

C

CAjana hæreſis. 277. 1. & ſeq. Cajani Judam traditorem eſſe affinem ſuum jactitant. 173. 2. Conſcriptum nomine Judæ Evangelium circumferunt. *ibid.*
Cain Patriarcha Gnoſticorum. 100. 1.
Calvini errores de Sancti Petri Epiſcopatu. 288. 2. & ſeq. Sine teſte loquitut ex proprio cerebro. 291. 1. Errot de veritate Euchariſtiæ. 298. 1. Calvini bypocriſis & Eccleſia reformata. 66. 2.
Calviniſtæ Geuſios ſe rectè appellant. 78. 2.
Canones, ſeu Regolæ morum diſtinguuntut à Regula fidei. 368. 2. Sunt vitæ, & morum probabilium diſciplina. *ibid.* In Synodis non conduntur, niſi peractis definitionibus fidei. *ibid.* Sunt Apoſtolica, aut certè Apoſtolicorum Patrum conſtituta. *ibid.* Sunt ſecunda Dei eloqnia. 369. 1.
Canonum prævarieatio eſt lapſus hæreticorum. 351. 1.
Canonum Prævaricatores de prava fide ſuſpecti. 369. 1.
Carnis Reſurrectio olim poſtremus fidei articulus. 93. 1. Eccleſia Aquilejenſis addidit. *Hujus carnis.* *ibid.*
Caſtitas Patriarcharum & Prophetarum V. T. non inſerior caſtitate Sanctorum N. T. 31. 1.
Catechumenatus eſt inſtitntum Apoſtolicum. 317. 1.
Catechumenatus Valentinianis extendebatur ad totos quinque annos. 336. 1.
Catechumenia, ſeu Auditoria olim fuerunt duplicia. 322. 2.
Catechumeni ad Eccleſiam, vel Baptiſterinm non admittendi. 320. 2. Ipſorum locus in Baſilicæ veſtibulo. *ibid.*
Catechumeni ad publicum Dei verbum admiſſi intra Eccleſiam. 341. 1. Forſan id factum in gratiam Conſtantini. *ibid.*
Catechumeni arcebantut à ſpectanda conſecratione Chriſmatis. 325. 1. Item ab omni publica oratione, & Clericali Conſecratione. *ibid.* Item à Baptiſterio. *ibid.* 2.
Catechumeni ſrequentibus prædicationibus imbuendi, & ad Martyrium exhortandi. 298. 2.
Catechumeni non debent baptizatis eſſe familiares. 316. 2. & ſeq.
Catechnmeni olim diſcutiebantur rigidè, ac probabantur. 231. 1.
Catechumenis plurima occultabantur, ut tantò ardentiùs anhelarent ad Baptiſmum. 325. 2.
Catechumeni ſacrificio Miſſæ non intererant. 323. 2. & ſeq.
Catechumeni tempore Tertulliani non admittebantur ad audiendum Dei in Eccleſia verbum cum fidelibus. 321. 1. Admiſſi tamen fuerunt poſt datam per Conſtantinum Eccleſiis pacem. *ibid.* Non tamen in omnibus locis. *ibid.* Non audiverunt verbum Dei ſimul cum fidelibus. 322. 1.
Catechumenorum claſſes quinque: *Chriſtiani, Audientes, Subſtrati, Initiati, Competentes.* 341. 2. qui *Electi* vocantur, non conſtituunt claſſem diſtinctam. 342. 1.
Catechumenorum gradus diverſi. 317. 1. 2. & ſeq. 341. 1. & ſeq.
Cathedra Apoſtolica non eſt niſi, quam inſedit, & fundavit Sanctus Petrus. 343. 1. Sunt tres, Romana, Alexandrina, & Antiochena. *ibid.*
Catholica. Vox eſt hæreticis ſemper odioſa. 145. 2. 149. 2.
Cenſus Tertulliano idem eſt, quod exordium. 262. 2.
Centonea Hometiani, & Virgiliani. 303. 1.
Cenrones P. Petri Vinckelii ex verſibus Virgilianis. 304. 1.

Cerdon

Cerdon agendæ aut ſimulandæ pœnitentiæ cauſa Romam venit. 293. 2.

Cerdonis errores. 109. 2. & ſeq.

Cerinthus negat Chriſtum reſurrexiſſe. 269. 1. nec fuit Epiſcopus, nec Doctor. 271. 1. Per Apoſtolicam Synodum damnatus. *ibid.* Ejus errores. 278. 2.

Chalcedonenſes Canones multo tempore non fuerunt probati Romanæ Eccleſiæ, adeoque ligarunt ſolos Orientales. 38. 1.

Charitas an amitti poſſit? 16. 1. & ſeqq.

Charitas etiam perfecta amitti poteſt duobus modis: Primò per ingreſſum ſuperbiæ. Secundò per violentiam fortioris concupiſcentiæ. 17. 2.

Charitas perfecta, ac robuſta, nulla vi ſeparatur à Chriſto. *ibid.*

Chriſmatis confectionem, nec fidelis olim Græcorum populus adſpicere poterat. 330. 2. Ipſam publicè primus fecit Petrus Fullo Patriarcha Antiochenus. 325. 1.

Chriſmatis confectionem ſpectare non poterant Catechumeni. *ibid.* Imò nec Energumeni, aut Pœnitentes. *ibid.*

Chriſtiani de fictis criminibus perperàm accuſati. 70. 2.

Chriſtianis imputatum, ſi quod contigiſſet Infidelibus infortunium. 60. 2. Hinc parœmia: *Pluvia defecit, Tiberis exundavit, fames graſſatur, cauſa ſunt Chriſtiani.* *ibid.*

Chriſtiani titulus habet duplex fundamentum. 319. 1.

Chriſtiano nemo major. 15. Quo ſenſu id dictum à Tertulliano. 54. 2.

Chriſtianorum, præſertim fœminarum, in veſtitu modeſtia. 372. 1.

Chriſtianus & *Fidelis* quomodo differant? 54. 1. Chriſtianus etiam dicitur ad Catechumenatum admiſſus: Fidelis ſolus baptizatus. *ibid.* Nonnumquam tamen voces illæ confunduntur. *ibid.*

Chriſtianus nemo, niſi qui in finem uſque perſeveraverit. 15. 54. 1. Quo ſenſu dictum à Tertulliano. 55. 1. Vox, *Chriſtianus*, accipitur pro ſolo firmo ac æterno Chriſti corpore. 57. 1.

Chriſtianus. Primus eſt gradus catechumenatus. 342. 1. Dabatur per manus impoſitionem cum ſigno Crucis. *ibid.* 2.

Chriſti deſcenſus ad Inferos, cur in quibuſdam Symbolis non exprimatur? 143. 1. Eſt articulus antiquiſſimus. *ibid.* 2. Ad finem pertinens. 144. 1. Romana tamen Eccleſia articulum illum olim non habuit. *ibid.* & ſeq.

Chriſti pueritiæ miracula ſunt conficta, & mendacia. 173. 1. Item liber de illis conſcriptus. *ibid.*

Chriſtus non eſt Filius Dei adoptivus. 383. 1.

Chriſtus quædam dicta in ſolas Diſcipulorum perſonas direxit, non in ſucceſſores. 121. 2. Tamen diſcretione opus eſt. *ibid.*

Chriſtus Hebraica lingua loquens ab omnibus Gentilibus intellectus. 186. 1.

S. Chryſoſtomi textus emendatus. 288. 2.

S. Chryſoſtomus Sancto Paulo quaſi Secretarius. 80. 1.

S. Clemens an immediatè Petro ſucceſſerit? 267. 1. Certum eſt fuiſſe conſecratum à Petro. *ibid.*

Clerici Vacantivi, quinam ſint? 366. 1.

Clericorum abſoluiè ordinatorum vagationes reprehenſæ. 364. 1. 2. & 365. 1. ſeq. Non pertinent ad Hierarchiam. 366. 1.

Clericus Procuratorem laicæ mulieris agere non ſinebatur à diſciplina antiqua. 347. 1. 2.

Cletus, an fuerit conſecratus Romanus Epiſcopus ante S. Clementem? 264. 1. & ſeq.

Cœnobitica vita præſtantior Anachoretica. 376. 2.

Cœſarea cur Palæſtinæ inſtituta Metropolis? 191. 2.

Collecta eſt communis & publica Eccleſiæ per Sacerdotem oratio. 375. 2. Preces quas Græci Synaxes vocant, nos Collectas interpretamur. *ibid.* Authentica ſignificatio vocis, *Collecta.* *ibid.*

Communio domeſtica in Gallicana Eccleſia adhuc vigens. 43. 1.

Communionis Catholicæ undè petendum exordium? 207. 2.

Competentes Baptiſterium intrare non poterant. 325. 1.

Competentes. Quintus gradus Catechumenatus. 344. 1. Cæremoniæ in eo ſervari ſolitæ. *ibid.* 2. Competentes vocati *Mello-Chriſtiani*, & cur? 345. 1.

Confeſſio gradus ad Martyrium. 50. 2.

Confeſſor à Cypriano ſubindè pro Martyre accipitur. 51. 1.

Confeſſor & Martyr quomodo differant? 48. 1. & ſeq. Confeſſor dicitur, qui dumtaxat apprehenſus & carceratus fuit: Martyr, qui per tormenta probatus. *ibid.* 2.

Confirmationis collationem, Latini etiam Epiſcopi, Presbyteris olim delegaverunt. 36. 1.

Confirmationis Sacramentum. 318. 2. Per hoc efficimur Chriſtiani. *ibid.* & ſeq.

Confirmationis Sacramentum in fronte conferendum. 307. 2. Sola frontis unctio eſt eſſentialis. *ibid.* Græci oculos, nares, aures & pectus ungunt. *ibid.* Falluntur qui putant, unctionem fieri in toto corpore. *ibid.* Per hoc Sacramentum conſecramur milites Chriſti. *ibid.* 308. 1.

Conſiſtentes aderant Sacrificio, ſed offerre & ſumere vetabantur. 325. 1.

Conſtantii Imperatoris artes doloſæ, & blandimenta magis timenda, quàm perſecutiones Tyrannorum. 69. 1. Fuit Arianorum Satelles. 70. 1.

Conſtantinus Catechumenus frequenter audivit in Eccleſia. 341. 1. Stetit ſemper, & nunquam voluit ſedere. *ibid.* In exitu tantùm baptizatus. *ibid.*

Conſtantinus Magnus in Nicæna Synodo Martyres ſingulariter veneratus, eorumque cicatrices oſculatus. 48. 1.

Conſtantinus Magnus non ſolùm Epiſcopos, ſed Monachos honoravit omni officio. 358. 1.

Conſtantinus titulum, & habitum Pontificis maximi gentilis admittit. 309. 2. An rectè, eſt alia quæſtio. 310. 2.

Conſtantius Imperator Arianorum Advocatus, Anti Chriſtus dictus. 67. 1. Cur? *ibid.* 2. & 70. 1.

Conſtantius Imperator Principem ſe facit Epiſcoporum. 309. 2. Hinc à Sancto Athanaſio dictus,

ctus, *Abominatio deſolationis*. *ibid.*

Conteſſeratio hoſpitalitatis Chriſtianorum in quo ſita fuerit? 205. 1. Quando deſecerit? 207. 1. Conteſſerare quid ſignificet? 296. 2.

Corrigendi etiam Imperatores. 67. 2. *Si nunc Deus aliquem Ambroſium ſuſcitaret, etiam Theodoſius non deeſſet*. 68. 1.

Curiales non ſunt ordinandi. 353. 1.

Curioſitas quænam culpanda? 120. 1. 2.

Curruca Ennianus, quis fuerit? 359. 1. Cur hoc nomen attributum Valentiniano Doctori? *ibid.*

Ciprianus an Anti-Chriſtus à Sancto Stephano vocatus? 67. 2. Affirmat Firmilianus, ſed in dicendo liberior. *ibid.*

Cyprianus contra Apoſtolicum Canonem è Neophyto promotus in Epiſcopum. 72. 1. 87. 2. Fuit primum ſimilis promotionis exemplum. *ibid.*

Cyprianus Dei judicio Neophytus in Epiſcopum electus. 352. 1.

S. Cyprianus Optato Doctoratum contulit. 47. 2.

Cyrilli Alexandrini cum Joanne Antiocheno diſcordia Eccleſiæ ſummè noxia. 69. 2.

Cyrilli iniqua damnatio à Joanne Patriarcha Antiocheno. 72. 1. Eam timet quouſque per Romanæ Eccleſiæ Legatos abſolvatur. *ibid.*

D

DAniel Propheta vocabatur etiam Balthazar. 307. 1. Non fuit miſſus in fornacem cum aliis tribus pueris, ne propter Dei Balthazaris nomen repreſſa vis ignis cenſeretur. *ibid.*

Dei unitas. 117. 2. 118. 1. 132. 2.

Demetrias virgo conſecrata ex eminentiſſima Aniciorum familia. 44. 2.

Depoſitum. Quid ſit apud Apoſtolum? 228. 1. Non eſt gratia Spiritus Sancti data per ordinationem, ſed Evangelicum, ac Apoſtolicum dogma. *ibid.* 2. Fideliter cuſtodiendum eſt, neque paſſim, aut inconſideratè adminiſtrandum. 229. 1.

Deum bonum timeri poſſe negant Marcionitæ. 369. 2.

Deus Epicuri expers omnis iræ, & juſtitiæ. 370. 1.

Deus eſt omnipotens, non ſolùm quouſque Platonici volunt, ſed quouſque Chriſtiani credunt. 70. 2.

Deus igneus Apellis. 113. 2.

Deus non ſola bonitate conſtat, ſed vindicativa etiam juſtitia. 370. 1.

Deus tamquam juſtus, legitimè, ac meritò timetur. 369. 2.

Deus undè? Stulta Valentinianorum quæſtio. 115. 1.

Diabolus Divina æmulatur myſteria. 305. & ſeq. 312. 1.

Diabolus, quo ſenſu à Chriſto Domino ligatus. 12. 2. Ante Domini in carne adventum nondum ſuam condemnationem pro certo noverat. *ibid.*

Diaconæ quid ſint? Non ſunt Sancti-Monialium Abbatiſſæ. 18. 1. Quandoque dicuntur relictæ à Diaconis viduæ. 18. 2.

Diaconia. Olim ſignificabat omne ſacrum miniſterium, etiam Epiſcopatum, ac Apoſtolatum. 26. 1.

Diaconi non poterant ſedere in ſacro Tribunali, ſed dumtaxat in Diaconico. 28. 1.

Diaconiſſa non debuit eſſe ſexaginta annorum. 26. 1.

Diaconiſſa non poterat ſedere in ſacro Tribunali, ſed dumtaxat inſervire. *ibid.* 2.

Diaconiſſarum ordinatio non eſt verum Sacracramentum. 25. 1. Bogomili circa hoc errorem Montaniſtarum reſumpſerunt. *ibid.*

Diaconiſſæ & Presbyteræ diſtinctæ. 18. 2. 25. 2. & ſeq.

Diaconiſſæ non ſunt per Laodicenſe Concilium abrogatæ. 26. 2. Semper potuerunt eſſe virgines. 20. 1. Hinc toto cœlo diverſæ à ſacris viduis. 21. 1. Quædam Eccleſiæ videntur elegiſſe ſolas virgines. *ibid.*

Diaconorum audacia volentium ſacrificare, & Sacramentalem Reconciliationem attentare. 27. 2.

Dialectica non eſt ars mala, ſed virtus & donum Dei. 117. 1. Non ſolus Paulus, ſed & ipſe Chriſtus Dialectica uſus. *ibid.* 2.

Dialecticæ abuſus fusè notatus. 115. 2. & ſeq. Quinam illa abuſi *ibid.* Non habet vim adſtruendi, ſed ſtudium deſtruendi. 117. 1. Epiphanio dicta: *Virus Ariſtotelis*. *ibid.*

S. Dionyſius Doctor creatus à S. Clemente, dum in Gallias Apoſtolus mitteretur. 45. 1.

Diſcipuli Domini plus quàm ſeptuaginta. 181. 1.

Diſcipulorum Domini tres ordines. *ibid.*

Diſcordia inter Catholicos valdè nociva Catholicis. 69. 1.

Diſpoſitio Divina, Tertulliano eſt creatio hujus mundi. 104. 2.

Doctoratus apud Armenios præfertur Epiſcopatui. 46. 1. Eſt ſublimiſſimus, ac verè Apoſtolicus gradus. *ibid.* 2. Proximus gradui Martyrum. *ibid.* Non eſt leviter conferendus. 47. 2.

Doctoratus fuit primitivæ Eccleſiæ Chariſma. 153. 1. Non fuit in Eccleſia perpetuum. *ibid.* Quomodo Eccleſiam deſeruerit? *ibid.* 2. Fidelium ambiguitates, & quæſtiones referendæ ad pacificos, & probatos in Eccleſia Doctores. *ibid.*

Doctorem, & Paſtorem confundit Paulus in epiſtola ad Epheſios. 45. 1. Diſtinguunt tamen Acta Apoſtolorum. *ibid.* Paulus primò creatus Doctor, indè Epiſcopus. *ibid.*

Doctores ab Epiſcopis diſtincti. *ibid.* Apud Græcos Monachi. 47. 1. Olim creari non poterant ſine Cleri ſuffragio. *ibid.* 2. Doctoris creationem ſibi reſervavit Julianus Imperator. *ibid.* Volebat Chriſtianos ab omni Doctoratu, & publica litterarum profeſſione excludere. *ibid.* Alio fine eamdem legem approbat Theodoſius Imperator. *ibid.*

Doctores proximè aſſumpti ad Patriarchatum Alexandrinum. 46. 1.

Doctores Simon Niger, Lucius Cyrenenſis, & Manahen Herodis Regis collactaneus. 44. 2.

Doctoribus abundat ſchola Alexandrina à Sancto Marco erecta. 45. 1.

Do-

Doctor œcumenicus apud Græcos. *ibid.* Quanta ejus authoritas. 46. 2. Sine ejus conſilio quidquam agi, ipſis quoque Imperatoribus, nefas putabatur. 47. 1. Doctoris œcumenici titulus undè exortus. *ibid.*
Doctorum in ſtudiis generalibus promotiones antiquiſſimæ. 44. 2. Eliphas Themanites Rex & Doctor. *ibid.*
Doctorum Theologorum authoritas longè amplior, ex quo Regiæ nominationis violentia multis Eccleſiis intruſit Epiſcopos. 46. 1.
Doctorum Theologorum laureola. 47. 2.
Donatiſtarum flagitia. 65. 1. Hypocriſis. 65. 2.
Donatiſtarum Moniales è rupibus ſe præcipitantes. 65. 1. 2. Donatiſtæ cum aliis Sacramentis exſufflabant datam à Catholicis Epiſcopis virginum conſecrationem. 33. 1. Mitrarum materiam immutant. *ibid.* Tertullianum, utpotè primum authorem iterandi Baptiſmi ſummo habent in pretio. 33. 2.
Donatiſtæ jactant ſe eſſe Eccleſiam Martyrum. 51. 2.
Donati ſuperbia. 340. 1. 359. 1. Nolebat vocari *Donatus Epiſcopus*, ſed *Donatus Carthaginis*. *ibid.* Permittebat per nomen ſuum jurari. *ibid.*
Donatiſtæ voluerunt vivere, ut latrones, & honorari ut Martyres. 70. 2. Deficientes à Sedibus Apoſtolicis ſchiſmatici. 88. 2. Sibi creant Epiſcopum, eumque Pontificem Romanum appellant. 89. 1. 198. 1
Doſitheus Saducæorum author. 270. 1.
Duodenarii numeri perfectio. 180. 2.

E

EBionis hæreſis. 271. 1.
Eccleſia auxilium ſæculare certis caſibus implorare poteſt. 87. 1.
Eccleſia de ſolis ad Evangelicum dogma ſpectantibus quæſtionibus eſt docta à Spiritu Sancto, adeoque & de ipſis ſolis poteſt definire. 122. 2
Eccleſia eſt plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærens. 82. 1.
Eccleſiarum antiqua opulentia. 247. 2. Cyprianus ex ſola Eccleſia Carthaginenſi pro redimendis captivis miſit centum millia ſeſtertiorum. *ibid.*
Eccleſiarum apud Gentiles prima fundatio, fuit opus ſublime, ac manifeſtè Divinum. 195. 2.
Eccleſia ſancta: Non quoad ſingulorum vitam, ſed quoad regulas morum. 371. 1.
Eccleſia vera neminem latet. 191. 1.
Eccleſia una à Chriſto Domino ſuper Petrum origine unitatis, & ratione fundata. 82. 2.
Eccleſiæ Apoſtolicæ fundatio requirit Epiſcoporum ſucceſſionem, cujus primus author fuerit ab aliquo Apoſtolo, vel Apoſtolico conſecratus. 260. 2.
Eccleſiæ Apoſtolicæ quænam dicantur? 195. 1.
Eccleſiæ Apoſtolicæ quibus notis dignoſcantur? 197. 1. & ſeq. Nota prima eſt communicatio cum Eccleſiis Apoſtolicis. *ibid.* Nota ſecunda, appellatio fraternitatis per Chriſtum Dominum inſtituta. 200. 2. Sunt matrices, & originales. 208. 1.
Eccleſiæ Catholicæ mores honeſti & graves. 370. 2.
Eccleſiæ omnes ſub cœlo non poſſunt erraſſe eamdem fidem amplectendo. 237. 1.
Eccleſiæ oratio unita. 374. 1. Ejus virtus. *ibid.* 2. Ad eam diſcordes, aut inimici inter ſe fideles non admittuntur. 376. 2. Eſt ad impetrandum efficax. *ibid.*
Eccleſiæ ſumma perſecutio ab hæreticorum nequitia. 68. 1.
Eccleſiæ unitas. 160. 1.
Epaphroditus Paulum in vinculis intrepidè accedit. 293. 1.
S. Ephrem linguæ Græcæ notitiam miraculosè per Sancti Baſilii preces ſubitò accipit. 188. 1.
Epiſcopalis dignitas omni mundi apice ſuperior. 358. 1.
Epiſcopa per Canones vocatur Epiſcopi vidua 18. 2.
Epiſcopi Apoſtolicarum Sedium, Chriſtianæ unitatis, & communionis radices. 88. 2.
Epiſcopi conſecrandi capiti imponitur codex Divini verbi ex ritu, & inſtituto Apoſtolico. 123. 1. Significat per Epiſcopalem conſecrationem traduci legitimum ritæ interpretationis donum. *ibid.*
Epiſcopi domus debet eſſe omnium commune hoſpitium. 204. 1.
Epiſcopi omnes olim vocabantur Sanctiſſimi. 312. 2.
Epiſcopis dandus primus locus. 358. 1.
Epiſcopis quantus olim honor delatus. 357. 2. & ſeq. Anaſtaſius Presbyter oſculatur pedes S. Baſilii. 358. 1.
Epiſcopus Eccleſiæ aptator, ſeu concinnator. 83. 2.
Epiſcopus eligendus debet eſſe Doctor. 46. 1.
Epiſcopus, ſponſus coagulus pacis Eccleſiaſticæ. 82. 2. Eccleſia Latina ſuis Epiſcopis in conſecrationis ritu ſemper dedit annulum. *ibid.*
Epiſcopus unit omnia Eccleſiæ ſuæ membra: Deindè ſemetipſum per Catholicam communionem unit omnibus aliis ſub cœlo Epiſcopis. Denique per eamdem communionem, ac debitam Primatui obedientiam unit ſe Romano Epiſcopo, à quo habet Epiſcopatus originem. 83. 1.
Epitaphiorum uſus apud Chriſtianos antiquiſſimus. 287. 1.
Eraſmus contra Eccleſiaſticam antiquitatem ſolet deviare. 140. 2.
Ethnici non ſunt ad orationes noſtras admittendi. 326. 2. & ſeq. Neque ad conſpicienda ſacra vaſa. *ibid.*
Evangelium confictum à Valentinianis. 173. 1.
Evangelium fuit Judæis primò prædicandum. 192. 1.
Euchariſtiam olim Catechumeni, & Pœnitentes intueri non ſinebantur. 323. 2. Eamdem collo ſuo in orario appenſam Satyrus frater Sancti Ambroſii intueri non præſumpſit. *ibid.*
Euchariſtiam ſingulari odio cur proſequantur Judæi?

dæi? 330. 2. Ænigmaticè de Euchariſtiâ locutus Theodoretus. 323. 1.

Euchariſtiam ſolam non contingunt verba illa Antiquorum: *Norunt Fideles*, vel, *Norunt Initiati*. 230. 1.

Euchariſticam conſecrationem factam eſſe viſibili ſigno Sancti Sacerdotes cognoſcunt. 373. 2.

Euchariſtiæ per aliquot dies poſt conſecrationem ſervandæ, quotidiè tunc ſumendæ ritus fuit olim apud plures Eccleſias conceſſus ſolis Epiſcopis, ac Presbyteris. 43. 1. Conceſſum etiam conſecratæ Virgini. *ibid.*

Euchariſtiæ prædicatio Apoſtolos, alioſque ſcandalizavit. 56. 2. Eorum ſcandalum Euchariſticam veritatem inſigniter confirmavit. 57. 1.

Euchariſtiæ veritas Catholica. 297. 2. & ſeq.

Eutyches ex hæreticorum librorum lectione factus Hæreſiarcha. 78. 2.

Eutyches ſenex imperitus, & delirus, dialectica verſutia promovet ſua deliria. 116. 1.

Excommunicati injuſtè, poſt mortem miraculis coruſcantes. 71. 2.

Excommunicationis injuſtæ patiens tolerantia, ſummi præmii meritum. *ibid.* Sanctus Edmundus iſtam patientiam docuit eſſe verum martyrium. *ibid.*

Excommunicationis timor compulit Thalaſſium Cæſaræenſem Epiſcopum ad Sancti Flaviani damnationem. *ibid.*

Excommunicatio ſimplex quomodo differat à perpetuo diſcidio? 248. 1.

Exorciſmi non fiunt à Sacerdotibus ad honorandum, ſed ad terrendum Diabolum. 348. 2.

Exorciſtam Monachus ſimulans à vicino Dæmone invaditur. 347. 1.

Exorciſta non fit ordinatione. *ibid.* 2. Ejus munus fuit gratia gratis data, & Divinum Chariſma. *ibid.* Olim omnis Chriſtianus, etiam Laicus, fungi poterat munere Exorciſtæ. *ibid.* Duravit hæc forma uſque ad Synodum Laodicenſem. *ibid.* Apud Græcos manum Energumenis ſoli ſemper impoſuerunt Sacerdotes. *ibid.* Idem dudum fuit ſervatum in Romana Eccleſia. 348. 1.

Exorciſtæ apud Græcos ſunt ſoli Sacerdotes. *ibid.* Error Aletenſis Epiſcopi aſſerentis nimium honorem impendi Diabolo, ſi per Presbyteros fiant exorciſmi. *ibid.* Epiſcopi olim per ſe officium Exorciſtæ exercebant. 348. 2.

Exorciſtæ apud Judæos. 347. 1. Exorcizandi formulæ à Salomone compoſitæ. *ibid.*

Exorciſtæ hodierni non debent digitos dentibus Energumenorum imponere. 348. 2. Sanctus Martinus ex Chariſmate id fecit. *ibid.*

Exorcizandi Chariſma videtur ſolis viris, non mulieribus donatum. 349. 1.

Extorris. Titulus eſt non ſolum ſpontaneis, ſed & proſcriptis ob fidem exulibus competens. 51. 1.

F

Fidei arcana myſteria non ſunt Infidelibus annuntianda. 328. 2. Eſt Canon non tantùm Apoſtolicus, verùm etiam Evangelicus, & naturalis. *ibid.* & ſeq. Secreti lex viguit in veteri & novo Teſtamento. 330. 1. Non ſpectat ad ſolam Euchariſtiam. *ibid.*

Fidei articuli, quorum notitia eſt ad ſalutem neceſſaria, pauciſſimi, at verò Chriſtianæ circa illos quæſtiones plurimæ. 120. 2. 136. 1.

Fidei Chriſtianæ myſteria non ſunt paſſim, & inconſideratè propalanda. 229. 1. & ſeq. Servanda hic Dominica regula, quæ vetat Sanctum dari canibus, & ſpargi margaritas ante porcos. *ibid.* Quid per canes, quid per porcos intelligatur. *ibid.* Secreti Lex quamdiu viguerit. *ibid.* & ſeq. Fusè. Fidei definitiones non debent denuò ex curioſitate examinari. 71. 1. *Quiſquis poſt veritatem repertam aliquid alteriùs diſcutit, mendacium quærit.* *ibid.*

Fidei, & imperfectæ dilectionis radix manet in hæreticis. 14. 2.

Fidei doctrina non alia recipienda, quàm quæ ab Apoſtolis tradita. 208.

Fidei regula Tertulliano dicitur Symbolum Apoſtolicum. 136. 2.

Fidei ſimplicitas commendata. 154. 1.

Fidei veræ nota eſt ſecundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens. 123. 1.

Fidei unitas eſt opus Divinum, & veritatis argumentum. 237. 1. & ſeq.

Fidei, ut temeraria non ſit, neceſſaria ſunt ſua motiva, & eorum examen. 221. 1.

Fidelis eſt titulus eminens, *ſolis baptizatis* conveniens. 318. 1. & ſeq. Per ſuſceptam Euchariſtiam conſtituimur fideles. *ibid.* 2. & ſeq. Hæretici, Schiſmatici, &c. an ſint fideles? 320. 1.

Fidelis & *Chriſtianus*, quomodo apud antiquos differant. 54. 1. Solus baptizatus dicitur Fidelis; Chriſtianus etiam qui ad catechumenatum admiſſus eſt. *ibid.* Nonnumquam tamen voces illæ confunduntur. *ibid.*

Fide qualibet Deum rectè coli, & hominem poſſe ſalvari tradunt Donatiſtæ. 81. 1. Item Calviniſtæ. 132. 2.

Fidem nemo ſtuprabit, qui futuri meminerit judicii. 377.

Fides ad ſalutem neceſſaria. 155. 1. Quorum articulorum debeat eſſe expreſſa. *ibid.* 2. & ſeq.

Fides alia eſt Theologica, alia eſt gratis datum Chariſma. 154. 1. & ſeq.

Fides Bernardo triplex, mortua, ficta, probata. 16. 2. Fides ficta, vera quidem, ſed non perſeverans. *ibid.*

Fides Chriſtiana eſt virginitas mentis, intellecta per Virginem illam, quam Dei æmulatione æmulatur Apoſtolus, &c. 377. 1. 2.

Fides quærenda, quam Chriſtus inſtituit. 133. 1. 2.

Fides Schiſmaticorum eſt dumtaxat humana credulitas. 93. 2. Fides ſine bonis operibus non ſufficit ad ſalutem. 159. 1. Quos hac in parte Antiſtites ac Magiſtros habuerint Lutherus, & Calvinus. *ibid.*

Filii adoptivi, & naturalis diſtinctio. 382. 2.

Firmilianus Cæſaræenſis Epiſcopus ad pacem Ecclе-

cleſiaſticam rediit, ac inſigniter Sanctus evaſit. 93 2.

Flammeum veli genns conſecratæ virginis contra ſponſos petitores. 32. 2.

Formatæ quid fuerint? 198.2. Sine hujnſmodi communicatoriis litteris nemo admittebatur niſi ad peregrinam communionem. 199. 1. Earum formulam ſoli orthodoxi Epiſcopi dignoſcebant. *ibid.* Julianus Apoſtata imitatus. 205. 1.

Franciſci Bernardini Ferrarii lapſus circa Tertulliani locum. 321. 1.

Franci mendaces, ſed hoſpitales. 206. 1.

Fraternitas Chriſtianornm eſt nota Eccleſiæ Apoſtolicæ. 200. 2. & ſeq. Fraternitatis inter extraneas perſonas nomen erat Gentilibus ſuſpectnm & probroſum. *ibid.* Exiſtimant fraternitatem noſtram ſitam in vago, & promiſcuo concubitu. *ibid.* Autbores iſtius calumniæ ſunt Judæi, & Gnoſtici. *ibid.* Fraternitas Chriſtiana in qno conſiſtat. 201. 2. Judæi, & Pagani non pertinent ad illam fraternitatem. *ibid.* 2. Pertinent tamen hæretici baptizati. 202. 1.

Fraternitas duplex: Et quæ ſit nota Apoſtolicæ Eccleſiæ. 203. 2.

Fraternitatis appellatio non eſt dumtaxat Apoſtolorum, ſed ipſius Chriſti Domini inſtitutum. 202. 2. Fuit qnid ſimile Monaſticæ diſciplinæ. *ibid.* Quandonam deſierit. 203. 1.

G

GEnealogiæ, quid apud Apoſtolum? 273.2.

Gennadius Maſſilienſis Semi-Pelagiauns immeritò ſugillat Auguſtinum. 112. 2. *Laudat* Tichonium Donatiſtam. *ibid.*

Genciles ad Evangelium, & Dei gratiam ſpectant. 121. 2.

Gentiles non patrant vera miracula. 378. 2. & ſeq. Qnandoque tamen exaudiuntur ad accipiendas, non faciendas gratias curationum. 381. 2.

Gentilium converſio ad fidem an difficiliot quàm Judæorum. 221. 2.

Georgii Cedreni error intolerabilis. 286. 2.

Gnoſtici hæretici prænuntiati. 12. 2. Salaciſſimi. 367. 1. Jactant ſuam ſententiam. 53. 1. Affirmant ſe non tantum præ Apoſtolis, ſed ſupra ipſum Chriſtum Dominnm ſapere. *ibid.* 131. 2. Ad circumveniendos fideles Chriſtianum nomen ſibi indiderunt. 60. 1. Accuſati de Euchariſtico Infanticidio, epulis Thyeſtæis, ac promiſcuo inceſtu. *ibid.* Eorum errores Chriſtianis imputati. *ibid.*

Gnoſtici Magiæ addicti. 367. 1. 2. 368. 1. Caſtitatem perpetuam vovent. 65. 1. Item à carne, & vino abſtinentiam. *ibid.* Schiſmatici, quòd non communicent cum Eccleſia Romana. 89. 1. S. Scripturæ ſinceritatem negant. 131. 2.

Gnoſtici virtutem miraculorum jactant. 368. 1. Canonum prævaricatores. 369. 1. Eccleſiaſtica jejunia exſufflant. *ibid.*

Gnoſticorum errores. 53. 2. 59. 2. 81. 1. 106. 1. 111. 1. Demiurgo ſeu Deo Creatore ſapientiores ſe jactitant. 210. 1. Dicunt Apoſtolos, & Chriſtum falſa ſimulatoriè prædicaſſe. *ibid.* 2.

Gnoſticorum error in Divina ſubſtantia eſſe tenebras, & vacuum. 98. 2. Damnant matrimonia, ut opus mali Principii. 99. 1. Sunt ſtupidiſſimi pepones. 105. 2. Semper quærentes. 114. 2. Garriunt Chriſtum Dominum alia docuiſſe in aperto, alia in occulto. 175. 2. Habent teſſeram unde ſe mutuò dignoſcant. 204. 2. Fuerunt Magi. 279. 2.

Gnoſticorum hæreſim debet noſſe, qui vult Catholicas quatuor Apoſtolorum litteras intelligere. 98. 2.

Gnoſticorum Patriarcha Cain. 100. 1.

Gnoſticos inter & ſanctos Patres, qui per finalem pœnitentiam aliquos graviſſimos peccatores ſalvatos affirmant, differentia. 370. 1.

Gnoſticus quidam docet hæreſes eſſe bonas. 80. 1.

Godeſcalci Monachi de duplici prædeſtinatione ſententia à Nicolao Pontifice approbata. 75. 1.

Godeſcalcus miſerabilis Monachus perperàm accuſatus. 16. 2.

Gratia illa quam *inſuperabilem*, atque *indeclinabilem* vocat Auguſtinns, aliud non eſt, quàm perfecta Dei & Proximi charitas. 17. 2. Non omnis Chtiſti gratia eſt inſuperabilis ac indeclinabilis. *ibid.* Hic articulus, *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*, legitimè circumſcriptus eſt, quamvis per gratiam intelligatur efficaciſſima victrix gratia. *ibid.* Hic etiam articulus, *Deus non deſerit niſi deſeratur*, intelligendus de Divina, non tantùm per habitualem, *ſed* & per actualem gratiam deſertione. *ibid.*

Gratiauns Imperator recuſat titulum, & habitum Pontificis maximi Gentilis. 309. 2.

Græcorum Imperatorum in Apparitura faſtus. 371. 1.

Gtegorius Nazianzenns ob eminentiam ſcientiæ meruit titulum Theologi. 213. 1.

Guilielmi Comitis Saresberienſis inſignis pœnitentia. 319. 2. Fatetur ſe Divinæ Majeſtatis Proditorem. *ibid.*

Gymnaſia, vide *Scholæ publicæ*.

H

HÆreſes, an fuerint ante linguarum diviſionem. 52. 1.

Hæreſes à Philoſophia ſubornatæ. 101. 1. Dœmonum commenta. 102. 1. Doctrinæ hominum. *ibid.* Quomodo ex Philoſophia exortæ? 105. 1.

Hæreſes Auguſtinus ſolas inſeruit hæreſeon catalogo, quæ ſunt adverſæ Evangelio. 100. 2.

Hæreſes eſſe bonas docet quidam Gnoſticus. 80. 1. Docent & alii. *ibid.* 2.

Hæreſes etiam Apoſtolorum temporibus eruperunt. 98. 2.

Hæreſes ex eo, quòd Sacerdoti Dei non obtemperetur. 208. 2. Item ex prava Scripturarum interpretatione. 303. 1. Item ex imprudentia, inſcitia, & temeritate, gloriæ cupiditate, voluptatum libidine, aliorum æmulatione, ſeu com-

commotione quadam animi. 54. 1. A Diabolo porrò omnis illa inflicta eſt cæcitas. *ibid.*

Hæreſes prænunciatæ. 11.1. 12.2. 57.2. Permiſſæ ad excitandam deſidiam noſtram, & fidem noſtram manifeſtandam. 13. 1.

Hæreſes, ſicut & perſecutiones, prodeſſe. 72.1. 75.1. Varia earum utilitas. 167.2. & ſeq. Earum tantò debet eſſe minor miratio, quantò clarior prædictio. 57.1.2. Per magnos viros introductæ. 75.2.

Hæreſiarchæ paſſim ſublimes in Eccleſia montes. 58.2. ſub pellibus ovium lupi rapaces. *ibid.* Oderunt ſingulariter orthodoxos Epiſcopos. *ibid.*

Hæreſiarchæ pax non eſt ſperanda, niſi ſuos ſeductos ſecum reduxerit. 248. 2. Berengarius in morte ſibi graviter timet propter eos, quos ſeduxerat. 249. 1.

Hæreſiarchæ ſola conceditur laica communio. 353.1.

Hæreſim ſimulare, an liceat ad detegendum venenum hæreticorum. 161.1. Quædam de hac re exempla admiranda potiùs, quàm imitanda. *ibid.* 2.

Hæreſis ad hoc, ut fides habendo tentationem, habeat & probationem. 11.1. Ad inſtar febris abominanda eſt, non miranda. 13.2.

Hæreſis, & Schiſma quomodo differant. 82. 1. 92.2. Hæreſis eſt Schiſmate deterior. 79. 2. 97.1. Inter carnalia crimina deputatur. 97. Lepræ comparata. 105. 2.

Hæreſis nomine apud Apoſtolum in prima ad Corinthios Chryſoſtomus intelligit diſcordiam. 80.1. Ad dogmaticas hæreſes extenditur ab aliis Patribus. *ibid.*

Hæreſis non permittitur à Deo, niſi ob demerita, & vindictam præcedentium delictorum. 77. 1.

Hæreſis quid ſit? 95.2. Significat electionem. 100.2. Quandoque indifferentem ſignificationem habet. *ibid.* Hinc Medicorum dictæ tres hæreſes. *ibid.* Hæreſis quælibet in exordio rudis & erroribus patentibus plena. 282. 2. Solet poſteà expoliri. *ibid.*

Hæreſis veram doctrinam nequit antecedere. 240.2. & ſeq. Indubiè regnavit à temporibus Apoſtolorum. 259.2. Clandeſtinè tamen. 260. 1.

Hæreſis vera in humanis mentibus facit ſpiritualia Idola. 314.1. & ſeq. Ab Idololatria non diſtat. *ibid.* 370. 2.

Hæretici ad diſputationem de Scripturis non ſunt admittendi. 162.1 164.1. & ſeq. Excipe quando damnum aliquod ex noſtra taciturnitate metuimus. 165.1. Solus probus, eruditus, ac eloquens ad id muneris admittendus eſt. *ibid.* Expediatne coram Laico judice id fieri? *ibid.*

Quod Eccleſiæ ſacrum Canonem non recipiant, ad diſputandum ex Sacra Scriptura non ſunt admittendi. 166.1.

Hæretici ad diſputationem in Generalibus Synodis non ſunt admittendi. 165. 2. Malè admiſit Synodus Baſileenſis. 166.1. Fruſtrà per fabulas nititur ſe expurgare. *ibid.*

Hæretici ad ſacra Chriſtianorum non admiſſi, nequidem ad videndam Euchariſtiam. 332. 2. Non debent hoc tempore permitti adeſſe Divinis officiis, multò minùs ad ipſa ſpectanda invitari. *ibid.*

Hæretici Chriſtiani nominis profeſſione incautos fallunt. 59.2. & ſeq. Ante Conſtantini tempora fuit hæc infelix aſtutia. *ibid.* Humiles, & blandi. 357. 2.

Hæretici inter ſe diviſi. 359.2. Diviſionis cauſa ſuperbia. *ibid.*

Hæretici nulla fecerunt cruenta Martyria ante Tertulliani tempora. 72. 1.

Hæretici omnes, ſcientiam & ſapientiam jactant. 53.1. Sepulchris dealbatis ſimiles. 64.1. Nequam ſenſus ſuos abſcondunt ſub orthodoxis vocibus. 61.1. & ſeq. Voces eædem in ore hæreticorum ſuſpectæ, non item in ore Catholicorum. *ibid.*

Hæretici Pſeudo-Prophetæ, & Anti-Chriſti. 67.1. Præcipuè Doctores. *ibid.* 2. Non ſunt principalis Anti-Chriſtus. *ibid.*

Hæretici quamvis inter ſe diſcrepantes, ſibi tamen invicem communicant. 338.1.2. Inter ſe conveniunt ad expugnationem veritatis. 339. 2. Omnes tument. *ibid.* Omnes ſcientiam pollicentur. 340. 2.

Hæretici Symbolo Apoſtolico confutati. 152.1.

Hæretici vera non patrant miracula. 380.1. Non faciunt ex mortuis vivos, ſed ex vivis mortuos. *ibid.* Omnes tamen miraculorum patrationem affectant. 256.2. 282.1. 379.2. Exaudiuntur ſubindè non ad faciendas, ſed ad accipiendas gratias curationum. 381.2.

Hæretici, utrùm admittendi ſint ad publicum Dei verbum audiendum? 321.2. & ſeq.

Hæretici utuntur verbis fidei more Medicorum pro commoditate, aliter ſeſe ad affectionum rationem, & varietatem accommodantes. 62.2. Coguntur, non tantùm verba, ſed etiam ſenſum verborum profiteri. *ibid.*

Hæreticorum Clerici vagi. 366.2.

Hæreticorum cum curioſis omnibus commercia. 367.1. & ſeq. Cum Magis. *ibid.* 2.

Hæreticorum dogmata ad diſputationem, aut Eccleſiaſticum examen non ſunt admittenda. 10.

Hæreticorum librorum lectio ſemper interdicta. 78.2. Varii per hujuſmodi librorum lectionem ſeducti. *ibid.*

Hæreticorum nequitia ſumma Eccleſiæ perſecutio. 68.1. Eorum blandimenta ſunt ipſa perſecutione Anti chriſtiana periculoſiora. 69. 1.

Hæreticorum ſtudium, non Gentiles convertere ſed Chriſtianos ſubvertere. 309.1. Ad diſputandum pruriunt. *ibid.*

Hæreticorum vitanda ſocietas, & communio. 200.1. 336. 1. & ſeq. Orthodoxi fideles maluerunt exilium, imo mortem pati, quàm hæreticis communicare Epiſcopis. 200.2. Nec hoſpitalitas ipſis exhibenda. 336.1. Nec litteræ communicatoriæ ad ipſos mittendæ. *ibid.* Nec in civili materia cum ipſis communicandum. 336.2. Longè minùs cum ipſis pſallere, aut orare licitum. *ibid.*

Hære-

Hæreticos an liceat appellare *Sanctos*, *Sanctiſſimos*, aut *Beatiſſimos*? 312. 2.

Hæreticos præter morem Sanctus Pachomius admiſit ad hoſpitium. 205. 2.

Hæreticum non facit docilis ignorantia. 96. 1. Nec quævis obſtinatio. *ibid.* Requiritur contumacia, & duplicis correptionis contemptus. *ibid.* 2.

Hæreticus an ſit, qui ſcripturam aliter intelligit, quàm ſenſus Sancti Spiritus flagitat. 96. 1.

Hæreticus à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus. 100. 2.

Hæreticus eſt quiſquis adversùs Apoſtolicam Romanæ Eccleſiæ Cathedram rebellat. 83. 2. Adversùs tamen alias Cathedrales Eccleſias citra hæreſim rebellatur. *ibid.*

Hæreticus nemo vult audire, vel vocari. 87. 2. Hinc rectè à Gregorio Nyſſeno Hæretici comparari meretricibus. *ibid.* Veritati pariter & mendacio bellum indicunt. *ibid.*

Hæreticus non eſt, ſi quis adversùs Primatialem, vel Patriarchalem, non autem Papalem Eccleſiæ Romanæ dignitatem rebellat. 84. 1.

Hæreticus omnis ſtultus eſt. 10.

Hæreticus, qui dubitat in fide. 135. 1.

Henrici Vici Ooſthovii Topatchæ ſententia de articulo Symboli, *Deſcendit ad Inferos*. 144. 1. & ſeq.

Heraclitus tenebroſus & obſcurus. 114. 1. Flevit humani generis calamitates. *ibid.* Non vixit eodem tempore cum Democrito. *ibid.* Ejus Patria, & doctrina. *ibid.* 2. Moritur aqua intercute. *ibid.*

Hermogenis errores. 112. 2. 253. 1. Fuit diverſus ab eo, quem notat Apoſtolus. 112. 2.

ad Hierarchiam non ſpectat Clericus abſolutè & ſine titulo ordinatus. 366. 1.

S. Hieronymus à Paulino conſecratus in Presbyterum. 90. 1. Romanum Epiſcopum interrogat, quem pro Antiocheni Epiſcopo debeat agnoſcere. *ibid.* Accuſatus à Joanne Hieroſolymitano, quod ſine titulo fuiſſet conſecratus Presbyter. 360. 2.

S. Hieronymus non fuit Rector Parochiæ Bethleemiticæ. 360. 2. Ordinatus eſt titulo Monaſterii. *ibid.* Nullam in publica Eccleſia ſedem habuit. *ibid.* In Monaſteriis non ſedebat modo, ſed & præſidebat. *ibid.*

Hieroſolymitana Eccleſia ex Apoſtolico inſtituto Cæſarienſis Metropoleos ſuffraganea Parochia. 191. 1. 2. Non eſt Cathedra Apoſtolica. *ibid.*

Honoris tituli cuique decenter ſunt impertiendi. 203. 1. Exinde plurium bonorum cauſa. *ibid.* Hieronymus ægrè fert Presbyteri titulum ſibi non datum à Joanne Hieroſolymitano. *ibid.*

Hoſpitale primum erexit Hircanus Rex Judæorum. 206. 2.

Hoſpitalia participant de quarta parte proventuum Eccleſiæ. 207. 1.

Hoſpitalitas Gentilium. 205. 2. Olim fuit neceſſaria. Et cur? 206. 2.

Hoſpitalitas primorum Chriſtianorum. 204. 1. Non erat gratia, ſed jus. *ibid.* 207. 1. Luciani Gentilis de ea teſtimonium. 204. 2. Per Hoſpitalitatem crevit Religio Chriſtiana. *ibid.* Firmilianus Cæſareenſis immeritò queritur de inhoſpitalitate Sancti Stephani. 205. 2.

Hoſpitalitas quando inter Chriſtianos defecerit? 207. 1.

Hoſpitalitatis teſſera fuit Symbolum Apoſtolicum. 205. 2. Item Epiſcopi Formata. 206. 1.

Hugo de Sancto Victore fallitur circa votum virginitatis à D. Virgine emiſſum. 28. 2. Item circa Catechumenorum ab Eccleſia dimiſſionem. 324. 1.

Hymnus, *Gloria Patri & Filio*, &c. eſt omninò Apoſtolicum inſtitutum. 105. 2.

Hypocriſis & ſimulata ſanctitas variorum Hæreticorum. 65. 1. & ſeq.

I

S. Jacobi apud Hiſpanos prædicatio non caret ſcrupulis. 192. 1. 2.

S. Jacobus non fuit Epiſcopus Compoſtellæ. 194. 2.

S. Jacobus nullo pacto fuit Hieroſolymæ Archi-Epiſcopus. 191. 1. Non fuit à Sancto Petro, & duobus Collegis conſecratus in Epiſcopum. *ibid.* A Chriſto Domino ipſo reſurrectionis die fuit conſecratus in Epiſcopum. *ibid.*

S. Jacobus ſacræ Scripturæ peritus. 215. 1. Ad inſtar ſui fratris perpetuùm virgo permanſit. *ibid.*

Ideæ Platonicæ. 108. 1. Æones Valentino erant quid ſimile Ideis Platonicis. 106. 1. 108. 1.

Jehu peccavit idololatriam ſimulando. 225. 1.

Jeſuitiſſæ extinctæ ab Urbano octavo. 346. 2.

S. Ignatius fuit Judæus. 265. 2.

Indulgentiarum hoſtis Tertullianus. 256. 1.

Initiati. Quartus Catechumenatus gradus. 343. 2. prærequirebat electionem. *ibid.*

Interpretes, ſeu Scribæ, quibus uſi ſunt Petrus & Paulus, an habuerint Chariſma Divinæ inſpirationis? 131. 1.

Joannis Antiocheni cum Cyrillo Alexandrino diſcordia Eccleſiæ ſummè noxia. 69. 2.

S. Joannes Apoſtolus ob eminentem ſcientiam vocatus Theologus. 213. 1. Apud Parthos prædicavit. *ibid.* Epheſi Baſilica ipſi dedicata. *ibid.* 2.

S. Joannes Apoſtolus ſcribit Evangelium & Epiſtolas adversùs Cerinthum. 141. 2. Apocalypſim ſcribit in Pathmo. 296. 1. Ejus Epiſtolæ ſcriptæ poſt Apocalypſim. *ibid.* Ultimum ejus opus fuit Evangelium. *ibid.* Epheſo fuit à Domitiano Romam evocatus. *ibid.* Evangelium Epheſi ſcripſit, & ibidem defunctus. *ibid.* Quo Anno. *ibid.* 2. Falſum, quod non obierit. *ibid.* Chriſto Domino fuit uno anno ſenior. *ibid.*

S. Joannes, an fuerit Epheſinus Antiſtes? 262. 1. Præ cæteris Apoſtolis dilectus à Chriſto ob perpetuam Virginitatem. 213. 2. Tamquam filius Deiparæ Virgini à Chriſto commendatus.

tus. *ibid.* & ſeq. Fuit verus Martyr. 295. 2. & ſeq. Primus teſtis iſtius Martyrii Tertullianus. 286 2.

S. Joannes Baptiſta, quam de Chriſto notitiam babuerit? 121. 1.

Joannes Epheſi duo. 262. 1.

Joannes Hieroſolymitanus cum Origeniſtis ambiguè locutus. 63. 1.

Joannes vigeſimus tertius à Synodo Conſtantienſi culpatur, quod Miſſam raró, curreret, ſine devotione celebraret. 373. 2.

S. Joſeph an Chriſto ſupervixerit? 213. 2. & ſeq.

Irenæus ſucceſſivè Bigamus à Theodoreto conſecratus Epiſcopus. 40. 2. Eccleſia Latina ſe oppoſuit, ſed Theodoretus generosè ſe defendit oſtendens ſe egiſſe ex vulgato more, ac ſenſu totius Orientis. *ibid.*

S. Irenæus ex Græcia venit in Galliam. 141. 1. Fuit familiaris Sancto Polycarpo. *ibid.*

Irregularem ſemper fecit pœnitentialis manus. 353. 2.

Irregularitas ad ſacrum ordinem, & virginalem conſecrationem apud Græcos oritur ex quovis expleto lapſu carnis. 40. 2.

Irregularitas contrahitur ex uno ante, & altero poſt Baptiſmum conjugio. 277. 2. Hieronymus aliter ſenſit. *ibid.* Item Græci. 337. 1.

Judas proditor acceptam Euchariſticam buccellam non comedit, ſed occultavit, ut monſtraret Judæis. 330. 1. Egreſſus eſt ante conſecratum calicem. *ibid.*

Judæi contra S. Euchariſtiam, cur imbiberint ſingulare odium? 330. 2.

Judæorum hæreſes. 269. 2. & ſeq.

Judæorum traditiones. 273. 1.

Judicii futuri memor fidem non ſtuprabit. 377.

Juliani Pelagiani ſuperbia. 340. 1. à Romanæ Eccleſiæ judicio appellat ad generalem Synodum. *ibid.*

Julianus Apoſtata cunctis hæreſibus libertatem fecit. 68. 1.

Juſtificatio noſtra eſt *ineffabiliſſima Divini noſtri ſtatus fabricatio*. 54. 2. Eſt opus mortuorum reſuſcitatione majus. *ibid.* Item creatione cœli, & terræ. *ibid.* Eſt quædam reſurrectio. 272. 2.

Juſti temporales levi paleæ comparati. 55. 2. Etiam Epiſcopi, Doctores, Martyres, aliique ad hæreſes, aut ſchiſmata declinantes. 56. 1.

Juſtitia Chriſtiana poteſt per ſubſequens delictum amitti. 16. 1. Jovinianus primus in Eccleſia oppoſitum garrire cœpit. *ibid.*

Juſtitia ex fide Chriſti omnibus bonis major. 54. 2.

L

LAnfrancus cum Berengario dialecticè diſputare coactus, proteſtatur ſe invitum in iſtas tricas deſcendere, *ne videretur magis arte, quàm veritate, ſanctorumque Patrum authoritate confidere*. 117. 1.

Liberius Pontifex nequaquam Arianus, ſed vir inſigniter ſanctus. 44. 1.

Liberum arbitrium cum Martino Luthero negat Baſilides. 81. 2.

Librorum hæreticorum lectio ſemper interdicta. 78. 1. Varii per eorum lectionem ſeducti. *ibid.* Non adverſatur locus Apoſtoli: *Omnia probate*, &c. *ibid.* 2.

Linguarum Chariſma ad varios fines datum. 189. 2. & ſeq. Pedetentim ceſſavit in Eccleſiis. 190. 1.

Linguarum Chariſma datum Apoſtolis. 186. 2. & ſeq. Fueritne in primitiva Eccleſia effectus Baptiſmi, an Confirmationis? 188 2. & ſeq.

Linguarum diverſarum peritia olim valdè rara. 187. 1. & ſeq. Eſſe trilinguem erat apud Antiquos laus incomparabilis. *ibid.* Monachi linguarum imperiti. *ibid.* 2. Etiam Clerici, ac Epiſcopi. 188. 1.

Linguarum diviſio eſt humani generis grande ſupplicium. 189. 2.

S. Linus immediatè ſucceſſit Sancto Petro in Romano Epiſcopatu. 263. 2. 265. 2. Eccleſia Veſontionenſis affirmat ipſum fuiſſe primum ſuum Epiſcopum. *ibid.*

Litterarum Eccleſiaſticarum variæ ſpecies apud antiquam Chriſtianitatem. 199. 2. Quid fuerint pacificæ litteræ. *ibid.* Circa eas lapſus Theodori Harmenopuli, & Balſamonis. *ibid.*

Lucanus Marcionis diſcipulus. 110. 2. Ejus de anima ſententia. *ibid.*

S. Lucas an fuerit Cleophæ ſocius, quando Dominus apparuit in Emmaus? 215. 1. Fuit artis medicæ ſcientiſſimus. *ibid.* 2. Magis litteras Græcas ſcivit, quàm Hebræas. *ibid.* Non fuit cum Diſcipulis in die Pentecoſtes, nec accepit donum linguarum. *ibid.*

S. Lucas Evangelium, & Acta inſcribit Theophilo Patriarchæ Antiocheno. 110. 2.

S. Lucas non Apoſtolus fuit, ſed dumtaxat Apoſtolicus. 181. 1. 183. 2.

Lucifer Calaritanus Epiſcopus non fuit hæreticus ſed dumtaxat Schiſmaticus. 85. 1.

Lucifer à S. Ambroſio, notatur de hæreſi. Ratio. 93. 2.

Luciferi primum peccatum ſuperbia. 99. 2. Non ambivit eſſentiæ Divinæ, ſed liberi arbitrii Divinam ſimilitudinem. 110. 1.

Lutherani Gnoſticorum filii, ſuæ factionis Præfectis honorem non deferunt. 341. 1.

Lutherus Falſificator Scripturæ. 302. 1.

Lutheri inſolens ſuperbia. 340. 1. 2. Et doctrinæ jactantia. 341. 1.

M

MAcedonianorum fucata Sanctimonia. 66. 2. 372. 1. Eam tamen dilexit Gregorius Nazianzenus. 66. 2.

Malum undè, & quare? 214. 2.

Manichæi Hypocritæ. 65. 1.

Marcellina Sancti Ambroſii ſoror ſimul profeſſa, conſecrata, & veſtium mutatione ſignata. 44. 1. Ejuſdem virtutes, ac illuſtriſſimi natales. *ibid.*

Mar-

Digitized by Google

Marcellini Pontificis lapſus eſt manifeſta Donatiſtarum calumnia. 91. 1.

Marcion Apoſtata à fide Catholica. 245. 2. Fuit Ponticus, Epiſcopi ſanctiſſimi degener filius non tamen Epiſcopus. 242. 1. 2. Ejus in carmem lapſus. 246. 1. A Patre Epiſcopo communionem impetrare non potuit, oeque ab Eccleſia Romana. *ibid.* 2.

Marcion ardentis ingenii, an fuerit Nanclerus? 242. 1. An Monachus? 246. 1. Mioatur Eccleſiam perdere. *ibid.* Affirmat Baptiſmum poſſe tertio iterari. *ibid.* 2. Obtuleritne ducenta ſextertia Eccleſiæ? 247. 1. Mulierem ao Romam præmiſerit, quæ decipiendos animos ſibi præparet? *ibid.* 2.

Marcion Cerdonis diſcipulus. 109. 2. Ejus errores. 110. 1. & ſeq. Fuis Stoicæ ſtudioſus. *ibid.* Ejus ſcelerata flagitia. 253. 2. Agnoſcit tamen Divinam providentiam. 110. 1. Vixit ſub Antonino primo. 243. 2. Quando ſparſeris hæreſim? 244. 1. 2. Non fuit Simone Mago ſeoinr. *ibid.* Egeritne pœnitentiam? 248. 2. 249. 1. Coojugatis negat Baptiſmum. *ibid.* 2.

Marcion ex novo Teſtamento oon admittit niſi Sancti Lucæ Evaogelium, & epiſtolas quaſdam Sancti Pauli. 168. 1. Negat antiqnum Teſtamentum. 166. 2. 168. 1.

Marcionitæ an habuerint verum Chriſti Baptiſmum? 334. 1. Negligunt, & confundunt diverſos gradus Catechumenorum. 345. 1.

Marcionitæ blaterant adversùs Moſaicam legem. 357. 1. Docent dari duo rernm Principia. *ibid.* Inter ſe diviſi. 359. 2.

Marcionitæ dolosè fingunt ſe Reſurrectionem agnoſcere, & ipſum penè Hieronymum fallunt. 61. 1.

S. Marcus Petri nomine Alexandrinam fundavit Eccleſiam, & hinc Alexandrina Cathedra eſt Apoſtolica. 192. 2. Scholam Alexandrinam erexit, magnis ſemper abundantem Doctoribus. 45. 1. Coronatur Martyrio Alexandriæ. 295. 2.

S. Marcos utrùm Romam ad Sanctum Petrum acceſſerit? 291. 1. Evangelium à Petro narratnm, compoſuit. 126. 2. Fundavis Aquilejenſem Eccleſiam. 143. 2.

Margaritæ quo ſenſu non mittendæ ante porcos? 229. 2. & ſeq.

S. Mariæ Virginis perpetna, & à Joſepho intacta virginitas. 213. 2. & ſeq. Eidem oblatum à mulieribus ſacrificium. 345. 2.

S. Mariam vocari *Chriſtiparam* noluit quinta Synodus propter Neſtorium. 64. 1.

Maria Virgo virginitatem ſuam Domino Deo vovit & conſecravit, fallitorque Hugo de S. Victore, aſſerens ipſam nonniſi poſt partum virgineum voviſſe. 28. 2.

Maria V. ullum non legitur patraſſe miraculum, nec linguis locuta. 349. 1.

Marſilius Paduanus docet ex Sacra Scriptura probari oon poſſe Petrum fuiſſe Romanum Epiſcopum, immò nec Romæ fuiſſe. 288. 1. & ſeq. per *Babylonem* intelligit non Romanam Urbem, ſed Babylonem Aſſyriorum. 289. 1. 290. 2.

S. Martinus communicans Ithacianæ factioni à miracnlorum gratia ſuſpeoditur. 381. 1.

Martyr & *Confeſſor* quomodo differant? 48. 2. Confeſſor dicitur, qui apprehenſus, & carceratus fuit; Martyr, qui inſuper per tormenta probatus. *ibid.* Non requiritur tamen Martyris vera mors, aut tormentorum perpeſſio. 49. 1. Sufficit capitalis, licet poſtmodum remiſſa, ſententia. *ibid.* Item perpetui exilii ſeotentia, vel ad metalla damoatio. 49. 2.

Martyres deſignati, quinam? 50. 1. 2.

Martyres ſunt, qui ab hæreticis incruentam perſecutionem patiuntur. 71. 1. Tertullianus oppoſitum innuens de cruentis martyriis intelligendus. *ibid.*

Martyria cruenta non fuerunt ab hæreticis inflicta tempore Tertulliani. 72. 1.

Martyrii gloriam Chriſtianis, quos perſequitur invidet Cooſtantius Imperator. 70. 2. Item Geizericus, Hunnericus, & alii. 71. 1.

Martyrium Chriſti quomodo differat à Martyrio Chriſtianorum. 74. 1.

Martyrinm non eſt extra Eccleſiam. 94. 1.

Martyrum lapſus graviſſimum ſemper in Eccleſia ſcandalum peperit. 51. 2.

Martyrum ſumma in Eccleſia dignitas. 48. 1.

Martyrum titulum Lugdunenſis & Viennenſis Eccleſiæ Confeſſores ex humilitate recuſant. 48. 2. Soli Chriſto, & conſummatis per mortem Confeſſoribus competere affirmant. *ibid.*

Materiam Deo coæternam docent Hermogenes, Zeno, *Cicero*, Plato, &c. 112. 1. 2.

Matrimoniorum & ſponſaliorum benedictio laudabilis. 21. 2.

Matrimonium diſparis cultus diſſuaſum. 204. 1.

Matrimonium unum ante Baptiſmum & aliud poſt Baptiſmum cauſat irregularitatem. 277. 2.

S. Matthias veram obtinoit Apoſtolatus dignitatem. 184. 2.

Medicorum tres hæreſes. 100. 2.

Mediolanenſis Eccleſia fundata à Sancto Barnaba. 139. 2.

Mello-Chriſtiani dicuntur Competentes. 345. 1.

Menander immediatus Simonis Magi diſcipulus. 273. 1. Ejus errores. *ibid.*

Mendacium ao aliquo caſu licitum? 161. 1. Error Priſcillianiſtarum dicentium: *Jura, perjura, Secretum prodere noli.* 160. 2. S. Euſebius Vercellenſis à nota mendacii vendicatus; 161. 1. Simulationis exempla non imitanda. *ibid.* 2. Mendacium diſpenſatorium ac ſimulatorium nullo caſu licitum. 223. 2. & ſeq. An eo uſus ſit Sanctus Petrus, & Paulus? *ibid.* Hieronymus de licita ſimulatoria diſpenſatione Palinodiam ſponte cantavit. 226. 1.

Miracula patrandi gratia non datur hæreticis, nec Infidelibus. 378. 2. & ſeq. Magi in Ægypto an ediderint vera miracula? 380. 1.

Miracula ſola non ſunt plenum recti dogmatis teſtimonium. 381. 1. 382. 1.

Miraculorum gratia eſt in ſola Eccleſia. 380. 2. Hæretici non faciunt vera miracula, neque ex mortuis vivos, ſed mortuos ex vivis. 256. 2. 380. 2.
Miraculorum gratiam ſemper habuit Eccleſia, verùm nullus veraciter juſtus eam ambivit. 256. 2.
Miraculorum patrandorum hæretici cupidiſſimi. 256. 1. 378. 1. Fruſtrà id attentarunt. 256. 1. Lutherani, Eraſmo teſte, ne mortuum quidem canem ſuſcitare potuerunt. *ibid.* 2.
Miriones quid ſint? 16. 1.
Miſſæ cum ſummo ſilentio, & veneratione aſſiſtendum. 371. 2. 373. 2. Secùs facientes graviter puniti. *ibid.*
Miſſæ magnus introitus apud Græcos noſtro correſpondet Offertorio. 324. 2. *Gloria in Excelſis* dicunt intra, aut circa Miſſæ Canonem. *ibid.*
Miſſæ Præfatio Catechumenis ignota. 323. 2. Dimiſſio Catechumenorum vocatur Miſſa. 324. 1.
Miſſam raró, currenter, ſine devotione celebraſſe arguitur Joannes vigeſimus tertius. 373. 2.
Miſſas privatas ſemper celebravit Eccleſia. 376. 1. Non ſolebat in illis dici Collecta, *ibid.* Cur jam laudabiliter dicatur? *ibid.* & ſeq.
Miſſionem probare debet, qui ſe affirmat Apoſtolum. 255. 1. Immediatæ à Deo Miſſionis duo dumtaxat exempla. *ibid.* 2.
Mitra apud Afros erat virginalis veli ſpecies. 32. 1. Ejus impoſitio erat Virginis conſecratio. *ibid.* Imponebatur ab Epiſcopo. *ibid.* 2. Apud Afros erat aperta, hinc Tertulliani liber de velandis Virginibus. 33. 2.
Mithra, qualis Deus Paganorum fuerit? 306. 2. Apud Perſas dictus *Balthazar*. 307. 1. Mithræ ſacra. *ibid.* 2. In tenebroſo antro peracta. 308. 1.
Monachi apud Græcos Doctores. 47. 1.
Monachis Philoſophiæ nomen olim attributum. 103. 2.
Monachos quomodò veneratus Conſtantinus Magnus. 358. 1.
Monaſterium. Vox Auguſtino ignota, dum in Italia Rethoricam docebat. 29. 2.
Montaniſtæ ſanctitatem ſimulant. 65. 1.
Montanus in adulterio deprehenſus. *ibid.* Sibi adſcribit Divinam Sancti Spiritus Perſonam. 102. 2.
Mortuorum ſuſcitatio opus eſt Divinæ poteſtatis. 379. 2. 380. 2.
Mulieres Arianæ tumultuum cauſæ. 346. 2.
Mulieres Lutheranæ jus officiumque publicè in Eccleſia docendi ſibi uſurpant. 346. 1. Luthero mulieres ſunt verè Sacerdotes Chriſtianorum. *ibid.*
Mulieres non poſſunt in Eccleſia è ſuggeſtu inſtruere. 22. 2. Nequidem id conceſſum propriæ Chriſti D. Matri. *ibid.* Mulieres Pelagianæ in contendendo, ac diſputando audaciſſimæ. 346. 2.
Mulieribus non eſt permiſſum docere. *ibid.* Viduæ tamen poſſunt privatim docere ſuam familiam. *ibid.*
Mulieribus non eſt permiſſum offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii, ſortem ſibi vendicare. 345. 2.
Mulierum audacia hæreſibus ſemper cooperata. 347. 1.
Mulierum hæreticarum auſus attentantium, non tantùm tingere, verùm etiam ſacrificare, & reconciliare. 27. 2.

N

Neophytus Apoſtolico Canone vetatur in Epiſcopum eligi. 352. 1. Dei judicio factum ut Cyprianus Neophytus eligeretur. *ibid.*
Nero à quibuſdam creditus principalis Anti-Chriſtus, ideoque non eſſe occiſus, ſed reſervari in finem ſæculi. 68. 1.
Nero quot annis regnaverit? 288. 1. Plures Chriſtianos in Crucem egit. 292. 2. Cur Sanctum Paulum ex libero Conducto conjecerit in carcerem? 293. 2. & ſeq. Ejus concubina per Paulum ad fidem converſa. *ibid.* Quæ illa fuerit? 294. 1. Quomodo Paulum tam facilè dimiſerit? 295. 1.
Nero tantum poſt Urbis incendium incœpit debacchari in Chriſtianos. 295. 1. 2.
Neſtorii in prima ſua concione inſolentia. 356. 2.
Nicolaitarum hæreſis. 276. 1. & ſeq.
Nicolaus Diaconus fueritne revera hæreticus? 175. 2. & ſeq.
Nigidii errores. 254. 1.
Nobiles Chriſtiani ſunt munimen, ac tutela Eccleſiæ. 99. 2.
Nobiles perſonas ad fidem convertere ſtuduerunt Sancti Patres. 52. 1.
Nobilium perſonarum converſio plurimùm prodeſt Eccleſiæ. 52. 2. E diverſo earumdem lapſus ſummum adfert Eccleſiæ detrimentum. *ibid.*
S. Norbertus Gallicanæ Eccleſiæ Presbyter exorcizavit. 348. 2.
Novatianenſes quidam coruſcaſſe dicuntur miraculis. 65. 2.
Sanctimoniæ affectatores ſe Catharos, ſeu mundos nuncupabat. 65. 1. Pœnitentiæ Sacramentum averſantur, & ablegant. *ibid.* 2.
Novatianus in primo ſui ſchiſmatis exordio nequaquam fuit hæreticus. 92. 2.
Novatianus primus in Romana Cathedra Schiſmatis author. 350. 2. Ordinatus à tribus extraneis, imperitis, ac ebriis Epiſcopis. *ibid.*
Numa Pompilius Romanos operoſiſſimis ſuperſtitionibus oneravit. 311. 2. Non tamen oneravit numeroſitate falſorum Deorum. 312. 1. Ipſe & uxor Hydromantici. *ibid.*
Nuptiarum interdictores. 271. 2.

Olym-

O

OLympias Virgo mente, quamvis non corpore, à Sancto Chryſoſtomo inter Virgines conſecratur. 40. 1.
Optatus Milevitanus videtur docuiſſe hæreticos non poſſe baptizare. 335. 1. Diſtinguit inter Schiſmaticos & hæreticos. *ibid.*
Oratio Dominica olim tradebatur ſolis Competentibus, idque poſt traditum Symbolum. 232. 2. Dici non poterat niſi à Regeneratis & juſtificatis. *ibid.*
Oratio Eccleſiæ noſtræ quàm ſit efficax. 374. 1. & ſeq. Impetrat Romanis pluviam & potum, & igneam in barbaros cum fulminibus grandinem. *ibid.*
Orationes Eccleſiæ non debent fieri lingua populari. 187. 1.
Orationis Chariſma, quo quis noverat, quid Divina Eccleſia poſtulati vellet ab Eccleſia. 374. 2. & ſeq. In multis Eccleſiis ſupererat tempore Irenæi. 375. 1. Ceſſaverat tempore Cypriani. *ibid.* 2. Poſterioribus tamen temporibus nonnullis conceſſum. *ibid.*
Oratio præſentis & congregatæ Eccleſiæ longè potentior. 376. 1.
Ordinandi non ſunt Curiales. 353. 1. Eccleſia ex Conſtantini lege ordinavit ſolos pauperes, quibus ad Curiæ ſervitium deerat idonea facultas. *ibid.*
Ordinandis diſpenſatio quoad ætatem concedi poteſt ab Eccleſia. 37. 2.
Ordinati abſolutè nullam in Eccleſiaſtica Apparitura Sedem habebant. 363. 1.
Ordinati apud hæreticos Apoſtatæ à fide Catholica. 353. 1. 2.
Ordinatio fieri non poteſt ſine titulo. 360. 1. Iſchyras propterea ordinatus ad ſui Pagi titulum. *ibid.*
Ordinationem Presbyteratus ſine titulo non conferri Carolus IX. Galliæ Rex petit à Synodo Tridentina. 362. 1. Quid circa hoc Synodus præſtiterit? *ibid.* 3'8 1.
Ordinationes abſolutæ heteroclytæ. 364. 2. Dubiæ, atque incertæ. 365. 1.
Ordinationes Clericorum olim apud Latinos fiebant in quavis Dominica. 44. 1. Etiamnum hodie Græci Ordinationum nulla habent tempora. *ibid.*
Ordinationes hæreticorum temerariæ. 349. 2. Leves. 350. 2. Inconſtantes. 351. 1.
Ordinationibus probatio præmittenda. 350. 1.
Ordinatio ſine titulo proſcripta per Chalcedonenſem Synodum. 360. 2. Quod de minoribus Ordinibus etiam intelligendum. *ibid.*
Ordinatio ſine titulo quomodo in Eccleſiam introducta? 361. 1. & ſeq.
Ordinatio titulo Monaſterii permiſſa. 363. 2.
Ordinatio titulo patrimonii permiſſa. 361. 2.
Ordinatio ut fiat cum legitima authoritate, quæ requirantur? 350. 2.
Ordinatus abſolutè non ſpectat ad Hierarchiam. 366. 1.
Ordinem datum ab hæretico Miniſtro eſſe nullum docuit Tertullianus. 351. 1.
Ordines minores & tonſuram noluit Urbanus tertius ſine titulo Canonico conferri. 361. 2. Stephanus Tornacenſis ſe opponit. *ibid.* Videtur tamen Pontifex in Decreto perſtitiſſe. 362. 1.
Ordines ſine titulo conferri, queritur Conventus Nurembergenſis apud Adrianum VI. 358. 2.
Origeniſtæ verborum ambiguitate fallunt incautos. 63. 1.

P

PApalis dignitas eſt Inſtitutum Divinum. 84. 1. Non item Primatialis vel Patriarchalis Eccleſiæ Romanæ dignitas. *ibid.*
Papæ titulum Gregorius VII. ſoli Romano Pontifici reſervavit. 312. 2.
Para-Synagoga ſeu illegitimus Conventus ejuſdem fermè naturæ cum ſchiſmate. 84. 2. Differunt tamen. 86. 1. Ad Para-Synagogam conditiones requiſitæ. *ibid.* 2. Fuit olim frequens. *ibid.*
Para-Synagoga ſimplex necdum eſt Schiſma: Eſt tamen exordium ſchiſmatis. 88. 1.
Pars vox eſt hæreſim aut ſchiſma ſignificans. 16. 1. Hinc apud Auguſtinum: *Pars Donati*. *ibid.*
Paternitas diverſa. 204. 1.
Pater noſter, & *Credo* omnes Chriſtiani ſcire debent. 156. 2. Eſt peſſimus mos in quibuſdam Galliæ Regionibus, ut Ruſtici non diſcant iſta niſi Latinè. 157. 1.
Pater noſter dici non poteſt niſi à filiis ſeu jam Regeneratis ac juſtificatis. 344. 2. A Catechumenis non niſi poſt Baptiſmum reddebatur. *ibid.*
Patriarchales quinque Throni Græcis paſſim dicuntur quinque ſenſus Catholici corporis. 89. 1.
Patrini officium exercere non poteſt, qui *Pater noſter* & *Credo* ignoraverit. 156. 2.
Pauli Apocalypſis non recipitur ab Eccleſia. 226. 2.
Pauli character inelegans. 126. 1.
Pauli epiſtola ad Romanos quando ſcripta? 267. 1.
Paulinus accuſatus à Siricio Pontifice quod ſine titulo eſſet conſecratus Presbyter. 360. 2.
Pauli Samoſateni in Divini verbi adminiſtratione jactantia. 356. 2. Faſtus & arrogantia. 358. 2.
Paulus Apoſtolus fuit Pellio, non Piſcator. 287. 2. Fuit Tharſenſis. *ibid.*
Paulus habuit veram Apoſtolatus dignitatem: 182. 2. Quandonam fuerit ejus ad Apoſtolatum vocatio. *ibid.*
Paulus in Hebraico ſermone diſertiſſimus. 126. 2. Græci ſermonis modicè peritus. 125. 2. 126. 2. Iſta de cauſa fuit uſus peritis Interpretibus, præſertim S. Tito. *ibid.* Fuit Romani Juris non imperitus. 10.
Paulus in raptu ſuo, juxta Auguſtinum, vidit

Divinsm eſſentiam. 226. 2.

Paulus Martyrium ſubiſt percuſſus gladio. 292. 2. Quidam volunt ſecuri percuſſum. *ibid.* Pauli captivitas duplex. *ibid.* & ſeq. Epiſtola poſterior ad Timotheum ſcripta ex primis vinculis. 293. 1. 294. 2. Epiſtola ad Philippenſes poſterior eſt tertio aut quarto Neronis anno. 293. 2. Scripta eſt in prima captivitate. 294. 2.

Paulus pocillatorem & concubinam Neronis ad fidem convertit. 293. 2. & ſeq. Quomodo tam facile à Nerone dimiſſus? 295. 1. Paulus à vinculis abſolutus abiit in Galliam atque Hiſpaniam, ac tandem Romam rediit, denuò apprehenſus, ac tandem gladio percuſſus. *ibid.* 2.

Paulus primò creatus Doctor, inde Epiſcopus. 45. 1.

Paulus qua in re reſtiterit Petro? 221. 1. 222. 1. An diſpenſatoriè mentitus fuerit? 223. 1. & ſeq.

Paulus vir eruditiſſimus, rerum, non ſignorum ſcientia. 126. 2.

Paulus unde fuerit oriundus. 127. 1. Erat homo Cilix, coriarius, inops, &c. 128. 1.

Peccati Authorem Deum ſtatuentes ſunt pleni Idololatræ. 314. 2.

Pelagiana hæreſis prima omnium orta eſt in cœlo. 356. 2.

Pelagiani ob Dialecticæ peritiam inflati. 116. 1.

Pelagiani quarumvis in mente reſtrictionum peritiſſimi. 63. 2. Apoſtolicam Sedem circumſcribere conantur. *ibid.* Pelagiana hæreſis nata in ipſo cœlo. 66. 1.

Perſecutionum fructus multiplex. 73. 1. & ſeq. ſanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. *ibid.* 2.

Perſecutio ſitne opus Dei, an Diaboli? à Deo prævisa tantùm, an etiam prædeſtinata? 74. 2.

Petri à Marca de Babylone Aſſyriorum opinio ſuſpecta. 191. 1.

Petri epiſtola ſecunda non fuit Tertulliano Canonica. 221. 1.

S. Petri epiſtolæ ſtyli adeò diverſi, ut quidam cenſuerint ipſas non eſſe ejuſdem Apoſtoli. 126. 2.

Petri in urbe latentis merita Gentiles Romanos ampliſſimo cuſtodiunt miraculo. 382. 1.

Petri Primatus adeò lucidus ut antiquus Gentilium Scriptor Phlegon Petrum cum Chriſto confuderit. 222. 1.

Petri primatus authoritate Cypriani luculentè aſſertus. 82. 2. Item Gabrielis Albaſpinæi. 89. 2. Firmiliani. 90. 2.

Petro Primatus datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur. 83. 1.

Petrus Antiochiæ ſedit Epiſcopus dumtaxat in tranſitu. Romæ autem firmus uſque ad mortem. 193. 2. Hac de cauſa Roma habet Apoſtolicæ Sedis Principatum. *ibid.*

Petrus *Apoſtolorum Coryphæus*. 212. 2. Ejus authoritas tranſit in Succeſſores. 212. 1. Chriſtus claves non dedit Petro per Eccleſiam, ſed Eccleſiæ per Petrum. 213. 1.

Petrus cur ſibi in urbe ſuperordinarit duos Epiſcopos? 265. 2. Quando Roma deceſſerit. 266. 1.

Petrus & Paulus ob caſtimoniæ prædicationem à Nerone occiſi. 294. 2.

Petrus & Paulus Romæ docuerunt, & Martyrium ſubierunt. 286. 2. & ſeq. Fusè. Eodem die & anno. *ibid.* Quoto Neronis anno. 288. 1.

Petrus fuit Cardinalis & proprius Romanorum Epiſcopus. 289. 1. & ſeq. Calvini calumniæ confutantur. *ibid.*

Petrus fuit Romanus Epiſcopus. 263. 2. In omni Gallia nullus præter ipſum aut ab ipſo miſſos & conſecratos Epiſcopos inſtituit Eccleſias. 265. 2.

Petrus in prima Apoſtolorum Synodo *primus omnium incipit loqui* cum Prærogativa ſuffragii. 185. 2. Poterat ſolus eligere Succeſſorem in Apoſtolatum Judæ. 186. 1.

Petrus plenus omni Pontificali ſcientia. 211. 2. Firmiſſima petra ſuper quam ædificata eſt omnia Eccleſia. *ibid.* Chriſtus eſt etiam petra Eccleſiæ. 212. 1. Quo ſenſu uterque dicatur petra? *ibid.* 2. Vide *Romanus Epiſcopus*.

Petrus quomodo à Paulo reprehenſus. 217. 2. & ſeq. Fruſtra inde impugnatur Petri Primatus. 319. 1. & ſeq. Lapſus Petri fuit ſolius converſationis. 221. 2. Petrus dum in Judaicam ſimulationem lapſus eſt, erat in charitate perfectus. 18. 1. Graviter tamen deliquiſſe affirmat Auguſtinus. *ibid.*

Petrus Romæ cruci affixus & martyrio coronatus. 292. 1.

Petrus ſedit Romæ Epiſcopus, & iſthic ſub Nerone crucifixus. 191. 1. Quo anno Antiochia Romam profectus. *ibid.*

Philippus Diaconus Reginæ Candacis Eunucho plenum Symbolum tradidit, priuſquam baptizaretur. 157. 2.

Philoſophia generatim ſumpta eſt res ſanctiſſima. 103. 1. Quid ſit? *ibid.* & ſeq. Qui verè eſt Philoſophus Philotheus jure appellatur. *ibid.* Philoſophia Chriſtiana non tantùm officia, ſed & germanum ipſorum finem docet. 102. 2.

Philoſophia gentilis damnata. 103. 2. & ſeq. *Temeraria interpres Divinæ naturæ.* *ibid.* Ejus de mundo & anima errores. 104. 2.

Philoſophiæ nomen ab antiquis Patribus Chriſtianæ Religioni attribuitur. 103. 2. Item Monachis. *ibid.*

Philoſophi quo ſenſu hæreticorum Patriarchæ? 105. 1. Sæcularis Philoſophia ſitne fons hæreſum? *ibid.*

Philoſophi ſubindè proſpero errore veritatem attingunt. 104. 2. Sacras Prophetarum litteras legerunt. *ibid.* 175. 1.

Philumena quaſi Prophetiſſa, Apellem alioſque Marcionitas circumſcribit & ſeducit. 252. 2.

Phyſica gentilium non eſt damnanda, ſed purganda. 118. 2.

Pho-

Photius quando fuarit factus ſchiſmaticus. 88. 1.

Platonica Philoſophia à Sanctis Patribus commendata. 118. 2. Ante Evangelium fuit miſſa gentilibus tamquam ejus præcurſoria præparatio. *ibid.*

Plato omnium hæreticorum condimentarius factus. 139. 2. Docet msteriam Deo coætarnam. 112. 2. Inconſtans. *ibid.*

Pœnitentialis manus à Donato per violentiam Hierarchis impoſita, Paſtoralis dignitatis honorem in ipſis occidit. 59. 1.

Pœnitentialis manus ſemper fecit irregularem. 353. 2.

Polycarpi Acta per Pionium ſcripta non probanda. 263. 1. Videntur commenta Recentioris Græculi. *ibid.* 2.

Polycarpus Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus. 263. 1. Conſecratus à Sancto Joanne. *ibid.* An primus Smyrnenſium Epiſcopus. *ibid.* Duas perſecutiones ſuſtinuit à Paganis. *ibid.*

Pontifex maximus apud Gentiles. 309. 1. Cur vocetur Rex ſæculi? Undè dictus Pontifex? *ibid.* Imperatores titulum illum & habitum aſſumunt. *ibid.* Gratianus recuſat. *ibid.* & 310. 1. Theodoſius Collegium exſtinguit. *ibid.*

Vide *Apoſtolica Sedes*, *Romanus Epiſcopus*, *Romana Eccleſia*.

Pontii Diaconi, qui Imperatores Philippos ad fidem convertit, laus in Romano Martyrologio. 53. 1.

Poppæa Sabina poteſt fuiſſe Neronis concubina ad fidem converſa à Sancto Paulo. 294. 1.

Prædeſtinatianæ hæreſis fabula de Auguſtino ejuſque diſcipulis perrexit diu mentiri. 16. 2. Lutherus & Calvinus prædeſtinatianam hæreſim in dogma aſſumere primi non erubuerunt. 17. 1. Numquam fuit. 112. 1.

Prædeſtinatio duplex: Ad gratiæ dona, & pœnæ mala. 75. 1. A Godeſcalco Monacho aſſerta, à Nicolao Pontifice approbata, & Sanctorum Fulgentii, & Auguſtini doctrinæ conſona. *ibid.*

Præfecti Prætoriorum in Romano Imperio. 185. 2. Quanta eorum dignitas. *ibid.* Ipſorum ſententiæ erant inappellabiles. *ibid.*

Presbytera cum Epiſcopo & Presbyteris ſedebat intecta in Sacro Tribunali: Diaconiſſa illic ſedere non poterat, ſed dumtaxat inſervire. 26. 2.

Presbyterarum ordinatio non fuit Sacramentum. 25. 2.

Presbyteras ſolas abrogavit Concilium Laodicenſe. 26. 2. Canon non fuit ubique ſtatim admiſſus. 27. 1.

Presbyteræ à Diaconiſſis diſtinctæ. 18. 2. 25. 2. 26. 1. 2.

Presbyteræ cur abrogatæ. 27. 1. 2.

Presbyteræ fuerunt per Epiſcopum ordinatæ. 25. 1.

Presbyteræ habuerunt veſtem diſtinctam ab aliis, & quidem Abbatiali digniorem. 27. 1. Earum proindè ſtatus altior. *ibid.*

Presbyteræ quid ſint? 18. 1. Non ſunt Sanctimonialium Abbatiſſæ. *ibid.* Quandoque intelliguntur relictæ à Presbyteris viduæ. *ibid.* 2. Quandoque fœminæ quæ præerant Eccleſiis. *ibid.*

Presbyteræ in publico populi conſeſſu aſſidebant Epiſcopo ac majori Clero. 23. 1. Concinuerunt Epiſcopo. *ibid.* 2.

Presbyterorum Sedes in ſolamni Eccleſiæ conventu. 363. 1.

Præſcriptio & exceptio an differant. 10.

Præſcriptio multiplex. *ibid.*

Præſcriptionum libri quis titulus? *ibid.*

Præſcriptio vox eſt diverſæ ſignificationis. 9.

Proceſſio cum Epiſcopo ſolemnis. 372. 1. Solemniter celebranti, etiam peregrini Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi miniſtrabant. *ibid.*

Proceſſio eſt ſolemniſſima. Pontificaliter ornati Epiſcopi cum omnibus ei miniſtrantibus de Baſilicæ Secretario ad altare proceſſio. 373. 1. Debet eſſe devota. *ibid.*

Profeſſor dicitur ex Cypriani ſententia qui non interpellatus Martyrio ſe ingerit. 51. 1.

Q

Quadraginta Martyres non fuerunt ex Legione fulminatrice. 374. 2. Labitur in eo Gregorius Nyſſenus. *ibid.*

Quintilla monſtruoſiſſima ſibi aſſumit jus publicè docendi. 345. 2. Baptiſma auferre maluit, quàm ejus miniſterium ſibi præſumere. 349. 2. Fuit Cajanæ hæreſeos ſectatrix. *ibid.*

R

Reliquiæ Sanctorum colendæ. 185. 2.

Renatus Cartheſius. 239. 1. Utrum vera corporeæ creaturæ notitia latuerit uſque ad ejus felices natales. *ibid.*

Repræſentare Tertulliano idem eſt, quod præſens exhibere. 298. 1.

Reſurrectio carnis eſt Chriſtianorum fiducia. 111. 2. Simon primus negavit carnis Reſurrectionem. 112. 1.

Reſurrectionem carnis negant Philoſophi omnes. 111. 2.

Reſurrectio noſtra utrùm jam facta ſit? 272. 2. & ſeq.

Romam referendæ omnes de fide quæſtiones ex Canone Apoſtolico. 271. 1.

Romana Eccleſia juxta litteras Synodi Aquilejenſis eſt caput totius Romani orbis. 90. 2. Dictarum litterarum author Sanctus Ambroſius. *ibid.*

Romsna Eccleſia maculata omnem ſibi communicantem macularet Chriſtianitatem. 338. 1.

Romana Eccleſia nullo penitùs *hæreticæ*, aut ſchiſmaticæ communionis contagio maculata. 90. 2.

Romana Eccleſia omnium radicum, & radicatorum radix. 89. 1. Eſt omnium Apoſtolicarum Eccleſiarum Princeps. 208. 2. Ejus Primatum

frustrà

fruſtrà ſubvertere nititur M. Antonius de Dominis. 212. 1.

Romana Eccleſia ſingulariſſimè dicitur Apoſtolica. 197. 2. Eſt Catholicæ communionis prima radix, & fundamentum. *ibid.* Qui Romanæ Eccleſiæ non communicat, non eſt Catholicus. 198. 1.

Romana Eccleſia ſuo Pontifici quandoque reſtitit. 91. 2.

Romana Eccleſia, utpotè puriſſima ab erroribus, nullum olim admiſit Symboli additamentum, 138. 2.

Romanæ Eccleſiæ ad confirmandos Primates Epiſcoporum, authoritas antiqna. 72. 2.

A Romanæ Eccleſiæ judicio Julianus Pelagianus appellat ad generalem Synodum. 340. 1.

Romanæ Eccleſiæ Primatus. 286. 1. Fundatur in meritis, ac Epiſcopali Cathedra Sancti Petri. *ibid.* Non autem in civitatis apud Romanum Imperium Prærogativa. 286. 2. Eſt principalior Potentialitas. 89. 1. Ariani, Dioſcorus Alexandrinus, Sanctus Cyprianus, Firmilianus, &c. tetigerunt ſolam perſonam Pontificis, non Cathedram. *ibid.* 2.

Romanæ Eccleſiæ rebellis non eſt ſchiſmaticus, ſed hæreticus. 132. 1.

Romanæ Eccleſiæ Symbolum eſt verè Apoſtolicum. 139. 1.

Romani Epiſcopi Primatus Cypriani authoritate luculentè aſſertus. 83. 1.

Romano Pontificis lapſus nihil præjudicaret Eccleſiæ. 91. 1.

Romano Pontifici certis caſibus citra Schiſma non communicatur. *ibid.* 2.

Romanorum Pontificum ſucceſſio. 260. 2. 261. 1.

Romanum Epiſcopum ſibi proprium finxiſſe videntur Valentiniani. 359. 2.

Romanus Epiſcopatus major Romano Imperio. 310. 1.

Romanus Epiſcopus, & Romana Eccleſia diverſa ſunt. 338. 1. Eccleſia Romana à communione Anaſtaſii ſecundi ſejuncta. *ibid.*

Romanus Epiſcopus in generalibus Eccleſiæ Synodis habet Relationis authoritatem, & Prærogativam ſuffragii. 291. 2. 316. 1. A tempore Tertulliani dictus Pontifex maximus. 310. 1.

Romanus Patriarchatus extendit ſe ad Achajæ Eccleſiam. 138. 1. Item ad Africanam Eccleſiam. 286. 1.

Romanus Pontifex intitulatur *Pater* à Synodis generalibus. 203. 2. Gregorius quartus indignatus Gallicanis Eccleſiis, quod ipſum dumtaxat Fratrem appellaſſent. 155. 1.

Romanus Pontifex non eſt Apoſtolus, ſed Apoſtolicus. 183. 2. 184. 2.

S

SAbbatius Novatianenſis Scripturarum truncator. 171. 2.

Sacerdos, an ſit quilibet fidelis, etiam Laicus? 354. 1. Quædam in oppoſitum explicantur. 355. 1.

Sacramenta ab Hæreticis non ſunt ſuſcipienda. 338. 2.

Sacramentorum formas, & ritus ſancti Patres ſola voce, ſine ſcripto tradiderunt. 330. 2.

Sacramentum. Accipitur pro toto Chriſtiano dogmate à Tertulliano, & Paulo. 207. 1.

Sacrificium Miſſæ. 308. 1.

Saducæorum Hæreſis. 269. 2. & ſeq.

Samaritani non fuerunt Judæi. 270. 1. Eorum errores. *ibid.*

Sanctimoniales rectè pſallunt in lingua Latina, licet verba non intelligant. 187. 1.

Sanctiſſimus. Eccleſia Latina titulum illum defert ſoli Epiſcopo Romano. 312. 2. Olim Chriſtianitas omnis ſuos Epiſcopos vocabat *Sanctiſſimos*. *ibid.* Græci antiquum morem ferè retinent. *ibid.*

Sanctum. A Sanctis Patribus frequenter uſurpatur pro Euchariſtia. 327. 2.

Sanctus. Eſt antiquus Chriſtianorum titulus. 312. 1. Præſertim debetur, ac ſemper delatus fuit Epiſcopis, Clericis, & Monachis. *ibid.* 2. Poſſitne deferri Hæreticis, & Imperatoribus? *ibid.* 2. & ſeq.

Sapientiæ liber à quibuſdam Eccleſiis non admiſſus in regulam, cunctæ tamen habebant pro authentico. 175. 2. Ruffinus affirmat eſſe Librum Eccleſiaſticum, non canonicum. 176. 1.

Saturnini errores. 272. 1.

Scandalum ex hæreſibus vanum & inconſideratum. 11. 1.

Scandalum ex quorumdam lapſu improvidè deſumptum. 15. Magnorum in Eccleſia virorum ad Hæreſim lapſus, eſt infirmis animis ſcandalum peſſimum. 15.

Scandalum, quid ſit? 16. 1.

Schiſma, & Hæreſis quomodò differant? 82. 1. 92. 2. & ſeq.

Schiſma, & Para-Synagoga ejuſdem fermè naturæ. 85. 1. Differunt tamen. 86. 2. Schiſma ſuprà Para-Synagogam addit ſeceſſionem à Romana, & univerſali Eccleſia. 88. 1. 2.

Schiſma omne eſt deteſtabile facinus, licet ſit ſine Hæreſi. 94. 1. Auguſtino eſt crimen in Spiritum Sanctum. *ibid.* Ejus cauſa, fraternum odium. *ibid.* Eſt crimen Idololatria gravius. *ibid.* 2. Item traditione ſacrorum Codicum, aut vaſorum. 95. 1.

Schiſma requirit non quamcumque adversùs Epiſcopum rebellionem, ſed altare contra altare. 85. 1. 2. Quod fiat ſine legitima cauſa. *ibid.* & 86. 1.

Schiſma ſubindè latiùs accipitur pro quavis diſcordia. 92. 1. Duplex Schiſma. 93. 2.

Schiſmatici non retinent fidem per charitatem operantem. *ibid.* Eorum fides dumtaxat eſt humana credulitas. *ibid.*

Schiſmaticus non eſt, qui in dubio circa veri Pontificis perſonam hæſitat. 91. 2.

Scholæ Theologicæ erectæ Alexandriæ à Sancto Marco, Romæ à Sancto Petro, vel ejus Succeſſore, Conſtantinopoli à Conſtantino Magno. 45. 1.

Scholarum publicarum vindices, non ſoli Pontifices, ſed & cuncti Chriſtiani Principes. *ibid.* 2.

Scholarum publicarum utilitas, & dignitas. 45. 1. Ex ſola Origenis ſchola prodiiſſe dicuntur ultra quingentos Epiſcopos. *ibid.* Imperatores aliqui ſcholarum inimici, & deſtructores. *ibid.* Eadem mens Luthero. *ibid.* 2.

Scriptura Apocrypha, quid ſit? 175. 1. & ſeq. Alia damnata, alia permiſſa Apocrypha. 176. 2.

Scriptura ſacra adversùs Chriſtum Diabolus eſt uſus. 163. 1.

Scriptura ſacra Eccleſiæ regula, firmamentum, & columna. *ibid.* Ab Hæreticis allegari non poteſt. *ibid.* Ab eis tamquam arma furtiva auferri debet. *ibid.*

Scriptura ſacra eſt authentica, propria, ac irrefragabilis Divinæ Majeſtatis vox. 123. 2. Ab Hæreticis acciſa, & mutilata. 124. 1. Eam Valentiniani auſi contemnere, & authenticum Dei verbum negare. *ibid.*

Scriptura ſacra requirit certæ interpretationis gubernaculum. 122. Recta ſcripturæ interpretatio fuit primitivæ Eccleſiæ charisma. *ibid.* 1. 2.

Scriptura ſacra ſitnè quoad ſenſum tantùm, an etiam quoad omnia & ſingula verba dictata à Spiritu Sancto. 124. 1. & ſeq. Verius eſt quod omnia, & ſingula verba dictata ſint à Spiritu Sancto. 129. 1. & ſeq. *Non eſt ſyllaba vel apiculus in ſacris litteris, in cujus profundo non ſit grandis quidam theſaurus.* *ibid.* 2. Quæ in Scripturis pertinent ad annorum numerum & nominum recenſionem, ſunt quoad ſingula verba à Deo inſpirata. 130. 1. Per illa *Deus loquitur.* *ibid.*

Scripturæ S. Authores tamquam Aſina Balaam non ſunt locuti. *ibid.* 2. Divina Majeſtas quandoque utitur imperita anima, ut claudicante tibia. *ibid.* An Interpretes Epiſtolarum Petri, & Pauli habuerint chariſma Divinæ inſpirationis. 131. 1.

Scripturæ ſacræ fœcunditas. 304. 2. Eſt adinſtar Mannæ, quod aliis dulciſſimum erat, aliis pariebat nauſeam. *ibid.*

Scripturæ S. interpretatio qualis eſſe debeat. 122. & 123. 2. Lutherus non ſine fundamento dixit: Scripturas eſſe librum hæreticorum. 162. 2. Nempè, quòd ex ipſo hæretici omnes hauriant ſuum venenum. *ibid.*

Scripturæ S. libri Catechumenis tantùm prælecti. 321. 1.

Scripturæ S. libros Apocryphos fingunt, vel admittunt hæretici. 172. 2. Catalogus hujuſmodi librorum. 173. 2. & ſeq.

Scripturæ S. libros quoſnam hæretici non admittant? 166. 2. & ſeq. Ejus vitiatio grande flagitium. 168. 2. & ſeq. Hæretici, qui Scripturas vitiarunt. 168. 1. & ſeq.

Scripturæ S. litteram detorquere Afris familiare. 98. 1.

Scripturæ S. ſyllabis Eccleſiaſtica ſanctorum Patrum intelligentia jungenda. 162. 2.

Scripturæ S. ſtylus debuit eſſe omnibus communis, humilis, & obvius. 130. 2. Chryſoſtomi locus objectus explicatur. 131. 1.

Scripturæ S. textus paſſim eſt humilis, non vitioſus. *ibid.*

Secta. Tertullianus hanc vocem accipit in bonum. 100. 2.

Sedes Apoſtolica in Synodis habet jus proponendi motam quæſtionem cum Prærogativa ſuffragii. 136. 2.
Vide *Romana Eccleſia*, *Romanus Epiſcopus*.

Seſtertia ducenta, an Marcion obtulerit Eccleſiæ? 247. 1. Ducenta ſeſtertia faciunt quinque millia Coronatorum. *ibid.*

Simon Magus primus in novo Teſtamento hæreticus. 244. 2. Fons Gnoſticorum. 245. 1. Hæreticorum Trojanus equus. 259. 2. Paucos habuit ſequaces. 260. 1.

Simon Magus primus negavit carnis reſurrectionem. 112. 1.

Simon Magus quomodo ſerviverit Angelis? 279. 2. Ejeratæ Magiæ reſumptor. 367. 1.

Spiritus erroris quid apud Apoſtolum? 102. 1.

Spiritus ſæpè ſumitur pro dono Spiritus Sancti, vel iſtius doni fuco. 290. 1.

Stoicorum de Divina Majeſtate opinio. 110. 1. 111. 1.

Subſtrati. Tertius Catechumenorum gradus. 343. 1.

Symboli Apoſtolici deſertores hæretici. 95. 1.

Symboli Apoſtolici notitia ad ſalutem neceſſaria. 155. 1. & ſeq. Non eſt tamen abſolutè neceſſarium ſingulorum articulorum formulam memoriter diſcere. 158. 2. Quidam ex ſpeciali Dei privilegio ſine notitia Symboli ſalvati. *ibid.*

Symbolo Apoſtolico facta additamenta. 136. 1. 2. Non eſt apud omnes Eccleſias ex integro Apoſtolicum. 138 2. An hæc verba: *Creatorem cæli & terræ*, ſint ab Apoſtolis? *ibid.* & ſeq. An fuerint in Africano Symbolo? 140. 1. *Carnis reſurrectio*, olim poſtremus Symboli articulus. 142. 1. Articulus *de vita æterna* poſtmodum adjectus. *ibid.* Quis additamentum illud fecerit? 141. 2. Articulus de deſcenſu Chriſti ad Inferos olim prætermiſſus. 143. 2. & ſeq. Diverſæ circa Symbolum varietates. 144. 2. & ſeq. Unde? 149. 1.

Symbolum Apoſtolicum eſt verbum Dei traditum, non ſcriptum. 149. 1. Omnia, & ſingula Apoſtolici Symboli verba, jam pridem ſunt ſacroſancta, ac immobilia. *ibid.* 2.

Symbolum Apoſtolicum quomodo ſit à Chriſto? 153. 1. Eſt totius ſacri Textus compendium. *ibid.* 2. Ex eo hæreticos convincere perpetua eſt Eccleſiæ conſuetudo. *ibid.*

Symbolum Apoſtolicum ſola voce ſine ſcripto tradi ſolitum. 331. 1. Zozomenus non audet illud hiſtoriæ ſuæ inſerere. *ibid.* 2.

Symbolum Apoſtolicum ſolitum vocari *Sacramentum*. 82. 1. Olim ſolis Competentibus tradebatur ante Baptiſmum. 206. 1. Etiam poſt Nicænam Synodum Competentibus tradere per-

re perrexit Eccleſia Latina. 95.1.

Symbolum Apoſtolicum Tertulliano dicitur fidei regula. 136. 1. & ſeq. Reverà ab Apoſtolis conditum eſt. 146. 2. & ſeq. An quiſque Apoſtolus dixerit, & condiderit ſuum articulum. 150. 1. Quo Chriſti anno ſit conditum. *ibid.* 2. Orientales Eccleſiæ olim uſæ Symbolo Apoſtolico. 148. 1.

Symbolum Conſtantinopolitanum ſuis Competentibus tempore Joan. Chryſoſtomi tradebat Orientalis Eccleſia. 232.2.

Symbolum Nicænum eſt verum Dei verbum. 82. 1.

Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum habent radicem, ac vigorem ex Symbolo Apoſtolico. 152. 1.

Synaxes Græcis, Collectæ Latinis dicuntur. 375. 2.

T

TAbernæ meritoriæ olim an fuerint? 206. 2

S. Tarſitius Acolythus Corporis Chriſti Sacramenta portans, & Paganis oſtendere nolens, fit Martyr. 328. 1.

Tertulliani vanus de mutata ſententia prætextus. 53 2. Ejus lapſus in Eccleſia magna tentatio. *ibid.* Conſequens ejus error *detraxit Scriptis probabilibus auctoritatem*. *ibid.* Calumniam nobis imponere didicit à Valentinianis. 61.2. Expungit è Canone varios Scripturæ libros. 167. 2.

Tertulliano adſcripta Appendix libri præſcriptionum non eſt ipſius. 270.1. 383. 1. 2.

Tertullianus cur dubitaverit de Marcionitarum fœminis, quas baptizaſſe affirmat S Epiphanius? 349. 2.

Tertullianus creditur fuiſſe Agrippini Presbyter, & primus de exſufflando hæreticorum Baptiſmo cogitaſſe. 33. 2. 333.2.

Tertullianus docet quemlibet fidelem, etiam Laicum eſſe Sacerdotem. 354. 1. Damnat ſecundas nuptias, & à quolibet fideli requirit eaſdem virtutes, quas ab Epiſcopo requirit Apoſtolus. *ibid.*

Tertullianus Indulgentiarum hoſtis. 256. 1. Damnatas à ſe fabulas veneratur, & adorat. 174. 2.

Tertullianus Monachiſmum ſuo modo profeſſus, dum ſuſcepto Spadonatu tranſivit à Toga ad Pallium. 103. 2. 208. 1.

Tertullianus non tantùm eminens Theologus, ſed & Romani Juris peritus. 9. Librum Præſcriptionum ſcripſit Catholicus. 10. Librum de velandis Virginibus ſcripſit poſt lapſum. 33.1. Quid per Martyres intelligat. 50.1.

Theodorus Mopſueſtienſis, Monachus. 103. 2.

Theodoſius Imperator ad Sancti Ambroſii pedes poſternere ſe ſolebat. 358. 1.

Themiſtius, licèt Gentilis, tamen Catholicis amicus. 77.2. Docet minorem eſſe in Eccleſiaſticis opinionibus diſſenſionem, quàm quæ extat apud Gentiles. *ibid.*

Theologo quæſtiones inutiles vitandæ. 153.1.2.

Theophilus Patriarcha Antiochenus antiquus & venerabilis. 110. 2. Ei Evangelium & Acta inſcribit Sanctus Lucas. *ibid.*

Timor Dei cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. 370. 1.

Timoris ſervilis utilitas. *ibid.*

Timotheus Epheſi Epiſcopus à Paulo ordinatus. 262. 1.

Traditionem Apoſtolicam negant Gnoſtici. 132.1.

Traditiones Judæorum. 273. 1.

Traditionis authoritas. 120. 1. Plenum Evangelium conſtat verbo Dei ſcripto, & tradito. *ibid.*

Traditionis Catholicæ apud Tertullianum regula aureis litteris ſcribi digna: *Tenendum eſt, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus accepit à Deo.* 101. 1.

Traditionis regula. 280. 2.

Traductio. Idem eſt Tertulliano quod detectio. 217. 1. 2.

Translatio ſeptuaginta Interpretum non eſt prima translatio. 281. 1.

Tridentina Synodus ob nationem Germanicam congregata. 77. 1. Eam, quamdiu non ſuſcipiunt Germani, tamdiu miſerrimi permanebunt & peſſimi. *ibid.*

Trinitas hominis apud Valentinum, ſcilicet materialis, animalis, & ſpiritualis. 106. 1. Ex Platone deſumpta. 109. 1.

Trinitas. Vox fuit Catholicis Scriptoribus uſitata ante Arianos motus. *ibid.*2.

Trinitatis myſterium non eſt coram extraneis evulgandum. 331.2. & ſeq. Iſaaci Caſauboni circa hoc error. 332. 1.

Trophimus Aſiaticus. 294.2. Arelatenſis Eccleſia affirmat ipſum ſibi à Paulo fuiſſe conſecratum in primum Epiſcopum. 295. 1.

V

V*Acantivi Clerici* quinam ſint? 365. 2. Extincti per Synodum Chalcedonenſem. 366. 2.

Vagandi licentia in Clericis damnata. 364.2. & ſeq. 367. 1.

Valentiniani. 81.2. 105. 2. & ſeq. Quid de Æonibus ſenſerint? *ibid.* Luxuriam non tantùm licitam putant, ſed etiam Dei gratiam impetrare quaſi ex opere operato. 107. 1. Æonum originem quærunt. 115. 1. De Enthymeſi & Ecthromate fabulas excogitant. *ibid.* Non tantùm præ Apoſtolis, ſed etiam præ Chriſto D. volunt ſapere. 120. 1. Eorum fraudes. 160.1. & ſeq. Scripturas intorquent. 172. 1.

Valentiniani catechumenatum extendunt ad totos quinque annos. 336.2. & ſeq. Inter ſe diviſi. 359. 2.

Valentiniani ſuos nequam ſenſus occultant ſub orthodoxis vocibus. 61. 1. Nihil magis curant, quàm occultare quod prædicant. *ibid.*

Valentinianorum de reſurrectione doctrina. 273.1.

Ne-

Nequitia. 338.1.

Valentini errores. 359.1.

Valentinus Epiſcopatum ambit. 243. 1. 245. 2. Valuit ingenio, & eloquio. *ibid.* Fuit vir doctiſſimus. 243.2. Incerta ejus Patria. 108.2. 245. 2.

Valentinus è Simone Mago natus fungus. 107.1. Amalrico, Beggardis, Begginis, & Calvino in errore prælusit. *ibid.*2. Platonicæ Sectator. 108.1. Ejus fabulæ ex Thalete. *ibid.* 2.

Veritas fidei quærenda in una, & Apoſtolica Eccleſia. 196. 1.

Veritas hæreſi & mendacio prior. 240. 2. & ſeq. 257.1.

Veritas non eſt apud hæreticos quærenda. 134.1. 136. 1. & ſeq. Nec apud eos, qui perpetuò dubitant. 159. 2.

Veritas ſine fuco, & propter hoc pueris credita. 61.1.

Veſtitus modeſtia Chriſtianis, præſertim fœminis meritò commendata. 372. 1.

Veſpaſianus Imperator utrùm vera miracula patraverit? 379. 1. 380. 1.

Vidua apud Græcos benedicitur, & in Abbatiſſam eligitur. 40. 1.

Viduarum cœtus duplex. 19.1. 20.1 2.

Viduarum ſacrarum genus tertium. *ibid.* Ad vidualem caſtitatem profitendam non eligebantur ab Epiſcopo, ſed ſponte ſua accedebant. *ibid.* Votum ſuum demonſtrabant velo & nigra veſte. *ibid.*

Viduarum Sacrarum Magiſtratus varia requirebat. Primò debebat eſſe poſt conſummatas nuptias vidua, non virgo: Secundò debebat non tantum genuiſſe, ſed & filios benè educaſſe. Tertiò debebat eſſe ornata cunctis per Apoſtolum requiſitis virtutibus. Quartò emittere ſolemne votum perpetuæ caſtitatis. Quintò eſſe ſexaginta annorum. 21.1.

Viduarum Sacrarum Præſidentium officia. Primò Matrimonia cum Clero conciliare, & maritandis junioribus providere. Secundò. Flentes ad publicam pœnitentiam ſuffragio ſuo admittere. Tertiò. Docere imperitas, & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt. Quartò. Solemnem cum Clero Pſalmodiam agere. Quintò. Incarceratis Martyribus ſuccurrere. Sextò. Baptizandis mulieribus aſſiſtere. *ibid.*2. & ſeq.

Viduarum Sacrarum Præſidentium varia dignitas. Primò non erant velatæ in Eccleſiæ conventu. Secundò, quòd in Eccleſia dignitate eminerent. Tertiò, quòd in Sacro Tribunali cum Presbyteris ſederent ac præſiderent. 28.1.

Viduæ nonnullæ, quæ ob inopiam Eccleſiaſticis pecuniis alebantur. 18.2.

Viduæ ſacræ in Eccleſiæ membrorum numerum relatæ. 19.1. Noctu & interdiu pſallunt. *ibid.* Ad exemplum Evangelicæ viduæ, quæ nec nocte, nec die diſcedebat à templo. *ibid.* Ad hujus ſacri cœtus regimen Apoſtoli inſtituerunt ſeptem primos Diaconos. *ibid.*

Viduitas ſacra continebat non tantùm profeſſionem continentiæ, ſed etiam Eccleſiaſticum officium, Magiſtratum, ſummi honoris faſtigium, & in ſolemni Eccleſiæ conventu Præſidentiam. *ibid.* Ad eam requirebatur ſexageſimus annus. *ibid.* Ad eam juxta Apoſtolum, ſacros Canones, & SS. Patres admittebantur tam Diaconæ quàm Presbyteræ. 18. 2. Juxta Tertullianum ſolæ Presbyteræ. *ibid.*

P. Vinckelius ex verſibus Virgilianis elegantiſſimè concinnavit vitam S. Thomæ de Villanova. 304. 1.

Virginalis conſecratio olim quibus temporibus facienda. 43.2. Olim in Epiphania, vel in ſecunda feria Paſchæ, aut in Apoſtolorum Natalitiis. *ibid.* Excipe caſum gravis languoris. *ibid.* Juxta Romanorum Pontificale adjiciuntur omnes Dominicæ. *ibid.*

Virginalis ſtatus dignitas. 28.2. Inchoatus à S. Virgine Maria. *ibid.* & 31. 1. Ejus conſecratio non conceditur Monialibus Ordinum Mendicantium. 41. 1. Eſt Eccleſiaſtica dignitas, quas cunctas profeſſi mendicitatem debent contemnere. *ibid.*

Virginalis ſtatus & conſecrationis, etiam apud Græcos, incapacem reddit quivis expletus lapſus carnis. 40. 2.

Virgines, etiam non conſecratæ, tenentur ad ſuſceptum Propoſitum virginale. 34. 1. 41.2.

Virgines profeſſæ, non omnes olim conſecratæ, nec ſacro velamine tectæ. 33.2. 34. 1.

Virgines ſacræ, in ſolemni Eccleſiæ conventu Sedem non habebant. 33.1.

Virgines ſacræ, licet nec ſacrum Tribunal, neque *Clericorum* Sacrarium aſcenderent, in publico tamen Eccleſiæ conventu ſingularem habuerunt & honoratiorem locum. 44. 2. Erant vicinæ ſacro Tribunali. *ibid.*

Virgines ſacræ olim conſecratæ. 32.1. & ſeq.

Virginibus invitis non eſt ſacrum velamen imponendum. 38. 1.

Virgini in laicali vita lapſæ non datur plena virginalis conſecratio. 39.1.

Virginis conſecrandæ ætas. 37.1. Epiſcopus poterat in ea diſpenſare. *ibid.*

Virginitas Domino Deo per ſolemne votum conſecrata. 29. 2. Non tantùm in Cœnobiis, ſed etiam in paterna, aut alia privata domo promiſſa. *ibid.*

Virginitas duplex, mentis & corporis. 378.1. mentis eſt *integra fides, ſolida ſpes, ſancta charitas*. *ibid.*

Virginitas Gentilium non fuit perpetua. 311.1.

Virginitas perpetua apud ſolos Chriſtianos. 30. 2. 311. 1.

Virginitatis encomia. 29. 2. & 31. 1. Angelicum vitæ genus, à Conſtantino Magno ac ejus matre Helena venerationi habitum. 30.1.

Virginum chori in quibuſdam novellis Eccleſiis. 29. 1.

Virginum conſecratio non fuit novi Teſtamenti Sacramentum. 35. 1. Ejus Miniſter apud Latinos Epiſcopus. 36. 1. Etiam Presbyter certis caſibus. *ibid.* A ſimplici Presbytero fit ſemper

Digitized by Google

per validè, non licitè. 36. 1.
Virginum conſecratio novum adjicit vinculum. 34. 2.
Virginum in Eccleſia Alexandrina tantus numerus, ut ipſarum ſeptingentas unus Arius ſeduxerit. 29. 1.
Virginum niger habitus in honorem D. Virginis. 34. 2.
Virginum profeſſio in conſecratione iterata. *ibid.*
Virginum profeſſionem ſine conſecratione Canones vocant Sponſalia. 36. 1.
Virginum profeſſio ſine conſecratione Epiſcopi an matrimonium dirimeret? 34. 2.
Virginum ſacram veſtem Orientalis Eccleſia appellat Angelicum habitum. 29. 2.
Vitalis Apollinariſta non ſolùm Gregorium Nazianzenum, ſed etiam Sanctum Damaſum Pontificem ac Romanam Eccleſiam circumſcripſit. 63. 2.
Voces eædem in ore hæreticorum ſuſpectæ, non in ore Catholicorum. 61. 1. 64. 1.

W

S. WOlbodus Leodienſis Epiſcopus in Sancti Laurentii Monaſterio ſepultus juſſu Abbatis à miraculis patrandis ceſſat. 256. 2.

Z

ZEno Princeps Stoicorum docet materiam æternam. 112. 2. Quæ illius Patria? 113. 1.
Zenones diverſi. *ibid.*

FINIS.

252733
ANT 1411910

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IV
E 24